LUCA, Giovanni Battista de, Cardenal

Theatrum veritatis, et iustitiae : siue decisiui discursus ad veritatem editi in forensibus controuersiis canonicis, & ciuilibus... / Io. Baptista de Luca... ; liber octauus de credito, et debito, creditore, et debitore. -- Romae : Typis Haeredum Corbelletti, 1671

[24], 576, [71] p., []4, a-b4, A-Z4, 2A-2Z4, 3A-3Z4, 4A-4M4 ; Fol.

Antep. -- Port. con grab. calc.: "A. Clouvet scul.". -- Texto a dos col.

1. Derecho canónico 2. Zuzenbide kanonikoa 3. Derecho civil 4. Zuzenbide zibila I. Título

R-6294 Enc. piel con hierros dorados en el lomo

R-6294

R-6200

LIBER VIII.

DE

CREDITO

ET DEBITO.

CREDITORE, ET DEBITORE.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

I. de Ang. Archiep. Urbin. Viceſg.

Ex relatione *D. Antonij de Philippo in Romana Curia Aduocati*, ex noſtra commiſſione, vt nihil contineatur Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarium.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

THEATRVM
VERITATIS, ET IVSTITIAE
SIVE
DECISIVI DISCVRSVS

Ad veritatem editi, in forenſibus controuerſijs, Canonicis, & Ciuilibus, in quibus, in Vrbe Aduocatus, pro vna partium ſcripſit, vel conſultus reſpondit

IO. BAPTISTA DE LVCA
VENVSINVS,

Per materias, ſeù titulos diſtincti, iuxtà proximam indicem poſt præfationem.

LIBER OCTAVVS
DE CREDITO, ET DEBITO, CREDITORE, ET DEBITORE.

I. Clouvet ſcu

ROMAE,
Typis Hæredum Corbelletti. M.DC.LXXI.

SUPERIORUM PERMISSU.

SACRO CONSILIO NEAPOLITANO

IO. BAPTISTA DE LVCA FELICITATEM.

CREDITORI, debitorem ſoluere, pro viribus, quod debet, VERITAS, & IVSTITIA, cogunt; Cum itaquè, à ſcholarum velut vtero egreſſus, ab hoc magno, ac celeberrimo Tribunali, cuius auctoritas maiora legum lumina terruit, tanquam à beneuola nutrice, per triennium, praxis forenſis, inſtar lactis, nutrimentum acceperim, cuius vigore, in Curia Romana, robuſtus effectus, forenſe iter peregi; Hinc, pro ea mei magni debiti ſolutione, vel agnitione, quæ exiguis viribus conceditur; Hoc mei Theatri volumen, in quo, CREDITI, & DEBITI materia peragitur, alumnus, adeo charæ nutrici, pro obſequij, ac deuotionis perpetuo monumento, offero.

INDEX

Titulorum seù Materiarum totius operis.

LIB. I.

De Feudis
Et bonis iurisdictionalibus, & Bulla Baronum.

LIB. II.

De Regalibus.
Hoc est
Officijs venalibus, locis Montium, alijsque iuribus cum Principe seù Republica, Vectigalibus, & gabellis, salinis, & mineralibus, monetis, vijs publicis, fisco, & alijs de quibus in cap. vnico quæ sint Regalia.

LIB. III.

De Iurisdictione,
Et foro competenti.
Par. II.
De Præeminentijs, & præcedentijs.
Sub quibus
De Iure Cathedratico, Metropolitico, Nobilitate, Ciuilitate, & alijs iuribus honorificis.

LIB. IV.

De Seruitutibus Prædialibus.
Vsufructu, & vtroque retractu.
Par. II.
De Emphyteusi.
Par. III.
De Locatione, & Conductione.

LIB. V.

De Vsuris, & interesse.
Par. II.
De Cambijs.
Par. III.
De Censibus.
Par. IV.
De Societatibus Officiorum.

LIB. VI.

De Dote.
Lucris dotalibus, & alijs dotis appenditijs.

LIB. VII.

De Donationibus.
Par. II.
De Emptione, & Venditione.
Par. III.
De Alienationibus,
Contractibus, Obligationibus, & pactis in genere.
Par. IV.
De Tutoribus,
Procuratoribus ad negotia, Administratoribus, & aliena negotia gerentibus.

LIB. VIII.

De Credito, & debito,
Creditore, & debitore.

LIB. IX.

De Testamentis,
Codicillis, & vltimis voluntatibus.
Par. II.
De Hærede, & Hæreditate.

Par.

Par. III.
De Legitima,
Trebellianica, & alijs detractionibus.

LIB. X.

De Fideicommiſſis,
Primogenituris, & Maioratibus.

LIB. XI.

De Legatis.
Par. II.
De Succeſſionibus ab inteſtato.
Par. III.
De Renunciationibus.

LIB. XII.

De Beneficijs Eccleſiaſticis in genere.
Par. II.
De Canonicis, & Dignitatibus,
Capitulo, electione, & actibus capitularibus.
Par. III.
De Parocho, & Parochijs.

LIB. XIII.

De Iurepatronatus.
Par. II.
De Penſionibus eccleſiaſticis.

LIB. XIV.

De Matrimonio,
Sponſalibus, & Diuortio.
Par. II.
De Decimis,
Oblationibus, & Eleemoſynis.
Par. III.
De Regularibus,
Et Monialibus, alijſque Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis.
Par. IV.
De Cenſuris,
Miſſis, anniuerſarijs, & alijs materijs Eccleſiaſticis.

LIB. XV.

De Iudicijs, & iudicialibus.
Hoc eſt.
De Sententia, & re iudicata, executione, attentatis, Iudice, Notario, Aduocatis, Procuratoribus, expenſis, & alijs ad materiam iudiciorum.
Cum relatione Curiæ Romanæ circa forenſia.

LIB. XVI.

Supplementum Miſcellaneum.
Super omnibus dictis materijs, circa ea quę pendente impreſſione diſputata ſunt; et cum obſeruationibus ad plures diſcurſus omnium titulorum.

INDEX ARGVMENTORVM IN DISCVRSIBVS

Qui habentur in hoc octauo Libro, de Credito, & Debito.

Disc. I.

Romana Saluiani.

An, & quando ille, de cuius pecunia dimissus est creditor anterior, vel potior, in istius locum succedat, adeoùt alios intermedios creditores, agendo, vel excipiendo repellere valeat, atquè iura dimissi creditoris deducere.

Disc. II.

Romana Pecuniaria.

De eadem materia subintrarionis eius, cum cuius pecunia fit dimissio in locum primi creditoris, in istius locum, saltem excipiendo, ac ad effectum se confouendi in possessione pignoris.

Et àn creditor, cui per Iudicem soluta fuit pecunia debitoris, cum obligatione de restituendo anterioribus, vel potioribus, & de contribuendo cum æqualibus, dicatur possessor, adeoùt excipiendo vti valeat iuribus antiqui dimissi creditoris, quibus agendo vti non posset.

Disc. III.

Romana saluiani, seù concursus.

De eadem materia concursus plurium, qui ob æqualitatem causæ dimissionis eiusdē antiqui creditoris, efficiantur æquales, àn vni ex eis suffragetur possessio; Et quid, vbi eadem sit causa debiti dimissi, sed diuersus sit modus debendi, quia nempè solutio distributa sit in plures pagas, ac tēpora; An ille qui credidit cum pacto subintrandi pro dimissione primæ paghæ, dici valeat anterior alterius credentis pro solutione secundæ, ad materiam *text. in l. Insulam ff. qui potior. in pign. habeantur.*

Disc. IV.

Cremonen. concursus.

De eadem materia concursus plurium in eadem causam; Et in specie, àn ille, qui credidit pro redemptione bonorum distractorum ad instantiam venditoris, qui erat creditor ex causa pretij, præferatur eidem venditori creditori ex eadem causa pretij residualis; Et de remissione hypothecæ ob consensum præstitū venditioni rei hypothecatæ, cuius pretium ab ipso creditore habitum sit.

Disc. V.

Ferrarien. montis Bentiuoli.

Posita subintratione in locū creditoris anterioris cum propria pecunia dimissi, ex cessione iurium, vel pacto de subintrando, àn hæc subintratio, ac anterioritas suffragetur, tàm pro sorte soluta, quàm etiam pro fructibus postea decursis in vim conuentionis habitæ, inter debitorem, ac dimittentem.

Et incidenter, àn noua additio facta alicui Monti, importet eamdem anterioritatem, vel potioritatem primæuæ erectionis, in præiudicium creditorum medij temporis; Et àn Princeps tollat hypothecam vel anterioritatem.

Disc. VI.

Romana exuinculationis.

De eadem materia concursus venditoris, qui dominium sibi reseruauit pro residuali pretio, et creditoris, de cuius pecunia, alia pars pretij soluta est; Et àn posito, quod venditor, ob reseruationem dominij, potior esse debeat, ista potioritas suffragari debeat etiam pro fructibus recompensatiuis decursis pro summa residuali, adeoùt fructus habeant eamdem naturam sortis.

Disc. VII.

Romana affictus, seù cedulæ.

De concursu creditoris, & fideiussoris, qui partem crediti eidem creditori soluit, ad bona communis debitoris; Et àn cre-

creditor teneatur cedere eius iura, etiam contra ſcriptum, ſi deficiant, & quando.

Diſc. VIII.

Romana pecuniaria.

De concurſu cedentis, & ceſſionarij in bonis debitoris; Et quid vbi ceſſio eſt cum clauſula, dummodò contra cedentem retorqueri non poſſit, àn tali caſu, cedens agere valeat, etiam pro iuribus poſterioribus.

Diſc. IX.

Romana ſaluiani.

De concurſu creditorum venientium ex debitis eadem die contractis, atq; in eodem inſtrumento, vel ſcriptura cõtentis, ex diuerſa tamen cauſa, ſeù titulo, àn inter eos detur ordo per priùs, & per poſterius ex ordine ſcripturæ, vt primo nominatus, dicatur alteri anterior, necnè.

Diſc. X.

Bononien. diſcuſſionis.

De Statuto fori mercatorum Bononiæ faciente omnes creditores æquales debitoris decocti à quadriennio citra, nulla data differentia temporis, ac hypothecæ, quando locum habeat, vel reſpectiuè limitetur; Et de alijs ad eiuſdem ſtatuti materiam.

Diſc. XI.

Eadem.

De pluritate patrimoniorum, ſeù negotiorum eiuſdem debitoris, et àn creditores vnius patrimonij, vel negotij, vincant alios indifferentes, ſeù alterius patrimonij, vel negotij, non curata prioritate tẽporis, & è contra.

Diſc. XII.

Romana concurſus.

De concurſu creditorum poſteriorum cum aſſenſu in officijs venalibus, alijſquè bonis differentibus in commercio non exiſtentibus abſquè aſſenſu Principis, vel alterius; An vbi talia bona venduntur, vt prætium detur creditoribus, debeat iſtorum conditio eſſe æqualis, vt attendatur ordo temporis, vel potius attendi debeat ordo aſſenſus.

Diſc. XIII.

Romana concurſus in bonis iuriſdictionalibus.

De concurſu creditorum ſuper Caſtris, & bonis iuriſdictionalibus allodialibus Baronum Status Eccleſiaſtici, inter poſteriores habentes licentiam Apoſtolicam, et anteriores illa carentes; Et àn Apoſtolicæ Conſtitutiones prohibentes dictorũ bonorũ alienationem, prohibeant etiã hypothecam; Et de eodem *diſc.* 151.

Diſc. XIV.

Romana domus.

An in prohibitis obligari, cadat hypotheca ſuper commoditate; Et quomodo, & quando ea ſit exercibilis contra tertium, vel in cõcurſu poſterioris habentis obligatam ipſam rem &c.

Diſc. XV.

Romana pecuniaria, ſeù tabularum.

De potioritate competente mutuanti ad rem emendam, iuxtà terminos *text. in l. licèt Cod. qui pot. in pign. hab.*, ſeù mutuanti ad rem reficiendam, vel conſeruandam, ſeù pro alijs expenſis neceſſarijs, iuxtà terminos *text. in l. interdum ff. eodem*; Et de differentia inter vnum caſum, & alterum.

Diſc. XVI.

Cornetana frumenti.

De concurſu, ac potioritate ſuper fructibus fundi, inter locatorem pro penſione, & mutuantem pro expenſis culturæ, & recollectæ eorumdem fructuum; Et de potioritate locatoris in animalibus, quæ in fundo locato paſcua ſumpſerunt.

Diſc. XVII.

Portuen. ſeù Romana pecuniaria.

De eadem materia concurſus locatoris pro penſionibus, & creditorum anteriorum conductoris, ſuper fructibus rei locatæ, ſi agatur de fructibus vnius anni, pro penſione decurſa anni præcedentis; Et quid in pretio ex ipſis fructibus retracto.

Diſc. XVIII.

Cremonen. Prælationis.

De concurſu ſuper animalibus, inter creditorem mutuantem ad illa emendum, & creditorem pro eorumdem paſcuis, cui nam potioritas debeatur.

Diſc. XIX.

Romana, ſeù Sabinen. pecuniaria.

De priuilegio Fiſci ſuper eius potioritate aduerſus creditores anteriores in bonis poſtea quæſitis; Et àn iſtud priuilegium competat Annonæ.

Diſc. XX.

Vrbinaten. pecuniaria;

De eadem materia priuilegij fiſcalis pro debito primipilari, vincendi indefinitè creditores anteriores, etiam in bonis antea quæſitis; Et àn iſtud priuilegium ſit in-

vſu, et quando locum habeat.

Diſc. XXI.

Romana gabellæ.

De priuilegio potioritatis conceſſo Gabellario pro gabella, in bonis exercentis artem, ſeù negotium mercium gabellabilium, de quibus bonis intelligendum veniat, & quomodo.

Diſc. XXII.

Neapolitana, ſeù Venuſina pignorum.

De potioritate creditoris poſterioris poſſidentis pignus manuale rerum mobilium, aduerſus creditores anteriores, àn comperat necnè; Et àn creditor poſſit vendere, vel alteri pignori dare ipſum pignus, vt propterea ab eius exhibitione excuſetur.

Diſc. XXIII.

Romana Mercium.

De concurſu in mercibus inter creditores emptoris, & dominos mercium, qui eas mercantili more tranſmiſerunt debitori correſponſali, mercimonium exercenti.

Diſc. XXIV.

Romana Domus.

De potioritate meliorantis rem debitoris, creditoribus hypothecatam, in ipſis melioramentis; Et quid ſi poſſeſſor qui melioramenta fecit, ſtatum antiquum rei deſtruxerit, ſeù aliàs deteriorauerit, àn melioramenta, compenſanda ſint cum deteriorationibus.

Diſc. XXV.

Romana Concurſus.

De potioritate creditorum ex cauſa depoſiti, aduerſus alios creditores indifferentes Bancherij, ſeù Campſoris, àn & quando intret necnè; Et quando debitum dicatur ex cauſa depoſiti, vel potius ex cauſa mandati.

Diſc. XXVI.

Bononien. ſeu Veneta Pecuniaria.

De concurſu domini pecuniæ furatæ, & creditorum hypothecariorum furis, in pecunijs penès eum repertis, ac in mercibus ex eiſdem pecunijs emptis; Et quando res ſuccedat loco pretij remiſſiuè.

Diſc. XXVII.

Neapolitana concurſus.

De potioritate creditorum defuncti in iſſius bonis, aduerſus creditores anteriores, & priuilegiatos hæredis; Et quid vbi agatur de bonis feudalibus, ſeù aliàs differentibus, ac in libero commercio non exiſtentibus.

Et incidenter, àn aſſignatio facta creditori, dicatur pro ſoluto, vel pro ſoluendo, adeoùt extinguat primæua iura, primæuaſque hypothecas, necnè.

Diſc. XXVIII.

Romana de Soderinis.

An creditor chirographarius in ſola actione perſonali, vincat creditorem cum hypotheca contracta poſt pignus prætorium ad fauorem creditoris chyrographarij iam ſequutum; Et incidenter de concurſu Hæbrei mutuatoris ſuper pignore, àn concurrat ratione hypothecæ cum alijs creditoribus, in eo quod pignoris valorem excedit; Ac etiam incidenter, àn pro alimentis competat hypotheca.

Diſc. XXIX.

Romana fructuum cenſus.

An creditor anterior poſtponendus veniat poſterioribus, eoſque moleſtare non valeat, in illis bonis, vel effectibus, in quibus ipſe, non ſolùm neglexit, ſed poſitiuè curauit nõ obtinere ſatisfactionem iam promptam, adeoùt in illis bonis, vel eorum pretio, ſibi præiudicauerit.

Diſc. XXX.

Neapolitana concurſus.

De potioritate creditorum poſteriorum in aliqua bonorum ſpecie, aduerſus creditorem, cui conſultum eſſe poſſet cum diuerſa bonorum ſpecie, ad quæ ipſis poſterioribus actio non competat; Et àn creditor anterior ità priuilegiatus, à poſterioribus cogi valeat, vt eius iura experiatur ſuper bonis differentibus, ad limitationem *text in l. creditoris arbitrio ff. de diſtract. pignor.*

Diſc. XXXI.

Romana fideicommiſſi de Incoronatis.

De potioritate creditoris poſterioris ex cauſa oneroſa, aduerſus anteriorem ex cauſa lucratiua, àn, & quando intret necnè.

Diſc. XXXII.

Romana Saluiani de Saracenis.

De concurſu creditorum poſteriorum cum anteriori iam ſatisfacto, mediante aſſignatione bonorum, quæ poſteà euictæ fuerint, ſeu mediante ſolutione pecuniæ ab eo poſtmodum auocatæ, ideòque regrediente ad primæua iura; An, & quando iſte regreſſus competat; Et

quatenus competat, an ille intret etiam pro fructibus, vel vſuris, ſi aliàs debitum erat fructiferum, vel vſurarium.

Diſc. XXXIII.

Farſen. prædij.

De ſecundo creditore cum publico inſtrumento, vincente primum cum ſcriptura priuata, necnè, ad materiam *text. in l. ſcripturas C. qui pot. in pign.*

Diſc. XXXIV.

Romana Saluiani de Zeccadoris.

De creditore poſteriore, vel alio poſſeſſore, poſterius ius habente, excludente creditorem anteriorem ex defectu hypothecæ, vtpotè remiſſæ per conſenſum ab eo præſtitum eius alienationi; Et quid vbi res alienata reincidat in dominium debitoris, àn ea reincidat ſub priori hypotheca, vel ſaltèm ſub hypotheca generali bonorum futurorum.

Diſc. XXXV.

Romana ſaluiani, ſeù fundaci.

De eadem materia ſecundi creditoris, vel tertij poſſeſſoris ius habentis poſt contractam hypothecam fauore primi creditoris, quando iſtum excludat, ob remiſſionem hypothecæ reſultantem à conſenſu prætito alienationi rei hypothecatæ, ſiuè ab eiuſdem alienationis approbatione, et quando hæc ſequi dicatur.

Et incidenter, àn, & quando merces de nouo introductæ in taberna, ſuccedant loco antiquarum, atquè cadant ſub hypotheca, cui illæ ſubiacebant, ad materiam *text. in l. cum taberna ff. de pignor.*;

Et hac occaſione generaliter agitur de materia ſubrogationis, quando ſcilicèt pretium ſuccedat loco rei, ſeù res loco pretij &c.

Diſc. XXXVI.

Tolentina pecuniaria.

De concurſu creditorum hæredis cum creditoribus defuncti, in eiuſdem hæredis bonis proprijs, àn ſcilicèt, & quando iſta cadant ſub hypotheca per defunctum contracta; Et præſertim quid vbi adſit obligatio cameralis, et quando hæc continere dicatur obligationem bonorum hæredis.

Et quando in bonis hæredis intret hypotheca legalis, ad beneficium creditorum defuncti, ob alienationem, vel malam adminiſtrationem bonorum hæreditariorum.

Diſc. XXXVII.

Terracinen. pecuniaria.

De eadem materia hypothecæ bonorum hæredis, reſultantis ab obligatione camerali; Et quando hæc hypotheca initiũ deſumat in concurſu creditorum ipſius hæredis; Et incidenter, àn, & quando creditores habentes hypothecatum fundum, excludantur per tertium poſſeſſorem, in fructibus eiuſdem fundi.

Diſc. XXXVIII.

Romana pecuniaria.

De eadem materia hypothecæ bonorum hæredis, contentæ in obligatione camerali, àn capiat bona ſecundi, vel mediati hæredis, quia nempè ſit hæredis, hæres.

Diſc. XXXIX.

Anconitana pecuniaria, ſeù concurſus.

An in bonis depoſitarij, vel adminiſtratoris Eccleſiæ, vel Loci pij, competat hypotheca legalis; Et de differentia inter adminiſtratorem voluntarium, & neceſſarium.

Diſc. XL.

Senen.

An hypotheca ſeù actio hypothecaria, extinguatur, eo ipſo, quod creditor ſuccedit debitori, etiam in præiudicium tertij ius habentis ſuper eo credito hypothecario anteriori; Vel potiùs reſultet ſimplex confuſio actionum ratione incõpatibilitatis, quæ præiudicet ipſi adeunti, non autem tertio; Et incidenter, àn debitor poſſit repudiare, vel nolle quærere in præiudicium creditorum id, quod defertur à ſtatuto, præſertim dõtem maternam.

Diſc. XLI.

Auximana.

De eadem materia confuſionis actionum per additionem hæreditatis, ac etiam de adminiſtratione bonorũ debitoris facta per creditorem, ex quibus creditor poſterior excludat anteriorem.

Diſc. XLII.

Maceraten.

An creditores hæredis grauati, vel poſſeſſoris fideicommiſſi, actionem habeant ad bona fideicõmiſſaria, etiam poſt ceſſatum, vel reſolutum ius eorum debitoris, ac factum caſum reſtitutionis, ſi idem debitor obtinuerit à Principe facultatem alienandi aliqua bona, cum derogatione fideicommiſſi, quoties talis facul-

tas ad exercitium deducta non sit.

Disc. XLIII.

Romana conuersionis pretij.

An creditor ex duplici causa, obtinens bona, vel pecunias debitoris, possit id referre ad causam posteriorem, seù minus priuilegiatam, in præiudicium creditoris intermedij, ità repellendi cum alia causa anteriori, vel potiori; Siue àn pro interesse fideiussoris, vel alterius interessati, cogi possit creditor ex duplici causa, solutionem referre ad causam posteriorem tanquam duriorem, pro ipsius fideiussoris, vel alterius indemnitate, ipso creditore volente eam referre in causam anteriorem.

Disc. XLIV.

Viterbien. pecuniaria.

De eadem materia, àn scilicèt creditor ex duplici causa, solutiones sibi à debitore factas, in vnam potiùs quàm in aliam referre possit, vel respectiuè teneatur, in præiudicium vel respectiuè pro indemnitate tertij, puta alterius creditoris, vel fideiussoris.

Disc. XLV.

Romana Saluiani.

De eadem materia solutionis referendę magis in vnam, quàm in alteram causam; Et àn creditor, & debitor, ex causa erroris retractare possint solutionem factã in vnam causam, illamquè referre in alteram, in præiudicium tertij.

Disc. XLVI.

Romana seù Albanen. pecuniaria.

An, & quando in præiudicium creditoris anterioris, posterior compenset cum seipso creditum sibi superuentum, cum eius proprio debito, quod anteriori affectum erat.

Disc. XLVII.

Romana pecuniaria, seù compensationis.

De eadem materia compensationis cum se ipso, àn intret in præiudicium creditoris anterioris, quando creditum, & debitum competunt, non solùm ex diuersa causa, sed etiam ex diuerso iure, siuè ex diuersa persona, ob concursum plurium personarum formalium, in vna materiali.

Disc. XLVIII.

Maceraten. census.

De eadem materia compensationis non faciendæ cum se ipso in præiudicium creditoris, postquam debitoris decoctio superuenit; Et potissimè vbi creditum cum quo allegatur compensatio, non sit purum quantitatis, sed prouenial ex causa census.

Disc. IL.

Ianuen. seù Neapolitana pecuniaria.

De eadem materia compensationis faciendæ cum seipso in præiudicium creditoris anterioris; Et quando tracta per nundinas dicatur acceptata, & soluta sibi ipsi nomine proprio, vel tanquam procuratori debitoris.

Et incidenter de inualido contractu facto per tutorem, emendo, vel recipiendo cessionem nominis debitoris nõ idonei, vel suspecti.

Disc. L.

Romana pecuniaria.

Ee eadem materia compensationis cum se ipso, non admittendæ in præiudicium creditoris anterioris, ratione malæ fidei, vel etiam ex priuilegio ipsi creditori competenti, ratione publicæ administrationis, seù communicationis priuilegiorum fisci.

Disc. LI.

Romana, seù Veneta cambiorum.

An in præiudicium creditorum illius, qui faciat tractam alteri, possit iste, qui eam recusauit, deinde illam implere ad commodum sui ipsius, vnde resultet damnũ facientis tractam, vel præiudicium creditorum, seù tertij.

Disc. LII.

Romana auocationis pecuniarum.

An, & quando creditori anteriori competat auocatio pecuniæ solutæ creditori posteriori, quamuis consumptæ, vel commixtæ; Et quatenus auocatio competat contra plures posteriores, quibus solutũ est, àn anterior teneatur seruare ordinem, atquè excutere vltimos, Vel potiùs in eius electione sit pulsare intermedios, qui cum vltimis eamdem auocationem exerceant.

Disc. LIII.

Romana cautionis.

An, & quando creditores, præsertim hæreditarij, teneantur recipere pecuniam sibi debitam, cum cautione de restituẽdo; Et quatenùs teneantur, eamque præstare non possint, quomodò consuluũ sit; Ac etiam, àn ob huiusmodi vinculum, actionẽ habeant contrà debitorem, ad quanti interest pecuniam solui liberam,

ram; Et de effectibus ex huiusmodi cautione resultantibus.

Disc. LIV.

Romana fatuiani, seù domus.

De eadem materia, quando scilicèt creditores cogantur recipere pecuniam vinculatam; Et àn bona debitoris, de iudicis mandato vendita ad instantiam creditorum, transeant libera in emptorem, adeoùt super eis exerceri non valeant actiones, vel remedia, quæ ratione hypothecæ competunt.

Disc. LV.

Romana pecuniaria de Comitibus.

An quando creditor creditoris, actionem habeat contrà debitorem mediatum, non obstante solutione facta proprio creditori immediato; Et quid vbi accedit accollatio, an ea non obstante, proprio creditori soluere possit, ac liberationem obtineat.

Disc. LVI.

Bononien. dilationis.

De eadem materia, àn creditor agere possit contra debitorem sui debitoris, non obstante solutione facta, siuè dilatione debitori concessa per immediatum creditorem.

Et de validitate pacti, vt deficiente debitore à solutione alicuius paghæ, vel alterius implementi, cesset dilatio sibi concessa, siuè aliud præiudicium resultet.

Disc. LVII.

Romana mercedis.

An, & quando creditor agat contra debitorem ad solutionem debiti, non obstante remissione, vel condonatione, ex defectu implementi; Et àn aduersus istud detur purgatio moræ, vel restitutio in integrum, siuè suppletio eius, quod interfit tantùm.

Disc. LVIII.

Romana supplementi legitimæ.

An, & quando creditor cogat debitorem ad solutionem, non obstante, quod ille soluerit alteri de mandato Iudicis, vel alterius superioris; Et quando id excuset soluentem.

Disc. LIX.

Romana multiplici.

De eadem materia; An scilicèt, & quando creditores agere possint contrà debitorem sui debitoris, non obstante solutione facta proprio, ac immediato creditori; Et quando dilatio concessa debitori non debeat attendi in præiudicium creditorum, vel cesset ob solutiones statutis terminis non factas.

Disc. LX.

Neapolitana seu Tranen. pecuniaria.

An creditor agat contra debitorem, non obstante, quod huic superuenerint iura contrà ipsum creditorem, quorum ratione opponat de compensatione, vel retentione; Et quid vbi iura superuenerint ex procurata, & voluntaria cessione; Et incidenter de aliquibus ad materiam *textus in l. per diuersas, & l. ab Anastasio C. mandat.*

Disc. LXI.

Romana pecuniaria.

An creditor impediatur exigere creditum certum, & liquidum pro debito illiquido pendente à redditione rationum administrationis, adeoùt intret compensatio, necnè.

Disc. LXII.

Viterbien. cambiorum.

De eadem materia, An scilicèt creditori ex vna causa, obstet exceptio redditionis rationum administrationis diuersæ; Et in specie, àn socio, qui in causam negotij socialis, propriam pecuniam, cum particulari contractu credidit, dicta exceptio administrationis obstet.

Disc. LXIII.

Rhegginen. Pecuniaria.

De eadem materia, Et an creditori obstet exceptio compensationis eius, quod ipse debeat eius debitori, tanquam hæres alterius, cum credito proprio.

Disc. LXIV.

Romana pecuniaria.

An creditori agenti contra debitorem, vel debitorem debitoris, obstet, sibi facta cessio nominis debitoris, seù obstet aliquod assignamentum; Et quando id censeatur factum pro soluto, vel pro soluendo; Siuè de qua exigibilitate teneatur debitor, qui cessionem, vel assignationem fecit, an de illa iuris tantùm, vel etiam de illa facti, et quando de vtraque, vel de neutra &c.

Disc. LXV.

Neapolitana pecuniaria.

De eadem materia, àn scilicèt, & quando creditor, non obstante cessione, vel assignatione sibi facta per eius debitorem de nominibus debitorū, vel de alijs effectibus,

ctibus, contra eum regressum habere valeat, primæuaque iura exercere; Et sic ea cessio, vel assignatio, dicatur pro soluendo, vel pro soluto.

Disc. LXVI.

Romana pecuniaria seù adiecti.

An creditor actionem habeat contrà debitorem ex primæuo iure, seù causa, non obstante solutione, quæ facta sit adiecto, non in pecunia, sed in alia re; Et àn adiectus, recipiendo rem pro re, liberet debitorem; Et quando bona per debitorem creditori data censeantur in solutum, vel in pignus.

Disc. LXVII.

Romana seù Terracinen. pretij bubularum.

An transfusio vnius contractus in alterum incompatibilem, tollat primæuas obligationes, & hypotecas, quas creditor exercere valeat, necnè; Et quid in hoc operetur protestatio, siuè priorum iurium reseruatio.

Disc. LXVIII.

Romana falsitatis Ordinum.

An creditor actionem habeat contrà debitorem, non obstante solutione vera, et effectiua, quàm debitor fecerit cum ordinibus ipsius creditoris, qui falsi, vel alterati detegantur; Siuè vbi solutio fiat famulo, vel alteri, cuius opera creditor vti solebat, præsertim si afferat aliquod signum.

Et quatenùs debitor non liberetur, quid dicendum sit in depositario ità depositum restituente; Et quæ differentia sit inter depositarium, et simplicem debitorem; Et de diuersis speciebus depositarij.

Disc. LXIX.

Romana depositi, seù indemnitatis.

An deponens actionem habeat contrà depositarium, ob depositi fidem, seù cedulam factam ab ipsius depositarij, seù banci ministro, quamuis verè depositum factum non sit; Et àn in hac depositi materia admittatur exceptio non numeratæ pecuniæ; Et de actione contrà ministrum.

Disc. LXX.

Romana census.

An creditor, qui creditum alteri cessit, valeat, cessione non obstante, debitorem quamuis inuitum cogere, atquè contra eum eius actiones exercere, siuè ab eo solutionem debiti recipere, seù aliàs debitorem liberare, vel debitum nouare, in præiudicium cessionarij.

Disc. LXXI.

Romana transactionis.

An, et quando creditor actionem habeat contrà debitorem occasionalem, seù causatiuum ad sui fauorem obligatum, quamuis cessaret causa debendi, ob quam se obligauit; Et de materia obligationis causatiuæ.

Disc. LXXII.

Romana pecuniaria, seù de in rem verso.

An, & quando creditor, qui alterius mandatario, vel negotiorum gestori, pecuniam credidit, pro dissoluendo ære alieno mandantis, habeat contrà ipsum actionem mandati, vel negotiorum gestorum, siuè de vtili in rem vers.

Disc. LXXIII.

Romana pretij Panis.

De eadem materia, An scilicèt creditor vnius, actionem habeat contra tertium, ad cuius vtilitatem, pecunia, vel bona data versa sunt; Et in specie, àn ille, qui dedit panem, vel alia victualia, actionem habeat contra eum, qui alimenta accepit, seù àn dominus domus locatæ, contrà eum qui habitauit &c.

Disc. LXXIV.

Ianuen. constituti.

De actione de constituta pecunia, àn, & quando creditor eam habeat contra eum, qui se constituit soluere debitum tertij, quod appareat non deberi.

Disc. LXXV.

Romana societatis.

An, & quando creditores alicuius negotij, seù rationis campsoriæ, actionem habeant contra eum, qui proprium nomen negotio accommodauit, seù passus est illud adhiberi; Et quando socius, etiam post dissolutam societatem, obligatus remaneat ad debita per sociale negotiũ contracta.

Disc. LXXVI.

Romana pecuniaria, seù administrationis.

An efficiatur quis debitor alterius nomine proprio, ob pecunias ei simpliciter traditas, causa non expressa; Vel potiùs pecuniarum traditio referenda sit ad nomen administratorium, adeòut debitum, vel creditum pendeat à redditione rationum negotij administrati.

Disc.

Disc. LXXVII.

Romana simulationis mutui.

De debito, vel credito simulato circa causam, quod tamen in substantia licèt ex causa diuersa, sit verum, quia nempè debitum ex vna causa, asseratur in illam mutui; Et quid vbi accedat etiam simulatio personæ, àn sit experibile, necnè; Et quando causæ, vel personæ simulatio, obstet, vel non obstet.

Disc. LXXVIII.

Romana pecuniaria, seù indebiti.

De eadem materia simulationis causæ debendi, ac personæ debitoris, quod scilicèt tertiùs, pro debito alterius ex diuersa causa, se constituat debitorem, ex causa mutui sibi facti, àn eius obligatio, seù constitutum cesset, probando indebitũ; Et aliqua de fide præstanda libris mercantilibus fauore ipsius scribentis.

Disc. LXXIX.

Romana pecuniaria, seù confessionis.

An, & quando debitum probetur per confessionem extraiudicialẽ Parte præsente, vel absente, respectiuè, et de earumdem confessionum interprætatione; Et quid de confessionibus contentis in epistolis familiaribus directis eidem creditori, vel tertio.

Disc. LXXX.

Anconitana pecuniaria.

De eadem materia probationis debiti per confessionem extraiudicialem; Et quid vbi ista contineatur in testamento postea reuocato, quod exprimat qualitatem, vt facta sit pro exoneratione conscientiæ.

Disc. LXXXI.

Bononien. de Caluis.

De probatione debiti per scripturã priuatam habentem solam subscriptionem debitoris, àn sit sufficiens, ob possibilitatẽ, quod subscriptio esset in folio in albo, ad alium finem fiduciariè alicui dato.

Disc. LXXXII.

Neapolitana mutui.

An ex mutuo facto Abbati, vel Priori, seù Procuratori, acquiratur actio contra Monasterium, vel Conuentum; Et quando creditori incumbat onus probandi versionem.

Disc. LXXXIII.

Romana mutui.

An debitum contractum per Religiosum professum, electum, seù destinatum in Episcopũ, vndè immineat egressus à Religione, sit validum, & obligatoriũ, adeò vt debitor ad solutionem vrgeri possit.

Disc. LXXXIV.

Mantuana releuationis.

De obligatione contracta per procuratorẽ, seù mandatarium excedentem normam, seù fines mandati, àn afficiat mandantẽ, vbi excessus non sit circa substantiam debiti, sed circa personam creditoris, vel circa alia accidentia.

Disc. LXXXV.

Romana litterarum cambij.

An procurator, vel minister alicuius Magnatis, acceptando litteras cambij, efficiatur debitor de proprio eius, cuius fauore conscriptæ sint litteræ.

Disc. LXXXVI.

Romana pecuniaria de Ornanis.

An pro debitis contractis per filium, pro exercendis publicis muneribus, vel pro eius substentatione, competat actio creditori contrà patrem.

Disc. LXXXVII.

Anconitana mercium.

An creditor, qui pecunias, vel merces credidit vni ex socijs, obligatos habeat omnes alios, quamuis creditum versum non esset in negotium sociale, adeò vt socius ignarus à consocio obligetur.

Disc. LXXXVIII.

Maceraten., seù Firmana societatis.

De eadem materia, àn scilicèt quis obligetur ex facto socij, adeòut creditori competat contra eum actio directa; Et de differentia inter socium, & participem; Et àn Fiscus, vel Reipublica, seù Ciuitas in hac materia sit in aliquo priuilegiata.

Disc. LXXXIX.

Viterbien. pecuniaria.

De eadem materia, quando quis dicatur socius, vel particeps, siuè quando debitum contractum, vel negotium gestum per socium, dicatur in causam socialem, atq; obliget consocium, necnè.

Et quando damnum, quod in negotio sociali contingit, vnius, & non alterius socij damno, ob culpam, vel aliud factum, cedere debeat.

Disc. XC.

Viterbien. laudationis.

An creditor actionem habeat contra debitoris approbatorem, seù laudatorem, qui fideiussoris loco stare dicatur; Et quatenus

renus habeat, quomodo excussio facienda sit.

Disc. XCI.

Ianuen. cambiorum.

De obligatione fideiussoris pro eo, qui ex duobus inuicem negotiantibus remanebit debitor alterius; An restricta censeatur ad debita, ex negotio iam contracta de tempore obligationis, vel etiam comprehendat alia in futurum contrahenda.

Disc. XCII.

Ianuen. fideiussionis.

De Statuto Ianuæ perimente fideiussiones iudiciales per lapsum quinquennij; Et àn fideiussor habeat actionem indemnitatis contrà principalem, si neglexit opponere exceptiones, cum quibus poterat se tueri.

Et incidenter de variatione monetæ, cuius damno cedat.

Disc. XCIII.

Meleuitana pecuniaria, seù cambij.

De obligatione fideiussoris restricta ad certum casum, vt non afficiat, nisi per creditorem doceatur de casus purificatione; Et in specie de conditione barattariæ, quando purificata dicatur; Et an ea resultet ex mutatione itineris.

Disc. XCIV.

Romana fideiussionis.

An, & quando obligatio fideiussoris cesset per mortem, vel aliam immutationem status debitoris; Et àn fideiussor dè præsentando debitorem principalem intra certum tempus, dicatur morosus ex solo lapsu temporis, vel potius noua requisitio necessaria sit.

Et àn creditor diù negligens sua iura experiri contra principalem debitorem alàs idoneum, tractu temporis minus idoneum effectum, actionem habeat contra fideiusorem.

Disc. XCV.

Camerinen. pecuniaria.

An fideiussor, qui totum debitum soluit creditori, reportatâ iurium cessione in vim obligationis insolidum, agere valeat contra vnum, vel aliquos ex pluribus confideiussoribus ad totum debitū, vel solùm agat contra quemlibet pro virili; Et quid vbi non sint confideiussores, sed correi, Et quæ differentia sit inter confideiussores, & correos, atq; inter casum, in quo adsit cessio creditoris, & casum, in quo, non existente cessione, agatur ex beneficio diuisionis de iure competente.

Disc. XCVI.

Romana societatis Officij.

De obligatione fideiussoris restricta intrà certum tempus, àn istud adiectum censeatur causa extingundæ obligationis; Et quid de eadem obligatione concepta sub conditione diligentiarum prius adhibendarum per creditorem contra principalem debitorem, quando ista conditio impleta dicatur, vt contrà fideiussorem agi valeat.

Disc. XCVII.

Ciuitatis Castelli census.

De Statuto tribuente fideiussori actionem petendi exemptionem ab obligatione, àn, & qeando locum non habeat; Et quomodo quis dicatur fideiussor, vel respectiuè principalis.

Disc. XCVIII.

Romana Moratoriæ.

Fideiussor de repræsentando, àn excusetur ob moratoriam à Principe, principali debitori concessam; Et àn idem fideiussor liberetur, si ex facto creditoris, vel Iudicis, principalis debitor aufugiat, seù alias mutauerit statum.

Disc. IC.

Romana cautionis.

Obligatio fideiussoris de iudicatum soluēdo præstita coram vno Iudice, qui dedit absolutoriam, àn euanescat cum illa instantia, adeòt non duret prò iudicato per Iudicem appellationis.

Demandata per Iudicem cautione hinc indè, àn cautio præstita per vnam partem euanescat, si altera pars eam nō dedit.

Disc. C.

Bononien. expensarum.

De eadem materia fideiussionis præstitæ in vna instantia, seù in vno iudicio, àn duret, si causa vlteriorem progressum habeat in alijs instantijs, & coram diuersis Iudicibus.

Et in specie quid in terminis Statuti Bononiæ.

Disc. CI.

Romana obligationis.

An, & quando obligatio fideiussoris substineatur, non obstante inualiditate obligationis principalis, vel alia exceptione illi competente.

Disc. CII.

Romana pecuniaria.

Fideiussoris obligatione restricta ad certam summam, seù partem debiti, àn, si deindè principalis debitor eam summam soluerit, fideiussoris obligatio adimpleta dicatur, nec nè, quia in eam causam solutio referenda sit, vel potiùs talis obligatio intelligatur pro summa residuali.

Disc. CIII.

Romana fideiussionis.

An, & quando fideiussor, quamuis nullas recipiat molestias, agere possit contrà principalem debitorem, vt eum eximat ab obligatione; Et de interpretatione conuentionum, & pactorum facienda potiùs ex substantia veritatis, quàm ex figura, seù grammaticali sensu verborum.

Disc. CIV.

Recanaten. census.

De eadem materia attendendi in obligatione debitoris, releuandi fideiussorem, potiùs substantiam veritatis, quàm sonum verborum; Et àn fideiussor, qui in gratiam debitoris in pluri se obligauit, actionem releuationis habeat, quamuis hæc in minori summa promissa sit.

Et incidenter, àn obligatio cameralis trahatur ad omnia enunciata in instrumento, si dispositiua sit magis stricta, quàm narratiua.

Et an cessio ex interuallo. per creditorem, correo, vel fideiussori fieri valeat.

Disc. CV.

Romana pecuniaria.

An, & quando fideiussor agat contra principalem creditorem pro indemnitate, seù releuatione, ob quietantiam debiti reportatam à creditore, non constito de vera, & effectiua solutione, seù quomodo de ista constare debeat.

Disc. CVI.

Romana assecurationis olei.

De pluribus ad materiam assecurationis pertinentibus; Et præsertim, quando dicatur commissa barataria, quæ per assecuratores exceptuata sit; Et de duplici assecuratione, quando sit prohibita.

Disc. CVII.

Romana assecurationis frumenti.

De eadem materia assecurationis; Et in specie de illius duplicitate; Ac de inualiditate ob non deductionem octauæ partis; Et de valore mercium assecuratarum, an scilicèt attendi debeat locus, à quo, vel ille ad quem; Et de mercium concordi valutatione.

Disc. CVIII.

Romana, seù Neapolitana assecurationis.

De eadem materia assecurationis; Et an error in expressione loci, seù portus, in quo merces onerandæ sunt, vitiet, nec nè assecurationem.

Et si sunt merces diuersarum specierum cum distinctis pretijs, àn dicantur plures diuersæ assecurationes, vel potiùs vnica, pro casu, quo periculum contingat, in vna, & non in altera specie, ad effectum compensationis mercium existentium cum peremptis.

Disc. CIX.

Romana assecurationis mercium.

De eadem materia assecurationis; Et an facta de tempore, quo casus periculi iam sequutus erat, valeat, nec nè; Et cui incumbat onus probandi verisimilem notitiam casus iam sequuti, àn assecurato, vel assecuratori.

Disc. CX.

Ianuen. assecurationis.

De eadem materia assecurationis, cuius inualiditas prætendatur ex defectu mãdati, seù facultatis, ratione qualitatis nauis, quia nempè data sit facultas super vna specie nauium, & assecuratio facta sit super altera; Atque si super ea specie fieri tantùm poterat in certa summa, et facta sit in maiori, an actus vitietur in totum, vel potiùs in solo excessu.

Disc. CXI.

Romana pecuniaria, seù cambij maritimi.

De eadem materia assecurationis, quæ fiat de pecunia data ad cambium maritimum, àn exigat præcisam probationem onerationis pecuniæ, seù mercium cum ea emptarum, et quid propriè iste contractus contineat.

Et aliqua de modo probandi casum naufragij.

Disc. CXII.

Interamnen. seù Romana pecuniaria.

An creditor, ante diem agere possit contra debitorem suspectum ad solutionem, vel saltem ad assecurationem; Et incidenter, an creditori, qui ex processu inordinato, seù nullo, possideat bona debito-

ris, concedenda sit retentio eorumdem bonorum ratione inanis circuitus, necne.

Disc. CXIII.

Interamnen. pecuniaria, seù Romana nullitatis capturæ.

De debitore suspecto de fuga, & quando creditor procedere possit ad exequutionem de facto, non seruato debito, & consueto iuris ordine.

Disc. CXIV.

Romana partitorum.

An prætensus creditor pro credito adhùc illiquido, & litigioso, petere possit à collitigante, quem prætendat debitorem, assecurationem iudicij, vel sequestrum bonorum, ob mutationem domicilij lite pendente.

Disc. CXV.

Romana pretij officiorum.

An, & quando creditor conuenire possit debitorem in diuerso loco, quàm in illo contractus, vel destinatæ solutionis; Et incidenter, de fructibus recompensatiuis pretij officiorum vacabilium, an debeantur, & quomodo; Et quid vbi illud conuersum sit in alium contractum.

Disc. CXVI.

Monopolitana pecuniaria.

An, & quando creditor actionem habeat contra debitorem in processu exequutiuo, vel potiùs eius actionem experiri teneatur in iudicio ordinario; Et in specie de iudicio exequutiuo iuxtà formam *Ritus M. Curiæ Vicariæ Neapolis*, an sit exercibile cum clerico, & in foro ecclesiastico, quamuis accedat pactum; Et quid de obligationibus penès acta.

Disc. CXVII.

Romana pecuniaria.

An, & quando creditor, per silentium 30. annorum, amittat viam executiuam sibi aliàs competentem, quæ præscribatur; Et de eiusdem viæ executiuæ vulneratione resultante à sententia absolutoria, quando intret, necnè.

Disc. CXVIII.

Romana liberationis à molestijs.

De priuilegio debitoris, ne conueniri possit vltrà certa, &c.; Seù de beneficio *deducto ne egeat*, competente clericis, an adhuc competat professoribus militiarum ecclesiasticarum.

Disc. CXIX.

Romana beneficij deducto &c. *seù* cap. Odoardus.

De eadem materia beneficij *deducto &c.* competente clericis *ex cap. Odoardus*, an locum habeat in debito prouenient e ex causa administrationis; Siue vbi aliàs debitum culposum dici valeat; Et an hoc beneficium competat clerico in minoribus, præsertim coniugato; Et quid in debito contracto cum obligatione camerali.

Disc. CXX.

Romana admissionis ad beneficium deducto &c.

De eadem materia beneficij *deducto &c.* competente clerico *ex cap. Odoardus*, an suffragetur condemnato per tres sententias conformes, Et quid pro expensis iudicialibus; Et quando dicatur debitor dolosus, vt sit hoc beneficio indignus, præsertim si aliàs ad illud admissus fuerit.

Et de taxa, seù congrua alimentaria debitori reseruanda.

Disc. CXXI.

Nullius, seu Baren. pecuniaria, seu dotis.

De beneficio *deducto &c.* competente fratri, vel patri, seù alteri, præsertim debitori ex causa dotis; Et quid vbi sit debitor ex altera causa magis correspectiua; Et an intret, quando creditor est etiam pauper.

Disc. CXXII.

Perusina pecuniaria.

De eodem beneficio *deducto &c* quod de iure competit Doctoribus, & Professoribus, an sit in vsu, & ad quem effectum admitti debeat; Et de eodem beneficio competente senibus, quod sub vocabulo *septuagenariæ* vulgò explicatur.

Disc. CXXIII.

Romana pecuniaria, seu prætensæ donationis.

De exceptione per debitorem allegata inualidæ obligationis sine causa; Vel ex ista falsa, seù turpi, an, & quandò admittenda veniat, atque creditori obstet.

Disc. CXXIV.

Romana pecuniaria, seu fructuum.

De promissione facti alieni, an, & ad quid obliget promittentem, seù debitorem promissi implementi.

Disc. CXXV.

Vrbinaten. pecuniaria.

De exceptione indebiti, seù præsumptæ re-

missionis; Vel de materia condictionis dari sine causa, vel ob causam, ea non sequuta &c.

Disc. CXXVI.

Romana pecuniaria.

De exceptione circuitus, quæ per tertium possessorem, vel secundum creditorem, ac etiam per eumdem debitorem opponatur creditori habenti in manibus bona debitoris, nè super alijs bonis agere valeat, ad materiam textus *in l. creditoris arbitrio ff. de distract. pign., & in l. 2. Cod. de pignor.*; Et quando prius fieri debeat excussio bonorum specialiter hypothecatorum; Et incidenter de aliquibus ad materiam Bullæ Baronum.

Disc. CXXVII.

Viterbien. donationis.

An creditor posterior non priuilegiatus, repellat anteriorem priuilegiatum agentem super bonis liberis, vt eius iura experiri debeat super bonis differentibus, ad quæ ipse habeat ius agendi, quod alijs non competit, vt omnibus ità consultum sit; Et de aliquibus ad materiam Bullæ Baronum.

Disc. CXXVIII.

Ariminen. dotis.

An, & quando creditor repellatur per exceptionem præsumptæ fraudis, vel occupationis bonorum debitoris; Et præsertim de Statuto Ariminen. disponente, vt mortuo viro, vxor teneatur infra certum terminum facere inuentarium bonorum mobilium viri, quodque aliàs pro eius credito dotali agere non possit, atque repellatur cum iuramento hæredis debitoris.

Disc. CXXIX.

Romana repetitionis indebiti.

De præscriptione Statutaria resultante à Statuto Vrbis per lapsum 16. annorum, an, & quando intret, necnè; Et præsertim, an intret ad effectum repetendi iam solutum tanquam indebitum; Et aliqua de repetitione indebiti, eiusq; probatione, ac de differentia inter indebitum solutum voluntariè, & solutum coactè.

Disc. CXXX.

Romana pecuniaria.

De eadem materia præscriptionis statutariæ, vt non intret cum creditore ignaro; Et an Statutum locum habeat cum forensibus, vel cum clericis.

Disc. CXXXI.

Bituntina saluiani.

De exceptione præscriptionis ad terminos iuris communis, an, & quandò suffragetur debitori; Et quid de eius hærede, an huic obstet mala fides, quæ obstaret principali debitori; Et de hac materia præscriptionis.

Disc. CXXXII.

Meleuitana pecuniaria, seu dotis.

De exceptione præsumptæ solutionis deductæ ex lapsu temporis, & alijs admniculis ad materiam textus in *l. Procula, ff. de probat.*

Disc. CXXXIII.

Vrbinaten. pecuniaria, vel saluiani.

De exceptione solutionis resultante ex fructibus pignoris prætorij, seu per creditorem perceptis ex bonis, ad quæ in interdicto saluiani immissus fuit; Et an teneatur etiam de percipiendis; Et quæ differentia sit inter pignus prætorium, & conuentionale; Et in specie, quid vbi agatur de domo, quam ipsemet creditor inhabitauerit.

Disc. CXXXIV.

Romana reintegrationis.

De eadem materia exceptionis satisfactionis resultantis ex fructibus perceptis per creditorem immissum in saluiano, de quibus teneatur; Ac etiam de eorumdem fructuum valore, an scilicèt creditor teneatur illos conseruare, & vendere de tempore, quo cariùs vendi solent; Et an tam circa quantitatem, quàm circa valorem stetur eiusdem creditoris notulæ, & an hæc perneceſsè debeat esse iurata.

Disc. CXXXV.

Anconitana bonorum.

Datio, vel assignatio bonorum, quam debitor, alio titulo non expresso, faciat creditori, an importet pignus, vel dationem in solutum, & de effectibus, qui ex vna, vel altera specie resultant.

Disc. CXXXVI.

Romana census.

An posita certa qualitate pignoris conuentionalis, vel prætorij, resultet altera implicita qualitas dationis in solutum, ad effectum faciendi suos fructus, vel ad alios effectus exindè resultantes, ex eo quod pretium pignoris, sit inferius credito, vel illud adæquet, vndè propterea dicatur habitum pro derelicto.

Disc.

Disc. CXXXVII.

Eadem inter easdem partes.

An creditores, ius, vel actionem habeant ad bona, quæ debitori delata fuerunt, ex causa successionis ab intestato, vel ex testamento, siue ex legato, vel ex fideicommisso, aut pro legitima, alioque iure.

Disc. CXXXVIII.

Romana legitimæ.

De eadem materia debitoris non agnoscentis, vel repudiantis legitimam, in præiudicium creditorum; Quid dicendum sit, vbi transigendo, partem acceptet, ac partem dimittat.

Disc. CXXXIX.

Romana cambiorum, vel suppletionis.

Ad eamdem materiam, de qua suprà *disc.* 53.; An scilicèt, & quandò, creditor, qui cogitur accipere pecuniam vinculatam, vel cautionem præstare, actionem habeat contra debitorem, vt eum eximat à cautione, vel tollat pecuniæ vinculum, siuè suppleat id, quod interest, pecuniam non esse liberam, sed vinculatam.

Disc. CXL.

Parmen. census.

De materia monetę, in qua debitor solutionem facere potest, vel debet; Et quandò eius augmentum, vel decrementum, vnius, vel respectiuè alterius, commodo, vel damno cedat

Disc. CXLI.

Romana liberationis locorum Montium.

An creditores, qui recipiunt pecuniam à Congregatione Baronum, vel ab alio Iudice, inuestitam in locis montium, loco cautionis per ipsos prestandæ, admittendi veniant ad cautionis præstationem, etiam post inuestimentum, vt ità liberent loca montium à vinculo, eaque ad liberam dispositionem habeant.

Disc. CXLII.

Senen. iuris redimendi.

De Statuto Senensi concedente debitori ius luendi infrà annum bona iure creditoris vendita, An capiat solum casum venditionis factæ ipsimet creditori, non autem tertio licitatori, vel potius etiam istum; Et an hoc ius alteri cessibile sit.

Disc. CXLIII.

Romana cambiorum, seu interusuriorum.

An decocto debitore, seù aliàs minus idoneo declarato, cesset cursus cambiorum, vel vsurarum, & interusuriorum.

Disc. CXLIV.

Romana depositi.

An, & quandò debitori, liceat deponere pecuniam debitam, adeout ipse liberetur, atque depositum cedat periculo creditoris, vel è contrà.

Disc. CXLV.

Senen. releuationis.

An creditor recipere possit solutionem à debitore in causam obligationis vnius ex pluribus fideiussoribus, qui ità liberationem obtineat, adeout, alijs fideiussoribus, competat, necnè, exceptio cedendarum, seu actio diuisionis pro releuatione.

Disc. CXLVI.

Romana obligationis.

An debitum contractum per filium familias districtualem Vrbis, non seruata forma Statuti 152. sit obligatorium, ac producat actionem experibilem, necnè, adeò vt dictum Statutum 152., districtuales etiam capiat.

Disc. CXLVII.

Romana expensarum.

An eadem anterioritas, quæ competit pro debito, competat etiam pro expensis iudicialibus, per creditorem factis, ad quas debitor condemnatus est, vt etiam pro eis competat auocatio pecuniæ solutæ posterioribus.

Disc. CXLVIII.

Alatrina pecuniaria.

An, & quando probatio debiti *in genere*, vel in substantia, non tamen probata certa quantitate, sufficiat ad debitoris condemnationem, & quomodò tali casu procedendum sit.

Disc. CIL.

Neapolitana cessionis.

Ad materiam textus *in l. per diuersas, & l. ab Anastasio, Cod. mandat.*, de qua supra *disc.* 60., vt debitor, cessionarium repellere valeat, offerendo solam summam ab eo solutam, pro cessione reportanda; An procedat in ea cessione, quæ reportetur à Principe, vel eius fisco, seu Camera; Et de alijs earumdem legum limitationibus.

Disc. CL.

Bononien. pecuniaria, vel societatis.

An, & quando, obligetur quis per procuratorem in alienam causam, & tanquam fideiussor; Et an mandatum extendatur ad obligationem fideiussoriam, vel insolidum,

fidum, & quando dicatur debitum fidejussorium.

Disc. CLI.

Appendix ad disc. 13.

De eadem materia, de qua *dicto disc. 13.*; An scilicèt Constitutiones Apostolicæ, prohibentes alienationem bonorum iurisdictionalium, compræhendant quoque hypothecam; Et an circa istam, intret distinctio inter *specialem*, & *generalem*; vt prima cadat sub prohibitione, altera verò non; Et ad quem effectum ista distinctio attendatur.

SVMMA
SIVE COMPENDIVM

Eorum, quæ in Foro magis practicabilia, continentur in hoc Lib. VIII. de Credito, & Debito.

INDEX CAVSARVM

Hoc titulo de Credito, & Debito ordine alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.

A

Alatrina pecuniaria, diſc. 148. fol. 501.
Anconitana bonorũ, d. 135 f. 462.
Mercium, diſc. 87. fol. 312.
Pecuniaria, ſeu concurſus, d. 39. f. 153.
Pecuniaria, diſc. 80. fol. 292.
Ariminen. dotis, diſc. 128. fol. 436.
Auximana, diſc. 41. fol. 163.

B

Bluntina ſaluiani, diſc. 131 fol. 447.
Bononien. ſeu Veneta, diſc. 26. f. 95.
De Caluis, diſc. 81. fol. 296.
Dilationis, diſc. 56. fol. 217.
Diſcuſſionis, diſc. 10. fol. 35.
Eadem, diſc. 11. fol. 42.
Expenſarum, diſc. 100. fol. 350.
Pecuniaria, ſeu ſocietatis, d. 150. f. 507.

C

Camerinen. pecuniaria, diſ. 95. fol. 339.
Ciuitatis Caſtelli cenſus, diſc. 97. fol. 344.
Cornetana frumenti, diſc. 16. fol. 60.
Cremonen. concurſus, diſc. 4. fol. 13.
Prælationis, diſc. 18. fol. 66.

F

Farfen. prædij, diſc. 33. fol. 121.
Ferrarien. Montis Bentiuoli, diſc. 5. fol. 17.

I

Ianuen. aſſecurationis, diſc. 110. fol. 382.
Cambiorum, diſc. 91. fol. 325.
Conſtituti, diſc. 74. fol. 274.
Fideiuſſionis, diſc. 92. fol. 327.
Seù Neapolitana penuniaria, diſc. 43. fol. 189.
Interamnen. ſeù Romana nullitatis captuæ, diſc. 113. fol. 390.
Seù Romana pecuniaria, d. 112. f. 387.

M

Maceraten. diſc. 42. fol. 166.
Cenſus, diſc. 48. fol. 185.
Seù Firmana ſocieratis, diſc. 88. f. 315.
Mantuana releuationis, diſc. 84. fol. 305.
Meleuitana pecuniaria, ſeù cambij, diſc 93. fol. 333.
Pecuniaria, ſeù dotis, diſ. 132. fol. 453.
Monopolitana pecuniaria, diſc. 116. f. 398.

N

Neapolitana ceſſionis, diſc. 149. f. 504.
Concurſus, diſc. 27. fol. 98.
Eadem, diſc. 30. fol. 109.
Mutui, diſc. 82. fol. 298.
Pecuniaria, ſeù cambiorum, diſc. 65. fol. 245.
Seù Tranen. pecuniaria, diſc. 60. f. 228.
Seù Venuſina pignorum, diſc. 22. f. 77.
Nullius, ſeù Baren. pecuniaria, ſeù dotis, diſcurſ. 121. fol. 415.

P

Parmen. cenſus, diſc. 140. fol 478.
Peruſina pecuniaria, diſc. 122. f. 417.
Portuen. ſeù Romana pecuniaria, d. 17. f. 63.

R

Recanaten. cenſus, diſc. 104. fol. 359.
Rhegginen. pecuniaria, d. 63. f. 236.
Romana admiſſionis ad beneficium deducto &c. diſc. 120. fol. 412.
Affictus, ſeù cedulæ, diſc. 7. fol. 26.
Aſſecurationis frumẽti, d. 107. f. 373.
Aſſecurationis mercium, d. 109. f. 379.
Aſſecurationis olei, diſc. 106. fol. 365.
Seù Neapolitana aſſecurationis, diſc. 108. fol. 376.
Auocationis pecuniarum, d. 52. f. 198.
Beneficij deducto &c. ſeù *cap. Odoardus*, diſc. 119. fol. 408.
Seù Veneta cambiorum, diſ. 51. f. 195.
Cambiorum, ſeù interuſuriorum, diſc.

143.fol.487.
Cambiorum, vel ſuppletionis, diſcurſ. 139.fol.475.
Cautionis, diſc.53.fol.202.
Cautionis, diſc.99.fol.348.
Cenſus, diſc.70.fol.263.
Cenſus, diſc.136.fol.465.
Eadem, diſc.137.fol.468.
Concurſus, diſc.13.fol.48.
Eadem, ſeù appendix, diſc.151.f.510.
Concurſus, diſc.25.fol.89.
Concurſus, diſc.12.fol.45.
Conuerſionis pretij, diſc.43.fol.168.
Domus, diſc.14.fol.55.
Domus, diſc.24.fol.84.
De ſoderinis, diſc.28.fol.103.
Depoſiti, ſeù indemnitatis, d.69.f.260.
Depoſiti, diſc.144.fol.490.
Expenſarum, diſc.147.fol.497.
Exuinculationis, diſc.6.fol.23.
Falſitatis ordinum, diſc.68. fol.254.
Fideicommiſſi de Incoronatis, diſc.31. fol.112.
Fideiuſſionis, diſc.94.fol.335.
Fideiuſſionis, diſc.103.fol.357.
Fructuum cenſus, diſc.29.fol.107.
Gabellæ, diſc.21.fol.74.
Legitimæ, diſc.138.fol.472.
Liberationis à moleſtijs, d.118.f.405.
Liberationis locorum montium, diſc. 141.fol.481.
Litterarum cambij, diſc.85. fol.307.
Mercedis, diſc.57.fol.220.
Merciuni, diſc.23.fol.82.
Moratoriæ, diſc.98.fol.346.
Multiplici, diſc.59.fol.226.
Mutui, diſc.83.fol.302.
Obligationis, diſc.101.fol.353.
Obligationis, diſc.146.fol.494.
Partitorum, diſc.114.fol.393.
Seù Albanen. pecuniaria, d.46.f.175.
Seù Sabinen. pecuniaria, diſc.19.f.69.
Pecuniaria, diſc.2.fol.5.
Pecuniaria, diſc.8.fol.30.
Pecuniaria, diſc.38.fol.151.
Pecuniaria, diſc.50.fol.193.
Pecuniaria, diſc.64.fol.239.
Pecuniaria, diſc.102.fol.355.
Pecuniaria, diſc.117.fol.402.
Pecuniaria, diſc.126.fol.428.
Pecuniaria, diſc.130.fol.443.
Pecuniaria, diſc.105.fol.363.
Pecuniaria de Comitibus, d.55.f.213.
Pecuniaria de Ornanis, diſc.86.f.308.
Pecuniaria ſeù adiecti, diſc.66. f.249.
Pecuniaria, ſeù adminiſtrationis, diſc. 76.fol.280.
Pecuniaria, ſeù cambij maritimi, diſc. 111.fol.384.
Pecuniaria, ſeù compenſationis, diſc. 47.fol.181.
Pecuniaria, ſeù cõfeſſionis, d.79.f.289.
Pecuniaria, ſeù de in rem verſo, diſc. 72.fol.270.
Pecuniaria, ſeu fructuũ, d.124.f.422.
Pecuniaria, ſeu indebiti, d.78.f.285.
Pecuniaria, ſeù prætenſæ donationis, diſc.123.fol.420.
Pecuniaria, ſeù ſalarij, diſc.61.f.232.
Pecuniaria, ſeù tabularum, d.15.f.57.
Seù Terracinen. pretij bubularum, diſcurſ.67.fol.251.
Pretij officiorum, diſc.115.fol.395.
Pretij panis, diſc.73.fol.272.
Repetitionis indebiti, diſc.129.f.439.
Reintegrationis, diſc.134.fol.458.
Saluiani, diſc.1.fol.1.
Saluiani, diſc.45.fol.173.
Saluiani de Frattacchijs, d.35.fol.128.
Saluiani de Saluiatis, diſc.9. fol.32.
Saluiani de Saracenis. diſc.32.fol.117.
Saluiani de Zeccadoris, diſc.34.f.124.
Saluiani, ſeù concurſus, diſc.3. fol.9.
Saluiani, ſeù domus, diſc.54. fol.208.
Simulationis mutui, diſc.77. fol.282.
Societatis, diſc.75.fol.277.
Societatis officij, diſc.96.fol.342.
Supplementi legitimæ, diſc.58.f.223.
Tranſactionis, diſc.71.fol.267.

S

SEnen. diſc.40.fol.156.
Iuris redimendi, diſc.141.fol.483.
Releuationis, diſc.145.fol.491.

T

TErracinen. pecuniaria, diſc.37.f.147.
Tolentina pecuniaria, d.36. f.141.

V

VIterbien. cambiorum, diſc.62.f.234.
Donationis, diſc.127.fol.434
Laudationis, diſc.90.fol.322.
Pecuniaria, diſc.44.fol.171.
Pecuniaria, diſc.89.fol.319.
Vrbinaten. pecuniaria, diſc.20.fol.72.
Pecuniaria, diſc.125.fol.425.
Pecuniaria, ſeù Saluiani, d.133.f.455.

DE CREDITO ET DEBITO

DISCVRSVS PRIMVS

ROMANA SALVIANI

PRO

MARCHIONE LANCEA

CVM

BARBARA SPINOLA.

Casus decisus per Rotam pro Barbara, postea concordatus.

An, & quando ille, de cuius pecunia dimissus est creditor anterior, vel potior, in istius locum succedat, adeoùt alios intermedios creditores, agendo, vel excipiendo repellere valeat, atque iura dimissi creditoris deducere.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Inter creditores æquales potior est conditio possidentis.*
4 *Quando ille, de cuius pecunia creditor anterior dimittitur, in eius locum succedat, & quando non.*
5 *Vt ad effectum excipiendi de iuris dimissi creditoris requiratur possessio tempore dimissionis, & num. 13. & 14.*
6 *De eadem conclusione, de qua num. 4.*
7 *De solemnitatibus requisitis in contractibus mulierum in Vrbe.*
8 *Quando dicatur soluta pecunia liberè debitori, vt non intret subintratio.*
9 *De eodem, & quando hoc non obstante sit locus subintrationi.*
10 *De eadem conclusione, de qua num. 4.*
11 *De potioritate mutuantis in refectionem, vel emptionem, & quid requiratur.*
12 *De probatione versionis pecuniæ mutuatæ in dictam causam.*
13 *De conclusione, de qua num. 3. & 5.*
14 *De eodem, ac de ratione, ob quam potior est conditio possidentis.*

DISC. I.

1 HYpolita Puteobonella de anno 1644., vt extingueret debitum, de anno 1639. in summa scutorum bis mille contractum à Liuia eius matre (cuius erat hæres) cum Pulcheria Cæsia, debitum contraxit cum Iosepho, pro quo dissoluendo, ad euitandam coactionem mandati iam relaxati, cum solemnitatibus præscriptis à Statuto Vrbis 151., aliud debitum contraxit cum Marchionissa Lantes, cuius pecunia, per Montem pietatis, (neglecta tamen iurium cessione), soluta fuit Iosepho, qui cessionem iurium à dicta Pulcheria habebat, deindèque Hypolita de anno 1652. vineam vendidit Marchioni Lanceæ, ad effectum erogandi pretium in extinctio-

nem debitorum, inter quæ pro summa scutorum 600. fuit iam dictũ cum Marchionissa Lantes, vel eius hærede; Cumque Barbara Spinola pro rata scutorum 500. esset creditrix pro dimissione eiusdem antiqui maioris debiti vt supra, de anno 1639. contracti cum Pulcheria cũ cessione iurium, hinc proindè iudicium in saluiano instituit contra emptorem
2 ad dictam vineam; Et introducta causa *in Rota coram Albergato, sub die 6. Februarij* 1665., actrici resolutio fauorabilis prodijt, ad cuius normam expedita sententia, commissaque causa *in eadem Rota coram Carpinea*, reiecto motiuo rei iudicatæ per actricem prætensæ, confirmata fuit dicta sententia tanquam iusta *sub die* 19. *Nouembris* 1666. atque in hoc statu causa per concordiam finem habuit.

Huius autem controuersiæ punctus restringebatur ad dictam pretij ratam solutam hæredi Marchionissæ Lantes, cũ non dubitaretur, quod reliquum anterioribus, vel potioribus solutum esset, à n scilicèt dicta Marchionissa (cuius iura cessa emptor habebat) successerit necnè in locum præfati Iosephi, qui ex cessis iuribus repræsentabat personam, ac iura Pulcheriæ primæ creditricis, cuius iura etiam actrix habebat; Hoc enim posito, quod scilicèt ambo dici possent creditores ex eadem causa, de consequenti resultabat, quod potior esset conditio Rei, &
3 possessoris iuxta doctrinam *Dyni in regula, qui prior, Angel. consil.* 205., *Negusant. de pignor. par. 5. membr. 2. nu.* 31. *Pacif. de Saluiano inspect.* 3. *cap.* 2. *num.* 433. *Gait de credito cap. 4. num.* 1834. *& seqq. Franch. decis.* 260. *numer.* 4. *Apont. decis.* 34. *num.* 25. *& seqq.*, *Merlin. de pignor. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 4. *num.* 37. *& seqq.*, *Rot. in Bonon. census* 9. *Februarij* 1654. *Meltio* cum concordatibus collectis *per Oleam de cess. iur. tit.* 6. *quæst.* 8. *num.* 10., *& per elaboratum mihi charum modernum de Luca Melphittensem in addit. ad Franh. dicta decis.* 260., atque datis extremis habilibus, est certa cõclusio, quam scribentes in contrarium non negabant.

Difficultas autem erat in applicatione, siuè in verificatione extremi, quod scilicèt possessor successisset in locũ eiusdem primi creditoris, ex cuius iuribus actrix veniebat; Dicebant etenim scribentes prò actrice (atque Rota admisit)
4 quod tunc ille, de cuius pecunia dimissus est creditor anterior, etiam sine cessione vel pacto de subintrando, succedit in istius locum, ad effectum excipiendi, (secus autem agendi, ad quem effectum cessio, vel pactum prædictum requiritur), quando ad hunc effectum præcisè pecunia data sit, adeò vt debitor non haberet in facultate, illam conuertendi in alios sibi placitos vsus; Secus autem vbi liberè debitori data esset, qui ad diuersum vsum ea vti posset, tunc etenim quamuis verè anteriori, vel potiori creditori soluta sit, non tamen exindè dictus effectus resultat, ex ea probabili ratione, quod ità pecunia effecta fuit de dominio, ac libera dispositione debitoris, qui de sua, non autem de datoris pecunia creditorem dimisit, quodque ista dimissio, à casu, non autem à prouidentia dãtis pecuniam, sequuta est, vt ex mente antiquiorum (ad istas tamen ità clarè declaratas distinctiones non descendentium) firmant *Aponte cons.* 87. *num.* 4. *& sequen.*, *& nu.* 14. *Magon. decis. Florent.* 59. *sub num.* 14. *Gratian discept.* 269. *num.* 34. *Merlin. de pignor. lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 44. *num.* 27. *Amat. var. resol.* 7. *num.* 46. *& sequen. Carleual. de iudi. ijs tom.* 2. *tit.* 3. *disput.* 35. *num.* 13., *& Rot. decis.* 93. *nu.* 11. *&* 12. *post Merlin. de pignor. repetit. decis.* 324. *num.* 2. *& sequen. par.* 9. *recent.*, *cum alijs huius causæ decisionibus*.

Dicebant quoq; scribentes prò actrice, quod cũ dictus Ioseph creditor dimissus, vel dicta Marchionissa, siuè eius hæres nunquã possederint cõtrouersam vineã,
5 proindè, vbi etiam locum haberet successio in locum dicti primi creditoris, ad hunc tamen transmitti non potuit in emptorem, de cuius pecunia dimissio sequuta erat, istud possessionis priuilegiũ, quod nõ habebatur ex regula *nemo plus iuris &c.*, vt habetur *disc. sequen.*

His tamen non obstantibus (cum sensu etiam veritatis), contrarium probabilius mihi videbatur, ideoque resolutionibus intellectus non acquiescebat; Non quidem ex fallacia conclusionum *iuris*, sed ex illa applicationis ad casum; Ad-
6 mittebam siquidem dictam conclusionẽ, quod vbi quis liberè mutuat pecuniam ad liberam dispositionem debitoris,

qui

qui ex eius libito, ac electione illam conuertat in extinctionem antiqui debiti, id non suffragatur datori pecuniæ ex ratione per allegatos assignata, & præsertim clarius *per Amat. dicta resol. 7. numer. 46. & 47.*, vt id prouenerit à casu; Ad instar eorum, quæ vt infrà habentur de mutuante pecuniam, quæ conuertatur in emptionem, vel refectionem &c.

Verùm, vt dictum est, fallacia, pro meo iudicio, clara videbatur in applicatione, quoniam cum in Vrbe ex dicto Statuto 151. mulieres contrahere non
7 valeant sine decreto iudicis, & consensu propinquiorum, et quod magis absque causa, quæ iuxtà opinionem hodie receptam, sit vera de facto, & de iure, & consequenter vtilis, vel saltèm non damnosa, ex ijs quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.*; Hinc proindè narrata fuit pro causa dicta imminèns necessitas extinguendi debitum, pro quo iam vrgebat coactio, stante mandati executiui relaxatione, ideoque præcisè in istam causam pecunia data, & respectiuè recepta fuit, dum aliàs creditor non dedisset, neque iudex, atquè coniuncti consensissent, quod mulier recepisset, ac se obligasset; Et consequenter concurrente expressa conuentione, vt pecunia in id erogari deberet, cum subsequuta erogatione, videbamur de plano esse in casu conclusionis, non autem limitationis.

Et quamuis in decisionibus, totum fundamentum constituatur in ea circũstantia, quod ordo directus Sac. Monti Pietatis, qui iuxtà stylum loco pecuniæ in confectione instrumenti consignatus fuit, non cõtineret istud vinculum præcisum, quod pecunia soluenda non esset,
8 nisi ad hunc effectum, vndè propterea dari potuisset casus, quod dicta mulier recipiendo pecuniam liberam, eam erogare potuisset in quoscumque alios sibi placitos vsus; Attamen certum mihi videbatur, vt non exindè resultaret dicta limitatio, dum ista possibilitas ad actum deducta non fuit, sed debitor seruando fidem conuentionis, eamdem pecuniam erogauit in causam conuentam.

Ista siquidem cautela adijciendi vinculum pecuniæ in ordine, qui dirigitur banco, est quidem prudens, & commendabilis, vt ità creditor magis tutus red-
9 datur de erogatione pecuniæ in causam conuentam, ac etiam facilior sit probatio versionis, sed si ea negligatur, siue quod pecunia detur numerata, vt præsertim contingit in locis, in quibus non adsunt huiusmodi banci publici, tunc creditor dicitur solùm sequi fidem debitoris, opinando, quod eam fallere non debebit, ideoque si fallet, ipse creditor luet pœnam eius negligentiæ, & credulitatis ob cessantem versionem pecuniæ in causam volitam, et consequenter subintrationem in locum dimissi creditoris non obtinebit; Sed vbi id sequatur, atque procedat vtriusque contrahentis voluntas, tunc nulla subest ratio dubitandi.

Dicta etenim propositio, cui decisiones innituntur, procedit quando vnũ solum ex his duobus extremis concurrit, illud
10 scilicèt dimissionis, non autem alterum præcedentis conuentionis, vndè verificetur *dictæ propositionis ratio*, quod antiqui *creditoris dimissio* non prouenerit ex prouidentia datoris pecuniæ, qui in istam causam, & non aliàs in animo habuerit eam dare, & ex necessitate conuentionis, sed prouenerit à casu, ac à sola electione debitoris; Sed vbi dicta conuentio accedit, atque effectus subsequitur, vnde propterea verificetur coniunctio vtriusq; extremi, tũc nulla iuridica, vel naturalis ratio suppetere videtur, cur sola potentia committendi violationis fidei delictum in dubio non præsumendum, debeat obstare.

Habemus id in iure receptum in terminis potioritatis resultãtis ad fauorem mutuantis in refectionẽ, vel redemptio-
11 nem iuxta terminos textus *in l. interdum ff. qui potiores in pignore habeantur*, vel mutuãtis in emptionem iuxta terminos textus *in l. licèt Cod. eodem*, quod, vt intret hoc potioritatis priuilegium, requiritur expressa conuentio, ac destinatio, quod scilicèt pecunia ad hunc effectum data sit, vnde propterea si detur simpliciter pecunia mutua ad liberam recipientis dispositionem, adeoùt non concurrat dictum primum extremũ destinationis, nil refert, quod concurrat alterum erogationis in refectionem, vel emptionem ex electione debitoris, ex ijs quæ cæteris relatis habentur *apud Merlin. de pignor. lib. 3. tit. 1. qnæst. 5. num. 64. & sequen. Spada conf. 268. n. 6. & sequen.*

lib.2.Amat.dicta resol.3.nu.47. Rota apud Vbald.decis.176.n.6. cum sequen., & aduertitur pluries infra in proposito huius potioritatis.

Et tamen, posito dicto primo extremo, (quod verè necessarium est); Quatenus pertinet ad alterum versionis, vel effectiuæ erogationis, nullibi in iure cau-
12 tum est, vt pecunia ità vinculari debeat in banco, vel penes tertium, vt adimatur possibilitas erogandi in alios vsus, sed potius DD. communiter præsupponunt expressè contrarium, quoniam agendo de probatione versionis in causam conuentam, illam admittunt præsumptiuam, seù adminiculatiuam deductam ex breuitate temporis inter receptionem, & erogationem, & ex qualitate debitoris, quod verisimiliter aliundè pecuniam nõ habuerit in eam causam erogatam ex deductis *per Merlin. de pignor. dicta quæst.5. numer.70.*, & alterum *Merlin. controu.26.num.9.lib.1.Amat.dicta resol.3.numer.59. Franch. & Addẽn.decis.97. Surd.decis.15.num.14.& decis.55.num.6. Rota apud Gregor.decis.195.numer.3., & apud Buratt. aecis.161. numer.5. & frequenter*; Igitur clarè præsupponitur, quod pecunia data fuerit debitori cum dicta possibili libertate erogandi in alios sibi placitos vsus, atque admittendo dictam probationem præsumptiuam, seù adminiculatiuam, præsupponenda quoque est contraria possibilitas, quod emptio, vel redemptio ex alia pecunia facta sit, & tamen non attenditur, quoniam sufficit, vt præcedente primo extremo omninò necessario, etiam præsumptiuè subsequatur alterum; Multò verò magis in hac facti specie, quod præcedente primo extremo, non ex sola debitoris voluntate, sed ex necessitate, ac solemniter vt supra, verificatio alterius extremi non est solùm præsumptiua, sed vera, & realis excludens dictam contrariam possibilitatem, vndè propterea fuit solùm negligere quamdam magis exactam, ac rigorosam cautelam, qua mediante creditor adimat dictam potentiam criminosam, in debitore violandi fidem, eumque decipiendi.

Quouerò ad alterum obiectum, quod cum primus, vel secundus creditor dimissus nunquam possederit, non potuerit transmittere, vel cõmunicare dimittenti hoc priuilegium; Aduertebam
13 huiusmodi cõclusionem pariter in eius casu veram esse, sed fallaciam quoque manifestam consistere in applicatione, ità capiendo quid pro quo; Id etenim procedit ad effectum inducendi præsumptam probationem dicti primi extremi, quando expressè de illo non constat, quod scilicèt pecunia expressè data sit hac intentione dimittendi antiquum creditorem, ac subintrandi in eius locum, quamuis neglecta fuerit cautela cessionis, vel saltem altera pacti de subintrando, quoniã si solutio fiat per possidẽtem, iste animus præsumitur, quod dici nõ potest in eo, qui non possidebat, iuxtà casum, de quo infrà *disc.proximè sequenti*, & ad effectum, vt dimittens etiam anteriores intermedios creditores excludere valeat.

Sed vbi, vt supra, vtrumque extremum expressæ conuentionis, ac erogationis verificatur, adeoùt ille, de cuius pecunia fit dimissio, in locum dimissi
14 de iure subintret, et consequenter fiat æqualis alteri creditori in eamdem causam, vnde propterea, quando neuter possideret, sed ambo venirent agendo, æqualis esset eorum cõditio, adeoùt debitore vtrique non idoneo locus esset contributo, eo modo, quo de iure datur inter creditores chirographarios, inter quos cessante priuilegio non datur aliqua tẽporis prærogatiua, vel ordo per prius, & per posterius, tunc etenim potioritas possessoris non prouenit ex aliquo priuilegio, seù specialitate iuris, sed prouenit à regula generali, quod data iuris æqualitate potior est cõditio possidẽtis, ac potius Rei, quàm actoris, eò quia vigilãtibus, & non dormientibus iura subueniunt, eodẽ modo, quo inter plures creditores chirographarios, vel hypothecarios æquales ex eadem causa, si vnus est altero diligentior, atque curat à communi debitore satisfieri, cui adhùc libera administratio à lege, vel ab homine interdicta non sit, potior est conditio diligentis, ac præuenientis, neque segnior prætendere potest illud contributum, quod inter eos æquè agendo venientes intrare deberet, ideoque sufficit, quod æqualis creditor licitè, ac citrà fraudem Rei, & possessoris personam gerat, vt ità in pari causa exceptio actionem vincat,

non

non autem, vt de tempore contracti debiti, vel iuris quæsiti rem possideret, cum id requiratur ad alium effectum, de quo *disc. sequen.*, atque in hoc versatur æquinocum.

ROMANA PECVNIARIA

PRO

LVCIA A VALLE

CVM

VINCENTIO BACELLIO

Casus disputatus coram Thesaurario pendet in Camera.

De eadem materia subintrationis eius, cum cuius pecunia fit dimissio in locum primi creditoris, in istius locum, saltem excipiendo, ac ad effectum se confouendi in possessione pignoris.

Et àn creditor, cui per iudicem soluta fuit pecunia debitoris cum obligatione de restituendo anterioribus, vel potioribus, & de contribuendo cum æqualibus, dicatur possessor, adeoùt excipiendo vti valeat iuribus antiqui dimissi creditoris, quibus agendo vti non posset.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Ille de cuius pecunia creditor anterior dimittitur etiam sine cessione, vel pacto de subintrando, potest excipiendo se tueri iuribus dicti creditoris, si est possessor.*

3 *Et de distinctione inter possessorem, & non possessorem.*

4 *Vt de tempore dimissionis debeat esse possessor.*

5 *Declaratur quando id procedat.*

6 *De alia declaratione eiusdem conclusionis.*

7 *Quod non intret subintratio, quando deficiunt pactum & possessio.*

8 *Creditor, cui soluta est pecunia cum cautione de restituendo &c., non est possessor, neque aliquod maius ius acquirit.*

9 *Neque tali casu excusatur à restitutione pecuniæ bona fide consumptæ.*

10 *Et efficitur subditus iudicis, à quo pecuniam ità accepit.*

11 *Solutio facta à decocto habetur pro non facta, & creditor posterior non excusatur à restitutione.*

12 *An interim faciat suos fructus perceptos.*

13 *De ratione ob quam faciat suos fructus.*

14 *In idem, & quale dominium pecuniæ, ità solutæ acquirat.*

DISC. II.

1 SImeone Nigro existente debitore Ducis Cæsarini in quadam summa vsque ab anno 1644., debitore autem Luciæ de anno 1648; Cum Vincentius esset depositarius Ducis, ac etiam computa haberet cum Simeone negotiatore, hinc de anno 1653., pro diuersis alijs summis debitis ex mutuo, vel alia causa, ac pro dicto debito Ducis, quod depositarius pro eo soluit, mediante illa cõtrapositione partitarũ, quæ inter mercatores habet speciem veræ solutionis, initus fuit contractus cambij, in cuius causam ad aliquos annos, tàm pro sorte, quàm pro fructibus, defuncto dicto Simeone omnibus non idoneo, formatoque in eius bonis concursu, Vincentius diligentior obtinuit à iudice sibi liberari pecuniam ex bonorũ debitoris distractione retractam, cum solita cautione de restituẽdo prioribus, & potioribus, & de cõtribuendo cum æqualibus, ac ad omne mandatum &c.; Cumque dicta Lucia cre-

creditrix anni 1648., poſt adhibitas alias diligentias, non poſſet aliundè ſuum creditum conſequi, idcircò præfatum Vincentium tãquam poſteriorem pro dictæ pecuniæ auocatione in vim obligationis de reſtituendo, pulſauit coram Theſaurario (qui fuerat iudex concurſus, ac pecuniam liberauera, à quo tamen ſententia rei abſolutoria prodijt; Introductaque per appellationem cauſa in Camera adhuc pendet indeciſa.

Fundamentum rei conuenti erat in diſpoſitione textus *in l. 1. ff. quib. mod.* 2 *pignus, vel hypotheca ſoluatur, & in l. eum qui ff. qui potior. in pign. habeantur*, per quæ iura (iuxtà magis communem, ac receptam opinionem *Fulgoſ.*, reiecta contraria opinione), ille, de cuius pecunia antiquior creditor dimiſſus eſt, quãuis de ceſſione iurium, vel de pacto ſubintrandi in eius locum ſollicitus non fuerit (vndè propterea dictam ſubintrationem agendo, & in concurſu nõ obtineat) adhùc tamen ſi eſt poſſeſſor, poteſt excipiendo tueri iuribus dimiſſi creditoris, cum nulla iniuria, vel præiudicium fiat intermedijs creditoribus, qui ius non haberent pro rata antiquioris debiti ſoluti, quatenus id ſequutum non eſſet, dum à dicto anteriore repellendi eſſent, ideoque fauore poſſeſſoris, qui dimiſit, ex æquitate intrat dicta exceptio iuxtà magiſtralem *dec. 50. Beninten. Neguſant. de pignor. par. 5. membr. 3. num. 3. Mantic. de tacit. lib. 11. tit. 29. numer. 1. & 5. per tot. Merlin. de pignor. lib. 4. quæſt. 44. numer. 8. & 9. Gratian. diſcept. 734. num. 18. Arias de meſa lib. 1. var. cap. 17. nu. 1. & per tot.*, ac alij.

Et de hac diſtinctione inter poſſeſſorem, & non poſſeſſorem, ſiuè inter agentem, ac excipientem, vt ceſſante iurium 3 reportata ceſſione, vel pacto de ſubintrãdo, dimittens hanc ſubintrationem non habeat ad effectum agendi, benè tamen ad alterum excipiendi, antiquioribus relatis *Franch. deciſ. 260. Buratt & Adden. deciſ. 420. Otthobon. deciſ. 129. numer. 15. & deciſ. 142. num. 9. & 10.*, & frequenter Idque *apud Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 9. defin. 7.* ampliatur etiamſi eſſet poſſeſſio ficta per conſtitutum, (quod tamen adhuc diputare occaſio non dedit); Ideoque cum dictus Vincentius, qui pecuniam habuerat, eſſet reus, ac poſſeſſor, ità planum remanere dicebatur, vt excipiendo, anterioribus iuribus dimiſſi creditoris poſſet ſe tueri.

Quamuis autem dicta diſtinctio, in ſuo caſu (datis terminis habilibus) vera ſit; Attamen (etiam cum ſenſu veritatis) dicebam non applicari ad caſum, in quo extrema ad id neceſſaria omninò deficiebant; Tum quia dictus creditor verè poſſeſſor ad hunc effectum dici non po- 4 terat, vt infrà; Tùm etiam, quia in hac facti ſpecie deſideranda erat circumſtantia motiuata *diſc. præced.*, vt ſcilicèt qui anteriorem creditorem cũ eius pecunia dimiſit, tunc de tempore dimiſſionis in poſſeſſione rei controuerſiæ reperiretur, quam continuaret.

Quatenus enim pertinet ad hoc ſecũdum extremum, aduertebam ad ea, quæ ità conciliando habentur *dicto diſc. præced.*, quod duo caſus in propoſito diſtin- 5 guendi ſunt; Primò ſcilicèt, vbi quis debitori expreſsè pecuniam crediderit in iſtam cauſam dimittendi antiquum creditorem, adeoùt certa ſit voluntas in iſtam cauſam credendi, et conſequenter in eius locum ſubintrandi, ſolumque negligat ſibi conſulere de ceſſione iurium à creditore dimiſſo, vel de expreſſo pacto de ſubintrando, quod ceſſioni æquipollet, atque non ſit quæſtio cum anteriore, ſed cum æquali, cum quo ſuffragatur maior diligentia præuentionis in ſtatu bonæ fidei; Et tunc nil refert, quod de tempore creditę pecuniæ, ac dimiſſionis reſpectiuè non haberet poſſeſſionem, quæ poſtea obuenerit, quoniam ſufficit, vt ea legitimè adſit de tempore concurſus, vel controuerſiæ, vt *dicto diſc. præced.*

Alter verò caſus eſt, vbi pecunia non creditur expreſsè in iſtã cauſam, adeout 6 exindè deſumatur animus, ac premeditata voluntas, ità & non aliàs credendi, ſed ſolùm euadat quis creditor communis debitoris, ex eo quod (nulla præcedente conuentione) eius creditorem dimiſerit, ſiuè illum in ſe accollauerit, vt erat propriè caſus præſentis controuerſiæ; Et tunc, vbi talis dimittens titulo emptionis, vel alio eſſet poſſeſſor bonorum, quæ hypothecis, & creditoribus alterius affecta eſſe ſciat, reſultat præſumpta probatio dicti animi, ſiuè intentionis ſoluendi, vt ità cum iuribus dimiſſi creditoris

poſſit

possit se tueri, atque cum hoc præsupposito clarè loquuntur supradicta iura *in d. l. 1. ff. quib. mod. pign.*, vel hypotheca soluatur, & *in l. eum qui ff. qui potiores in pign. habeantur*, ac etiã *Negusant., Mantic., Merlin., Arias de Mesa, & alij supra allegati*; Adeout ista præsumpta probatio, quam lex in possessore inducit, vel subintelligit, æquipolleat conuentioni expressæ credendi in istam causam animo subintrandi.

Sed quando, tàm vna, quàm altera probatio deficit, quia nempè de tempore, quo anterioris dimissio facta est, dicta
7 expressa conuentio inita non sit, neque dimittens possideat, tunc ipse efficitur quidem creditor debitoris, pro quo soluit (quoties donandi animo factum non sit) actione de in rem verso, vel negotiorum gestorum, sed ex nunc, & in sola actione personali absque aliqua subintrantia; Vndè si postmodum ex interuallo contingat ipsum effici possessorem aliquorum bonorum debitoris, nõ exindè prætendi poterit reassumptio iurium primi creditoris iam extinctorum, vel præsumptio dicti animi, qui de tempore explicati actus, nec expressus, nec præsumptus aderat, ideoque nulla iuris ratio vel dispositio illi suffragari potest, cum ex tunc in instanti, in quo antiquior creditor dimissus est, bona debitoris ab illa anteriori hypotheca iam libertatẽ quæsierint ad commodum aliorum creditorum, quorum ius, eorumdem bonorum possessio, postmodum in hunc dimittentem obuenta, tollere non potest, cum à priuatione ad habitum nõ detur regressus, præsertim cum retrotractione in præiudicium iuris, quod medio tempore alteri quæsitum sit.

Procedere dicebam præmissa, admisso etiam præsuppositio, quod iste creditor dici posset verus, ac legitimus possessor pignoris, vndè propterea, posito dicto alio extremo, resultare possent illi effectus, qui in iure possessioni conceduntur; Verùm omnis difficultas pro meo iudicio in hac facti specie cessare videbatur, quoniam verè possessor dici non poterat, dum agebatur de pecunia per iudicem in concursu bonorum hæreditariorum defuncti debitoris liberata cum cautione de restituendo prioribus & potioribus, vel de contribuendo cum æqualibus ad omne mandatum &c.

Isto siquidem casu non dicitur vera, & perfecta solutio, per quam pecunia irreuocabiliter efficiatur de dominio eius
8 cui soluitur, atque cum eius patrimonio confundatur, nisi ad effectum periculi, ac fructuum, vel commodi intermedij, donec auocationis casus sequatur, iuxta ea, quæ pluries habentur infra in hac materia auocationis pecuniæ solutæ; Ideoq; pecunia cẽsetur extare in banco iudicis, qui ita prouisionaliter, seù præcario, tanquam per speciem depositi, seù præcarij, quandocumq; reuocabiliter eam cõsignauerit vni ex creditoribus, qui proinde ex huiusmodi actu nullum maius ius acquirit, quàm prius haberet, vt antiquioribus relatis benè explicant *Fontanell. de pactis claus. 5 glos. 8. par. 7. num. 35. & seqq. Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 10. numer. 63. & sequen., & numer. 68. & sequen. & 75. & par. 3. cap. 14. num. 25. Franc. decis. 75. n. 9. & decis. 200. nu. 4.* ibique *Adden. Rota decis. 189. nu. 35. post Zacch. de oblig. camer. & frequenter.*

Hinc resultat, quod iste creditor iuuari non potest illa conclusione, de qua pluries habetur infra, cuius antesignans
9 reputatur *Afflict. decis. 190.*, vt excusari debeat à restitutione pecuniæ nõ extantis, sed bona fide consumptæ, quoniam ità dicitur extare, perindè, ac si nunquã soluta fuisset, vt apud allegatos cum alijs, de quibus *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc. 81.*, vbi habetur, vt adeo id verum sit, istam solutionem haberi pro non solutione, quod in omnibus reuiuiscant primæua iura, tanquam nunquam extincta, sed solùm obdormita, seù suspensa, cum difficultatibus tamen, de quibus ibi circa antiquum cursum fructuum.

Atque iuxtà vnam opinionem, de qua habetur particulariter actum *sub tit. de iurisdict. disc. 94.*, creditor, qui cum
10 huiusmodi cautione, vel obligatione pecuniam recepit, tanquam purus depositarius illius iudicis, de eius foro efficitur, quamuis aliàs ab eo exemptus esset, cum declarationibus pariter, de quibus loco citato, cum alijs similibus effectibus, qui desuper ponderari possunt, ex quibus planum remanet, eum dici non posse possessorem.

Item quia communis praxis est, quod dicta

dicta cautio, seù obligatio concipitur, non solùm de restituendo prioribus, vel potioribus, sed etiam de contribuendo cum æqualibus, quod apertè declarat, ità eum non effici possessorem, quoniam alias hoc posito, resultaret potioritas, quę ratione possessionis competit aduersus æqualem, ex deductis *disc. præced.*

Et quemadmodum illa solutio, quæ obtinetur à debitore decocto, seù aliàs
11 in statu malæ fidei, habetur pro non facta, & nullatenus suffragatur iuxtà *decis.* 1074. *Seraphin. decis.* 262. *Peni. cum alijs per Adden. ad decis.* 9. *par.* 3. *rec. num.* 45. *& seqq.*, ac habetur pluries infra in hac materia auocationis; ità fortiùs, vbi bona debitoris posita sunt sub concursu, atque pecunia soluta est cum dicta cautione, vel obligatione, quæ inducit malã fidem veram, vtiquè longè maiorem, ac efficaciorem, quàm sit præsumpta resultans à malo statu debitoris.

Et quamuis verius sit, vt cessante expressa prouisione, creditor, cui sub dicta cautione pecunia liberata est, suos faciat
12 fructus intermedij temporis, donec pro restitutione pulsetur, si pecunia interim in loca montium, vel alios effectus fructiferos erogata fuerit, vt plenè discusso articulo firmatur *per Rotam decis.* 232. *par.* 8. *rec.*, quæ in Curia circumfertur tanquam magistrales, sæpius in alijs canonizata.

Attamen id prouenit ratione periculi, cui quoque talis creditor subiacet, diminutionis, scilicèt vel perẽptionis in inue-
13 stimento contingentis, tãquam per speciem depositarij irregularis, qui efficitur pecuniæ depositatæ dominus, cum obligatione restituendi tantumdẽ, adeo vt suum sit intermedium periculum, & consequenter suum quoque intermediũ commodum, si talem pecuniam inuestiat, vel negotiationibus exponat, ex ijs quæ ad hanc materiam depositi irregularis, quoties particulares facti circumstantiæ aliter non suadeant, habentur infra *in Romana pro monte Pietatis disc.* 68., ac etiam quia remanet debitor quantitatis, non autem speciei.

Ideoque efficietur quidem talis creditor, dominus, ac verus possessor pecuniæ, vtpotè rei recipientis functionem
14 in genere suo, iuxtà dominium, & possessionem, quæ vtsuprà transeunt in depositarium irregularem, vel etiam in vsufructuarium, iuxtà ea quæ habentur in sua materia *sub tit. de seruit ad materiam vsusfructus*, super vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur, non tamen dici poterit possessor pignoris, seù bonorum communis debitoris, quoniam pecunia, vbi extra formam depositi regularis sibi tradita est, non dicitur amplius de dominio, ac bonis communis debitoris, in cuius patrimonio solùm adesse dicitur æquiualentia, & consequenter incongrui, ac inadaptabiles remanent dicti termini possessionis.

ROMANA

SALVIANI

SEV

CONCVRSVS

PRO

IOANNE BAPTISTA NALDINO

CVM

CREVLIS.

Discursus pro veritate super casu disputato coram A. C.

De eadem materia cõcursus plurium, qui ob æqualitatem causæ dimissionis eiusdem antiqui creditoris efficiantur æquales, àn vni ex eis suffragetur possessio; Et quid, vbi eadem sit causa debiti dimissi, sed diuersus sit modus debendi, quia nempè solutio distributa sit in plures pagas, ac tempora, àn ille

qui

qui credidit cum pacto ſubintrandi pro dimiſſione primæ paghæ, dici valeat anterior alterius credentis pro ſolutione ſecundæ, ad materiam *text. in l. Inſulam ff. qui potior. in pign. habeantur.*

SVMMARIVM.

1. FActi ſeries.
2. *Quod in pari cauſa potior ſit conditio poſſidentis.*
3. *Identitas cauſæ facit omnes æquales non curata diſcretione temporis, & numer.* 11.
4. *Contrarium, quod etiam data eadem cauſa attendatur prioritas temporis partitæ, cuius ceſſit dies ad* text. in l. Inſulam ff. qui potior &c.
5. *Quod ſoleant capi æquiuoca ex doctrinis, non diſtinguendo caſus.*
6. *Exemplificatur caſus, de quo agit* text. in l. Inſulam.
7. *Idem in annuo cenſu, vt credens pro ſolutione primi anni præferatur credenti pro ſolutione anni ſecundi, & de ratione.*
8. *In cenſibus quot ſunt anni, tot requiruntur præſcriptiones.*
9. *Item quot ſunt anni, tot ſunt cauſæ diuerſæ.*
10. *Quid in penſionibus eccleſiaſticis.*
11. *De concluſione, de qua num.* 3.
12. *De æqualitate mutuantium pro eodem creditore dimittendo.*
13. *Creditor non tenetur recipere ſolutionem à tertio, eique cedere iura.*
14. *De concurſu inter venditorem pro reſiduo pretij, & illum, qui mutauit pro ſolutione partis eiuſdem pretij.*
15. *De duobus mutuantibus hæredi pro ſoluendis legatis, quorum aliqua ſint pura, & alia conditionalia.*
16. *Creditores defuncti, licèt poſteriores vincunt creditores hæredis.*
17. *Qualis eſſet caſus controuerſiæ, & àn in eo intraret* dictus text. in l. Inſulam.
18. *Vbi eſt idem debitum diſtributum in plures pagas, àn aliqua differentia dignoſcatur.*

DISC. III.

1 EMptione facta per Ioannem ab Antonio tabernæ ſalſamẽtariæ pro pretio ſcutorum 3. m., cuius ſolutio in plures pagas infra quinquennium conuenta fuit, quolibet ſcilicèt anno pro rata, cum curſu interim fructuum recompenſatiuorum; Ioannes Baptiſta, pecuniã credidit dicto emptori ad præciſum effectum ſoluendi primam pagam, cum expreſſo pacto de ſubintrando, reportata etiam ceſſione iurium à creditore, talium, qualium, & dummodò non contra cedentem &c. iuxtà conſuetã formulam; Maturata verò poſtmodum ſecunda paga, debitor vendidit domum Iacobo, & alijs, qui pretium dicto venditori ſoluerunt, reportata pariter eadem ceſſione iurium talium qualium &c.; Cumque debitor defeciſſet, hinc Ioannes Baptiſta, qui prior fuit in credendo in cauſam primæ paghę, iudicium in ſaluiano inſtituit coram A.C. ad domum prædictam contra emptores, qui excipiebãt, de concluſione, de qua ſupra *diſc.* 1., vt
2 ſcilicet in pari cauſa, potior ſit conditio Rei, & poſſeſſoris, cum enim ipſi haberent iura ceſſa eiuſdem creditoris ex eadem cauſa, cum eorum pecunia dimiſſi vt ſupra, ità remanebat cauſa æqualis, & conſequenter dicebant eius defenſores, quod de plano reſultaret dictus poſſeſſionis effectus.

Neque dictæ æqualitati obſtare dicebant temporis diuerſitatem, quod ſcilicèt actor per annum circiter anteà creditor communis debitoris effectus eſſet, atque ab antiquo dimiſſo creditore iurium ceſſionem reportaſſet, quoniam cum eadem eſſet cauſa debendi, iſtius vnicitas, vel identitas attenditur, non
3 curata diuerſitate temporis, iuxtà celebrem *deciſ.* 34. *Apont.*, *Galeot. lib.* 2. *controu.* 21. *Salgad. in labyrint. par.* 1. *cap.* 21. cum alijs deductis *ſub tit. de Regal. ad materiam officiorum diſc.* 12.

E' conuerſo autem, Scribentes pro actore, non negabant dictam concluſionem, quando concurreret identitas
4 cauſæ, quæ eodem tempore eumdem produceret effectum, ſiuè ad eumdem ten-

deret finem ; Dicebant tamen secus esse, vbi est quidē eadē causa productiua totius debiti inspecta origine, sed diuersus est effectus, quia nempè pars vno tēpore, & pars altero debita sit, cum tunc intret ordo temporis, ideoque ille, qui in causam primi anni credidit, vincit alterum, qui est posterior pro credito secundi iuxtà dispositionem *text. in l. Insulam ff qui potior. in pignor. habeant*, vbi *Bal. & cæteri*, atque super huius text. intelligentia plura, hincindè elaboratè deducebantur.

Cum autem, ob difficultatem, quam Iudex habebat contrà actorem, iste meū sensum pro veritate desuper expetijsset, & àn difficultas esset, necnè superabilis; Hinc proindè visis informationibus, hinc indè datis, in quibus, elaboratè quidem, sed absquè debita distinctione, magnus fiebat cumulus auctoritatum, præsertim modernarum, quas in huiusmodi concursuū quæstionibus habemus; Maturè ad omnes reflectendo, atque pro tollendis æquiuocis frequenter in hac facultate resultare solitis, ex indigesta consarcinatione auctoritatum, non benè reflectendo ad casus diuersos, eorumque diuersas circumstantias, ob quas, illi qui de vno casu agunt, alteri non benè applicantur; Aduertebam quod ad plurium casuum distinctionem reflectere oportebat.

Primus igitur, ac præcisus est ille, de quo agit *text. in dicta l. Insulam*, vbi scilicet venditur prædium, quod ad plures
6 annos iam conductum erat, sub ea lege, vt pensio primi anni esse debeat venditoris, in futurum autem emptoris, atque deciditur, vt in bonis inuectis, & illatis à conductore, quæ pro pensione hypothecata sunt, potior sit conditio venditoris attento ordine temporis, idque ex duplici ratione; Primò scilicèt ex verisimili voluntate contrahentium, & quā *ex Alberic. & Castrens. ibidem, Arias de Mesa lib. 3 var. cap. 17. num. 12.*, aduertit esse veram, ac potissimam rationem dicti textus; Et secundò, quia licèt omniū bonorum debitum originem trahat ab eodem contractu locationis, & conductionis, attamen in effectu videntur plura debita, etiam in substantia, quoniam in primo anno, in quo contractus iam effectum sortitus est, debitū est certum, ac purum, in alijs autem sequentibus est incertum, & conditionale, etiam in substantia, quoniā ob rei peremptionem, vel euictionem, aliosque casus, siuè etiam de mutuo consensu, potest contractus euanescere, ideoque cessare causa debiti productiua.

Alter est casus nimium simbolizans cū illo dicti textus, in debito scilicèt census annui, quoniam licèt omnes annualitates
7 proueniant ex eodem contractu, atq; ex eadē forte habita pro censu cōsignatiuo, vel ex eadem proprietate in censu reseruatiuo, Attamen intrat eadem secunda ratio, de qua supra, vt quot sunt anni, tot sint debita, ob incertitudinem etiam in substantia futurarum annualitatum, ex eadem causa peremptionis fundi, vel redemptionis census, aut quod licitè desierit possidere &c.; Vndè propterea magis recepta est opinio Vltramontanorū in materia præscriptionis, vt tot requirā-
8 tur præscriptiones, quot sunt anni iuxta *decis. 4. Mohed. de præscript. cum concord.* plenè deductis *decis. 373. n. 16. par. 9. rec.*, & habetur pluries infra ad materiā præscriptionis.

Ac etiam, quod vbi quæstio non sit super ipso cōtractu in genere validitatis,
9 seù inualiditatis census, siuè dominij rei censitæ, sed agitur de fructibus, ac annualitatibus, tunc quot sunt anni, tot sunt causæ diuersæ iuxtà quotidiè receptam *decis. 345. Gregorij.*

Et consequenter intrat dispositio dicti textus *in l. Insulam*, vt qui credidit debitori pro solutione fructuum primi anni, præferatur ei, qui credidit pro solutione fructuū anni sequentis, ex ijs quæ cæteris relatis habentur deducta *apud Ole. de cess. iur. tit. 6. q. 8. n. 27. Rot. apud Celsum decis. 254. num. 4.*; Quod etiam congruere videtur pensionibus ecclesiasticis, in bo-
10 nis tamen Titularis, quicquid sit in ipsis fructibus currētibus ipsius Ecclesiæ grauatæ, ex ijs, quæ habentur in sua materia *sub tit. de pensionibus* præsertim *in Melphien. disc. 19.*

Tertius est casus, in quo propriè intrat supra enunciata conclusio deducta *ex dicta decis. 34. Apont.*, cum alijs alle-
11 gatis, vbi scilicèt ad eamdem rem emendam, siuè idem opus construendum plures diuersis temporibus credunt, quoniā licèt adsit discretio temporis, attamen iden-

identitas causæ eos reddit æquales, nisi facti particulares circūstantiæ aliud suadeant, iuxta ea, quæ habentur *dicto disc. 12. sub tit. de Regal.*, ac etiam infra *disc. 5.*, & in alijs, super concursu credentium diuersis tēporibus in idem opus pro diuersis expensis.

Quartus casus est, vbi posito vno, & eodem credito puro, ac vniformis naturæ, sit concursus inter plures cessionarios, vel habentes ex pacto subintratio-
12 nem in locum eiusdem creditoris cum eorum pecunia diuersis temporibus dimissi, et tunc certum videtur, æqualem esse eorum conditionem, non curata temporum diuersitate, & de consequenti resultant effectus interactorem, & reum in coæquali iure; Quod etiã regulariter (non data contraria protestatione, ac reseruatione), procedit inter cedentem, & cessionarium iuxta magistralem *decisionem 260. Franchi cum concord. collectis per Adden. ad eum*, præsertim *per modernum de Luca.*

Hinc proindè, quicquid apud seniores variatum sit, in foro habemus receptum, quod creditor, cui fiat solutio partis debiti (excepto casu, in quo ea fieret
13 per fideiussorem, siuè quod aliàs intrarent termini exceptionis cedendarum) non tenetur cedere soluenti eius iura, atque se opponere potest pacto de subintrando, atq; ad hunc effectum benè procedit opinio, quæ in eo desiderat scientiam creditoris, ex ijs quæ habentor *disc. sequen.*; Solumque receptum est, vt ex æquitate, facere teneatur cessionem iurium talium qualium, dummodo contra ipsum cedentem, nec directè, nec indirectè, vel in concursu retorqueri, vel aliàs obstare valeant ex doctrina *Bar. in l. Aristo. num. 1. & 2. ff. quæ res pign. obl. poss. Negusan. de pignor. par. 5. membr. 1. num. 15. & sequent. Ole. de cess. tit. 4. quæst. 3. num. 20. Franch. decis. 55. numer. 5., Rot. decis. 243. num. fin. par. 11. rec., decis. 576. num. 11. & sequent. par. 5. & sæpius.*

Quintus est, vbi agitur de concursu, inter venditorem, qui sit creditor pro
14 residuo pretij cum reseruatione dominij, & creditorem mutuantem ad effectum soluendi partem pretij eidem venditori, & de hoc agitur *in duobus disc. sequentibus.*

Sextus quoque ponderari potest similis primo, & secundo, inter mutuantes hæredi pro soluendis legatis puris, & legatarios conditionales, vel creditores,
15 qui purificata conditione, eidem hæredi crediderunt pro legatis dissoluendis; Tunc enim intrare videntur ijdem termini textus *in l. Insulam*, ideoque potiores videntur partes illorum, qui prius crediderunt pro dissoluendis legatarijs puris, in quorum locum in vim cessionis, vel pacti subintrarunt; Quamuis enim eadem sit scaturigo, seù causa productiua debiti, adeoùt magis communis, & recepta opinio sit, vt hypotheca legalis, quæ pro legato competit, purificata conditione, retrotrahatur ad tempus mortis testatoris, etiam in præiudicium eorum, quibus medio tempore, ius ex facto hæredis quæsitum sit iuxtà plenè firmata *per Rotam decis. 269. par. 6., & decis. 17. par. 7. rec.*, vbi concordantes cumulantur, & contrarijs respondetur; Attamen id rectè procedit in concursu habentium causam ab hærede, cuius creditores in bonis defuncti ex beneficio separationis bonorum semper
16 vincuntur à creditoribus ipsius defuncti, quamuis lucratiuis, & ex causa legati conditionalis post purificatam conditionem; Nisi agatur de feudis, vel similibus bonis differentibus, in quibus intrat aliqua difficultas, ex ijs quæ habentur deducta *sub tit. de feudis disc. 21.* & infrà *disc. 27.*; Attamen secus est, vbi omnes concurrentes causam trahunt ab eodem defuncto, cum ea tamen differentia, quod intret dicta ratio textus *in l. Insulam*, quia vnum debitum sit purum, alterum verò sub conditione, quæ percutiat substantiam, adeoùt possit non existere.

Nullus ex præmissis casibus percutiebat illum præsentis controuersiæ, & consequenter extraneæ remanebant omnes superius deductæ auctoritates, ac aliæ apud eas, quæ hincindè in hac disputatione cum aliqua indigesta consarcinatione deducebantur, non distinguendo triticum ab hordeo, vel paleam à fæno.

Casus etenim præcisus erat, quod vnum, & idem erat debitum ex eadem
17 causa ab initio contractum, adeoùt ex tunc certa, & pura esset eius substan-

tia, distributa solùm eius solutione in pagas, & tempora, gratia commoditatis debitoris, adeoùt, temporum distributio percutiat solam executionem, vel facultatem cogendi, non autem substantiam debiti, potissimè dum pro illis partibus, pro quibus dilata fuit solutio, ex conuentione currebant fructus compensatiui ad terminos *textus in l. curabit Cod. de action. empti*, & consequenter vna, & eadem erat causa debendi, atque pariformis cõditio omnium, qui in eam crediderunt, adeoùt non intrarent termini dicti *textus in l. Insulam*, et consequenter concludebam, quod fundata mihi videbatur difficultas Iudicis, qui propterea iustè reis, ac possessoribus absolutoriam concessit.

Et quamuis fauore actoris facere viderentur deducta *apud Gratum conf.* 14. *num.* 10. *& sequen. lib.* 1., cum quo per-
18 transit *Mantic. de tacit. lib.* 14. *tit.* 40. *numer.* 35., quod scilicèt, vbi agitur de conuentione certæ summæ, quæ distributiuè in pluribus terminis, ac paghis soluenda sit, tot sint stipulationes, quot sunt summæ, seù paghæ distributæ; Attamen id percutere forsan potest alios diuèrsos effectus, qui in hoc proposito considerari solent, non tamen facere potest, vt illud debitum, quod in substantia est ab initio certum, & purũ, ità ob solam distributionem modi soluendi, diuersam assumat naturam, adeoùt intrare valeat ratio, vel dispositio dicti *textus in l. Insulam*; Ideoque Iudices, vel Consulentes ad casuum distinctiones, eorumque particulares circumstantias reflectere debent, cum ex hoc pendeat cõgrua applicatio doctrinarum, quorum indefinitus cumulus confusionem potius parit, atq; iudicij paupertatem denotat.

CREMONEN.

CONCVRSVS

PRO

MARCHIONE MVTIO PALLAVICINO

CVM

MARCHIONE ARIMBERTO.

Responsum ad causam extra Curiam.

De eadem materia concursus plurium in eadem causam; Et in specie, àn ille, qui credidit pro redemptione bonorum distractorum ad instantiam venditoris, qui erat creditor ex causa pretij, præferatur eidem venditori creditori ex eadem causa pretij residualis; Et de remissione hypothecæ ob consensum præstitum venditioni rei hypothecatæ, cuius pretium ab ipso creditore habitum sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Ex Constitutionibus Mediolani, debitor, qui passus est subhastationem, habet annum ad redimendum.*

3 *Ille, ad cuius instantiam res debitoris venditur, ac pretium recipit, non habet amplius super ea re hypothecam, etiamsi redeat ad debitorem.*

4 *De potioritate mutuantis ad rem redimendam.*

5 *Declaratur conclusio de qua num.* 3.; *vbi redeat ex diuersa causa.*

6 *Secus, si resoluta, vel in effectuata alienatione redeat ex priori iure.*

7 *De effectibus resultantibus ab actu resolutiuo.*

8 *De eadem conclusione, de qua num.* 3. 5. *& 6., & de differentia, àn redimat ipse debitor, vel tertius.*

9 *Quando propriè intret terminus redemptio-*

ptionis bonorum, puta captorum in bello.

10 *Et quando etiam dicantur redimi impropriè, sed cum eodem effectu putà à latronibus.*

11 *Vbi redimitur pignus à creditore anteriore, non est propriè redimere.*

12 *Mutuans pro dimittendo creditore in parte, àn fiat ipsi dimisso aequalis.*

13 *Quod potior sit conditio creditoris, praesertim si est venditor cum reseruatione dominij.*

14 *Creditor non est obligatus cedere iura contra se ipsum.*

15 *An sibi praeiudicet creditor sciens, & patiens, vt ille, qui mutuat pro eo in parte dimittendo, faciat pactum de subintrando.*

16 *An in dicto pacto, vt suffragetur, necessaria sit scientia creditoris dimissi.*

17 *De ponderatione, ob quam creditori detur regressus etiam ad bona alienata, & postea ad debitorem reuersa iure redemptionis.*

DISC. IV.

1 EMptione facta per Marchionem Galeatium Pallauicinum, cuiusdam nauigij, aliorumque bonorum à Marchione Mutio pariter de Pallauicinis, habita fide de pretio, sub conuentione fructuum recompensatiuorum, & cum cautela reseruationis dominij; Cum emptor defeciſſet à solutione fructuum per plures annos, hinc ad instantiam venditoris, executa, & subhastata fuerunt eadem bona, quæ nõ reperto meliori oblatore, adiudicata fuerunt eidem creditori, pro summa tamen longè inferiori credito in maiori summa ex dicto pretio, & fructibus decursis interim cõflato; Cumque ex Constitutionibus Mediolani in-
2 tegrum sit debitori, intra annũ redimere à licitatore, vel adiudicatario bona exequuta, & subhastata, hinc proindè dictus emptor pro huiusmodi redemptione mutuas habuit à Marchione Arimberto pecunias, cum pacto expresso de subintrando in locum dimittendi creditoris, cui (inscio tamen, quod dicta pecunia ab altero ad hunc effectũ mutuata esset) ea soluta fuit, & consequenter sequuta est bonorum restitutio; Cumque successiuis temporibus, pro residuo sortis dicti pretij, ac rata fructuum decurtorũ, alia notabilis summa conflata esset, pro ista emptor eadẽ bona, vt supra redempta, in solutum dedit dicto Marchioni Mutio venditori, & creditori respectiuè, contra quem, ex interdicto Saluiani, vel altero remedio hypothecario, ad bona prædicta iudiciũ instituit præfatus Marchio Arimbertus pro summa vtsupra ad rem redimendam mutuata, vna cum fructibus; Atque reo, & possessore excipiente de suorũ iurium anterioritate, fortius verò, dum ea munita quoque erat reseruatione dominij, de duobus replicabat actor.

Primò scilicèt de remissione hypothecæ in dictis bonis venditis ad instantiam
3 ipsius anterioris creditoris, qui pretium exindè retraxerat iuxta terminos *textus in l. eleganter ff. de pignor. action., l. item ff. quibus modis pign., vel hypothec. solu., & l. fin. Cod. de remiss. pignor.* cum concord. plenè deductis *per Rotam decis.* 18. *& 113. par.* 11. *rec.*, quarum prima est repetita *decis.* 19. *post Salgad. in labyrint.*

Et secundò ob potioritatem de iure competentem mutuanti ad redimendum iuxta terminos *textus in l. interdũ ff. qui*
4 *potior. in pign. habeantur*, cuius rationem, ità intrare dicebatur, quoniam nisi res cũ pecunia actoris redempta fuisset, illa nõ esset in bonis debitoris, et consequenter inanis remaneret creditoris anterior hypotheca; Quamuis enim alia motiua deducerentur, ea tamen in facto potius, quàm in iure consistebant; Quare desuper ex parte dicti Rei cõuenti consultus super dictis duobus motiuis, tàm ad causæ opportunitatem, quàm etiam in folio distincto (iuxta stylum) ad veritatem.

Quatenus pertinet ad primum (quo subsistẽte inanis remanebat inspectio alterius super anterioritate, vel potioritate, dum ità in reo, ac possessore cessabat hypotheca in radice, ideoque non intrabant termini per prius, & per posterius) deducebam eadem quæ super eo habẽtur infra *disc.* 24., edito in eodem casu, in quo prodierunt *dictæ decisiones* 18., & 113 *par.* 11. *rec.*

Credebam tamen ea non applicari ad casum,

casum, Tum ob diuersas circumstantias in eo casu militantes, de quibus *disc. supra allegato*; Tum clarius quia conclusio procedit, quando alienatio iam perfectè ac irreuocabiliter effectum sortita est, eiusque pretium obuenit in ipsum creditorem, qui non potest eodem tempore, *pro hypotheca*, quam habet super re, vel le rem, & pretium, vndè propterea intret quæstio, àn eadem res diuerso iure, vel titulo ad debitorem reuersa, tanquam per omnimò nouam acquisitionem incidat, non quidem in eãdem antiquam ipsius rei hypothecam (cum tunc negatiua sit indubitata), *sed* sub genere bonorum futurorum, & acquirendorum, quo casu, vt benè aduertit *Bartol.*, quilibet responderet affirmatiuè, cum non vrgeat probabilis ratio negandi, sed quia lex ità disponit, hinc receptum est contrarium ex copiosè deductis *dictis decis.* 18., & 113. *par.* 11. *rec.*

Secus autem, vbi bona redeunt ad debitorem per resolutionem intermediæ alienationis, adeoùt, causa redacta ad non causam, seù redacto titulo ad nõ titulum, 6 tãquã per speciem postliminij, reassumatur antiquum dominium, quod ita medio tempore, impeditum potius, quàm extinctum fuerit, atque per excitationem à somno potius, quàm per reuiuiscentiam à morte, seù veriùs per remotionem accidentalis impedimenti; Adinstar habentis pedes ligatos, quod sublatis vinculis, non dicitur tunc acquirere nouam facultatem ambulandi, sed ambulat iure suo primæuo, & naturali, ad *text. in l. si vnus §. si pactus nè peteret, ff. de pactis*, cum concord. *per Tiraquell. de retract. lignag. §. 19. glos. 2. numer. 4.*, & per totum *Leon. decis. 67. Franch. decis. 39. 61. & 64.*, ibique *Addentes Merlin. de pignor. lib. 4. tit. 3. quæst. 109. num. 41. cum seqq.*, *Rota apud Caualer. decis. 58. nu. 1., & apud Dunozett. decis. 709. numer. 12.*, & admittitur *in dictis decisionibus* 18., & 113. *par.* 11. *rec.*, cum verè sit iuris principium certum, de quo pluries in sua materia *sub tit. de seruitutibus* ad materiam retractus, præsertim conuentionalis, & alibi; Vndè propterea resultant tot consequentiæ, quas in iure habemus circa resolutionem om- 7 nium hypothecarum, ac vinculorum, quibus penès intermedium dominum, & possessorem resolubilem bona affecta fuerunt, ac etiam circa solutionem relatiuij, vel gabellæ denuò non faciendam pro huiusmodi reuersione, vt potè nouam acquisitionem non importante, cum similibus, de quibus etiam *sub tit. de feudis*, & alibi.

Ideoque circa istud motiuum, aliud nõ videbatur obstare posse, nisi dictam rationem non obtinendi iure hypothecæ, quæ habeatur super aliqua re, tàm ipsam rem, quàm eius pretium, quod quidem 8 est ineuitabile, vbi non intrat consideratio, quod creditor, quando recepit pretium, illud non recèpit tanquam pretiũ ipsius rei à tertio datum (quo casu data hac scientia, difficultas esset ineuitabilis) sed recipere credidit solutionem partis debiti ab ipso debitore de eius pecunijs, ac bonis pariter sibi hypothecatis, vtpotè sub generali hypotheca comprehensis, et consequenter quod cesset dictum inconueniens, vt eiusdem rei duplicatum pretium obtineatur, vt distinguendo, àn ipse debitor, vel tertius redimat *ad decis. 67. Leon.*, habetur *apud Ole. de cession. iur. tit. 3. quæst. 2. num. 46.*

Quouerò ad alterum motiuum, incongruos esse dicebam dictos terminos *tex. in l. interdum ff. qui potior. in pign. habeãtur*, in quibus principaliter insistere supponebatur scribentes pro actore ad effectum potioritatis competentis mutuanti ad rem redimendam; Siquidem iste casus redemptionis, tanquam per assimilationem potius mutuanti ad rem emendam iuxtà terminos *textus in l. licèt Cod. eodem*, verificabilis videtur, quando bona ità exierunt à dominio debitoris, & successiuè ab hypothecis eius creditorũ, quod nulla remaneat spes, vel radix prioris dominij, vndè propterea redemptio sapiat speciem nouæ acquisitionis, vt cõtingit in bonis in bello captis, quæ in hostium præsidijs pernoctauerint, quoniam etiamsi ab eis auferantur, seù aliàs per amicos acquirantur, postliminio 9 non redeunt *ad text. in l. si quid in bello ff. de captiuis, & postliminio reuersis, & l. naturalem §. finali ff. de acquir. rerum dominio, cum concord.* plenè deductis *per Galeot. respons. fiscal. 13. à num. 2. ad 82. Thesaur. iun. lib. 2. quæst. 98. Rota decis. 120. numer. 1. post primum volum. conf. Farin.* cum alijs deductis *sub tit. de feudis disc. 58.*; Isto enim casu, vel simili re-

redemptio ſapit ſpeciem nouæ emptionis, vndè propterea, qui ad id credit, rectè iuuari poteſt potioritate dicti *textus in l. licèt*, quando eius extrema, ſeù requiſita verificentur.

Siuè vbi etiam bona non exierint à dominio debitoris (vt contingit, quando occupata eſſent per latrones), adhùc tamen difficilis eſſet recuperatio, ac im-
10 mineret caſus, ob quem ea redderetur impoſſibilis, vndè tertius ſincerè, ac bono animo curaret ea bona redimere ad faciendum negotium vtile pro domino iuxtà diſtinctionem, de qua incidenter *ſub tit. de vſuris diſc.* 5., ac etiam *ſub tit. de emptione, & venditione diſc.* 13., & alibi, quoniam tunc iſte, qui bona redemit, ac de ſuo pro redemptione pecuniam erogauit, quemadmodum per exceptionem doli, vel negotiorum geſtorum repellere poſſet ipſum dominum, eius bona vindicare volentem, niſi reſtituat id, quod erogatum eſt, ità pariter repellere poterit creditores tanquam per ſpeciem expenſæ neceſſariæ, quæ per ipſos dominum, vel creditores reſpectiuè fieri debuiſſet, vndè per aſſimilationem benè intrant dicti termini *textus in l. interdum*.

Vbi verò non agatur de his caſibus, ſed de redimendo pignus à manibus anterioris creditoris, cui reuocabiliter, ſeù
11 cum iure redimendi adiudicatum fuiſſet, tunc quamuis de facto, per quemdam modum loquendi, dicatur credi ad rem redimendam, attamen eſt potius impropria loquutio, cum in effectu non ſit redimere rem amiſſam, ſed potius dimittere priorem creditorem, ideoquè ſolùm intrant termini dimittentis, vt ità ſubintret in locum dimiſſi, quod ſuffragari poteſt, vt dimittens quamuis poſterior, vtpotè occupans locum dimiſſi, efficiatur intermedijs anterior, ſiuè eidem dimiſſo æqualis ex deductis pluries in diſcurſibus præcedentibus, ac etiam in ſequentibus; Nullatenus autem exindè inferri poteſt ad potioritatem, per quam poſterior anteriorem vincat, quoniam, Vel ex regula, vt *nemo plus iuris &c.*; Vel ex altera ſubrogatorum, impoſſibile eſt, vt qui creditorem dimittit, vt in eius locum ſuccedat, maius habeat ius, quàm ipſe dimiſſus, et conſequenter dicti termini *textus in l. interdum, & in l. licèt* prorſus improprij videbantur.

Hinc proindè aduertebam, quod pro meo iudicio, in præciſo caſu huius controuerſiæ, caderet ſolùm quæſtio (antiquioribus fortè ignota, apud modernos
12 autem diſputata), àn ille, qui mutuat pecuniam emptori in cauſam ſolutionis partis pretij, efficiatur ipſi venditori æqualis, adeoùt ſuper ipſa re vendita, cuius venditor dominium ſibi reſeruauerit, cogatur cum eo æqualiter concurrere pro reſiduo pretij ſibi ſoluendi, et de conſequenti intrent, quæ habentur in concurſu æquali ad beneficiũ poſſeſſoris, ac alia, quæ poſita æqualitate in iure habemus; Inanem verò laborem eſſe dicebam huiuſmodi quæſtionem aſſumere, quoniam poſita etiam æqualitate, vt credit *de Marin. proximè allegan.*, adhùc idem reſultabat effectus fauore Rei & poſſeſſoris ratione potioritatis, quæ in pari cauſa à poſſeſſione reſultat ex ſupra deductis *diſc.* 1. & 2.

Verùm vbi de hoc puncto agi debuiſſet, Aduertebam pro venditore potius probabilius reſpondendum videri; Licèt
13 enim *de Marin. reſol.* 260. *num.* 10. *lib.* 1. ex proprio ſenſu, aſſerendo nõ reperiſſe caſum diſputatũ, nec deciſũ, dicat vt credens pro ſolutione partis pretij, efficiatur ipſi venditori æqualis, atque in eadẽ ſententia perſiſtat *in addit. ad Reuerter. deciſ.* 8., poſtquam ſibi innotuit contraria opinio *Carleual. de iudicijs tom.* 2. *diſput.* 8. *ſect.* 5. *num.* 67. *cum ſequen.*, præſertim *num.* 69.; Attamen contrariam opinionem *Carleual.* magis recipiendam eſſe dicebam; Tùm ob maiorem auctoritatem *Rotæ apud Dunozett. deciſ.* 537. *num.* 5. *& per tot. repetit. deciſ.* 128. *par.* 8. *rec.*; Tùm fortius ob efficacem rationem in eadẽ deciſione deductam, & per *Carleual.* quoque expenſam, quæ ſuffocare videtur ponderationes deductas *per Marin.* vbi ſupra, quod ſcilicèt venditor præuidens, quod res vendita penès emptorem ratione malæ culturæ, ſeù ex alio accidenti pati poſſet deteriorationem, quam fortè apud ſe non pateretur, ità curando recipere ſolutionem partis pretij, quam putat recipere ab ipſo emptore de eius bonis, ſe aſſecurare credit de reſiduo cum cautela reſeruationis dominij, ideoque habet fidem de pretio, ſiuè debitorem magis tolerat,

cum-

eumque non ſuffocat, aliàs non facturus.

Ad quod benè conferunt ea, quæ habentur *diſcur. præced.* de creditore non obligato cedere eius iura tertio ſoluenti
14 partem debiti, illumque ità ſibi facere æqualem, ſed ſolùm teneri facere de æquitate illam ceſſionem, quæ ſoluenti prodeſſet, ipſi verò non noceret, eam ſcilicèt faciendo iurium taliũ qualium &c., & dummodò cõtra ipſum cedentem, etiã in concurſu, nec agendo, nec excipiendo retorqueri poſſent.

Si igitur creditor expreſsè pulſatus ad cedendum iura, quando ſolutionem recipit, ad id non tenetur, hinc de conſequenti non videtur, cur occulta conuentio inter debitorem, & tertium ſibi credentem debeat ei præiudicare, quoniam venditor ſemper dicere poterit, ſe illam partem ſolutionis debiti recepiſſe, ideoque debitorẽ pro reſiduo toleraſſe, quia credidit recipere de bonis proprijs ipſius debitoris abſque timore habendi æqualem concurrentem, eodẽ modo, quo ſupra aduertitur in primo motiuo ſuper inconuenienti obtinendi duplicatum eiuſdem rei hypothecaræ valorem.

Niſi facti circumſtantiæ probarent, quod ipſe creditor de his rectè conſcius, pactum de ſubintrãdo inter credentem,
15 & debitorem approbet, quaſiquod ità implicitè eius iura cedat, ſeù patiatur illum ſibi effici æqualem, dummodò actus ſint tales, quod conſenſum poſitiuum, ac approbationem redoleant, ſecus autem, vbi data etiam ſcientia, referri valeant ad diſſimulationem, eò quia ſciret ſe certum eſſe de eius iure, cumque agatur de re præiudiciali, reſiſtentiam potius quàm aſſiſtentiam præſumptionis habente, non ſolùm ſcientia debet eſſe expreſſa, & certa, vt in præiudicialibus requiritur, ex plenè collectis *per Add. ad deciſ. 542. par. 4. rec. tom. 3. num. 98. Add. ad Gregor. deciſ. 127.*, ſed etiam actus, ex quibus, ad conſenſum, ac approbationem infertur, debent eſſe vniuoci, & concludentes.

Atque ad hunc effectum rectè admittenda videtur opinio *Salicet. in l. Ariſto numer. 3. Cod. quæ res pign. obl. non poſſ. Rot. deciſ. 319. num. 2. par. 4. diuerſ. Add. ad Buratt. deciſ. 420. numer. 5. in fin.*,
16 ac aliorum volentium, vt eatenus pactum de ſubintrando initum inter debitorem, & credentem pecuniam, ad effectum dimittendi priorem creditorem, æquipolleat ceſſioni iurium pro iſtorum ſubintratione, quatenus ipſe anterior creditor dimiſſus id ſciat, ac patiatur; Siquidem, Aut agitur pro ſolo effectu ſubintrationis, tàm excipiendo, quàm agendo aduerſus intermedios, vel etiam alios dimiſſo æquales, et recipienda venit opinio, vt talis ſcientia non requiratur, taliſq; eſt hodie recepta praxis, quod ob difficultates haberi ſolitas per anteriores creditores dimittendos in faciendo ceſſionem iurium, frequentius adhibetur iſta cautela pacti de ſubintrando, quæ ceſſioni æquipollet, etiam ad effectũ agendi.

Aut verò ad dictum effectum ipſimet creditori dimittendo præiudicialẽ, quod ſcilicèt tertius, de cuius pecunia ſibi ſoluatur, efficiatur ſibi æqualis, et tunc rectè procedit dicta altera opinio, vt eius ſcientia, & conſenſus requirantur; In ea etenim quæſtione, àn creditor teneatur recipere ſolutionem debiti à tertio eatenus recepta eſt opinio affirmatiua, quatenus id ſua nihil interſit, nullumque præiudicium ei cauſet, vt alibi aduertitur; Igitur, quemadmodum cogi non poteſt iura cedere, ità neque cogi ſolutionem recipere à tertio, qui ſibi æqualis effici velit, et de conſequenti, quicquid clandeſtinè ſequatur inter debitorem, & tertium, ſibi præiudicare non poteſt.

Ideoque circa dictum primum motiuum, in quo maior cauſæ difficultas reſidebat, aduertebam, quod cum iuxta ma-
17 gis communẽ, ac frequentiorem vſum, huiuſmodi adiudicationes bonorum debitoris fieri ſoleant pro minori pretio, vbi præſertim notabilis terminus ſupereſt debitori reluendi, quaſiquod id ſequatur ad quemdam maiorem ſtimulum debitoris, vt ſoluat, nè aliàs iacturam bonorum maioris valoris patiatur, eatenus creditor conſenſum accommodat executioni, & ſubhaſtationi, per quam ſcit hypothecæ amiſſionem reſultare, quatenus exindè reportet commodum obtinendi ipſa bona pro ſuaui, ac minori pretio, et cõſequenter ſi ſciuiſſet, quod redemptio fieret à tertio cum effectibus ſibi præiudicialibus exindè reſultantibus, ſe oppoſuiſ-

fuiſſet, & forſan ipſemet reſtituendo bona, vlteriorem dilationem dediſſet, vnde propterea potius in culpa videtur ille tertius, qui ità clandeſtinè cum debitore contraxit, atque ſollicitus non fuit de ceſſione iurium, vel de approbatione pacti de ſubintrando.

FERRARIEN.

MONTIS BENTIVOLI

PRO

ANGELO BOZZA

CVM

MONTISTIS.

Caſus diſputatus in Congregatione Montium, ſopitus per concordiam.

Poſita ſubintratione in locum creditoris anterioris cum propria pecunia dimiſſi ex ceſſione iurium, vel pacto de ſubintrando, àn hæc ſubintratio, & anterioritas ſuffragetur tàm pro ſorte ſoluta, quàm etiam pro fructibus poſtea decurſis in vim conuentionis habitæ inter debitorem, ac dimittentem.

Et incidenter, àn noua additio facta alicui Monti importet eamdem anterioritatem, vel potioritatem primæuæ erectionis, in præiudicium creditorum medij temporis, Et àn Princeps tollat hypothecam vel anterioritatem,

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Refertur punctus quæſtionis.*
3 *De opinione volentium, vt ille qui ſubintrat in locum creditoris cum ſua pecunia dimiſſi efficiatur anterior, tàm pro ſorte, quàm pro fructibus.*
4 *De contraria opinione circa fructus.*
5 *Quod hæc poſterior reputaretur verior, & de ratione.*
6 *Difficultas Auctoris, & de ratione dubitandi.*
7 *De ratione, à qua proueniat inuolutio huius quæſtionis.*
8 *Ceſſionarius ſuccedit in vniuerſum ius cedentis, eumque repræſentat.*
9 *Quare non expediat obtinere ceſſionem translatiuam cenſus, vel alterius nominis debitoris.*
10 *De remedio iuris luendi pro ſubintratione in ius prioris creditoris.*
11 *Quod dictum remedium in Curia non ſit in vſu, & reputetur inane.*
12 *Vbi creditum eſt in fructiferum, tunc fructus noui contractus non poſſunt habere antiquam anterioritatem.*
13 *Secus vbi eſt fructiferum.*
14 *De rationibus ob quas, vbi eſt fructiferum, eadem anterioritas competit etiam pro fructibus ſecundi contractus.*
15 *De applicatione ad caſum præſentem.*
16 *An ſuffragetur cautela pacti ſuper ſubintratione etiam in fructibus.*
17 *Quid vbi primus contractus eſt cambij, & ſecundus eſt cenſus.*
18 *De alio caſu, circa hypotheeam pro legato.*
19 *Quid debeant agere Aduocati pro bona directione cauſarum.*
20 *Quod in locis montium non detur diuerſitas temporum in erectione.*
21 *Quod Princeps poſſit tollere hypothecam, vel anterioritatem.*
22 *Sed quæſtio eſſe ſolet circa voluntatem.*
23 *An fructus gaudeant anterioritate, vel potioritate, ex aſſenſu conceſſo pro ſorte in feudis, & officijs.*

DISC. V.

MArchio Entius de Bentiuolis de anno 1610., pro bonificandis terris palustribus territorij Ferrariensis, admissus fuit ad Montem Sixtum pro certa locorum quantitate in fructu ad rationem 5. pro centenario,& de anno 1624. facta fuit alia additio; De anno verò 1639. per Vrbanum VIII. erectus fuit Mons Bentiuolus ad rationem quattuor cum dimidio pro centenario,ad effectum extinguendi dictum antiquum Montem, sub lege,vt antiqui Montistæ cedere deberent iura nouis in eorum locum subintrantibus; Cumque hoc medio tempore,hæredes Marchionis Hypoliti fideiussoris in prima admissione,conspicuam tenutam valoris scutorum 55.m. vendidissent Angelo Bozzæ nobili Veneto,atque defecissent,vel deteriorationem passa essent bona,quæ pro dote dicti Mõtis assignata fuerunt; Hinc Montistæ iudicium associationis ad hanc tenutam tanquam de bonis fideiussoris instituerunt coram Thesaurario,qui desuper adhibuit votum Congregationis Montium, atque post plures disputationes, causa finem habuit per concordiam, per quam reus conuentus supprimere, seu extinguere promisit certam quantitatem locorum montium nouæ additionis,pretium in sortæ Montistis restituendo habita fructuum remissione in toto,vel in parte.

In disputationibus autem desuper habitis,(vltrà ea quæ cõsistebant in facto, de quibus ad Aduocatos inquirere non pertinet); Cum Montistæ actores ius metirentur ex noua erectione Montis Bentiuoli, in qua obligatus non erat dictus fideiussor dominus tenutæ,ad quam actores veniebant per subintrationem in iura antiquorum Montistarum Montis Sixti extincti; Hinc Reus excipiebat, quod actionem haberent solùm pro sorte,pro qua dictam anterioritatem metiebantur, non autem pro fructibus deriuantibus à noua erectione, quæ venditioni posterior erat; Quarè vnicus iuris articulus fuit, an isti noui Montistæ subintrantes in locum antiquorum,eorũ iura,ac anterioritatem haberent etiam pro fructibus.

In hac autem quæstione, nostris maioribus ignota, apud modernos verò,ob varietatem opinionum, fortè inuoluta; Scribentes pro actoribus, ad probandũ, vt ille,de cuius pecunia antiquior creditor dimissus sit,cũ cessione iurium,vel cũ pacto de subintrando, non solùm succedat in sorte,sed etiã in fructibus,vt eam. dẽ anterioritatem,ac prerogatiuã habẽt, 3 deducebãt generalitatẽ *textus in l.Lutius ff. qui potior. in pign. habeantur*, vt eiusdẽ naturæ sint fors, & fructus, allegando auctoritates *Capyc. Latro decis. 16.*, *ac alteram antiquiorem decisionem Reuerterij ibidem impressam, quæ hodie est inter suas decis.*580, ac aliorum huius opinionis sequacium, de quibus *Marin. resol.76.lib.1. Amat.resol.7.num.39. Olea de cess. iur. tit.4. quæst.1. num.32. Giurb. obser.11.num.12.*

E conuerso,Ego,& alij Scribentes pro conuento, deducebamus auctoritatem *Carleual.de indicijs tom.2.disput.35.num. 50.& sequen.*, vbi ex professo impugnat dictam *decisionem 16. Capyc. Latr.*, Et hanc opinionem sequuntur plures relati 4 *per Giurb.,Oleam,& alios vbi supra*, vndè propterea magna pugna fuit,qualis opinio esset melius fundata,atque in iudicãdo sequenda, potissimè quia Rota adhùc formiter huiusmodi quæstionem non determinauerat, dum vnica decisio, quæ tũc in materia habebatur *in Lucana cẽsus 22. Aprilis 1652. coram Bichio nunc impressa decis.*243. *par.*11. *rec.*, discurrit hinc inde,nihil determinando,sed potius inclinando,vt fructus non nisi à secundo contractu metiendi sint,quod etiam sentit *apud Cels.decis.*302.*nu.*15.; Et quamuis in cõtrarium soleat deduci decisio in *Romana saluiani 17. Martij 1666.coram Otalora*; Attamen èst æquiuocum,cum ibi de hoc non agatur, dum cessio erat directè translatiua iuxta casum, de quo infra *num.8.*

Aliqui ex scribentibus pro hac parte, credebant quod omninò probabilior esset hæc secunda opinio *Carleual. & sequacium*, ex ea, nimium quidem probabili, & concludenti ratione, quod dicta 5 regula *textus in l.Lutius* procedit in fructibus,qui proueniunt ex eodem contractu, ex quo metitur hypotheca sortis, adeoùt ità effectus reguletur à sua causa,

& tan-

& tanquam accessorium regulandum à principali; Id autem verificabile non est in casu quæstionis, quoniam debitum antiqui dimissi creditoris, iam extinctũ, & annihilatum fuit, ideoque non aptum producere amplius fructus, cum non detur accidens destructa subsstantia, neque accessoriũ sublato principali, vndè propterea fructus dicuntur fœtus producti à noua causa, seù nouo contractu, ex cuius tempore metiendi sunt; Istaque ratione attenta, verè probabilior, magisque fundata videtur hæc posterior opinio, cũ verè dicta regula *textus in l. Lutius*, cui prior opinio innititur, incongruè applicetur.

Ego verò nimium dubitabam de iuribus Rei cõuenti, nõ quod placeret prima opinio, quatenus cum dicta regula, seù eius fundamento procedendum esset, 6 cum reuera conuincens esset dicta ratio posterior, minusq; applicabilis altera, sed ex alia ratione, de qua infrà, idcircò (alijs in cõgressu desuper habito in meam sententiam deuenientibus), consulta fuit cõcordia.

In dictis ergò congressibus, ac etiam deindè in plerisque consimilibus disputationibus, nimium frequenter habitis in Tribunali A. C., & in alijs (non autem in Rota), modò vnam, & modò alteram 7 opinionem subsstinendo, vt Aduocatorũ conditio exigit; Reflectendo ad veritatem, dicebam, quod in ista moderna quæstione, quæ ex dicta opinionum varietate inuoluta videtur, inuolutio potius resultat à consarcinatione doctrinarum, ac regularũ iuris, quæ hincindè cũ consueto elaborato, sed parũ digesto modernorum pragmatico stylo fieri solet, cum tamen ea satis, plana, & facilis pro meo sensu videretur, quoties aduertatur ad diuersorum casuum distinctionem omninò necessariam, quodquè propterea clarus error est, illam ità generaliter, ac in abstracto disputare, atque auctoritates vnum casum percutientes, alteri diuerso applicare, (vt frequenter in hac facultate, ex eius inexplicabili miseria contingit, vndè propterea tot prodeunt æquiuoca, & confusiones.)

Primus igitur casus est, vbi agitur de cessione directa, & translatiua debiti fru- 8 ctiferi, quia nempè antiquus creditor cẽsuarius, vel montista, ipsum censum, vel locum montis, tanquam speciem, alteri cedat, adeoùt cessio, in effectu venditionem importet; Et tunc extra controuersiam est, vt idem ius cedentis, competat etiam cessionario, metienti suum ius, non ex persona propria, & ex nouo contractu, sed ex antiquo, & ex persona sui auctoris, ex recepto iuris principio, quod cessionarius tanquam procurator in rem propriã cedentis, eum in omnibus repræsentat ad *tex. in l. 2. & toto tit. ff. de hæred. vel action. vendita cum concord.* plenè collectis *apud Capyc. Latr. dicta decis. 16. Rota decis 187. post Zacch. de obl.*, & passim; Solùmque cadit quæstio circa exceptiones personales, vel causatiuas ratione reuerentiæ, ex quibus aliqua differentia cõstituitur inter cedentem, & cessionarium ex deductis *infra hoc eodem tit.*

Quamuis autem ista sit melior cautela volentium subintrare in iura antiquorũ creditorum, frequentius tamen non 9 est de facili practicabilis; Vel quia antiqui nolint eorum creditum alteri alienare; Vel quia non expediat, ob subiectionem, quam cessionarius pati cogitur hypothecis, ac vinculis per ipsum cedentẽ adiectis, ad quod periculum euitandum inoleuit cautela iuris luendi, de qua *apud Capyc. Latr. dicta decis. 16.*, & infra, vndè propterea frequentius proceditur per viam in alijs sequentibus casibus cõtentam.

Alter igitur casus est, quod ille, qui vult credere pecuniam pro antiquo debito dimittendo, vt istum quamuis inui- 10 tum ad id cogere valeat, dictamque subiectionem euitet, obtinet à debitore cessionem iuris luendi, seù redimendi cẽsum cum eius pecunia, sub lege, & conuentione cum eodem debitore inita, creandi nouum censum, vel aliud debitum fructiferum, qualis est propriè casus positus *per Capyc. Latr. dicta decis. 16.*, cum ita extinguantur omnes hypothecæ, & vincula, quibus dictum creditum subiacebat penes primum.

Et tertius est casus tendens in idem, magis practicatus in Vrbe (vbi dicta cautela iuris luendi existimatur inanis cir- 11 cuitus sine effectu), quod scilicèt ille, qui pecuniam pro extinctione antiqui census, vel crediti dare vult, conuertendam quoque in alium censum, vel debitum fructiferum, illam dat ad hunc effectum

ſubintrandi in locum antiqui creditoris dimittẽdi cum ceſſione iurium, vel pacto de ſubintrando.

His autem caſibus, vera, & recepta diſtinctio eſt, quod; Aut antiquum creditum dimiſſum, erat de ſui natura infructiferum, puta ex cauſa mutui, vel ex pretio rei infructiferæ, ſeù aliàs ex cauſa non productiua fructuum, vel interuſuriorum iure actionis, et tunc extra omnem controuerſiam recipienda veniat poſterior opinio *Carleual. & ſequacium*, vt fructus currentes ad fauorem vltimi creditoris, de cuius pecunia antiquior creditor dimiſſus eſt, non regulentur ab anterioritate, quæ ratione ſubintrationis competit ſorti, ſed à ſecundo contractu eorum productiuo, tàm ex regula, *nemo plus iuris &c.*, quàm ex altera *ſubrogatorum*, quoniam cum primum debitum non ſit fructiferum, vndè propterea antiquus creditor pro fructibus ius non haberet in bonis debitoris in præiudicium intermedij creditoris, hinc impoſſibile eſt, vt ceſſionarius, vel ſubintrans in eius locum, maius ius habeat.

Aut verò antiquum creditum eſt fructiferum, atque fructus ſecundi contractus non ſunt maiores, ſed potius minores, (vt frequentius contingit), quod ſcilicèt id ſequi ſolet ad effectum, vt debitor poſſit ſe exonerare à maiori onere fructuum, vel vſurarum; Et tunc dicebam omninò veriorem, ac recipiendam eſſe primam opinionem *Capyc.latr. & ſequacium*, vt eadem anterioritas competat quoque pro fructibus; Nõ quidem ex dicta regula *textus in l. Lutius*, cui eam tenentes innituntur, cum verè inſulſa, & inadaptabilis ſit, dum fructus non ab eadem antiqua iam extincta, ſed à noua cauſa producuntur, imò potius ex alia, ex duplici ratione.

Primò ex ratione deriuata à diſpoſitione *textus in l. interdum ff. qui potior. in pign. habeantur*, circa potioritatem mutantis ad reficiendum, vel conſeruandum, quod ſcilicèt ità cauſa pignoris melior effecta eſt fauore ipſorum creditorum, pro quibus vtile negotium geſtum eſt, nam aliàs, ſi id ſequutum non eſſet, debitor minus in bonis haberet, atque deterior remaneret intermedij creditoris cõditio, dum maiores fructus antiqui debiti plus abſorberent.

Et ſecundò ex æquitate, ſeù regula, *vt quod vni nõ nocet, & alteri prodeſt etc.*, cum aliàs debitores preſſi debitis ſub grauibus vſuris, vel fructibus, non poſſent ab eis exonerari, neque inuenirent credentes ſub minoribus vſuris, quod in intermedijs creditoribus redoleret ſpeciem iniquitatis, dum id ad eorum vtilitatem quoque redundat, eorumq; intereſt proprij debitoris conditionem ità effici meliorem, iſtaque ex his rationibus mihi videbatur veritas irrefragabilis, vt de facto pluries, ac pluries, cum hac diſtinctione, obtinui practicari.

Applicando autẽ ad rem; Nos verſabamur in his vltimis terminis, quod ſcilicèt iſta noua erectio montis cõcernebat vtilitatem debitoris, eiuſque creditorũ, ob reductionem fructuum ad minorem rationem, adeoùt illi fructus, qui fauore nouorum montiſtarum decurrerunt, eſſent maiores, maioremque bonorum debitoris partem abſorberent, ſi id ſequutum nõ eſſet; Et clarius, quia hæc ſubintratio non proueniebat ex ſola priuata conuentione Partium, ſed ex ordinatione ſupremi Principis, quem non dubitatur id facere poſſe, ex *ijs* quæ alia occaſione habentur *infra in hac eadem cauſa*, vndè propterea mihi aliquam inferebat admirationem, quod huic puncto tanta diſputationis dos data fuiſſet, cum mihi videretur caſus omninò planus.

Et quamuis aliqui ex allegatis, & in ſpecie *Giurb. dicta obſer. 11. numer. 25. & ſeq. & de Marin. dicta reſol. 76 nu. 1. cum ſequen.* ponderent, vt dicta prima opinio clarius recipienda ſit, vbi accederet expreſſa conuentio de ſubintrando in locum antiqui dimiſſi creditoris, tàm pro ſorte, quàm pro fructibus, atquè ego pluries in facti cõtingentia expertus, quod iſta cautela accedente, nimium facilè fuit id obtinere, ea verò deficiente, oportuit graues difficultates pati, ob conſuetã miſeriam, quod deferatur doctrinis in ſolo ſenſu litterali, conſueui conſulere quod adhiberetur; Attamen irridibilis mihi ſemper viſa eſt, vtpotè, vel non ſufficiens, vel non neceſſaria, cum Partium conuentio non poſſit tollere ius intermediorum creditorum, neque concedere vltimo dimittenti id, quod de iure non competeret; Niſi dicamus quod aliqualiter

ſuf-

suffragaretur ad maiorem declarationẽ animi dimittentis, aliàs non contracturi, qui tamen animus inesse censetur eo ipso, quod ille simpliciter sibi consulit de cessione iurium, vel de pacto de subintrando, quod cessioni in omnibus æquipollet, excepto casu, de quo *disc. præced.*, circa ius, vel præiudicium ipsiusmet antiqui creditoris, qui in parte dimittatur.

Dicta verò distinctione retenta; Difficultatem quandoque habui, quando secundus contractus initus ad fauorem dimittentis esset diuersæ naturæ à primo, quia nempè (exempli gratia) primus esset ex causa cambij, quod non est semper, ac certitudinaliter fructiferum, dum in eo non datur certus fructus, vel certum lucrum, neque in obolo, sed ipsius essentiale requisitum consistit in incertitudine, vt creditor etiam iacturam in sorte principali pati valeat, vt habetur pluries in sua materia *sub tit. de cambijs*, secundus verò contractus esset census, ideoque productiuus certorum, ac vniformium fructuum, adeoùt ità intermediorum creditorum conditio deterior effici possit, & consequenter non intrarent rationes supra ponderatæ. 17

Verùm aduertebam difficultatem non esse considerabilem, quoniam à frequentius contingentibus, maiora solent esse interfuria cambiorum, quàm fructus censuum, nedùm in consueto cursu, sed fortius quia in cambijs adest superfætatio ratione recambij, vnde fructus conuertuntur in sortem, quod licitè, ac citra anathocismum fieri posse aduertitur in eadem sua materia *sub d. tit. de cambijs*, ideoque spectato communi vsu, ac verisimili euentu, inspiciendum est, an dictæ rationes intrent necnè, quia nempè actus gestus fuerit, vt negotium vtile gereretur, non solùm debitori, sed etiam ipsismet intermedijs creditoribus, et sic ad limites vtilitatis, non autem in excessu.

Ista causa sopita, idem Bozza, vel eius hæres, alteram passus est controuersiam in eodem Tribunali Thesaurarij in iudicio Saluiani ad instantiam cuiusdam pij 18 loci venientis ex legato sibi facto per patrem, & auctorem venditoris, prodijt tamen absolutoria ex defectu hypothecæ, cum ista tenuta ab eodem testatore iure legati, seù fideicommissi particularis aggregata esset antiquæ primogenituræ Castri, seù Oppidi Gualterij, aliorumque bonorum, vndè propterea intrabat certa conclusio, quod hypotheca legalis cõperens pro legato quantitatis, afficit quidem alia bona hæreditaria, nõ autem ea, quæ titulo legati particularis in specie alteri relicta sunt, vt in sua materia *sub tit. de legatis.*

Priusquam verò ex lectura integri testamenti, non acquiescendo soli summario per causæ Patronum dato, ego excitarem istud motiuum magis planũ, quod 19 controuersiæ finem dedit, vt frequenter ex lectura integri testamenti, vel instrumenti expertus sum, et de qua lectura Aduocati debitã exercẽtes charitatẽ solliciti esse deberent, cum ad plura ipsi aduertere soleant, ad quæ causarum Patroni non aduertunt; Reus conuentus sic tuebatur cum cessis iuribus montistarũ, quos in vim dictæ concordiæ vt supra cessis iuribus dimiserat; Replicabatur verò ex parte actoris, id non suffragari, cum isti essent montistæ posteriores ratione nouæ additionis, et quod magis, esset debitum hæredis, vndè propterea dicebant actoris defensores dupliciter dicta iura sibi non obstare; Primo scilicèt ratione anterioris hypothecæ ex regula, *qui prior &c.*; Et secundò ex altera certa, & recepta conclusione, de qua pluries infrà *hoc eodem tit.*, vt creditores defuncti etiam ex causa legati, seù aliàs lucratiua, & quamuis in sola actione personali, ex beneficio separationis bonorũ, vincant creditores hæredis quantumuis anteriores, & priuilegiatos.

Replicabamus verò ego, & cæteri pro hac parte Scribentes, id rectè procedere in concursu creditorum ius metientium ex priuata conuentione, vel facto debi- 20 toris, non autem ex facto Principis expressè determinantis, vt noua additio in omnibus, & per omnia eodem iure censenda esset, ac prima erectio, seù aggregatio, adeoùt nulla prorsus differentia esset inter antiquos, ac modernos montistas, ità exigente subiecta materia ratione commercij, quoniam quando contractantur loca montium, non reflectitur ad huiusmodi distinctiones, sed indefinitè habetur respectus ad ipsum nõtem.

Neque

Neque posita voluntate, dubitandum est de potestate, quoniam cum hypotheca, seù ordo temporis non proueniat à iure naturæ, vel gentium, sed à mera cõcessione iuris positiui, etiam noui, dubitandum non est, vt Princeps, qui est lex
21 animata, tollere valeat id, quod idem concessit, vt in his terminis peruersionis ordinis hypothecæ notant Scribentes *in l. assiduis Cod. qui potior. in pign. habeantur*, qui iuxta opinionẽ in foro magis, quàm scholis receptam, distinctionem adhibent inter hypothecam expressam, & tacitam, potius in ratione voluntatis, quàm potestatis, & generaliter habetur *sub tit. de Regal. disc.* 148. *ad materiam potestatis Principis tollendi ius tertij*, & pluries *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum*; In quo etiam titulo, pluries habetur de potioritate creditorum hæredis aduersus creditores defuncti, & de quo habetur etiã infra *in Neapolitana disc.* 25. Verùm hæc aliqualiter in primis disputationibus deducta, examinare non oportuit
22 ob dictum alterum magis planum fundamentũ; Difficultas tamen cadebat potiùs circa voluntatem, àn scilicèt Papa voluerit, necnè, tollere ius tertij, cum hæc voluntas in dubio non præsumatur ex deductis *dicto disc.* 148 *de Regal.*, & alibi pluries, ac plenè desuper congestis per *Adden. ad decis.* 666. *par.* 4. *rec. tom.* 3.

Item quia supponebatur hanc nouam additionẽ fuisse in eamdem causam perficiendi dictam exsiccationem, ideoque intraret æqualitas ratione causæ, non curata diuersitate temporum; Verùm, vt dictum est, hæc examinata non fuerunt, quia non fuit opus, nimium tamen ex facti circumstantijs de motiui applicatione dubitari poterat.

Ad materiam verò dictæ regulæ generalis deriuantis ex *dicta l. Lutius*, àn scilicèt anterioritas, vel potioritas com-
23 petens pro sorte, competat etiam pro fructibus, vel interfurijs, in bonis præsertim differentibus, atque in libero cõmercio non existentibus, nisi cum alterius assensu, et àn iste concessus pro sorte, suffragetur pro fructibus, vel vsuris, habetur actum *sub tit. de Regal. ad materiam Officiorum disc.* 10.

ROMANA

EXVINGVLATIONIS

PRO

MARCHIONE DE TASSIS

CVM

GAVOTTIS.

Casus disputatus coram Cardinali Vicario, resolutus pro Marchione.

De eadem materia concursus venditoris, qui dominium sibi reseruauit pro residuali pretio, & creditoris, de cuius pecunia, alia pars pretij soluta est; Et àn posito quod venditor ob reseruationem dominij potior esse debeat, ista potioritas suffragari debeat etiam pro fructibus recompensatiuis decursis pro summa residuali, adeoùt fructus habeant eamdem naturam sortis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De regula, vt fructus habeant eamdem anterioritatem sortis.*
3 *Vt creditor, cum cuius pecuniâ soluta est pars pretij, fiat æqualis venditori.*
4 *Contrarium verius.*
5 *Venditor cessante reseruatione dominij, postponitur in re sua creditoribus anterioribus.*
6 *Secus accedente reseruatione dominij.*
7 *De operatione reseruationis dominij, & àn congruat contractui emptionis, & venditionis.*
8 *Non abdicatur dominium à venditore, si non habuit animum habendi fidem de pretio.*
9 *Dos, vel fiscus anterior præfertur mutuanti ad emendum, vel reficiendum.*
10 *De cautela ob quam hæc prælatio euitetur.*

11 *De eadem conclusione, de qua numer. 7. circa reseruationem dominij.*

12 *De remissione pensionis debitæ conductori ob damnum.*

13 *De fructibus recompensatiuis venditori debitis.*

14 *De eisdem fructibus recompensatiuis.*

15 *Quando fructus dicantur de eodem dominio rei productiuæ.*

16 *De ratione, ob quam conductor facit fructus suos.*

17 & 18 *De eodem, & an potioritas intret in fructibus &c.*

DISC. VI.

1 EMit Tassus tenutam à Gauottis, vel eorum auctore pro scutis 30.m., pro quibus venditor, iuxtà consuetam cautelam, vsque ad integram solutionem, dominium sibi reseruauit, conuentis etiã fructibus recompensatiuis pretij solutione pendente; Cumque quædam summa pecuniæ dotalis vxoris emptoris, dicto venditori in partem pretij solura fuisset, reportata iurium cessione, cum clausula, dummodo contra cedentem retorqueri non possent, atque supponeretur, quod venditor pro residuali summa esset etiã creditor notabilis quantitatis ex causa fructuum recompensatiuorum; Hinc occasione exsuccationis quorumdam locorum montium prouenientium ex pretio eiusdem tenutæ postmodum venditæ, assignatorum dictæ mulieri, vel Marchioni filio, & hæredi in causam dictæ dotis, se opponentibus Gauottis venditoribus, ac interessatis, plures coram Cardinali Vicario Iudice delegato excitati fuerunt puncti pro maiori parte in facto consistentes; Quò vero ad ea, quæ iuris sunt, ille præsertim disputatus fuit, àn æqualis esse deberet concursus venditoris pro residuali pretio, & huius mulieris pecuniam dotalem dantis in solutionem partis eiusdem pretij; Et quatenus pro venditoris potioritate in sorte principali respondendum esset, ob dominij
2 reseruationem, àn idem dicendum veniret pro fructibus, adeoùt intraret regula *text. in l. Lucius ff. qui pot. in pign. hab.*, vt eadem hypotheca, vel potioritas, quæ competit sorti, competere debeat fructibus, vtpotè in stipulationem deductis, & consequenter iure actionis debitis, in quibus propriè regula dicti text. procedit.

Quatenus pertinet ad sortem, Quamuis Ego scribens pro muliere, vel eius hærede, cum cuius pecunia venditor de parte pretij satisfactus erat, pro æquali
3 concursu deducerem firmata *per Marin. resol. 206. lib. 1., & in addit. ad Reuerter. decis. 8.*, vbi in eadem sententia persistit, non obstantibus deductis *per Carleual. de iudicijs tom. 2. disp. 8. sect. 6. num. 67. cum seq.*; Attamen agnoscebam, quod potiores essent partes venditoris, Tùm quia probabilior videtur hæc opinio, quam etiam tenuit *Rota apud Dunozett. decis. 597.*, vt aduertitur supra *disc. 4.*, Tùm clarius, quia creditor, qui ad hunc effectum soluerat, non benè consultus, acceptauerat dimissi creditoris cessionẽ,
4 cum expressa protestatione, dummodò cessio contra ipsum retorqueri non posset, etiam in concursu, & consequenter ex hoc facto cessare videbatur omnis quæstio iuris, quam tamen neque assumere oportebat, quoniam restricta potioritate venditoris ad sortem principalem, ità remanebat vtrique consultum, atque ista Pars obtinebat intẽtum, ideoque dubitandi ratio solùm cadebat, àn eadem potioritas intrare posset etiã pro fructibus.

Quatenus igitur ad hunc punctum pertinet, dicebam (etiam in sensu veritatis, qualem agnouit quoque Cardinalis Vicarius, coram quo disputatio habita fuit), quod huiusmodi potioritas nullatenus intrabat, neque applicabilis erat dicta regula *text. in l. Lucius.*

Certum siquidem est de iure (quamuis in humano sensu id asperũ videatur), quod venditor pro pretio, cuius fidem habeat, quoties cesset ratio doli, vel alia
5 causa impeditiua translationis dominij, iuxta ea, quæ habentur infra *disc. 21.*, & in alijs, nullum habet potioritatis priuilegium, etiam in ipsismet bonis venditis in cõcursu creditorum emptoris, adeoùt ab anterioribus vincatur; Et consequenter, vbi sit æqualis causa debendi, quia nempè quis credat pro soluenda parte eiusdẽ debiti, intrent termini generales, de quibus pluries *in disc. præced.*, super æquali concursu.

Eate-

Earenus autem iſte æqualis concurſus euitabilis eſt, atque venditor potioritatem obtinet, quatenus accedat cautela reſeruationis dominij, cum iſtud ſemper vincat hypothecam, quæ per alios creditores acquiri non potuit in re aliena, atque adhùc non effecta de bonis debitoris ex deductis *apud Carleual. vbi ſupra, & in dicta deciſ. 537. Dunozetti repetit. deciſ. 128. par. 8. rec.* cum alijs *per Merlin. de pignor. lib. 4. quæſt. 41. numer. 54. cum ſeq.*

In propoſito autem huius reſeruationis dominij factæ per venditorem in bonis venditis; Quamuis Scribentes, præſertim verò Morales, nimium ſe inuoluiſſe videantur, occaſione agendi de licita, vel illicita conuentione vſurarum, quas ſub nomine fructuum recompenſatiuorum in Curia appellamus, pendente ſolutione pretij, àn ſcilicèt verè dici valeat contractus emptionis, & venditionis, vel potius locationis, & conductionis, vt eſt ſenſus aliquorum, de quibus *apud Altograd. conſil. 9. num. 9. & ſeqq. lib. 1., Hodiern. ad Surd. deciſ. 157., & Leotard. de vſur. quæſt. 27.*; Attamen in foro, præſertim in Rota, & Curia, receptum eſt, vt hæc reſeruatio dominij nullatenus obſtet perfectioni contractus emptionis, & venditionis, ad omnes effectus, ſolumque importet quamdam ſpecialem hypothecam priuilegiatam, per quam venditor obtineat potioritatem aduerſus omnes emptoris creditores, qui in re vendita ius non acquirant, vt cæteris relatis *Gratian. diſcept. 523. num. 15. & ſeq. Merlin. de pignor. lib. 4. quæſt. 41. numer. 44. & num. 61. & ſeq. Hodiern. ad Surd dicta deciſ. 157. num 52. cum ſeq. Rouit. deciſ. 7. num. 13. & per tot. Rota apud Marchesan. par. 1. fol. 1090. in Romana fructuum cenſus 7. Maij 1646. Cerro, & in dicta deciſ 597. Dunozetti, & in alijs*, ac habetur pluries *ſub tit. de vſur.*, vbi propriè agitur de hac materia fructuum recompenſatiuorum pendente ſolutione pretij rei fructiferæ, ac etiam inſinuatur *ſub tit. de empt. & vendit.*

Summam enim æquitatem, ac rationem id habet, vt rei ſuæ venditor, quam in alium transfert, hanc legem adijciat, naturali ſenſui, ac rationi magis adaptatam, ità declarando nolle ſimpliciter ſequi emptoris fidem de pretio, ac temperãdo hunc iuris ciuilis rigorem, qui irrationabilis videtur.

Quemadmodum enim habemus, quod ſi venditor poſt ſtabilitam alienationem mercium, ac aliarum rerum, illas tradat emptori eum decipienti cum promiſſione, quod in continenti pretium ſoluturus eſſet, omnibus præfertur, tanquam per ſpeciem rei vindicationis, ac retentionis dominij, quod in animo habuit, eatenus à ſe abdicare, atque in alium transferre, quatenus pretium ſibi in cõtinenti ſolueretur, non autem habere de eo fidem, vt *apud Gizzarell. deciſ. 40. & 62., Criuell. deciſ. 56. Fontanell. de pact. cl. 7. gl. 2. par. 9. num. 37. & ſeqq. Amat. reſol. 3. num. 45.*; Ità cum hoc pacto, eadem animi declaratio fieri dicitur, vt hæc operatio exindè reſultet tanquam per ſpeciem illius priuilegij, quod mulieri in bonis datis æſtimatis pro dote conſtituta in quantitate conceditur per *tex. in l. in rebus Cod. de iure dotium*, de quo *ſub tit. de dote diſc. 166.*, vbi pariter iſti termini aſſimilantur;

Siuè (magis proximè) iuxta ea, quæ habemus in mutuante ad rem emendam iuxta terminos *text. in l. licèt Cod. qui pot. in pign. hab.*, quod ſcilicèt, quamuis concurrentibus ſuis requiſitis potioritatem habeat aduerſus creditores anteriores non priuilegiatos, attamen iuxta ea, quæ habentur de maiori priuilegio mutuantis ad refectionem, vel conſeruationem, ſatis dubitari poteſt, àn præferatur doti, & fiſco anterioribus ex ratione conquaſſationis priuilegiorum, iuxta deducta *dicto diſc. 166. de dote*.

Quare ad hanc difficultatem euitandam, prodijt cautela, vt adijciatur pactũ hypothecæ acquirendæ mutuãti præambula hora, vel momento acquiſitionis rei emendæ, quæ prius affecta ſit ipſi creditori, vnde propterea, quando tranſit in dominium debitoris, cuius ratione illicò imprimuntur anteriores hypothecæ iam contractæ in bonis futuris, iam impreſſa ſit dicta hypotheca, cum qua res ità affecta debitori acquiratur; Igitur multò magis id fieri poteſt in re propria.

Hinc proindè ceſſant omnes inſipidæ luriſtarum, ac Moralium, quæ deſuper habentur, ſuper translatione dominij, ac perfectione contractus emptionis,

& ven-

& venditionis, ſupponendo interim aliũ contractum locationis, & conductionis, pendente conditione ſolutionis pretij, qua purificata, aſſumat naturam diuerſi contractus emptionis ab initio voliti; Si enim eſſet interim contractus locationis, & conductionis ſub conuentione penſionis, ex cuius titulo tantum Morales præſertim, ac aliqui Iuriſtæ credunt, vt citrà labem vſurariam, fructus recompenſatiui conueniri, ac exigi poſſint, ſequeretur quod vbi etiam ipſa res efficeretur minus fructifera, adhùc integri fructus ſoluendi eſſent, quinimò, & ab initio in maiori ſumma taxari etiam poſſent pro re ad ſolum oblectamentum, nullius, vel modici fructus, quoniam in iure prohibitum non eſt huiuſmodi bona in contractu locationis, & conductionis deducere, atque ſi conuenta penſio excedit limites fructuum, quos verè ipſa res producit, non exindè intrat vſura, ſed potius intrant termini læſionis ad text. *in l. 2. Cod. de reſcind. vend.*; Prout ſi pendente locatione infortunium contingat in fructibus, qui nulli, vel minores percipiantur, non exindè minuitur penſio, niſi quatenus damnum ſit intolerabile ad terminos *text. in l. licèt Cod. locati, & cap. potuit, & cap. propter ſterilitatem extra eodem cum concordan. in ſua materia ſub tit. de locat. & conduct.*, præſertim *diſc.* 1., & in alijs, *& ſub tit. de Emphyt. diſc.* 54. *& frequenter ſub tit. de Regal. ad materiam Vectigal. diſc.* 64. *cum ſeqq. & 159.*

Et tamen in his terminis receptum eſt, vt fructus recompenſatiui, iuxta opinionem, quam inconcuſsè ſequitur Rota, & Curia, non debeantur, niſi ad limites fructuum, quos verè ipſa res vendita producit, adeoùt ſi caſualiter conſueta productio ceſſet, tunc taxa conuentionalis nihil profit, quidquid Regnicolæ, & alij in contrarium teneant ex deduct. *ſub dicto tit. de vſur.* præſertim *diſc.* 17. *& ſeqq.*; Igitur prorſus extranei, ac fabuloſi remanent termini locationis, & conductionis, dictique fructus non debentur ratione penſionis, minuſque in pura ratione dominij tanquam eius ſequela, neque ratione retardatæ ſolutionis pretij, in quo implicitum mutuum aliqui præſupponunt, (Et quod inuoluit mentem præſertim Moralium), ſed ex quadam æquitate, nè venditor eodem tempore careat re, & pretio, quorum vtrumque obtineat emptor, & tanquam per ſpeciem reſtaurationis damni, quod patitur venditor, vel refectionis lucri, quod amittit, quod etiam in vero mutuo permittitur, vt in dicta ſua materia *ſub tit. de vſuris.*

His igitur ita conſtitutis, quod ſcilicèt huiuſmodi fructus recompenſatiui ſubrogati ſint loco illorum fructuum, quos ipſa res produxit, dictuſque vendi-
15 tor fuiſſet percepturus, ſi non vendidiſſet; Hinc ſequitur, quod non poteſt plus operari fictio, quam veritas, neque magis ſubrogatum, quàm id, in cuius locum fit ſubrogatio; In fructibus autem, eatenus intrant termini dominij, ac ſucceſſiuè illi rei vindicationis, quæ vincit quamcumque hypothecam anteriorem, quatenus adhùc pendeant, adeoùt dicantur pars rei, vel ſi ſunt collecti, non tamen ſint ſeparati à ſolo, vel ſaltèm non commixti cum reliquo patrimonio emptoris, vel conductoris, adeoùt perſeuerare dicantur in eodem dominio, quod ineſt in ipſa re, ſeù cauſa productiua, iuxta diſtinctionem, de qua infra *in Portuen. diſc.* 15., & latiùs *ſub tit. de Benef. diſc.* 81. *cum ſeq.*; Adeoùt, vbi adhùc ipſimet fructus extent, ſed cum reliquis bonis eius,
16 qui percepit, confuſi fuerint, neque locator potioritatem habeat, quæ iuxtà vnam opinionem deneganda eſt quoque in ipſiſmet fructibus extantibus, & non confuſis, pro penſione anni præcedentis, quamuis, data reſeruatione dominij, contrarium videatur probabilius in extantibus ex deductis infra *dicto diſc.* 15.

Et conſequenter, vbi agitur de fructibus plurium annorum præcedentium, qui nullatenus extant, ſed verè conſum-
17 pti ſunt, nullatenus dici poſſe videtur, vt iſta cautela reſeruationis dominij ſuffragari poſſit pro illo debito pecuniario, quod per emptorem contractum eſt ex cauſa obligationis reficiendi æquiualentiam fructuum, quos indebitè percepit, atquè conſumpſit, cum ità dicatur debitum perſonale, ſiuè indifferens quod venit ſub obligatione ad damna, & intereſſe, nullatenus autem intrent termini dominij, ac potioritatis ob defectum extremi.

Si enim, etiam in caſu, quò verè con-

sumpti non sint, ac extent, sed effecti fuerint de dominio emptoris, atque confusi cum reliquo patrimonio, à quo identificè separari non valeant, reseruatio domini j nihil prodest, neque potioritas intrat vt supra; (Quod etiam habetur in fructibus perceptis ex feudo, vel alijs rebus in commercio non existentibus, in quibus sunt potiores habentes assensum, eo quia huiusmodi fructus vtpotè separati, & confusi reputantur de bonis liberis, & allodialibus debitoris, atque non retinent amplius feudalem, seù alias differentem qualitatem); Multò minus vbi verè, ac de facto non extant, sed consumpti sunt, Vndè propterea, etiam in sensu veritatis, concludebam, quod ista cautela suffragari non poterat, neque fructus in hoc habere possunt naturam sortis, atque ita iudicatum fuit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Nemo tenetur cedere iura contra seipsum.*
3 *Fideiussori potest fieri cessio ex interuallo, quod tamen declaratur, vt non teneatur eum facere sibi æqualem.*
4 *Quando cessio sit necessaria, & habeatur pro facta etiam contra seipsum.*
5 *Cedulista dicitur fideiussor, & de cedularum distinctione.*
6 *Declaratur conclusio, de qua num. 3.*
7 *An Bulla Baronum procedat in debito fideiussorio.*
8 *De specie fideiussionis resultantis à cedula bancaria.*
9 *Quando creditor teneatur cedere iura, adeò vt cessio sit necessaria.*
10 *Et quando dicatur obligatio principalis, vel accessoria, seù fideiussoria.*
11 *De eadem conclusione, de qua numer. 3., vt creditor non teneatur facere sibi æqualem.*
12 *De eodem, & quando non teneatur cedere iura fideiussori.*
13 *De eodem.*
14 *De applicatione ad casum controuersiæ.*
15 *De eodem.*

ROMANA AFFICTVS

SEV

CEDVLÆ

PRO

ANDREA ANGELO VALENTE

CVM

CAPITVLO S. PETRI.

Casus disputatus coram Iudice Capituli, resolutus, vt infrà.

De concursu creditoris, & fideiussoris, qui partem crediti eidem creditori soluit, ad bona communis debitoris; Et àn creditor teneatur cedere eius iura, etiam contra seipsum, fideiussori, & quando.

DISC. VII.

1 COnduxit N. casale Capituli, atque pro conuenta pensione dedit cedulam bancariam Valentis, qui (cõductore defecto), pro eius indemnitate respectu soluti, & soluendi, curauit sibi à Iudice decerni dicti casalis administrationem, eiusque fructus percepit; Cumque terminato affictu, atque impleta cedula, Capitulũ remaneret creditor cõductoris pro implemento aliquarum promissionũ vltrà pensionem, pro qua tantum cedula præstata fuerat; Hinc orta est controuersia, àn idem cedulista, seù fideiussor teneretur id soluere ex fructibus ab eodem casali perceptis, & ex alijs bonis dicti principalis conductoris, Vel quatenus extarent alia eiusdem bona, adeoũt ambo venirent per cõcursum, cuius essent potiores partes.

Scribentes pro Capitulo, fundamentũ po-

potissimè constituebant in ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Surd. decis.* 308. *num.* 6. *cum sequen.*, *& decis.* 243. *par.* 11. *rec. in fin.*, ac læpius, vt aduertitur supra pluries præsertim *disc.* 3., super conclusione, quod creditor non teneatur cedere eius iura cõtra seipsum, quodque propterea, cessante cessione, potioritas Capitum esset certa in fructibus perceptis ab eius bonis, quorum aliqui adhùc erant extantes, aliqui verò vtpotè percepti post decoctionẽ conductoris, atq; in statu malæ fidei, habendi erant pro extantibus; Quamuis enim hypotheca ad fauorem cedulistæ contra conductorem esset cõtemporanea cum illa ad fauorem locatoris, attamen dicebatur, quod ille æqualis concursus rectè procederet in alijs bonis communis debitoris, non autem in fructibus ipsorum bonorum locatorum iam extantibus, in quibus potioritas locatoris in concursu tertij creditoris indifferentis, videtur certa, ex ijs, quæ habentur infra *in Portuen. seù Romana disc.* 15.

Et secundò, dicebant, quod licèt regula sit, vt fideiussori, etiam ex interuallo, fieri possit cessio, ad communiter notata *in l. Modestinus ff. de solut.*, *& in l.* 2. *Cod. de fideiussor.*, & habetur pluries infra; Attamen id limitatur, quando aliquid à creditore remaneret consequendum extra fideiussoris obligationem *ad tex. in d. l.* 2., per quem *Salicet. ibidem* firmat, quod non tenetur creditor facere fideiussorem sibi æqualem, istamque *Saliceti* doctrinã sequitur *Soccin. cons.* 206. *sub num.* 1. *vers. septimus*, *& vltimus casus lib.* 2., cuius auctoritate id firmant plures Vltramontani, præsertim *Modestin. Pistor. lib.* 1. *quæst.* 1. *num.* 4. *&* 5. *Harclman. Pistor. lib.* 1. *quæst.* 48. *num.* 1. *Carpso. iurisprudentiæ forensis par.* 2. *Constit.* 17. *defin.* 22. *nu.* 1. *cum sequen.*, Et ex nostris, tanquam relator potius, quàm discurrens pro more *Tuscus* verbo *cessio concluf.* 210. *num.* 2. 3. *&* 10.

Scribens ego pro Valente cedulista, dicebam, vtrumque fundamentum corruere, quoniam cum dictum Capitulum teneretur de iure cedere fideiussori eius iura, etiam ex interuallo, dum aliàs obstaret exceptio cedendarum, ex ijs quæ habentur *apud Franch. decis.* 260., cum alijs de quibus infra, hinc proindè ità excipiendo, cessio habenda esset pro facta, et consequenter, cum fideiussor esset reus & possessor, exceptione doli de eadem cessione obijcere poterat, atque in concursu æquali, potior erat eius conditio tanquã Rei & possessoris; Tùm ex conclusione generali, de qua supra *disc.* 1. & in alijs; Tùm ex speciali auctoritate *Angeli cons.* 208. *in* 2. *dubio*, vbi in specie de fideiussore concurrente cum principali debitore.

Neque dubitandũ esse dicebam, quin cedulista esset fideiussor, atque fideiussoris iure regulandus, quamuis ipsi contractui formiter, tanquam talis non accesserit, quoniam vbi cedula non est in forma depositi, tanquam per attestationem pecuniæ debitoris penès eum depositatæ, atque in eius banco extantis, sed est in forma assecurationis futuræ solutionis faciendæ iuxta eam cedulæ speciem, de qua habetur actum *sub tit. de cambijs disc.* 1., ac pluries *sub tit. de pension.*, tunc talis cedula importat assecurationẽ, seù fideiussionem magis promptam, & executiuam, quàm sit simplex, ac ordinaria accessio, quæ de sui natura, nõ data expressa obligatione insolidum, est subsidiaria, & non exercibilis, nisi facta excussione principalis, quod in hac specie fideiussionis non intrat, vt distinguẽdo inter cedulam in forma depositi, & istam in forma assecurationis habetur *apud Adden. ad Gregor. decis.* 347. *in fine*, & pluries *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum*, occasione cedulæ bancariæ, quæ ad limites dictæ Bullæ, atque ex stylo Congregationis Baronum eiusdem Bullæ executricis, præstãda est per emptores bonorum, adhoc vt pretium promptè creditoribus distribui valeat.

Neque subsistere videbantur dicta duo fundamenta, in quibus insistebant Scribentes pro Capitulo actore, ac etiam se fundabat iudex; Quatenus enim pertinet ad primum; Dicebam, quod casus, de quo agunt *Hodier. & alij per eum allegati*, est vbi agatur de cessione facienda illi fideiussori, qui licèt comparatiuè ad principalem debitorem verè sit talis, attamen comparatiuè ad ipsum creditorem, est potius correus, ac principalis debitor, quia nempè se obligauerit tanquam principalis principaliter, & insolidum, iuxtà distinctionem, de qua *apud*

Gregor. decis. 167. 445. & 564. *decis.* 77. *par.* 11. *rec.*, cum aliis deductis *dicto tit. de feudis ad materiam Bullæ disc.* 100. & 101. occasione agendi de articulo, an
7 dicta Bulla locum habeat in debitis in alienam causam fideiussorio nomine contractis; Nos autem non versabamur in his terminis, quoniam, licèt, (vt dictum est), ista fideiussio, quæ contineri dicitur in cedula bancaria, non reguletur iure simplicis fideiussionis circa ordinem excussionis, attamen assecurationē, ac formalem fideiussionem importat vt supra,
8 ideoque dici non potest, quod creditor non intellexerit contrahere cum assecuratore, vel fideiussore, sed cum principali correo, & æquè principaliter contrahente, vt dici potest in dicto casu, in quo fideiussor interueniens in contractu, tanquam principalis, ac principaliter, & insolidum ad illius obseruantiam simpliciter se obligat, vt alibi, ità distinguendo aduertitur infrà *hoc eodem tit.*

Et nihilominus aduertebam, quod neque tutum esset assumptum *Hodiern. & aliorum*, de quibus supra, vt hæc dicatur cessio debita ex æquitate, non autem
9 ex necessitate, quo casu admittebam consequentiam, quod non teneretur cedere cōtra seipsum, vt aduertitur pluries in præcedentibus, præsertim *d. disc.* 3. & 4., ac etiā infrà, quoniam vbi creditor ex ipsiusmet contrahendi modo, certò scit illū esse fideiussoreē, eiusque obligationē esse verè accessoriam, adeoùt eius obligatio principaliter, ac insolidum percutiat solùm cautelam eximentem creditorem ab onere excussionis principalis, vt aduertitur *dicto discur.* 100. & 101. *de feudis*, tunc verius est intrare quoque terminos cedendarum, atque cessionem debitam esse ex necessitate, nō autem ex sola æquitate, vt cæteris relatis *Enrig. de fideiussor. cap.* 28. *num.* 38. *cum sequen. Merlin. de pignor. lib.* 4. *quæst.* 70. *numer.* 31. *Arias de Mesa lib.* 2. *var. cap.* 23. *num.* 22. *Capyc. Latr. decis.* 32., vbi testatur ita decisum ab eo Sac. Concilio *Rota apud Merlin. decis.* 512. & *repetit. decis.* 41. *par.* 6. *rec.*

Vt enim aduertitur *dicto disc.* 100. & 101. *de feudis*, formalitas verborum, & clausularum pro sola cautela creditoris,
10 immutare non potest rei substantiam, ac veritatem, quoties ipsemet creditor certò scit, atque ex conuentionis contextu patet, quod verè, ac de facto obligatio sit accessoria, & fideiussoria, quamuis pro dicta cautela esset ita concepta, quod habenda esset pro principali, ex conclusione pluries infrà, ac alibi insinuata, quod non formalitas verborum, sed substantia veritatis attendi debet, et consequenter intraret exceptio cedendarum, ex qua de consequenti intrat, quod cessio est necessaria iuxtà receptam distinctionē, de qua pluries infrà *hoc eodem tit.*

Quoueró ad alterum fundamentum, vt ex interuallo non teneatur creditor
11 cedere eius iura fideiussori, quando ipsi creditori aliquid supereſſet debendum, pro quo ipse fideiussor non esset obligatus, (qualis erat propriè casus præsentis controuersiæ); Respondebam dupliciter; Primò scilicèt, quod doctrina *Saliceti*, cum qua procedit *Soccin. dicto cons.* 206., vt fideiussor non teneatur facere sibi æqualem, reijcitur *per Negusant. de pignor. par.* 5. *membr.* 3. *num.* 34. & obseruat *Merlin. de pign. lib.* 4. *quæst.* 70. *num.* 15. *cum seq.*, dictaque doctrina *Soccin.* in specie reijcitur *apud Frāch. decis.* 260. *nu.* 5.; Et meritò quidem, quoniam moræ Consulentis ad causæ opportunitatem absq; aliqua auctoritate, vel ratione innititur solum dictæ doctrinæ *Salic.* procedentis cum æquiuoco claro, dū se fundat in dispositione *text. in d. l.* 2. *C. de fideiuss.*, quæ procedit, vel vbi creditor aliud haberet creditum anterius, in cuius præiudicium non tenetur sibi facere æqualem fideiussorem soluentem ex causa posteriori, istosque terminos percutit casus, de quo agit *Soccin. vbi supra*; Vel vbi credito rin parte satisfactus à fideiussore, reperiretur in possessione bonorum debitoris, vndè propterea denegaret cedere eius iura fideiussori, non quidem simpliciter, sed ad effectum, vt ille agere non posset contra se ipsum possidentem; Non quia tunc cesset obligatio cedendi, vel ratio cedendarum, sed quia, præsuppositā etiam cessione, illa operatiua non remaneret quoad bona per eum possessa ratione potioritatis, quæ, data paritate causæ, competit reo & possessori.

Vnoque casu dicebam, vt creditor à fideiussore in parte satisfactus, non teneatur cedere iura, neque facere fideiussorem

12 forem sibi æqualem, iuxtà sensum *Salyc.*, quamuis ageretur de eodem debito; Vbi scilicèt duos, vel plures separatos fideiussores pro diuersis summis recepisset, quia nempè creditor in mille ex eadem causa, duos accepisset fideiussores diuersos, vnũ scilicèt pro 500, & alterũ pro alijs 500., ità tamen, vt dici non valeat, quod vnus se obligauerit intuitu, & contemplatione alterius sub spe contributi, vel releuationis ab eo; Tunc etenim non tenetur vni ex dictis fideiussoribus eius ratam soluenti cedere iura exercibilia contra alium fideiussorem, vt in specie aduertit *Olea de cess. iur. cap. 6. quæst. 8. n. 25.*; Atquè videtur de iure certum ex duplici ratione; Primò, quia isto casu non intrat ratio, vel exceptio cedendarum, ex qua resultat cessionis necessitas, ideoque vrget sola ratio æquitatis, qua posita intrant ea, quæ habentur suprà in primo fundamento, de quo *Hodier. ad Surd. decis. 308. num. 6. cum seq.* cum ibi relatis, vt non teneatur cedere contra se ipsum; Et secundò in idem, quoniam ita finguntur duo debita distincta, cum duabus distinctis fideiussionibus, quodque ideò creditor contentus fuit accipere fideiussorem, qui soluit suam ratam pro ea summa limitata, eò quia pro alia summa alium fideiussorem habebat; Et sic ipse creditor fingitur duplex homo diuersus, pro duplici diuerso debito, quorum quodlibet, proprium, ac separatum habet fideiussorẽ, perindè, ac si duo creditores diuersi, diuersas summas sub diuersis fideiussoribus contemporaneè eidem debitori mutuassent.

Ex eadem ratione idem dicendum videri obseruabã, vbi ageretur de fideiussore præstito pro aliqua summa limitata
13 eiusdem debiti, tanquam residuali, ac suppletiua eius, in quo principalis debitor deficeret, eo quia pro reliqua parte creditor, verisimiliter tutus esset, ex eisdem effectibus, ex quibus resultat causa debẽdi, ad instar eorũ, quæ habẽtur infra *in Roman. disc. 102. & sub tit. de tutor. disc. 15.*, de fideiussore, qui pro certa summa limitata reciperetur pro tutore, vel alio administratore, qui longè maiorem quãtitatem administraturus est, quoniam intelligitur cautio præstita pro summa residuali ex ibi deductis, et consequenter non tenetur creditor sibi facere fideiussorem æqualem, vt cum eo concurrere valeat super illis effectibus, ob quos idem creditor putauit se esse cautum, ideoque sollicitus fuit solùm de aliqua summa limitata, in qua præuidere potuerit, quod ipsi effectus non essent sufficientes.

Quod congruè applicari obseruabam in terminis præsentis controuersiæ, vbi scilicèt ageretur de debito ex causa loca-
14 tionis, & cõductionis, vel appaltus præseferente quamdam speciem administrationis; Frequenter etenim dantur in appaltũ dohanæ, & gabellæ, aliaque iura, & vectigalia Principis, seù Reipublicæ importantia ingentem quãtitatem pensionis, vel census, cum cautione limitata ad certam summam, quæ comparatione debiti minima sit, sed sufficiens reputetur, quia ijdem effectus gabellæ, vel iuris appaltati reputantur sufficientes; Et consequenter dicendum non est, quod locator, fideiussori aliquam partem soluenti, teneatur cedere eius iura exercibilia super ipsismet effectibus appaltatis; Vel quod eidem creditori obijcere posset se habere in manibus ex eisdem effectibus summam in fideiussione contentam, cum æedem rationes deductæ infrà *dict. disc. 102.*, de fideiussore administratoris, adamussim congruere videantur huic casui.

Hinc proindè, applicando ad casum præsentis controuersiæ, dicebam (etiam
15 in sensu veritatis), quod si ista cedula, quæ fideiussionẽ vt supra importat, præstita non fuisset pro integra pensione, sed pro aliqua eius parte, tunc probabiliora viderentur iura Capituli locatoris, quodque fideiussor de iuribus ab eo cedendis excipere nõ posset pro retentione eius, quod ex ipsiusmet casalis locati fructibus perceperat, neque illi suffragari posset beneficium possessionis, quod potiorem reddit in concursu habentem iuris æqualitatem, dum ista possessio obtenta fuit in statu malæ fidei post principalis debitoris decoctionem, iuxta ea, quę habentur supra *disc. 2.*, & in alijs; Secus autem, dum pro integra pensione cedula præstita est, quoniam cedulista eorumdem fructuum intuitu se obligauit, cum probabili spe se reintegraudi ex eis; Ac etiam intrat ratio, de qua supra *in Cremonen. disc. 4.*, quod creditor satisfactus ex pretio alicuius rei, non potest ad eamdem

ha-

habere regressum, dum debitum, de quo erat controuersia non proueniebat ex causa pensionis integrè satisfactæ, sed à quibusdã damnis, & interesse, ob aliquas expurgationes, aliaque melioramenta non facta, & pacta non adimpleta, ideoque credebam iustitiam cedulistæ potius assistere, secus autem vbi ageretur de aliquo pensionis residuo.

ROMANA PECVNIARIA

PRO

HIERONYMO CLEMENTINO

CVM

MONASTERIO SS. DOMINICI, ET SIXTI.

Casus disputatus coram A. C., credo resolutus pro Hieronymo.

De concursu cedentis, & cessionarij in bonis debitoris; Et quid vbi cessio est cum clausula, dummodò contra cedentem retorqueri non possit, àn tali casu, cedens agere valeat, etiam pro iuribus posterioribus.

SVMMARIVM.

1 *FACti series.*

2 *Cessio iurium talium qualium &c., & dummodo contra cedentem &c., àn, & quando operatiua sit, vt cedenti non obstet.*

3 *Quod dicta clausula prosit cedenti, etiãsi cessio fuisset necessaria.*

4 *De declaratione, & quãdo acceptatio cessionis cum dicta clausula non præiudicet.*

5 *Etiam, vbi dicta clausula præseruatiua operatiua sit, non suffragatur quoad molestias voluntarias, & affectatas.*

6 *De ratione, & quod ex eadem re duplex pretium reportari non potest.*

7 *Non obstante dicta præseruatiua potest cessionarius molestare cedentem ex diuersa causa.*

8 *De reduplicatione personarum formaliũ in eadem persona materiali.*

9 *Quando dicta ratio reduplicationis non intret.*

10 *Et quando acceptatio cessionis cum dicta præseruatiua, non præiudicet.*

DISC. VIII.

1 MOnasterio molestante Ludouicam possessitricem vineæ, pro credito contra eius auctorem, soluit ipsa partem crediti, reportata cessione iurium, cum clausula frequentius apponi solita, talium qualium &c., & dummodo cõtra cedentem, neq; directè, neque indirectè, neque in concursu retorqueri valeant; Cumque postmodum idem Monasteriũ coram A. C., pro alio credito posteriori competente contra eumdem Ludouicæ auctorem, super eadem vinea molestaret Hieronymum à dicta Ludouica causam habentem, istequè exciperet de iuribus actoris, vt supra cessis, ac etiam de alijs anterioribus sibi ex persona propria cõpetentibus; Replicabat actor, dicta iura cessa, posse quidem suffragari contra alios, non autem contra ipsum cedentem, stante dicta protestatione per cessionarium acceptata, vt retorqueri non posset, neque directè, neque indirectè, neque in concursu; Quare assumpta disputatione super hoc puncto, qui solùm erat iuris, cum pleraque alia consisterent in facto.

Scribens ego pro Hieronymo, in vnica disputatione desuper habita, dicebam (etiam in sensu veritatis) huiusmodi cautelam adijci solitam per creditores ce-

2 dentes eorum iura tertio soluenti, suffragari quidem, ac operatiuam esse in concursu æquali pro eodem credito, cuius pars cessa esset, pars autem retenta, iuxta de-

deducta *apud Franch. decis.*260., & pluries in præcedentibus, quod scilicèt, vbi de iure iste concursus æqualis competeret, ità cessaret, tàm directè, quàdo vterque veniret agendo ad bona debitoris, vel eumdem cedentem possessorem molestare vellet, quã etiam indirectè quando cessionarius molestare vellet tertium, qui posset se retorquere contra cedentẽ, cum per huiusmodi qualificatam cessionem, cesset illa æqualitas, quæ alias ob identitatem causæ, vel crediti procedere deberet inter vtrumque, quando ambo venirent agendo; Siuè illa potioritas, quæ resultat ex possessione, de qua pluries in præcedentibus, atq; in hoc admittebam dictæ clausulæ, seù præseruationis operationem.

Idque etiam, vbi cessio fuisset necessaria, quam cedens negare non potuisset, vt est in casu, quo alias vrgeret exceptio
3 cedendarum, quoniam si ille, cui cessio facienda erat, fatuus est acceptando ità qualificatam eam cessionem, quæ purè debita erat, sibi imputet; Quoties tamen agatur de persona integra, liberam contrahendi, sibique præiudicandi facultatem habente; secùs autem, vbi de minore, vel simili persona priuilegiata, cui de iure succurrendum est aduersus actus præiudiciales, ex beneficio restitutionis in integrum; Multò verò magis,
4 vbi assisteret quoque ius municipale prohibens quoscunque actus præiudiciales absque solemnitate, & causa, vt in minoribus, & mulieribus habemus in Vrbe ex Statuto 151., quoniam vbi de iure cessio purè necessaria sit, atq; denegari nò valeat, tũc acceptatio huiusmodi præseruatiuæ redolet speciem alienationis, vel remissionis iuris cõpetentis, & consequẽter actus cadit sub Statuto, vel de iure intrat restitutio in integrum, quæ iuxta regulas generales, in quibuscumque præiudicialibus competit personis priuilegiatis, ac etiam quandoque maioribus pro facti qualitate non est deneganda ex clausula generali *si qua mihi &c.*, cum sæpius contingat, vt ex Notariorum formularijs, siuè ex circumuentione, huiusmodi clausulæ, & præseruatiuæ adijciantur citra intentionem eius, qui cessionem reportet.

Verùm posito etiam, quod cessionarius huiusmodi præseruatiuam impugnare non valeat, putà quia cessio non
5 esset necessaria, sed debita ex sola æquitate (quò casu dicta clausula, seù præseruatiua est connaturalis, neque alias cedens eam facere tenetur, vt in præcedentibus aduertitur), adhùc tamen dicebam, eam operatiuam non esse in casu præsentis controuersiæ, quoniam nunquam illa intelligitur adiecta respectu ipsiusmet cedentis, quoad voluntarias molestias ab eodem inferendas cessionario cum semper exceptum intelligatur factum proprium præsertim voluntarium, & multò magis affectatum, vt cæteris relatis aduertitur *per Rotam apud Merlin. decis.* 874. *num* 4. *cum seq.*, *& apud Cels. decis.* 78. *decis.* 18. *numer. fin. par.* 11. *rec.*, vbi latè concordantes.

Idque non solùm ex dicta ratione, quod semper intelligitur exceptum fa-
6 ctum proprium voluntarium, sed etiam ex altera, de qua infra *in Romana Saluiani disc.*35., insinuata etiam supra *in Cremonen. disc.*4., quod scilicèt ex eadem re, iustum, ac rationabile non est, vt creditor duplicatam satisfactionem, seù duplicem valorem reportet, ideòque cum possessor, pretium seù æquiualentiam in pecunia ei soluerit, pro ea rata, quam ità ex re hypothecata obtinuit satisfieri, non potest nouas molestias inferre, nedum ex causa posteriori, vel æquali, putà pro residuo eiusdem crediti, neque ex anteriori, cum ità sibi obstare videretur exceptio doli, vel circuitus, dum impossibile est, vt ex re, quæ valet decem, possit vnus, & idem reportare viginti.

Præterea aduertebam, quod dicta clausula, seù præseruatiua, rectè per cedentem adiecta, & per cessionarium acceptata, obstat, ac operatiua est, quan-
7 do cessionarius cum iuribus cessis tantũ, agendo molestare, vel excipiendo repellere vellet ipsum cedentem; Secus autem vbi id ageret ex alijs diuersis iuribus anterioribus ex diuersa causa competentibus, vt allegatis *Peregrino consil.* 93. *num.* 15. *lib.* 1., *Riminal. iun. cons.* 751. *num* 48. *& seqq.*, *Decian. cons.* 21 *num.* 75. *& 76. lib.* 1. & alijs, firmatur *per Rotam in Romana Saluiani* 27. *Iunij* 1650. *coram Meltio, & in Firmana pecuniaria* 3. *Iunij* 1650. *coram Bichio impreß. decis.* 49. *numer.* 31. *par.* 11. *rec.* in alijs.

Idque rationabiliter ob eam personarum

rum formalium reduplicationem, quæ rectè in iure datur in eadē persona materiali, vt pluries aduertitur infra *hoc tit.*, & ferè in omnibus alijs materijs, Vndè propterea cessionarius habens alia iura, fingitur diuersus homo, neque cessio quā ad commoditatem, ac fauorem reportare curauit, nocere debet contra regulam *quod fauore &c.*

8

Et quamuis eadem ratio reduplicationis personarū intrare quoque videatur in ipso cedente, qui ex alijs diuersis iuribus, agendo, vel excipiendo, ipsum cedētem, directè, vel indirectè molestaret, vel repelleret, quasi quod ità faciat tanquam homo diuersus; Non tamen eadem est ratio; Tùm quia posita dicta diuersitate, rectè dicere potest cessionarius, quod dicta clausula, seù præseruatiua non afficit, dum illa adiecta est ad fauorem diuersæ personæ, ideoque ea vti nō potest tertius extraneus, cuius iure ità cedens venire dicat; Tùm etiam quia obstat dicta ratio, vt ex eadem re, duplicatum pretium retrahi non valeat, vndè propterea intrat exceptio doli, vel circuitus, magnaque propterea differentia est inter vnum casum, & alterum.

9

Ponderando etiam, quod cum dicta Ludouica, quę cessionem reportauit esset possessitrix, dicta cessione non indigebat ad effectum excipiendi, & consequenter,

10

quod creditor dimissus, sub specie fauoris cedendo eius iura, eam circumuenerit, sibi tollendo, mediante dicta clausula, id quod iam competebat, vndè ex pluribus, clarum ius actoris videbatur, atque ità credo iudicatum esse.

ROMANA

SALVIANI

PRO

N. SALVIATO

CVM N.

Casus disputatus coram A.C., & resolutus pro Saluiato.

De concursu creditorum venientium ex debitis eadem die contractis, & in eodem instrumento, vel scriptura ex diuersa tamen causa, seù titulo, àn inter eos detur ordo per prius, & per posterius ex ordine scripturæ, vt primo nominatus, dicatur alteri anterior necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *An dos in pari causa excludat possessorem.*

3 *Hypotheca dotalis incipit à die promissionis dotis etiam pro restitutione.*

4 *Quod etiam in debitis resultantibus ab eadē scriptura, attendatur ordo scripturæ circa anterioritatem.*

5 *Declaratur, quando id procedat.*

6 *Anterioritas etiam per momentum sufficit.*

7 *In vnico actu non datur ordo scripturæ, sed vltima syllaba perficit totum.*

8 *De quæstione, de qua num. 3.*

9 *Quando conuentum est de inuestimento, non videtur adeò cogitatum ad hypothecam in bonis viri.*

10 *An in donatione contemplatione matrimonij, mulier pro dote sit potior donatario remissiuè.*

DISC. IX.

IN Apoca matrimoniali inter Paulum Sfortiam, & N. Lantes, constituta dote in quantitate, conuentis temporibus soluēda, conuentum quoque fuit, vt Paulus sponsus primogenituram titulo donationis annui redditus scutorum 4. m., fundare deberet ad fauorem filiorum ex eo matrimonio procreandorum, eorumque descendentium; Cumque soluto matrimonio per mortem mulieris, *N.* eius filia ex primo matrimonio, & creditrix pro restitutione sortis lucri dotalis, agendo contra debitorem debitoris, seù iura suo debitori competētia exercendo, iudicium in saluiano instituerit ad bona possessa per Saluiatum ex causa dotis eius vxoris ex dicto matrimonio filiæ, atque pro dicta dote obligatus esset Franciscus primogenitus, & cōsequenter creditor patris pro dicta donatione; Hinc reus conuentus, exercendo iura pariter sui debitoris, de istis excipiebat, quodque vtroque credito existente contemporaneo, & ex eadem dotali apoca resultante potior esset ipsius Rei, & possessoris cōditio ex pluries insinuato priuilegio seù beneficio, quod possessio tribuit.

Aduersus huiusmodi exceptionem de pluribus excipiebant scribētes pro actrice, & præsertim de fauore, seù priuilegio dotis, vt in pari causa potior esse deberet
2 etiam aduersus possessorem, quodque dictum possessionis beneficium doti non obstaret, atque deducta super hoc puncto insinuata habentur in sua materia *sub tit. de dote disc.* 166., vbi generaliter de materia concursus dotis cum alijs creditoribus.

Quatenus verò dictum priuilegium non suffragaretur, adhùc dicebant ijdem Scribentes pro actrice, quod cōstaret de eius anterioritate resultante ab ordine scripturæ, dum in dicta apoca dotali prius continebatur promissio dotis, ex qua receptum est regulandam quoque
3 venire hypothecam in bonis viri pro restitutione, quamuis nulla eius conuentio accederet *ex deduct. eodem disc.* 166. *de Dote*, & in alijs ibidem præsertim *disc.* 78. & 79., postmodùm verò contineretur dicta promissio cōstituendi primogenituram.

Et consequenter, quod dicto ordine scripturæ attento istud esset creditum posterius, non autem æquale, vnde intra-
4 ret regula, *qui prior*, neque dictum possessionis beneficium suffragaretur, vtpotè procedens, data omnimoda æqualitate, & non alias, allegando in id ea, quæ cæteris relatis habentur *apud Gratian. discept.* 586. *nu.* 33. *Mantic. de Tacit. lib.* 11. *tit.* 22. *num.* 3. *Merlin. de pign. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 4. *ex nu.* 3. *ad* 21., vbi plenè expendit istam quæstionem anterioritatis ex ordine scripturæ resultātis, vt qui primo nominatus est, dicatur alteri anterior, deducendo etiam in idem firmata *per Rot. apud Celsi. decis.* 278. *in fine*, quibus addi possunt deducta *per Marin. resol.* 72. *lib.* 1. *num.* 11., *& per tot.*, vbi etiam pro ordine scripturæ.

Scribens ego pro reo conuento dicebam, æquiuocum consistere in huius cōclusionis applicatione ad casum; Illa-
5 siquidem procedit, vel quando vna scriptura contineret plura diuersa negotia inter diuersas personas ex diuersis causis, adeoùt inter ea nō adesset connexio, vel correspectiuitas, vadè propterea iuris ministerio fingantur duæ scripturæ diuersæ formales, duoque diuersi contractus, quamuis gratia commoditatis, seù aliàs in eadem membrana, seù charta materiali contineantur, Tunc etenim rectè intrat dictus ordo quoniam, quemadmodum si verè, ac de facto duo distincta instrumenta confecta essent, seù distinctæ apocæ, prima conuentio iam perfecta, diceretur anterior alteri, quæ subsequitur, cum anterioritas acquiri dicatur etiam
6 per horam, vel momentum temporis; Ità pariter idem dicendum est, si eadem distincta negotia in eadem scriptura cōtineantur, quoniam fingitur prius completum primum, per quod priori contrahenti ius quæsitum est, deindeque expletum alterum, et in his terminis procedit dicta conclusio, cuius tamen declarationes, ac intelligentias deductas *per Merlin. de pignor. vbi supra* examinare non oportuit, cum necessitas non cogeret, vtpotè extra casum, inhærendo laudabili Curiæ stylo immorandi strictè super puncto præciso, & non euagandi in

superfluis; Vel vbi verè sint duæ scripturæ distinctæ sub eadem die positæ in eodem protocollo iuxta casum, de quo agit *Marin. dicta resol.* 72.

Secus autem, vbi vnica est conuentio continens plures correspectiuas, & connexas obligationes, tunc etenim non in-
7 trat dictus ordo per prius, & per posterius, quoniam actus perficitur vltimo momento, tãquam vnum integrale *Bart. in l. contractus num.*4.*de fide instrum. per illum text.*, vbi *Bal.num.*12. *Salycet.nu.*9. & alij de quibus *Mantic.de tacit. dicto lib.* 11. *tit.*22. *num.*4. *Merlin. dicta quæst.*4. *num.*21. *in fin. &* 22. *in princip. Salgad. in labyrint. par.*2.*cap.*4.*numer.*132.*cum seqq., & num.*151. *& seqq., & Andreol. contr.*352.*num.*3. *&* 4., vbi ità distinguit àn sit vnicus actus, vel sint duo; In dicta verò *decis.* 278. *Cels. in fin.*, istud argumẽtum deducitur ad comprobationem veritatis aliundè probatæ super diuersitate debitorum, cum vnum esset de mense Iunij, & alterum de mense Augusti, ideoque nihil ad rem; Atque *Marin. dicta resol.* 72., agit de casu diuerso vt supra.

Multò verò magis in hac facti specie, quod non omninò certum erat, àn hypotheca dotalis ex eadem apoca matrimoniali, eodemque tempore initium sume-
8 ret; Tùm quia sub non modica quæstione est, àn hypotheca dotalis desumenda veniat à die capitulorum matrimonialium, quæ præcedunt, vel potius à die matrimonij; Tùm etiam quia in eisdem capitulis nulla continebatur obligatio viri dotem restituendi, sed solùm illa promittentis dotem de illam soluendo, vndè implicitè ex quadam legis fictione, vel subintellectu deducitur obligatio viri de restituendo id, quod in vim dictæ promissionis receperit, quod etiam neque est citrà quæstionem; Licèt enim in vtroque puncto, magis communis, ac recepta sit opinio, quæ doti assistit, vt scilicèt à die capitulorum etiam ante matrimonium, dicta legalis, ac implicita obligatio initium sumat, vt in dicta sua materia *sub tit. de Dote dicto disc.* 78. *&* 79. *&* 166.; Negari tamen non potest id esse in iure ambiguum, econuersò autem initium hypothecæ cõtentæ in obligatione camerali pro donatione, seù primogenitura esse clarum; Ideoque esset facere magnum fictionum, ac specialitatum cumulum in iure damnatum.

Accedente potissimum ratione ponderata *eodem disc.*166. *de Dote*, quod mu-
9 lier, quæ se dotauit, non adeò cogitauit de obligatione bonorum viri, dum tunc in animo non habebat eius fidem sequi ob adiectionem pacti de inuestiendo dotem soluendam in stabilia inalienabilia, Ideoque alia dubitandi ratio subesse non videbatur, nisi insinuata *eodem disc.*166. *sub tit. de Dote*, quod scilicèt huiusmodi
10 donationes contemplatione matrimonij, quamuis pro filijs nascituris conueniantur, habere videntur etiã rationem maioris cautelæ dotis, quæ ità melius ponitur in tuto.

BONONIEN.

DISCVSSIONIS

PRO

VNIVERSITATE CREDITORVM

CVM

PRATIS ETIAM CREDITORIBVS PATRIMONII ILLORVM DE GRIPPIS.

Casus decisus per Rotam, vt infra.

De statuto fori mercatorum Bononiæ faciente omnes creditores æquales debitoris decocti à quadriennio citra, nulla data differentia temporis, ac hypothecæ quando locum habeat, vel respectiuè limitetur; Et de alijs ad ejusdem statuti materiam.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facti series, cum dispositione statuti fori mercatorum Bononiæ.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De punctis, vel inspectionibus causæ.*
4 *De canonizationibus dicti statuti.*
5 *De stylo præsupponendi decisiones Rotæ.*
6 *De decisionibus pugnantibus super puncto, an istud statutum capiat debita iurata.*
7 *Regulariter actus iurati non veniunt sub statuto laicali.*
8 *Declaratur, quando agatur de iure tertij.*
9 *Id quod concessum est à lege positiua, ab eadem tolli potest.*
10 *De eodem.*
11 *Indirectè lex laicalis tollit vim iuramenti.*
12 *Actus gesti per decoctum, vel decocturũ sunt inualidi.*
13 *Quando quis dicatur decoctioni proximus, vel decocturus.*
14 *Est remissum arbitrio, ideoque lex certam normam dare non potest.*
15 *Quando dicatur esse debitum ex causa dotis, vt cadat sub exceptuatione.*
16 *Pro dote potest imponi census sine pecunia.*
17 *Nomen debitoris datum in dotem non dicitur debitum ex causa dotis.*
18 *Exceptuatio creditorum habentium pignus, de qua specie pignoris intelligatur.*
19 *De potioritate concedenda habenti pignus in manibus.*
20 *Quando procedat dicta exceptuatio creditoris habentis pignus.*
21 *Habens reseruationem dominij in re sua vincit omnes.*
22 *An reseruatio dominij resultet ex pacto precarij.*
23 *Clausula posita in fine non operatur illos effectus, quos operaretur, vbi est in specie.*
24 *Tutor non potest vendere habita fide de pretio.*
25 *De taberna cõsiderata de per se, ac subrogatione mercium.*
26 *Secus vbi vna taberna minor confunditur, cum altera maiore, & de re vnita accessoriè adeout amittat priorem essentiam.*
27 *Statuta laicalia non ligant clericos, & ecclesiasticos.*
28 *Quid de clerico litigante coram iudice laico.*
29 *De sensu Auctoris super conclusione, de qua num. 27.*
30 *Quod istud statutum fori mercatorum debeat afficere etiam clericos creditores.*
31 *Princeps laicus potest inhabilitare eius subditum.*
32 *Causa concursus est vniuersalis, atque status personæ est indiuiduus.*
33 *Quod ex non comprehensione clericorum resultent fraudes.*
34 *Negotia mercantilia incongrua sunt clericis.*
35 *De alio casu controuersiæ.*
36 *Creditores anteriores auocant à posterioribus nomina debitorum, adhùc inexacta.*

DISC. X.

1 DEfecto negotio serici illorum de Grippis, atque disponente Statuto fori mercatorum Bononiæ, vt omnes creditores à quadriennio citra, omnimodam æqualitatem sortiri deberent, nulla cõstituta differentia inter chirographarios, & hypothecarios, hinc propterea creditorum vniuersitas, iuxta stylum, administrationem patrimonij per eius deputatos suscepit, ad effectum æqualis repartitionis, & cõtributi; Se opposuerunt autẽ fratres de Pratis creditores in notabili sũma prò altero negotio serici, quod exercebat eorum pater, quodque eo defuncto, ipsorum pupillorum tutores, præfatis de Grippis vendiderant; Quare post litem in partibus peractam introducta causa in Rota *coram Bichio*, duæ prodierunt resolutiones creditorũ Vniuersitati fauorabiles super æquali con-
2 cursu ad formam Statuti *sub diebus* 14. *Decembris* 1654. & 5. *Maij* 1655., in quarum tamen secunda firmatum fuit id, non afficere vnum ex dictis particularibus creditoribus, tanquam clericum, deindeque concordia cõtrouersiæ finem dedit.

In disputationibus autem desuper habitis, quinque fuerunt puncti; Primò

ſcilicèt ſuper validitate dicti Statuti in genere; Secundò poſita validitate, àn
3 compræhenderet debita contracta cum iuramento; Tertiò cum Statutum excipiat creditores habentes pignus in manibus, ac illos ex cauſa dotis, àn vtraque limitatio ſuffragaretur, vt infra; Quartò, àn ſuffragaretur reſeruatio dominij in proprijs mercibus, vel in ſubrogatis in earum loco, deducta ex pacto precarij contenta in inſtrumento venditionis; Et quintò demum, àn idem ſtatutum afficeret clericos, & eccleſiaſticos, attento quod vnus ex dictis vẽditoribus erat clericus in minoribus.

Super primo puncto validitatis ſtatutorum in genere, nulla penè adfuit difficultas, Tùm ex rationibus, de quibus infra in proximè ſequenti ſuper efficacia iuramenti, Tùm etiam quia pluries illud per Rotam canonizatum fuerat vſque ab anno 1618. *in Bononien. de Michelinis*
4 4. *Iulij & 13. Martij* 1620. *coram Vbaldo*, & deindè *in Bononien. cenſus* 4. *Maij* 1643. & 27. *Martij* 1647. *coram Ghiſlerio*; Quamuis enim iſtæ deciſiones ſint contrariæ circa ſequentem punctum iuramenti, attamen ſuper validitate in genere concordant, & poſtmodum *in Bononien. de Felicinis* 20. *Iunij* 1650. *coram eod. Bichio*; Stante præſertim ſtylo Tribunalis præſupponẽdi deciſiones ſuper aliquo
5 puncto iam editas, illaſque non reuocandi incidenter, ſed cum formali reuiſione; Quamuis enim id verè, ac propriè procedat in deciſionibus editis in eadem cauſa, & inter eaſdem partes, attamen vbi punctus pluries in alijs cauſis firmatus eſt, ſi non vrget ſtylus præcisè, ac directè, adhùc tamen id in magna conſideratione habetur, potiſſimè verò, vbi reſolutiones dignoſcuntur (vt in præſenti) benè fundatæ ex rationibus, de quibus in alio puncto proximè ſequen.

Maior igitur, ac penè tota difficultas in prima diſputatione habita 14. *Decembris* 1654. fuit ſuper ſecundo puncto, àn ſcilicèt hoc ſtatutum tanquam laicale compræhenderet actus iuratos; In hoc autem duæ habebantur ſupra recenſitæ deciſiones inuicem pugnantes *in dicta Bonon. cenſus coram Ghiſlerio*; In quarum prima anni 1643. *impreſſa par.* 9. *rec. deciſ.* 179., cum regula generali, de qua præſertim *ſub tit. de Dote diſc.* 143., & pluries *ſub tit. de alien. & contract.*, ple-
6 nè firmatur, vt ſtatuta laicalia non complectantur actus iuratos ex defectu poteſtatis; Quinimò vt neque habentia Apoſtolicam confirmationem, iuramentum tollant, niſi ſpecialis mentio habeatur, ſi non ex defectu poteſtatis, ex illo tamen voluntatis, quoties confirmatio non ſit in forma ſpecifica, ità & taliter, quod dicta voluntas deſumatur, latè in hac deciſione expendendo Apoſtolicas confirmationes ſtatutorum Bononiæ; Deindè verò à præfata deciſione receſſum fuit de anno 1647. *coram eodem*, cũ qua proceſsũ fuit *in d. alia Bonon. de Felicinis de anno* 1650. *coram Bichio*, ideoque diſputatio fuit, quænam opinio probabilior eſſet, àn prima, vel poſterior.

Reſolutum autem fuit pro hac poſteriori opinione ſuper compræhenſione actus iurati, et quidem fundatè, vnde propterea (reflectendo etiam ad ſolam veritatem) mihi pro vniuerſitate creditorũ ſcribenti, reſolutio, iuſta, & probabilis
7 viſa eſt; Siquidem vt in dicta deciſione *anni* 1647. *coram Ghiſlerio* plenè firmatur, ac etiam in prima iſtius cauſæ reaſſumitur, tunc intrat dicta quæſtio ſuper operatione legis, vel ſtatuti laicalis circa actus iuratos, quandò exindè reſultaret in ipſo iurante licita contrauentio, eiuſque abſolutio ab actus iurati obſeruãtia, cum tunc rectè vrgeat ratio, de qua in eiſdem deciſionibus, ac plenè *d. diſc.* 143. *de Dote*, (vbi iſta cauſa enunciatur), quod laicali poteſtati non conceditur diſpenſare iuramento, eiuſque vim directè tollere, ſed ſolum conceditur facultas indirecta, tollendo vim ſcripturæ, ſiuè inducendo præſumptam probationem, quod actus eſſet doloſus, vel meticuloſus, quò poſito, de conſequenti iuramentum corruit, ex defectu naturalis conſenſus potius, atque de ſui natura, non autem ex operatione legis laicalis.

Id autem huic Statuto non congruit, cum impugnatio actus iurati nõ fiat per ipſum debitorem iurantem, ſed per ter-
8 tios concreditores, nullo iuramenti vinculo adſtrictos, vndè propterea ſtãt benè ſimul, vt iuramentum, adhùc afficiat iurantem, ſuamque quoad eum plenam faciat operationem, & tamen non afficiat tertium, cui ex actu iurato fraus, vel præjudicium reſultet, ideoque concluſio

in

in ſuo caſu vera, ceſſat ex defectu applicationis; Siquidem hoc ſtatutum non diſpenſat à iuramẽto, neq; infringit actus, vel contractus ab ipſo munitos, quoniã quoad debitorem iurantem remanent in eorum firmitate, ſed ſolùm tollit illud beneficium, quod ipſa lex conceſſit, vt etiam aduertitur *dicto diſc.* 143. *de Dote.*

Regula etenim *qui prior*, ſuper ordine anterioritatis attendenda inter creditores hypothecarios, non autem inter chirographarios (quorum omnium nulla data diſtinctione temporum æqualis eſt conditio, quoties ratio priuilegij potioritatem non præbeat), præferendo hypothecarios, quamuis vltimos, prioribus, ac antiquis chirographarijs ſolam perſonalem habentibus, prouenit à diſpoſitione iuris ciuilis, & ſic legis poſitiuæ, ideoque eadem lex, nullatenus ſe ingerendo in re ſpirituali, tollere poteſt illud beneficium, quod ipſa conceſſit, ex deductis in præfatis deciſionibus, in quibus allegantur *Caſtr. in Auth. ſacramenta puberũ num.* 18. *&* 23. *Guttier. num.* 40. *Seraph. de priuil. iuram.* 61. *num.* 15. *Sanchez ad præcep. Decal. lib.* 3. *cap.* 9. *numer.* 38. & alij.

Et conferunt, quæ habentur *ſub tit. de feudis ad mater. Bullæ Baronum* præſertim *diſc.* 74. *&* 89., ac *ſub tit. de Regal. diſc.* 148., *& ſub tit. de fideicom. diſc.* 141., ſuper poteſtate legis poſitiuæ tollendi ea priuilegia, vel iura, quæ ipſamet conceſſit, quoniam ſi poterat non concedere, potuit etiam id, quod conceſſum eſt, tollere.

Ponderabam quoque ego aliam rationem eneruationis indirectæ iuramenti, reſultantis à præſumpta probatione doli, vel metus, vndè propterea iuramentum corruit, vel ſuam non facit operationem etiam reſpectu ipſius iurãtis ex deductis *dicto diſc.* 143. *de Dote*, ac etiam *eodem tit. diſc.* 159. in materia dotis confeſſatæ non probantis veritatem, iuramento non obſtante, etiam quoad ipſum confitentem, & pluries *ſub tit. de alien. & contr. & alibi.*

Siquidem certum eſt, quod actus geſti per decocturũ, ac de tempore decoctioni proximo, ſunt de iure inualidi ob præſumptam fraudem, abſque diſtinctione, àn ſint iurati, necnè, ex deductis *apud Burat. deciſ.* 9. cum alijs *ſub dicto tit. de Dote diſc.* 156., & paſſim.

Quando autem quis dicatur decocturus, & quale ſint tempus decoctioni proximum, in iure ſtatutum non reperitur, varijs varia opinantibus, vt aduertitur *dicto diſc.* 156. *de Dote*, ac etiam *ſub tit. de Regal.*, *& ſub tit. de cambijs*, ac etiam *infra*; Veritas tamen eſt, vt iſta ſit quæſtio facti potius, quam iuris, non admittens certam, ac determinatam regulam, ſed vt pro ſingulorum caſuum circumſtantijs diuerſimodè decidenda veniat ex deductis locis citatis, & *per Carleual. de iudic. tom.* 2. *diſput.* 6. *num.* 30. *& ſeqq.*, adeoùt leguleica ſimplicitas mihi ſemper viſa ſit illa Pragmaticorum Curiæ propoſitio, quod cum *in dicta dec.* 9. *Buratti*, reputetur tempus proximum illud 14. dierum, ità iſte terminus ad id ſtatutus cenſeatur.

Quoniam ſtant ſimul, vt in vno caſu terminus breuis vnius diei non ſit ſufficiens ob caſualem, ac inopinatam ſuperuentam decoctionem probi negotiatoris reſultantem à magno mercium naufragio, vel (& frequentius) à decoctione alterius negotiatoris correſponſalis; Et è conuerſo, vt dicatur decoctio præparata per plures annos, quamuis artificiosè occultata, vt frequens praxis docet, atq; locis citatis aduertitur præſertim *dicto tit. de cambijs.*

Cum igitur id in iure ſtatutum non ſit, ſed remiſſum arbitrio Iudicis, ex facti qualitate regulando; Hinc proindè nil prohibet, quin lex laicalis, experta Regionis mores, quodque decoctiones per notabile tempus præparari, ac præuideri ſoleant, ad huiuſmodi quæſtiones dirimendas, certum ac vniformem terminũ ſtatuat longiorem, vel breuiorem, vt experientia docuit; Et conſequenter, vt actus quamuis iurati infectio, nõ reſultet à diſpenſatione, vel eneruatione directa legis laicalis, dum hæc ſolùm diſponit de actu temporali, de quo diſponere poteſt, ſed ita reſultet indirectè, ſeù acceſſoriè, & conſecutiuè; Atque ità ceſſabat hæc difficultas ex duplici fundamento, quorũ quodlibet ſingulariter, ac diſtinctè cõſideratum, ſolidum erat, multò magis vtrũque ſimul iunctum.

Quouerò ad tertium punctum continentem duplicem dicti ſtatuti limitationem; Primò ſcilicèt, vbi debitum eſſet

ex

ex causa dotis; Et secundò vbi ageretur
15 de creditore habente pignus; Circa primam limitationem ex causa dotis, cessabat eius applicatio ex facto; Id etenim rectè procedit, quando ipsum debitum proueniret ex causa dotis, quæ filiæ, vel sorori, aut alteri citrà fraudem promissa sit, vel eius vxoris, aut nurus, quæ recepta est, dummodo (vt dictum est) aliundè non constet de fraude, adeoùt dici non valeat dos fraudolenta, de qua *sub tit. de Dote d. disc.* 156.; Tunc enim cessat præsumptio, vel suspicio statuti, quod debitum per decocturum in fraudem contractum sit, ideoquè merito statutum illud excipit; Ad instar eorum quæ habemus in censu, qui ad præscriptum Pianæ Cõstitutionis imponi debet cum pecunia
16 numerata, non autem pro credito antecedenti, & tamen rectè imponi potest ex causa dotis, quæ pecuniæ numeratæ æquipollet, quoniã cessat illa ratio fraudis, ob quam dicta forma inducta est, vt in sua materia *sub tit. de cens.*, cum similibus; Ideoque id procedit, quando ipsum debitum est ex causa dotis, secus autem si ex causa indifferenti, vndè cadat sub ratione, vel suspicione statuti, creditor autem illud destinet doti per eum constituendæ, vel restituendæ, quoniam
17 id non efficit, vt debitor ex causa indifferenti dicatur debitor dotis, vt aduertitur *sub tit. de Dote discur.* 161., & in alijs occasione agendi de puncto, àn dispositio *text. in cap. salubriter de vsur.* afficiat tertium, qui sit debitor debitoris dotis.

Altera limitatio creditorum habentium pignus, pariter non intrabat ex defectu applicationis; Quamuis enim ex
18 legali fictione, hypotheca dicatur quoque pignus, vndè propterea isti termini tanquam synonimi promiscuè adhiberi soleant; Attamen in vera, & naturali significatione, iuxtà communem loquendi vsum, pignus vtpotè dictum à pugno, propriè conuenit illis manualibus mobilibus, quæ de facto creditori pro eius cautela traduntur; Idque in proposito clarum esse dicebam, Tùm ex dispositione statutaria in verbis, dum constituit priùs regulam generalem, vt omnes creditores à quadriennio citrà ad æquale contributum veniant, nulla data differentia, àn sint chirographarij, vel hypothecarij, vndè propterea manifestam contradictionem hæc subsequens limita-
19 tio contineret; Tùm clarius ob rationem expensam inf. a *in Neapolitana disc.* 22., ob quam ibi probabilius firmatur, vt creditor habens verũ pignus rerũ vsualium, seù manualium de tempore contracti debiti à debitore datum, ob mutuum quod alias absquè ista cautela factum nõ esset, quamuis posterior, molestari non valeat per anteriores, Vndè merito
20 statutum limitationem restringit ad pignus, quod tunc de tempore contracti debiti detur, secus autem si ex interuallo, cum isto casu intret eadem ratio, vel suspicio fraudis, atque non intret ratio, ob quam posterior habens pignus, debet saltèm ex recepto vsu, ratione comercij, reddi tutus ex ibi deductis.

Magna item fuit discussio super quarto puncto reseruationis dominij, àn illa adesset, necnè; Ea etenim posita, atquè probata bonorum venditorum existentia, in quibus talis reseruatio verificabi-
21 lis esset; Ego admittebam, quod non intraret dispositio statuti, tanquam in casu omisso, in quò proindè, iuxtà vulgarem, ac frequentem regulã, intrat dispositio iuris communis, qua attenta, semper dominium vincit hypothecam quãtuncumque priuilegiatam, vt pluries *in præceden.* habetur.

Vndè propterea disputatio fuit super dictæ reseruationis existentia, & an adesset, necnè, cum illa in verbis non legeretur, sed scribentes pro creditoribus illam
22 prætendebant, deducere ex pacto præcarij, vt idem importaret per *text. in l. ea quæ distracta ff. de præcario, & l. qui ea lege Cod. de pactis inter emptorem, & venditorem*, ac cæteris relatis firmant *Parlador. lib. 1. quotidian. cap. 8. num. 4. Fontanell. de pact. claus. 7. glos. 2. par. 10. n. 21. & seq. Hermosill. ad Partit. Hispan. l. 28. num. 17.*

Verùm probabiliter istud motiuum neglectum fuit, cum id procedat, quando præcarium specialiter adiectum esset ipsis bonis, cum ita denotaret venditoris voluntatem non transferendi, sed reseruandi dominium, cuius reseruationi id æquipolleret; Id autem in facti specie non concurrebat, cum iuxtà formula-
23 rium Bononiense, præcarium adiectum esset in fine inter clausulas generales, &

exe-

executiuas pro obseruantia contractus, quo casu non facit eam operationem, quã faceret, si illud esset speciale, vt in huius causæ decisionibus aduertitur; Et conferunt ea, quæ de iuramento, vel alia forma contractus adiecta in testamento, vel codicillis habentur *sub tit. de Testament. disc.* 70., vbi de hac distinctione, àn iuramentum, vel alia forma sit super ipsa particulari dispositione, discretiuè ad alias, vel potius in fine inter clausulas generales testamenti, vel codicillorum.

Quando ego scripsissem pro altera Parte, solidius in iure (præsupposita bonorum identitate, ac distinctione) repu-
24 tassem alterum motiuum, circa non translationem dominij, ob pupillarem ætatem venditorum, quorum tutor non poterat vendere tabernam constituentem corpus vniuersale de per se, ac fructiferum, & quodammodo æquipollens rei stabili, habita fide de pretio, vndè propterea ob actus inualiditatem, dominium à pupillo abdicari non dicitur, neque in emptorem transferri *l. si procuratorum §. fin. ff. de iure fisci*, vbi *gl. final.*, *quã Bart. & alij sequuntur*, & firmat *Rot. apud Caualer. decis.* 18. *n.* 2., & saltem vbi præter morem absque congruis cautelis, ideoque admirationẽ aliquam mihi præbuit hæc inaduertentia Aduocatorum ex oppositio scribentium, cum essent ex peritioribus, ac senioribus, adeò elaborando mendicare lumen à lucernis, dum solem in meridiè habere poterant.

Adhùc tamen, ponderabam, quod magna, ac fortè ineuitabilis difficultas versabatur circa factum, identitatis nempè, ac distinctionis earumdem merciũ omninò confusarum cum alijs emptoris, & quarum identifica existentia, ob lapsum temporis, fortè in totum, vel in longè
25 maiori parte cessabat; Vbi etenim penès emptores continuasset eadem taberna, quæ suam primæuam naturam retineret, atque vniuersitatem de per se stantẽ constitueret, adeoùt adaptabiles essent termini *text. in l. cum taberna ff. de pignor.*, tunc intraret quæstio, de qua infra *in Romana saluiani disc.* 35., circa mercium subrogationem, àn in omnibus succedat loco antiquarum necnè.

Secus autem (vt *eodem disc.* 35. aduertitur) vbi illæ merces, quæ prius tabernam, & corpus vniuersale constituebant ab altero emptę sunt, qui aliã taber-
26 nam maiorem habeat, in quam illas immiserit, iuxtà alium casum, de quo agitur *sub tit. de fideic. disc.* 99., Tunc etenim primum corpus, vel vniuersitas extincta, vel suppressa dicitur, atque effecta membrũ, seù pars alterius corporis; Ad instar eorum, quæ habentur pluries *sub tit. de Benef.*, ac etiam *sub tit. de Præmin. disc.* 7., de Ecclesia, vel beneficio accessoriè, ac subiectiuè alteri vnito, quod priorem essentiam, ac etiam nomen amittit, atquè efficitur nudum prædium alterius Ecclesiæ, vel beneficij, cui facta est vnio; Quod etiam, ad instar, firmatur per feudistas circa vnionem feudorum, vel Regnorum, & Prouinciarum, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de feud.* pluries, præsertim *disc.* 7., & *sub tit. de præmin. disc.* 29., cum similibus, sumpto exemplo naturali, à paruo flumine intrante in flumen maius, siuè à flumine maiore intrãte in mare, siuè à via intrante in plateam, iuxta ea, quæ habentur *sub tit. de Regal. disc.* 135.

Demum quoad quintum, & vltimum punctum, àn istud statutum tanquam
27 laicale, afficeret, necnè, vnum ex dictis fratribus, clericali caractere insignitum; Quamuis secunda decisio 5. *Maij* 1655. firmet negatiuam cum propositionibus generalibus, tunc occasione exemptionis ecclesiasticorum à statutis exclusiuis fœminarum à successionibus firmatis *in Bonon. successionis de Zanis coram eodem Bichio impress. decis.* 349. *par.* 11. *rec.*, & de qua habetur actum in sua materia *sub tit. de success.*, quod scilicèt, cum paria sint forum sortiri, ac legibus ligari, non debet statutum laicale afficere clericum.

Atque ad conclusionem ex hac parte deductam, quod cum causa ageretur coram iudice laico, & super patrimonio de-
28 bitoris laici, clericus verò esset actor voluntarius, deberet legibus, ac stylis ipsius Iudicis laici ligari, ex ijs quæ habentur præsertim *sub tit. de Iurisdict. disc.* 94., ac etiam *sub tit. de Iudic.*, & alibi; Respondetur in decisione, sequendo sensum aliquorum nimium affectatorum ecclesiasticorum, quod ità clericus, vt suum recuperaret, esse videtur potius reus, qui de necessitate ad illum forum trahatur, quã actor voluntarius.

Verùm

Verum (reflectendo etiam ad solam veritatem, etiam post dictã causam iam finitam, & sic refrigerato dicto calore, qui in actu disputandi Aduocatorum in-
29 genium alterare solet), resolutio non placuit, neque intellectus illi acquiescere potuit, nedum quia generaliter non placet moderna opinio, quam Rota tenet, circa statuta exclusiua fœminarum propter masculos, vt non comprehendant moniales, & ecclesiasticos, ex ijs quæ habentur in dicta sua materia *sub tit. de succeſſ.*, ac etiam obiter insinuantur *sub tit. de Testam. disc. 25.*

Sed specialiter in isto statuto, ex eisdẽ rationibus supra in secundo puncto insinuatis, super comprehensione debiti cõtracti cum iuramento, cum æadem ratio-
30 nes adamussim conueniant, quod scilicèt statutum nihil disponit cum clerico, vel ecclesiastico creditore, sed cum debitore eius subdito, quem declarat decocturum, ac inhabilem ad contrahendum, ità annullando actus ab eo gestos, cum possit Princeps laicus inhabilitare proprium subditum ad contrahendum cum non subdito, dum non est afficere non subditum, atque cum eo iurisdictionem exercere, sed est inhabilitare subditum proprium, vt aduertitur *sub tit. de Dote disc. 22. & 143.*, & pluries *sub tit. de alienat. & contract.*

Clarius verò in hac facti specie, quod inhabilitatio non prouenit ex mero libito Principis, vel alterius statuentis, sed
31 prouenit à iure communi, ratione imminentis, vel præparatæ decoctionis; Vndè quemadmodum concurrente per speciales probationes iustificatione dictę imminentis, ac præparatæ decoctionis, absolutum esset, vt cõtractus, etiam gesti cum clerico, vel Ecclesia, essent inualidi, quoniam defectus est potius naturalis, quàm inductus à lege positiua, ratione fraudis, in qua nullum dandum est priuilegium Ecclesijs, & ecclesiasticis, qui ab ea magis alieni esse debent, quàm sæculares, ità in præsenti, quoniam statutum nihil disponit super iure clerici, sed super temporali probatione dictæ qualitatis eius proprij subditi.

Item quia, cum istæ causæ concursus creditorum sint vniuersales, super statu
32 individuo personæ, hinc impossibile est dare hanc distinctionem, vt vnus, & idẽ debitor, eodem tempore, sit decoctus, & non decoctus, quodque respectu clericorum sit habilis ad contrahendum, citra fraudem, ista verò vrgeat respectu laicorum, id enim continet implicantiam manifestam.

Et (quod magis) latam viam aperit fraudibus, vt de facto praxis docet, post-
33 quam hæc decisio prodijt, quoniam credere volentes mercatoribus, qui aliqualiter suspecti habeantur, simulant credita in faciem, & sub nomine clericorum (vt pluries expertus sum), vndè resultat quod melior est conditio eorum, qui magis culpabiles dici possunt, atque cum mala fide, ac maiori suspicione contrahunt de tempore decoctioni magis proximo, quã aliorũ magis innocentium, & cum maiori bona fide contrahentiũ, quo nil absurdius; Cumque contrahere cum huiusmodi mercatoribus quandam speciem mercaturæ saltèm impropriè frequentius re-
34 dolere videatur, atque de facto in hac facti specie clericus ex causa merciũ esset creditor; Hinc proindè, nulla ratio exigit, vt melioris conditionis esse debeant clerici, quibus interdicta sunt mercimonia, & negotiationes, ità illicitè agentes, atquè se ingerentes cum negotiatoribus, quàm sint laici; Ac etiam quia, vt supra dictũ est, id aperit viam fraudibus, simulando posteriora debita de fraude magis suspecta, sub nomine, ac in faciem clericorum.

Idem concursus in hoc defecto patrimonio, aliam causauit controuersiam, inter eamdem Vniuersitatem creditorũ, & Carolum Catelanum, cui Grippij de-
35 bitores per aliquos menses ante detectam formalem decoctionem cesserant creditum librarum 17. m. circiter, assequendum à Grimaldis, in quorum libris idem Catelanus curauit se describi facere creditorem, pro solutione facienda cedente die, qua pendente, dicta decoctio declarata fuit, vndè propterea inhibitione facta ad instantiam dictæ Vniuersitatis creditorum dictis debitoribus nè soluerent, sed deponerent, ortaque controuersia, àn istud creditum poni deberet in massa, sub concursu ad cõmodum omnium creditorum per contributum ad formam statuti, prodijt ab Auditore Generali sententia Vniuersitati fauorabilis, confirmata etiam per A. C.,

atque

atque per ſignaturam iuſtitiæ (ſtante ſtatuto de duabus conformibus) denegata appellatione ſuſpenſiua, exequutionem habuerunt, quod credo dediſſe finem controuerſiæ,

In diſputationibus autem habitis coram A. C., & in Signatura; Quamuis ſcribentes aſſumendo quaſi per ſpeciem tractatus materiam delegationis, iſtius
36 interuentum probare conarentur, Attamen ſcribens pro Vniuerſitate creditorum dicebam, quod vbi etiam id admittendum veniret (cuius tamen contrariū verius erat), nil releuaret, ideoque eſſet labor inanis, quoniam admiſſa etiam vera delegatione, iſta non poterat operari eam fictam ſolutionem, quam in debito puro, cuius dies iam ceſſerat, operatur, ideoque dicta fictio cadere non poterat; Et quatenus etiam illa intraret, attamen quia verè, ac realiter, de facto pecunia exacta non erat, neque in ſtatu bonæ fidei conſumpta, vel ſaltèm cum reliquo creditoris poſterioris patrimonio ità confuſa, vt identitas ceſſaret; Hinc de plano intrare dicebam ius anteriorum pro auocatione, vel æqualiū pro contributo; Non poteſt enim plus operari fictio, quàm veritas, ideoquè dum in caſu, quo exactio verè, ac de facto ſequuta eſſet in ſtatu valido, ſi tamen eàdē pecunia identificè extaret, illius auocationi locus eſſet, vt aduertitur pluries *infra*, ad hanc materiam auocationis pecuniæ ſolutæ; Multò igitur magis, vbi agitur de nomine debitoris adhùc non exacto, vt in ſpecie cæteris allegatis firmant *Cyriac. contr.* 238. *& ſeq. Nouegrol. alleg.* 35. *Amat. reſol.* 51. *num.* 19. *de Marin. reſol.* 71. *num.* 9. *in fine lib.* 1. *Fontan. de pact. cl.* 5. *gl.* 8. *par.* 6. *num.* 47. *& ſeq. Merlin. de pign. lib.* 2. *quæſt.* 32. *num.* 4. *&* 5. *Salgad. in labyr. p.r.* 1. *cap.* 10. *nu.* 55.

Et quamuis in contrarium allegarentur *Pariſ. conſ.* 69. *lib.* 4. *& Chartar. deciſ.* 19., attamen iſti magis communiter reprobantur per allegatos, Ac etiam *Pariſ.* ſe fundat potius in quodam particulari ſtatuto, iſtaque mihi videbatur veritas.

EADEM

PRO

EADEM VNIVERSITATE

CVM

ALIQVIBVS CREDITORIBVS PARTICVLARIBVS.

Caſus diſputatus coram A. C., & in Signatura, & reſolutus pro Vniuerſitate.

De pluralitate patrimoniorum, ſeù negotiorum eiuſdem debitoris, et àn creditores vnius patrimonij, vel negotij vincant alios indifferentes, ſeù alterius patrimonij, vel negotij, non curata prioritate temporis, & è contra.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De diſtinctione creditorum pro diuerſitate patrimoniorum.*
3 *Ex indigeſto cumulo doctrinarum reſultant æquiuoca.*
4 *De diſtinctione patrimonij militaris, & paganici, ſeù feudalis, & allodialis.*
5 *De contributo inter vnum hæredem, & alterum.*
6 *De diſtinctione plurium perſonarum formalium in vna materiali, putà de poſſeſſore plurium maioratuum, vel fideicommiſſorum.*
7 *De laudabili Curiæ ſtylo non euagandi in ſuperfluis.*
8 *De diſtinctione negotij ſocialis à patrimonio proprio.*
9 *De concluſione, vt creditores negotij ſocialis præferantur alijs.*
10 *De diſtinctione diuerſorum negotiorum in eadem perſona.*
11 *In pagano non datur pluralitas patrimoniorum, & hæredum.*
12 *De diſtinctione inter bona libera indifferentia, & alia prohibita.*
13 *Qualis eſſet caſus controuerſiæ.*
14 *Et de applicatione &c.*

DISC. XI.



Dem concurſus creditorum in patrimonio defecti debitoris, de quo *diſc. præced.*, iſtam quoque cauſauit controuerſiam; Cum etenim *in* taberna, ſeù fundaco artis ſerici, duplex operis ſpecies haberetur (vt in ea Ciuitate dicitur), albi ſcilicèt, ſeù non elaborati, & tincti, ſeù elaborati, ac habilis ad vſum, prætenſionem excitarunt aliqui creditores, præſertim Catalanus, de quo *eodem diſc. præced. in fine*, cũ eorum creditum proueniebat ex cauſa ſerici albi, ſeù non elaborati, quod in hoc negotio, vtpotè diſtincto ab alio tincto, ſeù elaborato, maiorem aſſis conſtituebat, àn deberent eſſe potiores, neque pati tenerentur concurſum, vel contributum ad formam Statuti cum *alijs* creditoribus operis tincti, vel cũ *indifferentibus*; Verùm cõtra eos ad fauorem Vniuerſitatis prodijt *in* prima inſtantia ſententia illius Auditoris Generalis, confirmata in ſecũda inſtantia per A. C., earumque executionem, (denegata appellatione ſuſpenſiua), demandauit ſignatura *Iuſtitiæ*, cum ſolita clauſula *ſine præiudicio duarum cauſarum* ſtante illo Statuto de duabus, neque cauſa vlteriorem progreſſum habuit.

Creditorum particularium fundamẽtum erat *in* diſpoſitione *text. in l. procuratoris* §. *ſi plures ff. de tribut. act.*, *& in l. ſi certarum ff. de militar. teſtam.*, ex quibus reſultat concluſio, vt creditores ex cauſa vnius negotij, vel vnius patrimonij, vincant creditores anteriores, ac priuilegiatos alterius negotij, & patrimonij, quoniam finguntur duo debitores diſtincti, perindè, ac ſi eſſent duæ diuerſæ perſonæ, iuxtà eam pluralitatem perſonarum formalium, quæ in vna eademque perſona materiali, pro reſpectuum diuerſitate, tàm *in* creditore, quàm in debitore paſſim in iure datur, vt in omnibus fære materijs pluries aduertitur, cumulando ſcribentes pro eis ea, quæ cæteris relatis habentur *apud Merlin. de pignor. lib. 4. tit. 1. quæſt. 13. Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 9. ex num. 48. & par. 2. cap. 12. ex numer. 68. Fab. de Ann. conſ. 4. Rouit. deciſ. 45. num. 3. & 4. Buratt. deciſ. 603. num. 9. & deciſ. 131. par. 9. rec. repetit. deciſ. 51. poſt Merlin. de pignor.* cum alijs *apud eoſdem collectis ex conſil. 285. Caſtr. lib. 3.*, quod reputatur in materia magiſtrale, atque ſcaturigo concluſionis.

Scribens ego pro *Vniuerſitate*, non negabam concluſionem *in* caſu ſuo verã, impugnabam autem, (vt frequentius contingit) applicationem ad caſum; Cumque iuxtà conſuetum vitium, cumularentur auctoritates inter ſe diuerſæ, diuerſos terminos percutientes, vndè de facili reſultant æquiuoca, capiendo quid pro quo, vt præſertim in Signatura, ob tot ingeniorum varietatem, praxis docuit, vnde propterea *in* prima propoſitione, ob votorum ſciſſuram, nulla capta fuit reſolutio; Hinc proindè *in* repropoſitione, *in* qua fauorabilis vt ſupra prodijt, ad prædicta æquiuoca tollẽda, adhibebam plurium caſuum diſtinctionem, ità ſegregando auctoritates, quæ in confuſo iuxtà Pragmaticorum vſum, conſarcinabantur.

Primus igitur caſus eſt, vbi agatur de illo debitore, *in* quo de iure dari valeat duplex patrimonium, quorum quodlibet perfectam vniuerſitatem conſtituat ſtantem de per ſe, adeoùt detur duplex diuerſus hæres *in* ſolidum; Vt in iure ciuili Romanorum eſt miles habens duplex patrimonium, caſtrenſe, ſeù militare, & paganicum; Et in iure Canonico eſt clericus militi aſſimilatus, eiuſque iure regulari ſolitus, cum dicatur miles cæleſtis militiæ, duplex pariter habens patrimonium, duplicemque diſtinctum hæredem, eccleſiaſticum ſcilicèt ex bonis Eccleſiæ, vel beneficiorum occaſione, vel intuitu quæſitis, et profanum conſtitutum ex patrimonialibus, ſeù aliàs licitè citrà cauſam clericatus comparatis; Atquè frequentius *in* praxi eſt feudatarius, qui miles etiam dicitur, habens idem duplex patrimonium, feudale ſcilicèt, & allodiale, ſeù burgenſe, cum duplici diſtincto hærede.

Et tunc rectè *intrat* dicta diſtinctio creditorum, vt illi ex cauſa vnius patrimonij, vel hæreditatis, *in* eo vincãt alios, neque teneantur eos recipere in concurſu; Solùmque *in indifferentibus*, ipſo debitore alias non diſponente, intrat concurſus, ſeù contributum per æs & libram,

& in

& in his terminis procedit *text. in d. l. ſi tertarum ff. de milit. teſtam*, ac loquuntur *Rouit. dicta deciſ. 45.* & latiùs *Fab. de Ann. conſ. 4.*, qui elaboratè fere omnes opiniones expendit cum alijs *apud Capyc. Latr. conſul. 9.* & 10., & habetur pluries *ſub tit. de feudis* præſertim *diſc. 21.* & 22., ac in alijs.

Eademque diſtinctio in pagano, ſeù priuato, ac ad inſtar, verificabilis quoque eſt, vbi conſiderari poſſit diſtinctio perſonarum, quod vna ſcilicèt ſit propria, altera verò adminiſtratoris, ideoque iſta pluralitas ſit verificabilis, vt contingit in hærede alterius, ità reſpectu creditorum habente duplex patrimonium, proprium, & hæreditarium; Et frequentius in poſſeſſoribus fideicommiſſorum, vel maioratuum, & primogeniorum, iuxta ea, quæ præſertim habentur acta *ſub tit. de feud. ad mater. Bull. Baronum diſc. 89.*, vbi de hac diſtinctione creditorum propriorum, ſeù perſonalium, ac aliorũ fideicommiſſi, ſeù maioratus, atque hos terminos propriè tractant *Salgad. locis citat.*, ac alij apud eum; (Quamuis tamen iſte elaboratus auctor, iuxtà modernorũ ſtyliſ euagatorium, incidenter quandoque cumulet omnia ad eam materiã pertinẽtia, licèt extrà caſum quæſtionis, quod tamen verè comendabilis Curiæ ſtylus abhorret, niſi quando, vt in præſenti, ità cogat diſtinguendi neceſſitas ad tollendas confuſiones, ac dilucidanda æquiuoca); Ideoque aduertebam quod omnes auctoritates percutientes dictos terminos, ſegregandæ veniebant, vtpotè extraneæ à caſu controuerſiæ.

Alter caſus eſt, vbi in eodem pagano, ſeù priuato, perſonarum quoque, ſeù negotiorum diuerſitas concurrat, cum mixtura tertij, vt contingit in negotijs ſocialibus (omnium tamen bonorum communionem vniuerſalem nõ importantibus), quoniã tunc duplicem omninò perſonã formalem, eadẽ perſona materialis cõſtituit, vnam ſcilicèt propriam, ac priuatam in eius aſſe, vel patrimonio, et alteram in negotio communi, ſeù ſociali, vnde propterea paſſim datur inter has perſonas, citra incompatibilitatem, actio, & paſſio, vt quis ſit creditor, vel debitor ſui ipſius, emptor, & venditor, mandans, & mandatarius, eo modo quo habemus in hærede beneficiato, vt pluries infra *hoc eodem tit.*, & ſub altero *de hærede*, ac etiam pluries *ſub tit. de cambijs*, et in his terminis intrat eadem concluſio deriuata ex diſtinctione perſonarum, vel negotiorũ, vt ſcilicèt creditores ſocietatis, vel negotij ſocialis vincant, quamuis poſteriores, alios creditores anteriores cuiuslibet ex ſocijs priuato nomine, in bonis, ac effectibus negotij ſocialis, ex ijs quæ cæteris relatis habentur *apud Magon. deciſ. luc. 1.* & *ſeqq. Buratt. deciſ. 514.* & *719. Salgad. in labyr. par. 1. cap. 9. num. 55.* & *ſeqq.*

Quod tamen declaratum habetur *ſub tit. de Dote diſc. 166.*, vt ſcilicèt non procedat in illo capitali, quod poſt iam contractas hypothecas debitor in negotio ſociali poſuerit, cum illud ſit iam affectũ eius creditoribus, in quorum præiudiciũ id agere non potuit, quod potius cõcernit præiudicium ipſorum ſociorũ inter ſe, quam creditorum, ac aliorum ſequentium fidem dicti negotij ſocialis propter obligationem in ſolidum, quam afficitur quilibet ex ſocijs, qui pro alijs dicitur fideiuſſor, vel correus, vt pluries infra, ideoque pariter auctoritates, quæ iſtos terminos percutiunt, tanquam extraneæ ponendæ veniebant ad partes.

Tertius caſus eſt, vbi eadem perſona, abſquè mixtura tertij, plura diuerſa negotia, vel diuerſas rationes in eadem, vel diuerſa Ciuitate, ſeù Prouincia exercet, cum omnimoda diſtinctione miniſtrorum, ac librorum, & effectuũ, abſque eo quod vnum negotium cum altero connectat, vndè propterea inter iſta negotia detur actio, & paſſio, debiti, & crediti, aliorumque contractuum, vt frequens praxis docet; Et in his terminis verè, & propriè procedit diſpoſitio *d. text. in l. procuratoris §. ſi plures ff. de tribut. act.* eoſdẽq; terminos percutit *dictũ cõſ. 285. Caſtr. lib. 3.* cũ alijs *per Merlin. & Salgad., ac alios vbi ſupra*, quia re vera vnica perſona materialis, duplicem, vel multiplicem diſtinctam perſonam formalem conſtituit.

Quartus eſt caſus pagani, qui materialiter, ac formaliter verè ſit vnus, & idem, eius aſſem, vel patrimonium habens in diuerſis prouincijs, vel ditionibus, de facto tamen, ſeù ex eius opinatione reputẽtur plura patrimonia, iuxtà prouinciarum, vel ditionum diuerſitatem, de iure autem talis diuerſitas non admittitur, cũ pagano non liceat duplex patrimonium,

ac duplicem diuersum hæredem in solidũ habere ex collect. *per Salgad. & Merlin. vbi supra, & Rota dec. 368. n. 25. par. 9. rec.*; Et tunc ista distinctio attenditur solũ in ijs, quę pendent à voluntate ipsius possessoris, & quoad eos, qui eius voluntati parere tenentur, circa scilicèt cõtributum, vel solutionem debitorum, ac legatorum inter plures cohæredes, quod scilicèt quamuis inter eos ex iudicio familiæ erciscundæ detur actiuè, & passiuè concursus, vel contributum pro virili, attamen ex iudicio defuncti id cessat, atq; vnus, ex eius virili, totum onus legatorũ, vel debitorum ferre debet, eodem modo quo in contributo inter hęredem militarem, & paganicum, seù feudalem, & allodialem, seù burgensem, quoties feudum admixtam habeat hæreditariam qualitatẽ habetur *dicto tit. de feud. disc. 21. & 22. & in alijs*, sed hoc non afficit ipsos creditores, quibus dispositio, seù voluntas debitoris præiudicare non potest, neque tollere id, quod alias de iure eis cõpetit; Solumque talis voluntas operatiua erit inter ipsosmet cohæredes, seù aliàs à debitore causam habentes, quod in executionẽ voluntatis cõmunis auctoris, vnus alterum indemnem releuare tenetur.

Quintus est, vbi bonorum diuersitas aliquam diff rentiam inducat inter cre-
12 ditores, per quamdam assimilationẽ primo casui supra distincto, patrimonij militaris, & paganici, siuè feudalis, & allodialis, quia nempè aliqua bona sint indifferentia, & in libero comercio, alia verò in oppositum; Puta, emphyteotica cum prohibitione alienandi; Siuè Regalia, vt sunt præsertim officia venalia, & similia; Et tunc ad instar intrat distinctio inter ipsos creditores duas diuersas constituẽtes species, vel classes, Vnã scilicèt habentiũ assensum, vel reseruationem decreti, seù alias obtinẽtiũ ius reale in ipsis bonis prohibitis, Et alterã aliorum sine assensu, qui nullum ius reale in huiusmodi bonis habent, ideoque tanquam in duplici diuerso patrimonio isti nõ concurrunt cum primis, iuxtà ea quæ habentur pluries *sub tit. de feud.* præsertim *disc. 78.*, ac etiam *sub tit. de Regal.* præsertim *disc. 10. & sequẽt. & sub tit. de Emphyt. disc. 58. & alibi*; Sed pariter doctrinæ, quæ istum casum, ac alios proximè supra insinuatos percutiunt; extrancæ erant ab illo præsentis controuersiæ.

Qualis demum est, vbi paganus, seù priuatus aliquod exercet negotium indefi-
13 nitè absquè mixtura tertij, & absquè distinctione assis, seù patrimonij assignati negotio limitatè, adeoùt materialiter, ac formaliter de iure, vnam, eamdemq; constituat personam, vnumque sit corpus, seù vnica vniuersitas, ex diuersis tamen bonorum, ac mercium speciebus constitura, Et tunc intrat superius insinuata regula, quod in pagano non datur duplex patrimonium, vel duplex hæres, cum duplici distincta vniuersitate, iuris actiui, & passiui; Si etenim quis negotiationem exerceat animalium, ac frumenti, vini, & olei, aliarumque mercium, etiã cum materiali distinctione in diuersis Ciuitatibus, vel locis, sub vnica tamen administratione vniuersali, erroneum esset dare hanc distinctionem creditorum pro diuersis bonorũ speciebus, nisi quatenus ita suadeant termini *text. in l. interdum ff. qui potior. in pign. hab. & l licèt C. Eod.*, quod scilicèt in causam aliquorum bonorum conseruandorum, vel colligendorum præcisè creditum sit.

Applicando autem ad rem, ista erat vnica taberna, vnicum continens negotiũ ferici dictæ diuersæ qualitatis, eo mo-
14 do, quo in terminis fortioribus cernimus in Vrbe, alijsque Ciuitatibus de vno, eodemque negotio, seù fundaco, in quo sunt merces auri, serici, & lanæ, ac etiam ad mixta sit aliqua negotiatio aliarum mercium à negotio fundacali extranearũ, iuxta casum, de quo infra *in Viterbien. disc. 89.*, non inde tamen intrat distinctio creditorum pro singularum merciũ distinctione, ideoque clarum remanebat æquiuocum in applicatione.

ROMANA

CONCVRSVS

PRO

CREDITORIBVS ANTONII RAPACCIOLI

CVM

BEATRICE VXORE, ET ALIIS.

Casus disputatus coram A. C., & resolutus pro Creditoribus.

De concursu creditorum posteriorũ cum assensu in officijs venalibus, alijsq; bonis differentibus in commercio non existentibus absque assensu Principis, vel alterius; An vbi talia bona, vel eorum pretium redduntur affecta creditoribus, debeat istorum conditio esse æqualis, vel etiam attendatur ordo temporis, seù ordo assensus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De potioritate dotis in bonis posteà quæsitis.*
3 *Quod pretium officij venalis antea possessi dicatur de bonis, postea quæsitis attento tempore licentiæ vendendi.*
4 *Reprobatur Merenda, qui dicit hoc assumptum.*
5 *An officia, vel eorum pretium dicantur in bonis nostris.*
6 *Quomodo intelligatur conclusio, quod officia sunt in commercio.*
7 *De feudis eorumque pretio, an sint in bonis nostris, & quomodo.*
8 *De eadem conclusione, de qua num. 3.*
9 *Exemplificatur quid agat Bulla Baronum, vel assensus in bonis prohibitis.*
10 *Solutis vinculis seruari debet inter creditores ordo anterioritatis.*
11 *Quando dictus ordo non intret.*
12 *An creditores occasione exercitij officij præferantur creditoribus indifferentibus.*

DISC. XII.

1 IN creditorum concursu super bonis Antonij, præsertim verò in pretio retracto ex venditione cuiusdam officij vacabilis, Beatrix debitoris vxor, vel eiusdem Beatricis creditores, pro credito dotali prætendebant potioritatem, etiam aduersus creditores anteriores expressam hypothecam habentes, ex eo, quod ageretur de bonis posteà quæsitis; Et quamuis maior disputatio esset in facto, àn scilicèt constaret, necnè, de credito dotali, Attamen eo posito, atque ex abundanti etiam admisso puncto *iuris* iuxtà quasdam modernas Rotæ decisiones super dicta potioritate in bonis posteà quæsitis, cuius contra-
2 rium verius videtur ex deductis *in sua materia sub tit. de Dote disc.* 83. & 84. & 166., adhùc tamen difficultas cessabat ex facto, in quo docebatur, quod officium, de cuius pretio agebatur, longè antè matrimoniũ, ac dotis cõstitutionẽ possideretur.

Ad euitandum hoc obiectum, Scribentes pro vxore deducebant auctoritatem
3 *Merend. lib.* 24. *controuers. cap.* 28. *numer.* 14. *& sequent.*, vbi expensa *decis.* 45. *Rouit.*, in qua firmatur, vt in concursu creditorũ super officio venali seruari debeat regula, *qui prior &c.*, eo modo quo in alijs bonis indifferentibus, aduertitur id procedere ex qualitate officij alienabilis absque Regio assensu; Secus autem, vbi agatur de officijs, alijsque bonis, ac iuribus in commercio non existentibus, nisi quando obtinetur assensus, vel facultas, tunc etenim ea non dicuntur de bonis nostris, nisi quando talis facultas conceditur, atque tunc nobis acquiri dicuntur, ideoque inferebant, quod ità hoc pretium, ad quod erat concursus, esset de bonis posteà quæsitis.

Scribens Ego pro creditoribus, commendãdo acumen ingenij huius Auctoris pro scholis, & academijs pro tyro-
4 num ingenijs, acuendis, ac exercendis, & ad quem effectum, eius ac similium

scho-

ſcholaſticorum opera per iuuenes haberi debere præ manibus dicere conſueui; Quoad forenſia tamen, dixi ea vt plurimum poni debere ad partes, nullumque, vel nimium rarum fundamentum, in iudicando, vel conſulendo, in eorum dictis conſtitui debere, vt de facto praxis docet.

Potiſſimum verò in hoc, euidens eſt eius æquiuocum, quoniam vt pluries aduertitur *ſub tit. de Regal.*, ad hanc materiam officiorum, & locorum montium, aliorumque iurium Regalium in libero commercio abſquè aſſenſu Principis, vel
5 alterius magiſtratus, non exiſtentium, præſertim *diſc.* 1. & 4. & *in alijs*, id percutit ſubſtantiam ipſius officij, vel iuris Regalis, nè de vno in alterum transferri poſſit, neque in eo ius reale imprimi in præiudicium ipſius Principis, vel Reipublicæ pro caſu vacationis, vel in præiudicium tertij, cui validè, & cum aſſenſu eius ad quem pertinet, translatum ſit, ſeù affectum; Secus autem quoad valorem, ſeù pretium, quod eſſe dicitur in comercio, ac bonis noſtris, quoties pretio mediante, vel ex cauſa oneroſa acquiſitum ſit, vel etiam ex cauſa lucratiua, quoties officium, vel ius ſit venale, adeoùt donatio, magis in pretio, quàm in ipſo officio conſiſtere dicatur.

Ideoque Rota pluries præſertim *deciſ.* 116. *num.* 12. & *ſeq. par.* 4. *rec. tom.* 2., & in alijs relatis *dicto diſc.* 1. & 4. *de Regal.* dixit, quod huiuſmodi officia ſunt in cõ-
6 mercio, ſtante facilitate concedendi licentiam, quæ nemini denegari ſolet; Non quod verè quoad ſuſtantiam ſint in iſto comercio ſine dicta licentia, vel aſſenſu, ſed quia de facto, ceſſante iuſta cauſa conceſſionis licentiæ, iuxtà caſum, de quo *dicto tit. de Regal. diſc.* 6., reputantur in comercio exiſtere, illaque ſunt in noſtris bonis, noſtrumque aſſem augent, pro eorum redditu, ſeù pretio, quod in dies obtineri poteſt, vt notoria praxis docet, eodem modo quo eſt vſusfructus, cum ſimilibus.

Et magis proximè ad rem, habemus in feudis veris, ac proprijs, quæ iuxta legem feudalẽ *in cap. Imperialem de prohib.*
7 *feud. alien. per Federic.*, ſtrictius verò in vtriuſque Siciliæ Regnis per Conſtitutionem incipien. *Conſtitutionem Diuæ memoriæ*, non ſunt in comercio, neque vendi, vel alienari, ſeù obligari poſſunt, abſquè Regio aſſenſu, vt pluries in ſua materia *ſub tit. de feud.*, ac etiam *ſub tit. Emphyt.* in bonis emphyteoticis, quæ vt frequens praxis docet, in inueſtitura eãdem habeant ſtrictam prohibitionem; Et tamen ſi emptitia ſint, ſeù alias ex cauſa oneroſa, & correſpectiua acquiſita, eorũ pretiũ dicitur eſſe in bonis, ac patrimonio allodiali feudatarij, vel emphyteutæ primi acquirentis, tàm pro impiguanda, & regulanda legitima filijs debita, quatenus in illa tantùm ſint inſtituti, quàm pro obligatione primogeniti, cui ſoli feudum iuris frãcorum deferatur, cõmunicandi alijs filijs integrũ pretium; Siuè etiam quod iſtud affectũ ſit creditoribus defuncti primi acquirentis, vel etiam vltimi morientis, quando iſtius hæreditariam qualitatem etiã in feudis antiquis habere oportet, vt cõtingit in feudis Regni Siciliæ citra, ſeù Neapolitani, quamuis creditores nullum habeant aſſenſum, quoniam ipſi, nullum quidem ius reale habent ad corpus feudi, vnde propterea remedia realia, vel rei perſecutoria exercere non poſſunt, minuſque prætendere concurſum cum alijs creditoribus habentibus aſſenſum quamuis poſterioribus, Quinimò etiam ſi ſint hæredes, illi verò ſint defuncti, vt pluries in dicta ſua materia *ſub tit. de feud.*, ac etiam inſinuatur infra *in Neapolitana Concurſ. diſc.* 25.; Sed ſecluſis his effectibus, ac etiam altero, in caſu quo ius debitoris reſoluatur per deuolutionem ad Dominum, ſiuè tranſitum ad ſucceſſores iure proprio, reſpectu eorum, qui non ſunt primi acquirentes; In reliquis feudum, ſaltèm quoad pretiũ, ſeù valorem, dicitur eſſe in bonis debitoris, qui propterea in actione perſonali cogi poteſt ad vendendum feudum, vt de pretio ità effecto allodiali, ac liberi comercij, ſatisfiat creditoribus, iuxtà eorum ordinem, vt etiam in officijs, ac locis montium, alijſque iuribus Regalibus praxis docet.

Et conſequenter fabuloſum eſt dicere,
8 quod tunc, & quando per aſſenſum Principis, vel Magiſtratus, officiũ, vel feudũ, ſeù aliud ius Regale venditur, eius pretiũ acquiri dicatur, ac effici de bonis debitoris, adeoùt æqualis omniũ deberet eſſe cõcurſus; Vel quod habens potioritatem in bonis futuris, eam obtinere debeat, cũ

ſem-

semper ab initio acquisitionis, habitualiter pretium fuerit in patrimonio libero, & allodiali, ideoque merito iuxtà singula tempora affectum creditoribus, inter quos propterea ordo resultans ex regula *qui prior*, attendendus est, cedendo solum locum habentibus assensum, quoties pretiũ de iure ipsius rei loco succedat iuxta distinctionem, de qua *sub tit. de Emphyt. disc.* 58.

Atque iuxta exemplum, quod deductũ habetur *sub tit. de feud. ad mater. Bullæ Baronum disc.* 78., de palatio pleno mercibus, & pecunijs, in quibus omnibus creditoribus possessoris satisfieri potest, habente tamen ianuas clausas, vnde propterea eisdem creditoribus nõ detur aditus, nisi Princeps, vel Magistratus ad quem pertinet, eas aperiat, quoniam si aliquis, ex gratia speciali, seù concessione clauis, ingrediatur, Alij verò sisi futuræ aperturæ, quæ cõcedi solet, eiusque fidem sequentes, tali palatio, eiusque foribus approximent, vt apertis ianuis ingredi valeant, isti ità ingredientes non poterunt quidem anterioritatem, vel potioritatẽ prætendere, aduersus eum, qui iure speciali prius ingressus fuerat, quamuis ipsi longè antea palatio, ac foribus approximauerint, sed inter eos talis ordo est attendendus, vt qui prior, vel proximior est foribus, præferatur in ingressu; vnde propterea, etiam Bulla Baronum, quæ quedã iure speciali disponit, vt creditores Baronis satisfieri debeant ex bonis ab ipso possessis, quamuis ob fideicõmissorum, vel inuestiturarũ vincula, suine debitoris ius iam resolutum, ipsi nullum ius habeant, vt scilicèt inter eos seruetur ordo anterioritatis, vel potioritatis; Et tamen iste casus est fortior, vbi præsertim per mortem, vel alium casum, iam solutũ, atq; annichilatum est ius debitoris, quoniam cum Bulla, iuxta probabilem, magisq; receptã opinionẽ operetur vt nunc, nõ autem vt tunc, & ab initio, rectè dici potest, quod nunc bona ex speciali gratia Principis acquiri dicãtur, gratiam æqualem omniũ creditorũ, & non ille legislator doctissimus I.C., mãdaseruari ordinem inter eos, qui si per mortem, ac posterius, ius formale nõ acquirunt, cum verè ipsa bona quoad eorum substantiam antequam vinculorum solutio sequeretur, sub eorum hypotheca nõ cecederint; Attamen acquisijsse videntur quamdam spem, seù ius habituale, vel cõditionale, quod facto casu conditionis vim retrotractiuam habeat inter ipsos creditores eodem coæquali iure venientes, non autem in præiudicium tertij, cui medio tempore, ex Principis, vel legis beneficio, ius in ipsis bonis, eorumque substantia quæsitum sit, adeoùt siuè dicta gratiosa, & specialis vinculorum solutio sequatur, siuè non, ipsi satisfieri debeant, vt latius aduertitur *dicto disc.* 78. *de feud. & in alijs ibid.*

Tunc etenim aduertebam, vt nulla data ordinis, vel temporis prærogatiua, omnium creditorũ æqualis deberet esse
11 conditio, iuxta illud cõtributum, quod habetur inter omnes chirografarios non priuilegiatos, quando tertius, ex eius mera liberalitate erga famã, & memoriam, vel animam debitoris defuncti, siuè etiã viuentis, ad illius libertatem comparandam, de suo aliquam summam exhibeat ad commodum Vniuersitatis creditorũ, atq; inter omnes distribuẽdã, isto etenim casu omnes instantaneè, & coæquali iure obtinere videntur, atque tunc verificabilis est consideratio scholastici *Merendæ*, qui æquiuocat, etiam super intelligentia *dict. decis.* 45. *Rouit.*, seù quæstionis ibi tractatæ, cum ibi de hoc non agatur, sed de alia quæstione, àn illi qui essent creditores ex causa malæ administrationis officij, aliquam potioritatem habere deberent aduersus hypothecarios anteriores creditores indifferentes ipsius officialis, ideoque nihil ad rem.

RO-

ROMANA

CONCVRSVS

IN BONIS IVRISDICTIONALIBVS

PRO

PRINCIPE BVRGHESIO, & CONSORTIBVS

CVM

ALIIS CREDITORIBVS.

Casus disputatus in Congregatione Baronum, vbi pendet.

De concursu creditorũ super Castris, & bonis iurisdictionalibus allodialibus Baronũ Status Ecclesiastici, inter posteriores habentes licentiã Apostolicam, & anteriores illa carentes; Et àn Apostolicæ Constitutiones prohibentes dictorum bonorũ alienationem, prohibeant etiam hypothecam.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *In feudis creditores posteriores cum assensu præferuntur.*
3 *Etiam in pretio subrogato loco feudi.*
4 *Castra in Statu Ecclesiastico, àn sint feudalia.*
5 *De Constitutionibus Apostolicis circa alienationes iurisdictionalium.*
6 *Quod non prohibeant impositionẽ censuũ, vel hypothecam.*
7 *De differentia inter censum, & simplicem hypothecam in materia alienationis.*
8 *De eodem, de qua num. 4., & quod sint allodialia.*
9 *De ratione conclusionis, de qua num. 2.*
10 *Ratificatio actus nulli operatur, vt nunc, ideoque creditores intermedij præferuntur.*
11 *Expenditur Constitutio 3. Sixti V.*
12 *De Constitutione 78. Clem. 8.*
13 *De alijs Pauli V. etiam circa locationem, & quoscumque contractus.*
14 *De Constitutione Vrb. VIII.*
15 *Ex obseruantia semper obtinetur licentia.*
16 *Sub generali hypotheca non veniunt obligari prohibita, vel vbi dubitetur.*
17 *An hypotheca cadat sub extrau. Ambitiosæ.*
18 *De hypotheca locorum montium.*
19 *Aliud est ad effectum pœnarum, & aliud ad effectum validitatis actus.*
20 *An creditores hæredis cum assensu in feudis, præferantur creditoribus defuncti.*
21 *De ratione istius conclusionis.*
22 *Quid in hoc operetur qualitas hæreditaria.*
23 *De rationibus differentiæ inter bona differentia, & indifferentia, in proposito separationis bonorum.*
24 *In feudis non admittitur simulatio.*
25 *In bonis iurisdictionalibus non procedit conclusio, de qua num. 20., & de ratione differentiæ.*
26 *Quando facilius denegetur beneficium separationis bonorum.*
27 *De Bulla Baronum quale ius tribuat creditoribus, & àn operetur, vt nunc, vel vt tunc.*
28 *De Statu causæ.*
29 *De decisionibus* Durani *super his Constitutionibus.*
30 *Petens dispensationem fatetur impedimentum.*
31 *Quomodo nouæ leges debeant interpretari.*
32 *Attenduntur leges adiacentium regnum.*
33 *De pluribus ponderationibus super Constitutionum interpretatione, vt impediant etiam legitimam.*

DISC. XIII.

1 FActa per Principem [illegible] Baptistam Ludouisium cum consueto chyrographo Pontificio, communicante facultates Congregationis Baronum conuentionali venditione Status [illegible] rolæ pro pretio scutorum 900. m[illegible] ter, atque depositato pretio resid[illegible] post extinctum montem, habitus [illegible] per eo concursus creditorum, qui [illegible]

de triplici ſpecie; Vna ſcilicèt anteriorum Principis Nicolai Patris, abſque licentia Apoſtolica obligandi bona iuriſdictionalia; Alia poſteriorum eiuſdem Principis Nicolai, dictam licentiam habentium; Et tertia magis poſteriorum ipſius Principis Io. Baptiſtæ hæredis eãdem licentiam habentium; Vndè propterea, prætendentibus iſtis poſterioribus de ſecunda, & tertia ſpecie, vincere anteriores de prima, ratione potioritatis à dicta licentia reſultantis, ex concluſione, de qua pluries *ſub tit. de feud.* præſertim *diſc.* 78., & *ſub tit. de emphyt. diſc.* 44. & 58., ac etiam infra *in Neapolitana diſc.* 27., vt ſcilicèt in feudis, creditores poſteriores cum aſſenſu vincant anteriores ſine aſſenſu, vel cum eo, qui ſit poſterior, quoniam ex eius tempore actus regulatur; Hinc, iſta concluſione non impugnata, vtpotè incontrouertibili, quamuis ageretur de pretio, ſtante dicto chirographo ad formam Bullæ Baronum, liberante ipſa bona vendita ab omnibus vinculis, & hypothecis, eaque transferente in pretium, quod ita extra omne dubium, in omnibus loco rei ſuccedit, vt pluries aduertitur *dicto tit. de feud. ad materiam dictæ Bullæ Baronum, & infra diſc.* 35.

6 Aſsũpta diſputatione in Cõgregatione Baronũ. Scribentes pro creditoribus anterioribus, dicebant dictam cõcluſionem in hac facti ſpecie non intrare, cum iſta Caſtra non eſſent feudalia, ſed allodialia, dum de nulla inueſtitura conſtat, nullũque feudale ſeruitium præſtatur, iuxta ea, quæ cæteris relatis plenè firmantur *per Rotam deciſ.* 93. *par.* 5. *rec.*; Et conſequenter, quod de plano intraret regula *qui prior &c.* iuxtà naturam bonorum allodialium indifferentium, cum ità non intret diſpoſitio *l. Imperialem de prohib. feud. alien. per Feder.*

7 Ad Cõſtitutiones autem Apoſtolicas, *Sixti V.*, *Clementis VIII.*, *Pauli V.*, *Vrbani VIII.*, & *Innocentij X.* prohibentes alienationem huiuſmodi bonorum Iuriſdictionalium, & cuius prohibitionis ratione, Apoſtolica licentia obtinetur iuxtà ea, quæ habẽtur *ſub tit. de feud.* pluries præſertim *diſc.* 66., & *ſequentib.*; Reſpondebant illas percutere formalem alienationem, ſub cuius prohibitione non venit hypotheca, de qua Conſtitutiones non agunt, vt in ſpecie occaſione agendi de impoſitione cenſus firmatur *per Rotam deciſ.* 211. *numer.* 6 *par.* 5. *rec.*, vbi non ſolum ponderatur regula generalis, vt prohibita alienatione, non cenſeatur prohibita hypotheca, ſed etiam ponderatur Conſtitutio expreſsè prohibens impoſitionem cenſus, ideoque ſupponitur, quod prius iſte actus non veniret ſub prohibitione; Et tamen caſus eſt longè fortior, quoniam licèt per impoſitionem cenſus conſignatiui, iuxtà veriorem, magiſque receptam opinionem, nulla fiat alienatio dominij fundi cenſiti, ſed importet quamdam magis ſpecialem hypothecam ex plenè deductis *per Cenc. de cenſ. queſt.* 23., & *in ſua materia ſub tit. de Cenſibus*, ac etiam *ſub tit. de Regal. diſc.* 92. & *alibi*; Attamen receptum pariter eſt, iſtum actum importare formalem alienationem, ſub iſtius prohibitione cadentem, vt in propoſito alienationis bonorum Eccleſiæ habetur *ſub tit. de alienat. & contractib.* pluries præſertim *diſc.* 1. & *ſeqq.*; Ac etiam habemus frequens in materia fideicommiſſaria, vel in altera detractionum, quando ſcilicèt alienationes, factæ cenſeantur in cauſam detractionum iuxtà terminos textus *in l. Marcellus ff. ad trebell. cum ſimilibus*; Et tamen in prædictis caſibus, vel ſedibus habetur, quod hypotheca generalis ſub huiuſmodi prohibitione non veniat, neque dictum electionis effectum cauſet; Ergò ſine dubio intrat argumẽtum à fortiori.

8 Scribens Ego pro creditoribus poſterioribus dictam licentiam Apoſtolicam habentibus, præſertim verò pro illis defuncti, (cuius etiam erant dicti anteriores), admittebam ſuppoſitum ſcribentiũ in contrarium, quod ad effectum prohibitionis alienandi, vel hypothecandi reſultantis à iure feudorum *in dicta l. Imperialem de prohibit. feud. alienat. per Fed.* ericum, iſta Caſtra, & bona non eſſent feudalia, ſed allodialia, quodque illa feudalitas, de qua ex *conſ. Abb. & alijs* plenè habetur *apud Spad. conſ.* 1. & *ſeqq. lib.* 1., ſit remota, & impropria, ad tollendum ſolum verum, ac purum allodium, ac ratione alti dominij, & ſuperioritatis Papæ, vt pluries habetur in ſua materia *ſub tit. de feud.*, et conſequenter, quod non intrarent ea, quæ, poſi-

ta feudali qualitate, firmantur per Feudistas, præsertim verò per Doctores Regnorum vtriusque Siciliæ, ob magis strictam prohibitionem ibi vigentem, contentam in particulari Constitutione quæ incipit *Constitutionem diuæ memoriæ*.

Attamen dicta regula, vt posteriores cum assensu, vicant anteriores illo carentes, non prouenit à peculiari iure, vel natura feudorum, sed generaliter procedit
9 in omnibus bonis, & casibus, in quibus bona, super quibus est concursus, nõ sint in libero comercio, neque obligari possint sine alterius assensu, vel licentia, ob generalem rationem, quod creditores assensum nõ habentes, respectu huiusmodi bonorum, reputantur verè chirographarij, solam personalem actionem habentes, ideoque postponendi sunt alijs habentibus assensum tanquam hypothecarijs, ex regula, quod hypotheca licèt posterior vincit actionem personalem, in qua non intrat ordo, vel ratio temporis, Vndè propterea id receptum habemus in concursu super officijs venalibus ex deductis *disc. præcedenti, & sub tit. de Regal. disc.* 10. *cum seqq.*, ac etiam in bonis emphyteoticis habentibus prohibitionem, quæ hypothecam quoque capiat, *vt disc. sequenti, & d. disc.* 58 *de emphyt.*; Vt etiam in bonis fideicõmissarijs plenè aduertitur occasione Bullæ Baronum *sub tit. de feud. dicto disc.* 78.

Atque habemus in creditoribus diuerso tempore, legitimè, vel illegitimè contrahentibus, etiam super bonis merè indifferentibus, & in libero commercio existentibus, quoniam ille, qui contrahit cum principali, præfertur anteriori contrahenti cum procuratore minus legitimo; Siuè qui posteà contrahit legitimè
10 & solemniter, præfertur illi, qui prius minus legitimè, ac inualidè contraxit cũ eodem principali, quamuis iste actum illegitimum à se, vel ab illegitimo procuratore gestum, ratum haberet, quoniam ratificatio actus inualidi non retrotrahitur, sed operatur vt nunc, non autem vt tunc, ex ijs, quæ cæteris relatis plenè collecta habentur *apud Cyriac. controu.* 293. *Surd. decis.* 245. *Grat. discept.* 470. *nu.* 21. *& seqq., & discept.* 509. *num.* 25. *& seqq. Salgad. in labyr. par.* 2. *cap.* 10. *numer.* 58. *& cap.* 21. *num.* 53. *& seqq. Rot. decis.* 35. *post Merlin. de pignor. & sæpius*; Prohibitio enim, quæ habetur in feudis non prouenit ab eorum intrinseca natura, sed ab accidentali prohibitione resultante à dicta lege edita ad plura tempora post compilatas, ac receptas consuetudines feudales; Ità à pari.

Igitur vnicus controuersiæ punctus erat, àn dictæ Apostolicæ Constitutiones prohibentes alienationem, caperent etiã hypothecam, in cuius defectu fundata est, vt supra, conclusio exclusiua creditorum anteriorum assensu, seù licentia carentium, quamuis tanquam indubitata supponatur, ad istos priuatos effectus, huiusmodi Castrorum, ac bonorum iurisdictionalium allodialitas.

In hoc autem, expendendo singulas Constitutiones Apostolicas; Quatenus
11 pertinet ad *Constitutionem* 3. *Sixti V.*, quæ in materia est omniũ prima, & originalis, & quæ solùm vigebat de tempore, quo creatus fuit census disputatus *per Rotam dicta decis.* 211. *par.* 5. *rec.*, illa restricta est ad tres tantũ alienationis species, venditionem scilicèt, donationem, & permutationem, vt aduertitur etiam *sub tit. de feud. disc.* 69.; Et consequenter *dicta decisio* 211. rectè procedit in casu suo, sed apta non est firmare statum generalem super debitis contractis de tempore, quo vigebant aliæ posteriores Cõstitutiones, magis latam prohibitionem continentes.

Superuenit postmodùm *Constitutio* 78. *Clementis VIII.*, per quam aliqui pro hac parte quoque scribentes, credebant
12 omnem tolli difficultatem, dum præsertim *in* §. 10. dicta Constitutio *Sixti V.* generaliter extenditur ad quoscumque contractus, quinimò in specie agitur de obligatione, & hypotheca verbis expressis; Verùm dicebant scribentes in contrarium, quod id contineret æquiuocum, cum ista Constitutio, in hac parte, percutiat cõtractus, & obligationes ibi recensitas, pro, vel cum certis personis, vel corporibus, vt enunciatur in subsequentibus Constitutionibus præsertim *Pauli V.*, *& Innocentij X.*, super quo aliqua dubitandi ratio cadere videtur.

Credebam tamen verius esse, vt hodiè, hypotheca quoque prohibita censeatur, per *Constitutionem* 110. aliàs *Constitutio* 10. *in appendice Pauli V.*, quæ *in* §. 5.,

sen-

sentire videtur de omnibus contractibus, vt ita eam explicat *Constitutio 65. Vrbani VIII. §. 2. & 5.*, vbi enunciatur quod ista *Constitutio Pauli V.* extendit *Constitutiones Sixti & Clementis, ad quodcumque genus contractuum, & conuentionum*, et comprobari videtur ex prohibitione etiã locationis indefinitè, quod est quid magis, quam in feudis, & in bonis Ecclesiæ; Eademque *Paulina Constitutio in §. 6.*, adhibet diuersos terminos, *translationis, & grauaminis*, quodque prohibitio intret, siue sint *translata*, siuè *grauata*, cũ hic secundus terminus à primo discretus, huic impropriæ alienationi conuenire videatur.

Et clarius id comprobare videtur *dicta Constitutio 65. Vrbani VIII.*, quæ loquitur de quocumque genere cõtractũ, & conuentionum, ibi, *ad quodcumque* 14 *genus contractuum, & conuentionum*, & ibi *de contractibus quibuscumque*; Et altera Constitutio posterior prohibet etiã dari in dotem; Vndè propterea eis omnibus simul iunctis, ponderataque nimis effrænata amplitudine verborum, probabilius videri dicebam quod hæc impropria alienationis species quoq; comprehenderetur.

Et nihilominus aduertebam, negari non posse, quin ex præmissis, id sit probabiliter dubium, vt isto posito, defectus hypothecæ non deductæ ad speciem super iſtis bonis prohibitis omninò intraret, non solùm ob inconcussam obseruãtiam, quod nulla penitus conuentio specialis super huiusmodi specie bonorum 15 fiat, etiam simplicis cessionis iurium, absq; præuia licentia, quæ nõ nisi ex gratia particulari concedi solet, etiam simplicis tractatus, adeoùt geminata requiratur, vt aduertitur *dicto discursu 66. & seqq. de feud.*, et consequenter quod intret recepta, & quotidiana conclusio, de qua *decis. 59. nu. 12. par. 10. rec. & passim*, vt obseruantia sit optima interpres etiã legum, & statutorum.

Sed clarius, vt ità intret quoq; defectus voluntatis debitoris hypothecandi huiusmodi bona, vel creditoris acquirendi hanc hypothecam, ob dubium incurrendi graues pœnas in dictis Constitutionibus contentas, & quæ, ob casuum con- 16 tingentias, in magno timore communi opinione habentur; Ideoquè intrat cõclusio, de qua benè *Rota dec. 425. num. 2. cum seqq. par. 1. diuers. & per Adden. ad Buratt. decis. 749. num. 24.*, vt sub generali hypotheca non veniant bona prohibita, vndè incursus pœnarum, vel molestiæ sequi possent; Atquè ad huiusmodi voluntatem regulandam, sufficit timor, qui communi opinione habeatur, siuè dubium, àn prohibitio cadat, necnè, cum neminem censeatur voluisse huiusmodi periculo se exponere, ob molestias, quæ sequi possunt, stante certa prætensione fiscalium, vt etiam hypotheca prohibita sit; Ideoque aduertebam, dictum defectum intrare, non solùm ex defectu potestatis, vel incapacitate rei, sed etiam ex defectu voluntatis Partium.

Prætereà, vbi etiam procedendum esset cum terminis generalibus, de quibus in proposito prohibitæ alienationis bonorum Ecclesiæ *sub tit. de alie. nat. & contract. disc. 1. & in alijs*, ac iuxtà ma- 17 gistralem *decisionem 261. Royas* passim receptam; Quamuis verius sit, hypothecam generalem non cadere sub prohibitione *Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.*; Attamen id intelligitur ad effectum euitandi incursum pœnarum, siuè pro eiusdem hypothecæ exercitio in fructibus, vel in commoditate, nõ autem ad effectum vendendi ipsa bona; Et cõsequenter exindè resultare dicebã, quod illa hypotheca, quæ in huiusmodi bonis permittitur, non percutiat ipsorum bonorum substantiam, ac proprietatem, illaque vitio reali non afficiat, et consequenter vt concursus prætendi nõ valeat cum illis creditoribus, qui habent veram hypothecam afficientem ipsa bona, eorumque substantiam.

Quod rectè comprobari dicebã ex ijs, quæ habemus in materia locorum montiũ, vel similium iuriũ, cum Principe, vel 18 Republica, quod respectu ipsius debitoris, & donec ab ipso possidentur; cadunt sub hypotheca, adeoùt super eis concedatur etiam Saluianum, vt *decis. 29. in princ. post Pacific. de Saluian. Grat. discept. 943. num. 22. cum seqq.*; Et tamen si deindè, cum licentia Principis, vel Magistratus ad id deputati, distrahantur, vel obligentur, adeoùt ius reale tertio acquiratur, iste sine dubio præfertur, atque maius ius habet, vt pluries in sua materia *sub tit. de Regal.*; Ergò hypotheca permissa nõ

percutit ſubſtãtiam, ſed ſolùm eam commoditatem, de qua agitur infrà *diſc. ſequenti*, et conſequenter quod potiores eſſe debeant illi, quibus ipſa rei ſubſtantia, vel proprietas affecta eſt.

Et quamuis alias in quadam grauiſſima cauſa acerrimè diſcuſſa inter fiſcum, & quoſdam Magnates, particularis Congregatio inclinaret pro non comprahẽſione hypothecæ; Attamen in eo caſu de hoc diſputatum fuit ad ſolùm effectũ pœnarum, ideoque ab vno effectu ad aliũ inferri nõ poteſt, quoniam Aliud eſt agere de huiuſmodi quæſtione ad effectum
19 incurſus pœnarũ, ad quem effectum requiritur alienatio vera & propria, & non ſufficit impropria; Aliud verò ad effectum validitatis actus, ac affectionis bonorum, vt habemus in propoſito alienationis bonorum Eccleſiæ.

Procedere autem hæc mihi videbantur de plano inter creditores eiuſdem Principis Nicolai defuncti, cum præſuppoſito tamen, quod aliud fideicommiſſi vinculum non adeſſet; Difficultas verò erat inter creditores defuncti licentiam non habentes, & creditores ipſius Io. Baptiſtæ hæredis, ac venditoris, qui licen-
20 tiam habebant, àn ſcilicèt intraret ea Feudiſtarum concluſio, de qua infra *diſc. 27. & ſubtit. de feud. diſc. 21. & 78.*, vt in his bonis prohibitis non intret ſeparatio bonorum, Vndè propterea hæredis creditores cum aſſenſu, vincant creditores defuncti illo carentes.

In hoc autem, quamuis Scribentes pro hac Parte creditorum hæredis habentiũ licentiam, id certum crederent, deducentes ea, quæ à me deducta fuerant *dicto diſc 21. & 24. & 106. de feud.* iam publicæ lucis tempore huiuſmodi diſputationum editis; Attamen mihi in hac ſpe-
21 cie bonorum, contrarium verius videbatur; In feudis etenim veris, vel in officijs, aliiſque iuribus Regalibus in commercio nõ exiſtentibus, ſed ex ſola Principis, vel domini conceſſione obtinendis, eiuſdem conceſſionis explicita, vel implicita lex totum regulat, atque ideo creditores, cum aſſenſu eiuſdem Principis, vel domini, ſiuè officialis per eum ad id deputati, præferuntur etiam creditoribus defuncti, atquè excludunt ſeparationem bonorum, quia per mortem poſſeſſoris, omne eius ius in ipſorum feudorum, vel iurium Regalium ſubſtantia reſolutum fuit, atquè iure implicitæ, ſeù occultæ nouæ inueſtituræ, ſeù conceſſionis, nouũ ius ex integro efformatum eſt in hæredis perſona, tanquam diuerſa, non autem ea identifica cum defuncto, quam in bonis indifferentibus ex legis fictione hæres continuat, & repræſentat, non autem in iſtis; Ac etiam quia contrahentes cũ aſſenſu in his bonis prohibitis, ſequuntur potiùs fidem Domini aſſentientis, à quo ius metiuntur, eumque in auctorem agnoſcunt, debtior autem, vel venditor eſt medium, ſeù cauſa, vt id ſequatur, vt pluries aduertitur *ſub tit. de Regal. ad materiam officiorum, & locorum montium*, ac etiam *ſub tit. de feud., & dicto diſc. 58. de Emphyteuſ.*, iſtaque eſt ratio, ob quam in Tribunalibus Neapolis reiecta opinione *Annæ. Apõte, & Capyc. Latr.* recepta eſt altera *Georgij, & Theodori*.

Et quamuis ob hæreditariam qualitatem ſucceſſoris, iſte affectus remaneat debitis defuncti; Attamen id non pro-
22 uenit ex iure reali ipſis bonis infixo, ſed ex actione perſonali, in qua hæres cogi poteſt ad vendendum feudum, vel officium, ad effectum, vt de pretio creditoribus ſatisfaciat, non indè tamen creditores habent ius reale in ipſis bonis, quæ affecta ſint, cum in eis adeſſe dicatur vitium reale, ipſis bonis in ipſa conceſſione infixum, tanquam ſcutum impediens nè plaga imprimatur.

Item quia alia bona indifferentia remanere dicuntur in ipſa hæreditate, quamuis iacente, adeoùt actus aditionis,
23 in præiudicium tertij habeatur pro nõ facto, atque fingatur, vt hæreditas repræſentet perſonam ſiãtem de per ſe, diuerſam à perſona hæredis, vt in propoſito confuſionis actionum habetur infra *diſcur. 40.*; Id autem adaptabile non eſt feudis veris, vel officijs, quoniam feudum eſt militia, ideoque oportet dare militẽ, ſiuè officialem, vndè propterea nõ datur ſuſpenſio, vt aduertitur *ſub tit. de fideic. diſc. 7.*

Ac etiam quia reſpectu bonorum indifferentiũ, dici poteſt, quod ille, qui contraxit, eorum fidem ſequutus eſt, tãquam annexorũ perſonę debitoris, vel alterius contrahentis, cuius perſona nõ obſtante morte repræſentatur per eius hæredem, vel hæreditatem; Id autem dici non-

poteſt

poteſt de his bonis differentibus, quæ vt dictum eſt, extinguũtur cum vna perſona, atque de nouo efformantur in altera ſucceſſoris, vndè propterea non admittuntur illæ fictiones legis, quæ intrãt in bonis indifferentibus; Vt præſertim habemus in materia ſimulationis, quæ
24 de iure attendi non debet, ſed veritas, vt *tot. tit. plus valere, quod agitur &c.*; Et tamen ſecus eſt in feudis, ac officijs, aliſque huiuſmodi, vt *ſub tit. de feud. diſc.* 24. & 106., & pluries, ac etiam ad materiam officiorum *ſub tit. de Regal.*; Et conferunt, quæ *eodem tit. de Regal.*, habetur ad materiam locorum montium liberè tranſeuntium in tertium, cuius fauore libera reſignatio à Magiſtratu admiſſa eſt, cum ſimilibus.

Præmiſſa verò non adaptantur huiuſmodi bonis iuriſdictionalibus, (præſuppoſita eorum allodialitate) quoniam illa
25 ſunt in patrimonio poſſeſſoris, atque remanent in hæreditate, quamuis iacente, neque vitium eſt reale ipſis bonis impreſſum in acquiſitione, ſed potius eſt impedimentum accidentale, ac perſonale ſuper trãslatione, vel reſpectiuè acquiſitione, ad inſtar illius impedimenti, quod dignoſcitur in alijs bonis indifferentibus de ſui natura in libero commercio exiſtentibus, nè in forenſes alienari poſſint ex eiſdem Apoſtolicis Conſtitutionibus, ideoque dictæ rationes non intrant, ſed ſe adaptantur illæ, de quibus *apud Cappy. Latr. conſult. 99. & alios* tenẽtes diuerſam partem, vt etiam in feudis intret beneficium ſeparationis bonorum, Vndè quando Papa concedit aſſenſum, ſeù licentiam, remouet ſolùm obſtaculum, atque ille, in quem fit alienatio, habere dicitur à poſſeſſore alienante; ſecus autem eſt in Feudis, & Regalibus, in quibus aſſenſus habet vim nouæ inueſtituræ, ideoque obtinetur à Domino.

Inter ipſos autem creditores defuncti, & hæredis reſpectiuè, altera fuit inſpectio (à qua ego ex prudẽtialibus motiuis abſtinui), ſuper fideicõmiſſo nẽpè, quod ſupponebatur in iſto Statu ordinato per Cardinalem Ludouiſium primum acqui-
26 rentem, iuxtà ſeriem, de qua *in Romana*, *ſeù Præneſtina ſub tit. de feudis in ſupplemento*; Ità enim dicebant Scribẽtes pro creditoribus hæredis ac poſſeſſoris, quod facilius non intrabat ſeparatio bonorũ, dum iſta nõ remanſerant in hæreditate defuncti debitoris, cuius fideicommiſſo grauati ius, reſolutum fuerat per mortẽ; Et quamuis è conuerſo creditores defuncti, vltrà fideicommiſſi impugnationem, eo etiam admiſſo, inſiſterent in Bulla Baronum, fideicommiſſa dirimente, ac efficiente bona libera, ex ijs, quæ habentur à me deducta *ſub tit. de feud. ad materiam huius Bullæ pluries*; Atta-
27 men replicabatur per Scribentes pro creditoribus hæredis, (& benè) quod eadem bulla operatur vt nunc, quando Congregatio manus apponit, ac vincula ſoluit, non autem ex tunc, iuxtà opinionẽ, quæ mihi probabilior videtur ex pluries deductis *d. tit. de feud.* præſertim *d. diſc.* 78. & 82. & *infrà diſc.* 126. & 127., et conſequẽter dici nõ poteſt, quod creditoribus defuncti quæſitũ ſit tale ius, vt eorum fauore intraret dictũ beneficium ſeparationis bonorum, vndè propterea quæſtio reducebatur ad punctum exiſtentiæ fideicommiſſi, à quo ego abſtinui vt ſupra.

Propoſita cauſa, ob votorum ſciſſurã, nulla capta fuit reſolutio, quæ pendet, quantum tamen deſumi potuit; Tenen-
28 tes partes creditorum anteriorum procedebant cum ſuperficie regulæ generalis, quod prohibita alienatione, non cenſeatur prohibita hypotheca generalis, non deſcendendo ad dictas ſpeciales cõſiderationes, quibus non dabatur per Scribentes in contrarium adæquata reſponſio, ideoque diſputatio me potius confirmauit in dicta opinione fauorabili habentibus aſſenſum.

Alij pro his creditoribus cum aſſenſu ſcribentes, ad probandum quod dictæ Conſtitutiones prohibent etiam hypothecam, deducebant *deciſiones* 154. & 156. *Durani*; Verùm in eis non vide-
29 batur poſſe conſtitui ſolidum fundamentum, cum obiter, vel præſuppoſitiuè potius id deduci videatur, ſed de hoc principaliter diſputatum non fuit, cum principalis diſputatio fuerit ſuper facultate data Iuliæ faciendi quamdam donationem; Benè tamen obſeruabam, quod iſtæ, ità præſuppoſitiuæ deciſiones nimium influere videbantur ad obſeruantiam, ſeù communem opinionem, quæ de facto habetur, vt Conſtitutiones prædictæ capiant etiam caſum obligationis,

ſaltèm

saltém, vt ità ex hac opinione comprobatum remaneat dictum alterum fundamentum voluntatis, quod æquè solidum erat, ac forte magis, quàm alterum potestatis.

Item ad comprobationem dictæ obseruantiæ ponderabam tot licentias obtentas, etiam ad effectum obligandi, vel
30 reportandi à creditoribus iurium cessiones, cum petitio, ac respectiuè concessio dispensationis præferat prohibitionē, siuè impedimentū ex deductis *apud Gregor. decis. 331. num. 1.*

Ponderabam quoque, quod cum agatur de nouis legibus, adhùc non com-
31 mentatis, super quibus deducere non possumus auctoritatem *Accursij, & Azonis, vel Bartol. & Bald.*, minusque illam *Innocen., Io. Andr., Hostien., vel Abb.*; Hinc proindè illas interprætari debemus; Vel ex alijs eiusdem legislatoris legibus, & actibus; Vel ex identitate rationis; Vel ex legibus adiacentium regionum; Vel ex ratione, seù intentione iuris cōmunis, ex conclusione pluries in omni ferè materia insinuata, quod vbi casus non habetur expressè in iure decisus, deferendum est legibus adiacentium ditionum, vel Ciuitatum ex deductis per Scri-
32 bentes *apud Prat. respons. crim. 46. num. 56. & seq. Costan. in l. 2. Cod. de fil. official. lib. 10. num. 36. Add. Rouit. pragm. 2. de cession. bon.*

Plura verò ex præmissis in idem conferre obseruabam; Primò scilicèt dictas alias posteriores Constitutiones, in quibus enunciatur prohibitio quorumcumque contractuum, & cōuentionum vt supra; Secundò obseruantiam deductam à tot chirographis, & licentijs, quæ desu-
33 per obtineri solent, etiam ad effectum obligandi; Tertiò à communi opinione per Rotam etiam præsuppositā *in dictis decisionibus Duraui*; Quartò à similibus supra ponderatis circa hypothecam bonorum Ecclesiæ ad terminos *Extrauag. Ambitiosæ*; Quintò à similibus legibus, quæ habentur in feudis, ac bonis iurisdictionalibus aliorum Principatuum per *dictam l. Imperialem de prohib. feud. alien. per Feder.*, & per Cōstitutionem Regnorum vtriusque Siciliæ, quæ incipit *Constitutionem Diuæ memoriæ*; Et sextò nimium considerabiliter, ob identitatem rationis, ob quam in feudis dictæ prohibitiuæ leges prodierunt, & quæ aliqualiter insinuatur in Constitutione *Sixti V.*; Cum enim huiusmodi castris, & bonis iurisdictionalibus annexa sint iurisdictio, gubernium, & Imperium in vasallos, ac subditos Papæ, qui est supremus Princeps, cuius officiales, ac perpetui Gubernatores de facto videntur huiusmodi Barones, & Domicelli, quamuis nō iure veri, ac recti feudi castra, & bona huiusmodi, sed potius iuxtà allodij naturā, obtineant; Hinc proindè congruū, ac rationabile est, vt idem Princeps sit conscius, cuinam super huiusmodi bonorum specie ius quæratur, eo modo quo in officijs, alijsque iuribus Regalibus habemus, cum data vera hypotheca afficiente rei substantiam, de consequenti resulter eiusdem hypothecæ effectus liberæ executionis, & subhastationis; Quid autem in causa sequetur, adnotabitur fortè in calce huius libri post *discur. finalem*.

ROMANA

DOMVS

PRO

GINO CAPPONIO

CVM

CHRISTOFORO CINCIO.

Discursus pro causæ directione.

An in prohibitis obligari, cadat hypotheca super commoditate; Et quomodo, & quando sit exercibilis cōtra tertium, vel in concursu posterioris habentis obligatam ipsam rem &c.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De materia* text. in l. per diuersas, & l. ab Anastasio remissiuè.
3 *Saluianum non datur sine hypotheca.*
4 *Etiam in prohibitis obligari, commoditas cadit sub hypotheca.*
5 *Idque etiam in feudis, in pensionibus, & alijs.*
6 *Declaratur, vt id non procedat, re aliena-ta in tertium.*
7 *De ratione, & quid importet commo-ditas.*
8 *Quod hypotheca commoditatis nõ sit exer-cibilis contra tertium possessorem iu-re dominij.*
9 *In bonis prohibitis alienari, ac non exi-stentibus in commercio sine alterius assensu, ille, qui emit cum assensu, re-manet tutus, ac bona transeunt libe-ra, & de ratione.*
10 *An affecta remaneant melioramenta etiã post deuolutionem, vel alienationem.*
11 *De eodem, ac de materia melioramentorũ remissiuè.*
12 *De impositione census super re prohibi-ta, vt substineatur super melioramentis.*

DISC. XIV.

AD domum emphyteoti-
1 cam, cum strictissima prohibitione alienatio-nis, etiam latissimè sum-pto vocabulo, emptionis titulo, cum consensu do-mini, possessam per Ginum, iudicium Saluiani instituit Christophorus credi-tor venditoris cũ hypotheca ante dictã venditionem contracta, et introducta causa *in Rota coram Verospio*, in discursu pro directione futuræ disputationis, quæ pro mea notitia, adhùc sequuta non est plura concurrere videbantur fundamen-ta, ex quibus possessor poterat se tueri, Vndè quamuis non visis iuribus alterius Partis, non de facili iudicium pro verita-te, seù probabili causæ exitu efformari potuerit; Attamen vbi facti præsuppo-sita subsisterent, mihi videbatur, quod partes Rei, & possessoris essent in tuto, præsertim verò ex eo, quod idem possessor haberet iura anteriora cessa in summa absorbente integrũ valorem do-mus, & vltra, vnde propterea ex facto ces-sabat difficultas.

Quamuis enim supponeretur, quod ex parte actoris constitueretur fundamen-
2 tũ in dispositione *tex. in l. per diuersas, & l. ab Anastasio C. mandati, de quibus infra disc.* 60., & in alijs, stante quod possessor, soluta longè minori summa, huiusmodi cessiones obtinuerat, ideoque bonifican-da esset solùm summa soluta; Attamen videbatur leuis prætensio, quoniam ex deductis *dicto disc.* 60. *& alibi*, quoties agitur de bonæ fidei possessore, qui ad se tuendum in possessione, ac repellen-dum tertium molestantem, anteriora vel potiora iura obtinere studet, dicta-rum legum dispositio non intrat, eiusque industria prohibenda non est, nisi quan-do in possessore concurreret illa fraudis ratio, quæ militabat in casu, de quo *dicto disc.* 60.

Alterum erat fundamentum deficien-tis hypothecæ, sine qua istud interdictũ
3 absquè dubio nõ intrat ex deductis *apud Burat. decis.* 257. *num.* 14. *decis.* 4. *num.* 1. *par.* 9. *rec. & passim*, quoniam ista domus iuxtà præmissam facti seriem erat em-phyteotica cum strictissima alienandi prohibitione, etiam eius vocabulo latis-simè sumpto, quò casu receptum est, hy-pothecam quoque venire; Omnisq; difficultas cessabat, quoniam etiam obligatio ad speciem deducta erat, ideoque ces-sabat interdicti fundamentum.

Supponebatur autem, quod ex parte
4 actoris fundamentum constitueretur in conclusione, de qua cæteris relatis *Rota decis.* 167. *par.* 9. *rec., & sub tit. de Emphyt. disc.* 44., vbi de alijs decisionibus, & au-ctoritatibus, quod scilicèt etiã in huius-modi bonis, alienari, vel hypothecari prohibitis, nõ sit prohibita eorum com-moditas, in qua proindè hoc interdictũ sit exercibile.

Dicebam tamen conclusionem esse ve-ram in casu suo, non solùm in bonis em-
5 phytheoticis, sed etiam in feudalibus, vel fideicommissarijs, quinimò etiam in be-neficijs, vel pensionibus ecclesiasticis, vt pluries in dictis respectiuè materijs ad-uertitur, ac alibi.

Verùm fallacia erat in applicatione, quoniam vt aduertitur *dicto disc.* 44. *de*

Em-

Emphyt., ac in dictis alijs materijs præsertim *sub tit. de feud.*, id eatenus procedit, quatenus bona, de quorum cõmoditate agitur, perseuerent in dominio, & possessione debitoris, vel eius hæreditatis, secus autem, vbi cum legitimo titulo translatiuo dominij, cum assensu domini bona exierunt à dominio debitoris, atque effecta sunt de illo tertij possessoris, potissimè verò vbi ex titulo oneroso, & correspectiuo, citra fraudem, & collusionem, adeoùt non intret edictum *de his, quæ in fraudem &c.*, quo secluso creditori non habenti hypothecatam ipsam rem, nullum datur remedium cõtra tertium. 6

Ratio est, quoniam commoditas consideratur, vt quid nudi facti, omninò distinctum ab ipsa rei substantia, quam hypotheca non tangit, neque aliquod ius in ea imprimit, sed solũ aliquod ius tribuit ad fructus, postquam à causa productiua separati sunt, ideoque effecti de bonis liberis indifferentibus debitoris, adeoùt habens huiusmodi commoditatem, fingatur debitoris, vel cedẽtis minister, seù procurator in rem propriam, qui bona administret, atque fructus nomine cedẽtis, vel debitoris percipiat, eosque ita separatos sibi applicet, vt locis citatis aduertitur. 7

Id autem omninò impracticabile est postquam ipsa res, seù causa productiua exiuit à dominio debitoris, atque validè in alterum translata fuit, quoniam ad effectum, vt fructus cadant sub hypotheca, oportet, vt nascantur in dominio debitoris iuxtà *text. in l. 1. §. 1., & l. Paulus ff. de pign. cum concordan. dicto disc. 44. de Emphyt.*, ac etiam *hoc eod. tit.* pluries præsertim *disc. 37.* 8

Alia etiam conuincenti ratione accedente, quod possessor, qui de domini assensu rem ex causa oneroſa quæsiuit, tutus redditur à quibuscumque hypothecis, & vinculis adiectis per primum possessorem, non solùm ex conclusione, de qua *disc. præced., & dicto disc. 44. & 58. de Emphyt.*, ac alibi pluries, quod in huiusmodi prohibitis posteriores cũ assensu vincunt anteriores, qui illo careant; Sed etiam quia, vt pluries aduertitur in materia officiorum, & locorum montiũ *sub tit. de Regal.*, ac ad instar eorum, quæ habemus in resignatione beneficiorum quando possessor huiusmodi bonorum prohibitorum alteri de consensu eius, ad quem pertinet, vendit, vel cedit, dicitur solùm cedere iuri suo extinctiuè, tollendo se de medio per quamdam speciem refutationis in manu domini, adeoùt primus titulus extinguatur, ipseque dominus ex integro eãdem rem emptori, vel cessionario concedat, vndè propterea iure resolutionis causæ redactæ ad non causam, omnia vincula, & hypothecæ resoluuntur ex regula *tex. in l. lex vectigali ff. de pign.* 9

Et quamuis in decisione edita in casu, de quo *dicto disc. 44. de Emphyt.*, dicatur quod in omnem euentum obligari possent melioramenta, super quibus etiam census imponi potest, vbi facta sint per emphyteutam meliorantem iure domini ex plenè firmatis *per Rot. apud Merlin. decis. 546. num. 20. & sequent.*, quæ reputatur in materia magistralis; Nihilominus id pariter continet æquiuocum, quoties resoluto vt supra primo titulo, alterius noua efformatio per legem fingitur, tunc enim vbi agitur de melioramentis inseparabilibus, que de per se stare non possunt, impossibile est dare cõtinuationem dominij in eo, cuius ius iam resolutum est, cum constructum in alieno solo, ipsi solo cedat, ac efficiatur de dominio eius, cuius est solùm, meliorans autem remaneat creditor quantitatis pro melioramentorum resectione in eo quod minus, iuxtà distinctiones, quæ in hac materia habentur *eodem tit. de Emphyt.* præsertim *disc. 31., & sub tit. de feud. disc. 27.*, & sub altero *de Detract.*, vbi de hac materia melioramentorum, & *infra disc. 24.* 10

Posito autem, quod non adsit dominium, sed id importet simplex creditum quantitatis, exindè intrant termini *text. in l. nomen Cod. quæ res pign. obl. pos. cum ibi notat.*, quod licèt etiam nomen debitoris cadat sub hypotheca per ipsum creditorem contracta ad fauorem eius creditorum; Attamen si debitor à lege, vel ab homine non inhibitus proprio creditori soluat, hypothecæ super eo nomine contractæ resoluuntur, vt pluries infrà præsertim *disc. 27.*; Et consequenter eo ipso, quod de credito est satisfactus, resolutum est omne ius, quod creditoribus competere posset, vndè non 11

vi-

videtur, vbi hypotheca figat pedes, atque sit durabilis, & exercibilis contra tertium postquam res desijt esse de dominio debitoris.

Deducta verò *apud Merlin. dicta decis.* 246., percutiunt diuersum effectum, subinendi scilicèt impositionem census, nè iàs dici possit inualida, vtpotè sine fundo, vel super re aliena, & incapaci, non amen impedit dictos alios effectus; leque his aduersantur, quæ habentur ifra *dicto disc.* 24., quoniam ibi diuers is est casus, diuersaque ratio.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An agatur de terminis* text. in l. interdum, *vel de alijs* in l. licèt.
3 *De differentia inter vnum casum, & alterum, ac de vnius, vel alterius requisitis necessarijs.*
4 *Quando dicatur esse in vno, vel altero casu.*
5 *In quo consistant istæ quæstiones.*
6 *In casu* l. licèt, *pactum debet esse instantaneum.*
7 *An attendatur ordo scripture in eodem contractu.*
8 *De cautelâ aduersus anteriores etiam priuilegiatos.*

DISC. XV.

1 EMit Mancinellus siluam cæduam, ad effectum potissimum conficiendi tabulas, & alia ligna fabrilia, potiùs quam combustibilia, atque ad hunc effectum, Io. Baptista quamdam summã credidit; Cumque debitor defecisset, remansis in eius asse aliquibus tabulis, alijsque lignis fabrilibus, super his horta est controuersia, inter dictum Io. Baptistam, & Fabritium creditorem cum hypotheca anteriorem ex causa indifferenti, introductaque causa prius coram Thesaurario, deindeque per appellationem in Camera, variæ prodierunt resolutiones, magis pro varietate facti, in quo potius, quàm in iure tota fuit controuersia, super fide scilicèt præstanda aliquibus testibus ex parte Io. Baptistæ inductis ad probandum, quod pecunia in istam præcisam causam expresè credita fuisset, ac etiam super eiusdem pecuniæ versione in eãdem causam, ideoque incertũ est qualis fuerit finalis exitus.

Quatenus autem pertinet ad punctũ iuris; Difficultas restringebatur ad naturam, seù qualitatem crediti Io. Baptistæ,
2 àn scilicèt esset ad rem emendam, adeoùt intraret potioritas resultans ex dispositione *text. in l. licet C. qui pot. in pign. hab.*, vel pro expensis necessarijs, vt ligna

ROMANA
ECVNIARIA
SEV
TABVLARVM
PRO
. BAPTISTA CAPOCCIA
CVM
FABRITIO DE VICIS.

sus disputatus in Camera, & variè resolutus.

otioritate competente mutuanti l rem emendam iuxtà terminos xt. *in l. licèt Cod. qui pot. in pign. b.*, seù mutuanti ad rem resendam, vel conseruandam, seù o alijs expensis necessarijs, iuxtà rminos *text. in l. interdum ff. eo- m*, et de differentia inter vnum sum, & alterum.

exiſtentia in ſilua, ad eam formam reducerentur, pro incisione ſcilicèt, ac ſecatione, & vectura iuxtà terminos *text. in l. interdum ff. eodem tit.*; Vbi etenim verificetur requiſitum, quod vtroque caſu eſſentiale, ac neceſſarium eſt, vt ſcilicèt pecuniam expreſsè in eam cauſam data ſit, ſecus autem ſi ſimpliciter mutuata, quamuis mutuatarius in eam erogauerit ex deductis ſupra *diſc.* 1., & in alijs; Notabilis differentia eſt inter vnum caſum, & alterum; Vbi enim agitur de credito ex cauſa refectionis, vel
3 conſeruationis, aliarumque expenſarum iuxtà terminos *text. in l. interdum* non incumbit mutuanti neceſſitas de ſollicitudine hypothecæ ſpecialis ipſius rei reficiendæ, vel conſeruandæ, quinimò neque generalis, quoniam etiam ſine ea, cõpetit potioritas; Secus autem in altero caſu mutui ad rem emendam iuxtà terminos alterius *text. in l. licèt*, quoniam tunc, vltrà duo requiſita, vtrique caſui communia, mutui ſcilicèt in ipſam cauſam ſpecialem, & verſionis, requiritur etiã hypotheca ſpecialis ipſius rei emendæ, vt cæteris antiquioribus relatis habetur *apud Rodriqu. de cons. credit. art. 7. num. 8. cum ſeq. Gait de cred. cap. 4. quæſit. 11. num. 1198. cum ſeq. Carleual. de Iudic. tom 2. diſput. 28 num. 3. cum ſeq. Amat. reſol. 3.* & communiter.

Hinc proindè, ſcribentes hincindè concordabamus in hac theorica, ſeù diſtinctione generali, ſed quæſtio erat in applicatione, àn in vna, vel altera dictæ diſtinctionis parte verſaremur; Si-
4 quidem ſcribentes pro Fabritio creditore anteriore (vbi præſupponendum eſſet pactum, quod tamen acriter negabant) dicebant quod eſſet mutuũ ad rem emendam iuxtà terminos *text. in l. licèt*; Ego verò ſcribens pro Io. Baptiſta prætendente potioritatem, dicebam quod potiùs verſaremur in terminis *text. in l. interdum*.

Reflectendo autem ad ſolam veritatem, hæc poſterior pars probabilior videbatur, idemque erat ſenſus Tribunalis, cuius difficultates, vt dictum eſt, in facto potiùs, quàm in iure conſiſtebant, ſuper aliorum requiſitorum iuſtificatione, dum nulla deſuper habebatur ſcriptura, ſed totum pendebat ex teſtibus aliquam exceptionem, in dicto, ac etiam perſona patientibus; Contractus etenim emptionis, & venditionis, verè & propriè interceſſerat, inter dominum ſilue venditorem, & Mãcinellum debitorem, qui emerat, atquè ità, ſoluto pretio (in quò nulla erat quæſtio), effectus fuerat arborum, ac lignorum dominus, qui volens, poterat ea erogare in vſum lignorum combuſtibilium, abſq; tot ſumptuũ neceſſitate, vndè propterea, cum ad maiorem induſtriam, tabulas, & tabres, ac ligna fabrilia conficere voluerit, pecunia ad hunc effectũ mutuata, verè, & propriè dicitur erogata in expenſas neceſſarias pro reductione lignorum ad eam formã, eo modo, quò emens fructus pendentes vel maturos olueti, vel vineæ, negligendo vendere ipſas vuas, vel oleas in ſpecie ad maiorem induſtriam, ac vtilitatem, vult eas reducere in oleum, vel vinum conſeruandum, debitoque tempore vendendum, quoniam id quod in iſtam cauſam mutuatum eſt, abſquè dubio cadit ſub terminis *text. in l. interdum*, non autem ſub alijs *in l. licèt*, iſtique videbantur veri, ac proprij iſtius cauſæ termini, ideoque præſuppoſito facto, quod ea, quæ iuris ſunt, iuſtitia huic parti aſtebat.

Nimium autem frequentes in fo ſunt huiuſmodi quæſtiones, pluries, pluries à me tractatæ, in idem tam coincidentes, quod ſcilicèt ſint factiũ
5 tiùs quàm iuris, tàm ſuper probatio mutui in eam cauſam, quàm frequen ſuper probatione verſionis, quæ tam rigoroſa, & præciſa non requiritur, etiam præſumpta, ſeù adminicu ua ſufficit iuxtà auctoritates infinit ſupra *diſc.* 1.; Ac etiam, vt in caſu, de *in l. licèt*, pactũ hypothecæ ſpecialis p cedat, vel ſaltèm ſit inſtantaneum, ſe
6 autem, ſi ex interuallo, & poſtquam empta effecta eſt de dominio debitor cum tunc iam ceciderit in hypoth anteriores, in quarum præiudicium ſequens pactio operatiua non eſt *Neg ſant. 4. membr. 3. par. num. 34*, & ci ductis *per Rot. apud Buratt. & add 62. & paſſim.*

Idque adeò rigoroſè credit *Negu ſupra poſt nu. 35. verſ.* ſed inſurgit, q non ſufficiat, vt adijciatur in eode ſtrumento poſtquam perfectus eſt
7 tractus emptionis, & venditionis, q

quo

quod illa instantanea acquisitio sufficiat; Quod etiã in altero pacto reseruationis dominij, sequendo eumdem rigorosum sensum, credit *Pacif. de salu. inspec. 3. cap. 3. num. 44. & seq.*; Vterque tamen malè, ideoq; merito hæc opinio est magis communiter reprobata, ex ea clara ratione, quod in eadem scriptura non datur ordo per prius, & per posterius, quoties de actibus connexis, & correspectiuis agatur, cum dicatur vnum integrale, quod in vltimo verbo, seù vltima syllaba perficitur, vt aduertitur supra *in Romana Saluiani de Saluiatis disc. 9.*, & cæteris relatis firmant *Afflict. decis. 306. Surd. decis. 157. Franch. decis. 369. Merlin. de pign. lib. 4. quæst. 41. numer. 75. & seq.*; & communiter.

Illa etenim prælatio, quæ in proposito considerabilis est, percutit eam meliorẽ
8 cautelam in præcedentibus insinuatam, ac etiam *sub tit. de Dote disc. 166.*, quæ frequenter adhiberi solet ad excludendos etiam anteriores priuilegiatos, quibus regulariter ratione conquassationis priuilegiorum, ista potioritas resultans *ex l. licèt*, non obstat, vt contingit præsertim in dote, & fisco, quoniam pactum præcedere solet, vt priusquam bona acquirantur emptori, ac de eius dominio fiant, hypothecata censeantur mutuanti ad eam emendam, adeoùt sic affecta acquirantur, cum tunc sub anterioribus hypothecis cadere non possint, nisi cum sua causa, cum qua debitori acquiruntur, atque in eius dominium transeunt.

CORNETANA FRVMENTI PRO PRINCIPE BVRGHESIO CVM ASSENTISTIS TRIREMIVM.

Casus disputatus coram Thesaurario, & in Camera, resolutus pro Burghesio.

De concursu, & potioritate super fructibus fundi, inter locatorem pro pensione, & mutuantem pro expensis culturæ, & recollectæ eorũdem fructuum; Et de potioritate locatoris in animalibus, quæ in fundo locato pascua sumpserunt.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De spolij purgatione remissiuè.*
3 *Non debent assumi quæstiones in abstracto, sed immorandum est in concreto.*
4 *De requisitis potioritatis ad rem reficiendam, vel conseruandam, aliasque expensas.*
5 *De stylo Curiæ abhorrendi superflua.*
6 *Quando intret quæstio, de qua num. 4.*
7 *Et quando cessat.*
8 *De potioritate locatoris in fructibus rei locatæ pro pensione.*
9 *Contrarium, vt ea non competat.*
10 *Quid in hac operetur reseruatio dominij.*
11 *De eodem.*
12 *De ratione, ob quam mutans pro expensis necessarijs præferri debet.*
13 *De eodem.*
14 *De prælatione Domini pascuorum super animalibus.*
15 *Et de eorum retentione, & quid vbi sint extrà locum pascuorum.*

DISC. XVI.

Ocauit Burghesius Bernardino tenutas in territorio Cornetano pro annua pensione rubrorum 500. frumenti, sub pacto reseruationis dominij, ac
1 specialis hypothecæ super frumento, & hordeo, omnibusque alijs fructibus, ac etiam super omnibus animalibus, tunc extantibus, & quomodocumque introducendis, absque eo, quod cuiquam ius quæri valeat; Cumque in causam dictæ pensionis, conductor, locatoris ministris quandam notabilem frumenti quantitatem consignasset, per eosdem repositam in foueis vel puteis locatoris, proprijs, vel ad hunc effectum conductis; Assentistes triremium Pontificiarum, prætendentes in causam frumenti pro triremiū vsu necessarij, notabilem pecuniarum summam, recollecta imminente, eidem conductori mutuasse, erogatam in expēsas secaturæ, ac triturationis, de facto ex dictis foueis, vel puteis, tantam frumenti quantitatem, quæ pecuniæ datæ respondet extraxerūt; Quare ex parte locatoris à Thesaurario iudice competente obtentum fuit mādatum de reintegrando, per Tribunal Cameræ in gradu appellationis approbatum.

In dispurationibus autem desuper habitis, vltra ea, quæ sunt ordinis circa spolij purgationem, denegata retentione, atque reiectis exceptionibus merita negotij principalis concernentibus, de quibus
2 in sua materia *sub tit. de Iudicijs*, vbi de huiusmodi interdictis possessorijs; Quatenus pertinet ad merita, seù iustitiam causæ, super concursu inter locatorem dominum fundi pro pensione, & mutuātes pro expensis necessarijs ad colendum, & colligendum fructus.

Dicebā scribens pro locatore, id quod pro stylo frequenter dicere consueui, vt extraneum, ac improprium sit assumere
3 quæstiones iuris in abstracto, quoties nō assistat factum, ex quo ius oritur, cum in hoc differant scholastici, seù Accademici à forensibus, quod illi tractāt quæstiones ideales in abstracto, isti verò eas tractāt in concreto, pro certis, ac determinatis casibus, decidendis pro facti qualitate.

Cum igitur ex ijs, quæ pluries in præcedentibus habentur, ac in specie firmat
4 *Rota apud Vbald. decis. 176. repetit. apud Spad. cons. 268. lib. 2.*, (qui plenè idem probat) cum alijs *per Amat. resol. 3. num. 47. cum seqq., & Merlin. de pignor. lib. 3. tit. 1. quæst. 5. num. 64. cum seqq.*, ad effectum, vt ad fauorem mutuantiū in refectionem, vel conseruationem, seù culturam, & recollectam, intret potioritas resultans ex dispositione, vel ratione textus *in l. interdum ff. qui potior. in pignor. habeant*, duo copulatiuè cōcurrere debeant; Primò scilicèt quod expressè in eam causam pecunia mutuata sit; Et secundò, quod in eandem versa, seù erogata fuerit; Quamuis in hoc secundo requisito benignè procedatur, vt etiam præsumptiua, vel adminiculatiua probatio sufficiat; Attamen primū benè iustificari debet, quoniam nil refert, quod mutuatarius in hunc vsum pecuniam creditam erogauerit, si id à casu, ac debitoris electione, non autem à mutuantis prouidentia prouenerit, ex deductis supra *disc. 1. & in alijs*.

Cumque in facto supponeretur, quod hęc probatio deficeret, hinc proindè inanis labor erat iuris articulum assumere; Atq; in hoc verè nimium cōmendabilis est Romanæ Curię stylus, abhorrendi scilicèt superfluas euagationes in quæstio-
5 nibus, à casu, ac puncto præciso extraneis; Vndè propterea apud doctos, ac versatos forenses, contemptibiles reputantur illi labores, apud ignarum vulgum plausum habere soliti, in quibus, extra causæ punctum, (qui frequentiùs intactus relinquitur) totius materiæ in abstracto tractatio assumitur, adeoùt rectè congruat dicterium, quod abundant in superfluis, ac deficiunt in necessarijs.

Præterea, vbi etiam dictorum requisitorum probatio accederet, adhùc tamen dicebam, quod extranea remanebat disputatio articuli iuris, ex pariter deficiē-
6 te facto; Ista siquidem quæstio, quæ habet opiniones hincindè, vt infrà, percutit casum concursus, quando scilicèt vterque creditor priuilegiatus veniat agendo ad fructus extantes penès communem debitorem, vel sub sequestro, ac administratione iudicis, siuè etiam in pretio, quod extet, atquè loco rei subrogatum dici valeat, quia nempè, (vt præsertim

in

in fructibus, qui corrumpi, vel perire possunt, frequentius contingit, vndè ex Iudicis prouisione venduntur) in pretio eorum loco subrogato, ac depositato fit concursus pro eius liberatione creditoribus iuxtà eorum ordinem.

Secus autem (vt in hac facti specie), vbi vnus ex creditoribus altero diligentior, in statu bonæ fidei, atque priusquã à lege, vel ab homine debitor inhiberetur, satisfactionem habuerit; Tunc etenim, quemadmodum vbi solutio facta est in pecunia, quæ bona fide cum reliquo patrimonio creditoris commixta est, ex recepta æquitate, neglecto iuris rigore, pro fauore commercij, ac ratione communis vsus, non datur vendicatio iuxtà *decis.* 190. *Afflict.* cum alijs, de quibus infrà in hac materia auocationis pecuniæ; Ità pariter in huiusmodi frugibus, vel mercibus, pecuniæ vicem quodammodo habentibus, atqué functionem in genere recipientibus, vbi verè transierunt in dominium creditoris, atque cum reliquo eius patrimonio commixtæ sunt, iuxtà distinctionem desumptam ex magistrali *consil. Calderin.*, de qua habetur formiter actum *sub tit. de Benefic. disc.* 81. *cum seqq.*, adhùc idem dicendum videtur, cum eadem sit vtriusque casus ratio; Atque ex hac circumstantia, mihi reflectenti, etiam ad solam veritatem, videbatur, quod bonum ius huic Parti potius assisteret.

Vbi verò ista circumstantia cessante, adeoùt ambo venirent in concursu, ageretur de puro articulo iuris super maiori, vel æquali potioritate istorum creditorum priuilegiatorum; Ego scribens pro locatore, deducebam potioritatem, quam fauore locatoris in fructibus rei locatæ firmant cæteris relatis *Decian. cons.* 50. *lib.* 3. *Gait. de credit. cap.* 4 *quæst.* 11. *num.* 1586. *& seqq. Gratian. discept.* 25. *num.* 9. *& discept.* 713. *nu.* 1. *cum seqq.*, *Acosta de priuileg. creditor. regul.* 1. *ampliat.* 12. *num.* 12. *cum seqq.*; Idque clarius, ac extra difficultatem procedere dicebam in hac facti specie, vbi accedit reseruatio dominij, vt admittitur *apud Vbald. decis.* 246., & benè firmatur *per Rotam decis.* 351. *par.* 11. *rec.*, vt etiam aduertitur *disc. seq.*

E' conuersò autem Scribentes pro creditoribus ex causa expensarum pro cultura, & recollecta, dicebant contrarium esse verius, reiecta in specie doctri-
9 na *Deciani ex deduct. per Mantic. de tacit. lib.* 4. *tit.* 23. *num.* 11. *cum seqq.*, *Pacific. de Saluiano inspect.* 3. *cap.* 2. *numer.* 524., *Merlin. de pignor. lib.* 3. *quæst.* 5. *num.* 46. *cum seqq. & num.* 52. *cum seqq. Harbosa ad leg. Hispan. lib.* 4. *tit.* 21. *l.* 25. *glos.* 10. *num.* 18. *cum seqq.*

Reflectendo autem ad veritatẽ, quando, vt dictum est, res esset in fieri, quodquè ambo venirent agendo in concursu,
10 mihi verior videbatur hæc posterior opinio, non obstante reseruatione dominij, per quam fauore locatoris cessat omnis quæstio, in concursu dotis, vel alterius anterioris priuilegiati creditoris, qui ex regula conquassationis priuilegiorum prætenderet iuuari regula, *qui prior*.

Siquidem locatoris priuilegium consistit in ipsis *rei locatæ fructibus*, in quibus esse non potest maioris operationis
11 istud dominium fictum, quam sit verũ, ac proprium, perindè ac si locatio facta non esset, atque fructuum perceptio facta fuisset per spoliatorem, vel intrusum, seù alias non dominum; Cum igitur, etiam isto casu, verius videatur, vt potior sit creditor huiusmodi expensarum
12 ex duplici ratione in idem tendente; Primò scilicèt, quod fructus dicuntur illi solùm, qui supersunt deductis expensis pro eorum cultura, & collectione necessarijs, vt ponderant superius allegati, & generaliter ad satietatem colligit Additionator *ad decis.* 444 *nu.* 14. *cum seqq. par.* 4. *rec. tom.* 2.; Et secundò quod si ipsemet locator bona locata retinuisset, sibi incumbebat necessitas faciendi has impensas, vt etiam occasione concursus dotis cum huiusmodi creditoribus ex causa impensarum pro cultura, & collectione fructuum, super quibus fit concursus, habetur actum *sub tit. de Dote disc.* 166., hinc proindè pro huiusmodi expensarum potioritate probabilius tenendum est.

Ità etiam exigente publica vtilitate, præsertim, vbi agatur de istis impensis pro secatione, triturationc, & collectione, ob vrgentem, ac magis imminentem
13 necessitatẽ id promptè, ac celeriter faciendi, adeoùt sæpius vnius diei mora in secando, vel secatum recolligendo, ratio-

tione ventorum aquilonarium, vel pluuiarum, seù imbrium, ingens damnum causare soleat, et consequenter expedit huiusmodi mutuatoribus certum, ac omnimodum potioritatis priuilegium concedi, vt ità prompti reperiantur; Idemquè, & fortiùs, vt id concedatur ipsis messoribus, alijsquè operarijs absque vlla difficultate.

Super hoc eodem affictu alia fuit controuersia inter locatorem, & conductoris creditores anteriores ex causa indifferenti super quibusdam animalibus con-
14 ductoris, quæ in istis tenutis pascua sumpserant, atque extrà tenutas ad instantiam creditorum anteriorum executa fuerant, vndè desuper ex parte locatoris, etiam pro veritate consultus; Dixi pro eo respondendum esse, ex dispositione, seù ratione *dicti text. in l. interdum, ff. qui potior. in pignor. habean.*, cum ex huiusmodi herba, seù pascuis, animalia conseruata sint, & quæ aliàs non essent in bonis debitoris, ideoque vtile ipsorummet anteriorum creditorum negotium gestum est, vt in specie prælationis competentis domino pascuorum in animalibus, quæ ibi depasta sunt, antiquioribus allegatis firmant *Caualcan.*, *Garzia*, *Surdus*, & cæteri collecti *per Giurb. decis.* 40., *Gait. de credit. cap.* 4. *quæsito* 11. *num.* 1562. *Amat. resol.* 3. *num.* 13. *Salgad. in labyrint. par.* 1. *cap.* 24. *numer.* 101.; Idque non ex legis priuilegio, sed ex dicta ratione, iuri, ac æquitati naturali innixa, quod semper reficiendum est id, quod ipse dominus, vel anterior creditor perneceſsè fuerit expensurus, si rem possidisset, nàm aliàs esset locupletari de alieno.

Et quamuis iuxtà sensum *Surdi de alimen. tit.* 8. *priuileg.* 72., cum quo aliqui ex allegatis procedere videntur, exigatur requisitum, vt specialitèr pro pascuis animalium herbæ datæ, seù loca-
15 tæ sint, præsertim ad effectum habendi actionem ad ipsa animalia extracta ab ipso fundo, adeoùt non intret priuilegium retentionis, quod absque dubio, tàm de iure, quàm de communi vsu competit; Attamen quidquid sit de hac opinione, de qua ex diuerso sensu *Caler. de aliment. cap.* 8. *lib.* 3. *numer.* 18. dubitat *Rota decis.* 114. *num.* 9. *par.* 4. *rec. tom.* 2.; Cessabat difficultas ob expressam, ac specialem hypothecam ipsorum animalium, ibi depasci debentium, quamuis à fundis extraherentur, vt aduertitur *dicta decis.* 114. *num. fin. par.* 4. *rec.*

PORTVEN.

SEV

ROMANA PECVNIARIA

PRO

COMMVNITATE MONTERANI

CVM N.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro N.

De eadem materia concursus locatoris pro pensionibus, & creditorum anteriorum cõductoris super fructibus rei locatæ, si agatur de fructibus vnius anni pro pensione decursa anni præcedentis; Et quid in pretio ex ipsis fructibus retracto.

SVMMARIVM.

1 *FACti series.*
2 *De potioritate, locatoris pro pensione in fructibus rei locatæ.*
3 *De materia potioritatis in genere, remissiuè.*
4 *De illa pistorum Vrbis pro pane.*
5 *Vbi fructus extant, in illis locator omnibus præfertur, reseruato dominio, secus si non extent.*
6 *De ratione differentiæ.*
7 *Quando adesse dicatur reseruatio dominij, necne.*
8 *In locatione bonorum Cõmunitatis ines-*

censetur reseruatio dominij, et de ratione.

9 *Quod locatoris potioritas in fructibus intelligatur de pensione illius anni.*

10 *An pretium succedat loco fructuum, & quando.*

11 *De eodem, & nu. 12., vbi de declaratione regulæ negatiuæ.*

13 & 14 *De eodem potissimè in rebus corruptibilibus.*

15 *De regula non auocandi à posteriore pecuniam bona fide consumptam.*

16 *De huius regulæ limitationibus.*

DISC. XVII.

LOcata per Communitatis Administratores Tenuta ad triennium, cum pacto specialis hypothecæ fructuum, quodque super eis nullũ ius alteri acquiri posset; Conductore defecto, frumentum iam secatum, & in area eiusdem tenutæ existens de mandato iudicis exequutum ac venditum fuit ad instantiam eius creditorum, quibus, neglecta consueta cautione de restituendo prioribus, & potioribus, illud solutum fuit; Cumque Communitas locatrix consequi deberet, tàm pensiones illius anni, quàm annorũ præcedentium, hinc coram eodem A. C. iudicium instituit contra dictos creditores prò auocatione dictæ pecuniæ, ratione eius potioritatis, sed pro rata annorũ præcedentium succubuit. 1

In disputationibus autem desuper habitis, tres fuerunt puncti. Primò circa potioritatem locatoris aduersus creditores anteriores cõductoris; Secundò quatenus dicta potioritas competeret super dictis fructibus, àn idem dicendum esset in prerio; Et tertiò, àn dicti creditores anteriores excusari possent à restitutione dictæ pecuniæ, quam dicebant bona fide consumptam.

Quatenus pertinet ad primum, Dicebam scribens pro Communitate, duos casus in proposito distinguendos esse; Primò scilicèt, vbi locator potioritatem deducat ex sola dispositione iuris per rationem, vel extensionem *text. in l. interdum ff. qui pot. in pign. hab.*; Et secundò vbi adsit reseruatio dominij ad fauorem locatoris.

Primo casu, quamuis non desint huiusmodi potioritatem negantes, potissimè verò vbi fructus nõ sunt pendentes, 2 sed iam collecti, adeòut transierint in dominium cõductoris ex auctoritatibus deductis *discur. præced.*; Nihilominus, magis communis, ac probabilis, magisque recepta videtur contraria ex testimonio *Gait., Gratian., Rodriquez, Acost. & aliorum*, de quibus *eodem discur. præced.*; Quamuis enim Hispani nimium se fundent in lege, seù pragmatica particulari, Attamen concludunt etiam de iure communi, siuè ex recepto vsu idem dicendũ esse; Atque de obseruantia Vrbis, & Status Ecclesiastici testari videtur *Antolin. in glos. ad Bull. Pistor. num.* 316., vbi occasione agendi de priuilegio potioritatis pistorum ex causa panis dati exercentibus artem agrariam, generaliter agit de huiusmodi concursibus, tàm locatoris pro pensione, quàm creditoris pro semine, ac etiam de salario operariorum, ac mutuantium pro cultura, & collectione; Et de quo priuilegio pistorum pro pane 4 quomodo intelligendum sit, habetur *sub tit. de Dote disc. particulari* 81., & *disc. generali* 166. 3

In altero autem casu, in quo locator, non solùm innitatur dispositioni iuris, sed etiam prouidentiæ propriæ, cum speciali hypotheca, & reseruatione dominij, id videtur extra controuersiam, quoties ipsi fructus extent, atque nõ sint omninò confusi cum reliquo patrimonio conductoris, adeòut non obstet defectus identitatis, vt admittunt ijdem 5 tenentes opinionem contrariam, ac etiã admittit *Rota apud Vbald. decis.* 246., in qua erat maius fundamentum scribentiũ pro creditoribus, cum tunc ex deductis *per Acost. & Harbon. discur. præceden.*, etiam doti, & fisco, locator præferri debeat ratione dominij, quod semper vincit hypothecam, ex pluries deductis *in præceden.* occasione potioritatis venditoris in re vendita, vbi de ista cautela sibi consuluit, & in his terminis benè firmatur *per Rotam decis.* 351. *par.* 11. *rec.*

Ratio differentiæ est clara, quod scilicèt conductor nullum ius habet faciendi suos fructus fundi non sui, et consequenter eius creditores nullum ius in eis 6 habere possunt, tanquam in bonis alterius, quàm debitoris; Eatenus autem

con-

conductoris creditores ius habent, quatenus fundi dominus eorum debitori cõcedat illud quasi, vel subalternum dominium, quod conductori dari dicitur, quo mediante colligit fructus tanquam suos, illique à solo separati transeunt in eius dominium, et consequenter cadunt sub hypothecis eius creditorum, vnde propterea concursus fieri dicitur tanquam in bonis proprijs debitoris per quamdã assimilationem illius concursus, qui fiat super bonis venditis habita fide de pretio inter ipsummet venditorem sibi non cõsulentem de cautela reseruationis dominij, & creditores anteriores emptoris, quoniam dicta cautela accedente, cessat omnis quæstio.

Non negabant scribentes in contrarium veritatem huius theoricæ, sed vltrà motiuum, de quo infrà in secundo puncto, quod non ageretur de ipsis fructibus, sed de pretio; Negabant applica-
7 tionem ad factum, ex eo quod non adesset explicita reseruatio dominij, sed solũ hypotheca specialis; Verùm in sensu etiã veritatis (qualem quoque Iudex habebat), dicebam id nullam habere subsistentiam, Tùm quia animus locatoris non faciendi fructus de dominio conductoris vtsupra, clarè desumebatur, nedum ex adiectione hypothecæ specialis, sed etiam ex pacto, vt super ipsis fructibus nullum ius alteri acquiri posset, quod in proposito huiusmodi reseruationẽ explicitè præseferre videtur.

Tùm clarius, quoniam agebatur de bonis Communitatis, quæ iure minoris, vel pupilli censenda est, vtpotè viuens sub
8 necessaria, & legali administratione *ad text. in l. Rempublicam Cod. de iur. Reipub. cum concordan. apud Criuell. decis. 44. nu. 4. Odd. de restitut. in integr. qu. 3. art. 10. num. 66. & seqq.*, cum alijs plenius deductis *in Bononien. censuum sub tit. de alien. & contract. disc. 23.*; Et consequenter eadem reseruatio subintelligenda est de iure ob defectum potestatis administratorum, liberè, ac sine debitis cautelis transferendi dominium, seù habendi fidẽ de pretio, adinstar eorum, quæ habemus in hoc defectu potestatis tutoris in bonis pupilli, vndè propterea hic primus punctus videbatur planus.

Replicabant tamen Scribẽtes pro creditoribus freti auctoritate *dictæ decis.* 246. *Vbaldi* (à qua eotum desumebant)
9 vt præmissa admittenda essent pro pensione illius anni, de cuius fructibus agebatur; Secus autem pro rata pensionum annorum præcedentium, quorum nulli fructus extabant, vndè propterea locator iure creditoris indifferentis censendus erat, atque ego admittebam vim responsionis, vbi ageretur de potioritate resultante à sola dispositione iuris iuxta dictam probabiliorem opinionem; Secus autem vbi accedit reseruatio dominij explicita, vel de iure subintellecta, vt supra, quoniam tunc vrget dicta ratio, quod creditores nullum ius habent vtpotè in bonis alterius quam debitoris, & quorum dominium locator noluit à se abdicare, neque in alterum transferre, nisi de eo quod supereffet, postquam ipse integrè satisfactus esset, adinstar eorum quæ pluries *in præceden.* insinuata habẽtur super potioritate venditoris dominium sibi reseruãtis etiam pro parte pretij, quamuis alia pars soluta esset à creditore concurrente. Verùm id Iudici non arrisit, sed sequendo *dictam decis. Vbaldi*, credidit vt in fructibus vnius anni, nulla prætendi posset potioritas pro pensionibus annorum præcedentium, idque non improbabiliter.

Quò verò ad secundum punctũ, quod non ageretur de ipsis fructibus, in quibus verificabilis esset reseruatio dominij, sed de pretio; Scribentes pro creditoribus, fundamentum constituebant
10 in conclusione, de qua præsertim latè *apud Manent. decis. 58. vbi concordan.*, quod pretium non succedit loco rei, deducendo etiam firmata *per Rotam in Romana concursus 15. Iunij 1665. coram Emerix*, in qua agendo de pretio retracto ex bonis emphyteuticis, dicitur quod ea potioritas cõpetens in ipsis bonis feudalibus, vel emphyteoticis creditoribus habentibus domini assensum, locum non habet in pretio.

Verùm (in sensu etiam veritatis) dicebam istud esse debile fundamentum, cum ageretur de bonis venditis auctoritate iudicis, vndè propterea pretium succedit
11 loco rei ex deductis *apud Franch. decis. 64. nu. 1. & 16. Surd. & Add. decis. 306.* cum alijs deductis *in eadem Romana concursus, in qua prodijt dicta Rotæ decisio sub tit. de Emphyt. disc. 58.*; Vbi etiam

ad-

aduertitur quod conclusio, vt pretium non succedat loco rei, admittenda venit, vbi domino, vel creditori cum assensu, consultum esse potest super ipsa re, quæ
12 extet, atque in ea actio sit exercibilis, secus vbi non extat, vel ad eam regressus haberi non potest ex ibi deductis; Et in his specialibus terminis pretij redacti ex fructibus bonorum locatoris benè *dicta decis.* 351. *num.* 14. *par.* 11. *rec.*; Et de pretio retracto ex frumento *decis.* 51. *n.* 4. & 5. *par.* 10., vbi concordantes.

Potissimè verò, ac extra omne dubiũ, vbi agitur de huiusmodi bonis corruptibilibus, quæ seruãdo seruari nõ possunt,
13 siuè peremptioni subiacent, quoties non sint sub domini cura, & administratione, sed sub cõcursu creditorũ, vndè propterea expedit deueniri ad dictã prouisionẽ ea vendendi, omneq; ius concurrentium transfundendi in pretium, talisque est vbique recepta praxis, vtpotè rationabilis, imò necessaria; Multò verò magis in hac facti specie, quod re perempta, agebatur de Communitate iure minoris
14 vel pupilli vt supra censenda, quo casu facilius intrat subrogatio pretij loco rei ex ijs, quæ plenius in hac materia habentur deducta *infra hoc tit.* ad hanc materiã pretij succedentibus loco rei.

Planum item fauore huius partis dicebam tertium punctum circa auocationẽ
15 pecuniæ solutæ; Quamuis enim, vt infrà ad hanc materiam auocationis habetur, ex quadam recepta æquitate magis, quam in puncto iuris, ratione commercij, & communis vsus, non detur auocatio pecuniæ solutæ, ac bona fide consumptæ, etiam impropriè mediante confusione cum reliquo patrimonio iuxtà *dec.* 190. *Afflict.*, quæ in hoc proposito reputatur magistralis; Attamen inter plures limitationes, quas ista conclusio patitur, tres in proposito concurrebant ad rem applicabiles, quarum singulæ sufficiebãt, multò verò magis omnes simul iunctæ; Primò scilicèt vbi debitor iam in malo
16 statu constitutus est, cum tunc creditor dicinõ possit versari in bona fide *Seraph. decis.* 1074. *Penia decis.* 338. *Fontanell. de pact. clauf.* 5. *glos.* 8. *par.* 7. & communiter; Secundò vbi omnium creditorum æqualis fuisset diligentia, solutio autem prouenisset ex debitoris gratificatione ex deductis *per Fontanell. vbi supra num.* 20. *de Marin. resol.* 71. *num.* 9. *lib.* 1. *Seraph. dicta decis.* 1074. *nu.* 3. *Buratt. decis.* 687. *num.* 2.; Et tertiò clarius vbi solutio facta esset, non ab ipso debitore liberam suorum bonorum administrationem habente, sed per Iudicem, sub cuius administratione bona debitoris posita sunt, cum tunc casus remaneat extra omnem controuersiam, atque obligatio de restituendo subintelligitur de iure, neque Iudicis negligentia præiudicare debet alijs inauditis creditoribus ex deductis per supra allegatos, ac etiam infrà ad hanc materiam auocationis, etiam vbi per hæredem beneficiatum, vel aliũ administratorem, solutionem fieri contingat, de quo etiam habetur *sub tit. de Regal. disc.* 29. *& alibi*; Verùm neque hoc iudicis intellectum captiuauit, sed pro meo iudicio malè.

CREMONEN.

PRÆLATIONIS

PRO

ALPHONSO DE FERRARIIS

CVM

LVDOVICO SCHIZZIO.

Responsum pro veritate.

De concursu super animalibus, inter creditorem mutuantem ad illa emendum, & creditorem pro eorumdem pascuis, cui nam potioritas debeatur,

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Quando clericis citrà mercaturam, lici-*

licitum est emere animalia ad industriam.

3 *De consuetudine Status Mediolani super potioritate domini pascuorum in animalibus.*

4 *Vt idem procedat de iure.*

5 *De potioritate mutuãtis ad rem emendã, & quando fortius procedat.*

6 *Sed creditor pro pascuis est potior mutuãte ad rem emendam.*

7 *De ratione, & de differentia inter potioritatem* ex l. interdum, *& alteram* ex l. licèt.

8 *De potioritate possessoris in pari causa.*

9 *Quando id procedat, & qualis possessio requiratur.*

10 *De stylo extero euagandi in superfluis.*

11 *De obligatione conductoris restituendi fundum instructum, vt recepit.*

12 *Quando mutuans ad emptionem animalium habeatur iure domini.*

13 *De qua culpa teneatur conductor, vel mandatarius.*

14 *De eodem, & ad quid teneatur conductor, vel mandatarius non adhibens diligentiam.*

15 *Quod exceptio firmet regulam in casibus non exceptuatis.*

DISC. XVIII.

CVM fructus aliquorum agrorum Lombardiæ, præsertim Territorij Cremonensis consistat in fæno, quod ex mira terræ fœcunditate, ter, & quater in anno colligitur, inutile verò esset, nisi adessent animalia illud depascentia, (vndè propterea receptũ est, vt à clericis citrà mercaturam id fieri possit iuxtà declarationes Sac. Cõgregationis relatas *per Barbos. de Iur. Eccl. lib. 1. cap. 40. n. 127.*) Hinc aliqui huiusmodi prædiorum domini, illa instruunt, cum proportionato, 2 vaccarum, aliorumque animalium numero, ità cum eorumdem animalium fœtibus, & lacte percipiendo fœni pretium; Alij verò nolentes huic industriæ ad proprium commodum, & periculum vacare, curant in eisdem prædijs introducère rusticos, quos vulgò *Casarios* appellant, vt emant animalia ad proprium cõmodum, & periculum, mutuando eis pecuniam ad illa emenda, sub ea lege, vt pendente mutui restitutione, addicta essent eisdem prædijs, vt eorum fœnum, in consumant, soluendo prius domino prædij pretium pascui cum retractu fœtuũ, & casei, aliorumque lacticiniorum, & deindè in satisfactionem sortis principalis mutui (quatenus adsit exuberãtia), ipsius prædiorum domini, ac respectiuè creditoris, qui propterea pro eius satisfactione cooperantur in fœtuum & casei, aliorumq; fructuum exitatione; Istũque secundum modum tenere consueuit Alphonsus in eius prædijs, mutuãdo Casarijs in eis morari solitis pecunias pro emendis vaccis; Cum autem idem per aliquod tempus à patria abesse in animo haberet, conuentionem inijt cum Ludouico, vt iste deberet ei soluere pro dictorum prædiorum fructibus annua scuta 600., sub ea tamen lege, inter alias, vt dictis animalibus absquè ipsius Ludouici culpa deficientibus, ipse Alphonsus supplere teneretur; Dictaque conuentione per quatriennium effectum sortita, cum Casarij dicto Ludouico, ità conductoris personam in effectu gerenti, integrè non soluissent fœni pretium, hinc orta est cõtrouersia, inter ipsum, & Alphonsum, circa potioritatem super eisdẽ animalibus, dum vnus erat creditor priuilegiatus pro pecunia data ad emendum, alter verò pro pascuis; Quare desuper ex parte Alphonsi consultus,

Respondi, quod (vbi alia ratio, de qua infra, ipsi non suffragaretur), pro Ludouico potius respondendum videretur, 3 cum dubitandum non esset de potioritate, ac hypotheca animalium pro pastura, ex recepta consuetudine status Mediolani, de qua testantur plures DD.; Ac etiam videtur verius de iure ex relatis *per Amat. resol. 3. numer. 13. Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 24. numer. 101. Rot. decis. 114. par. 4. rec. tom. 2.* cum alijs de 4 quibus *discur. præced.*; Potissimè quia cessat difficultas insinuata *eodem discur. præced. & dicta decis. 114. numer. 9.*, vbi prædium expressè datum non esset pro animalium pastura, cum ex facti seriè supra recensita, id sine dubio verificaretur.

Et quamuis etiam Alphonsus potioritatem haberet deductam ex *text. in l. licèt Cod. qui pot. &c.*; Quinimò maiorem, 5 cum non agatur de bonis emendis, vt ad

libe-

liberam dispositionem emptoris transeant, sed vt remaneant in ipsius vēditoris fundo, tanquam eius instrumenta, vndè propterea, pro certo credebam, quod ità subintelligi deberet implicita dominij reseruatio, ob quam fundi dominus, in his animalibus, casariorum creditores, quantumuis anteriores, ac priuilegiatos, vincere debeat.

Attamen in isto concursu, potiores videbantur partes creditoris ex causa pasturæ, ex rationibus *eodem disc. præced.* 6 insinuatis, & de quibus in specie *Acost. de priuil. credit. reg. 2. ampl. 3. nu. 11. & 12.*, quod scilicèt istud dominiū fictum, plus operari non potest, quam verum; Ac propterea, quemadmodum verus dominus, pro animalium conseruatione, hanc impensam facere deberet, ità dominus fictus, debitum ex eius causa excludere nō potest, et consequenter quod potioritas resultans à ratione, vel dispositione *text. in l. interdum ff. qui pot. &c.* præualeat alteri resultanti *ex l. licèt*.

Quodque vna potioritas, altera sit maior, clarè in iure probari obseruabam; Primò quia ius antiquum *Digestorum* 7 cognouit vnam, & non alteram ex iure nouo *Codicis* resultantem; Secundò quia prima locū habet quamuis specialis hypotheca non accedat, cum eam lex subintelligat, in altera verò, nisi mutuator de illa sibi consulat, lex denegat; Et tertiò ob dictam rationem, quod huiusmodi impensæ, ipsimet mutuatori incumbere debuissent, nè res periret, suaq; hypotheca inanis remaneret.

Motiuabatur in notulis transmissis ex parte Ludouici, quod vbi etiam admitti deberet æquale priuilegium (quod 3 ad summum ex parte Alphonsi prætendi poterat), adhùc tamen deberent esse potiores eius partes, dum erat reus, ac possessor, qui occasione restitutionis prædiorum, de animalium retentione excipiebat, vndè propterea dicebatur intrare receptam cōclusionem pluries in præcedentibus insinuatam, vt in pari causa potior sit cōditio rei, & possessoris; Verùm istud motiuum apud me nihil valebat; Quinimò dicebam, quod potiùs poterat retorqueri, quoniam vt aduertitur supra *disc. 2. & in alijs*, id procedit quatenus possessio, quæ data iuris æqualitate, hunc effectum producit, sincera, ac bona fide iure suo obtenta sit; Id autem in præsenti verificabile non erat, cum ipse Ludouicus iure conductionis, vel administrationis totum habuisset à manibus ipsius Alphonsi, pro quo potius, quàm pro 9 se ipso possedit, & consequenter intrat clara dispositio *text. in l. si quis conductionis Cod. locat.*, vt locatori, vel auctori, nec dominij, nec possessionis quæstio refricari valeat; Cuius textus dispositionem vel rationem receptum est locum habere in omni materia, in qua eadem ratio congruat, et sic in omni habente causam ab alio, vndè propterea in feudo, vel emphyteusi, ac similibus locum habet ex decisionibus, & auctoritatibus ad satietatem collectis *per Add. ad decis.* 420. *par. 4. rec. to. 2. ex num. 50.*

His tamen non obstantibus, pro ipso Alphonso concludendum censui; Non quidem ratione concursus, vel maioris 10 potioritatis, considerando vtrumque, tanquam creditores concurrentes in bonis casariorum communium debitorū, cum tunc (vt supra) pro dicto Ludouico potius respōderi debuisset, sed ex duobus diuersis motiuis à facti qualitate resultantibus, nullatenus verò tactis per Scribentes de partibus, qui pro stylo quasi formalem tractatum ediderant super dicto concursu, ac priuilegio potioritatis in abstracto, intactum tamen relinquendo punctum causæ salutarem (vt frequēter extra Curiam contingit.)

Primò scilicèt, quod cum dictus Ludouicus iure impliciti contractus locationis, & conductionis in dicta conuentione contenti, teneretur, vel actione locati, vel potius actione *l. Aquiliæ*, 11 restituere fundos conductos in eo statu, in quo receperat ex plenè deductis *per Rotam apud Gregor. decis. 528. cum alijs in sua materia sub tit. de locat. & conduct.*; Hinc proindè, eo ipso quod non restituebat fundos instructos animalibus, eo modo quo sibi traditi fuerunt, non probato casu, ob quem deteriores restituerentur, dicebatur esse in culpa, eique vna ex dictis actionibus obstabat.

Quamuis enim de stricto iure, dominium animalium esset casariorum, quorum commodo, & incommodo respecti- 12 uè cederent ea, quæ tàm circa fructus, quàm circa augumentum, vel decremen-

tum, sunt sequela dominij, et consequenter, quod dominus prædiorum, qui pecuniam dedit ad ipsa animalia emenda, creditoris iure potius censendus veniret; Attamen spectata substantia veritatis, cum huiusmodi casarij habere videãtur quamdam imaginem, vel speciem illorũ colonorum adscriptitiorum quos in iure habemus; Ità in his animalibus respectu domini prædiorum adesse dicitur quoddam dominium improprium tanquam in instrumentis fundi, qui sine illis inutilis remaneret, ità suadentibus, more regionis, ac subiecta materia.

Et secundò quia, siuè dictus Ludouicus consideratur tanquam cõductor, siuè tanquam administrator, vel mãdatarius, 13 suscepisse dicitur mandatum super administratione ipsorum prædiorum, vndè propterea gerere tenebatur partes diligentis patris familias, quinimò iuxtà vnam opinionem etiam diligentissimi, adeoùt quæstio cadat super culpa leuissima, in qua distingui solet inter actionẽ locati, ac alterã *l. Aquilia*, & an consistat in committendo, vel in omittendo, sed super leui, & lata omnes concordar ex ijs quæ habentur deducta *sub tit. de locat. & conduct. disc.* 11. *& seqq.*, ac etiam *sub tit. de Regal. ad mater. miner. discur.* 117. *& alibi*.

Ideoque dicebam, quod Ludouicus prædictus, siuè ipsum diceremus conductorem, siuè administratorem, vel man- 14 datarium Alphonsi, qui ob suam absentiam, huiusmodi prædiorum administrationem, & curam ei comiserat, ità diligentis patrisfamilias partes non fecerat, negligendo exigere singulis annis, ac tẽporibus à dictis casarijs pretium fœni, ac inuigilando, ne fructus in alios vsus conuerterent, adeoùt eius cura esse debuisset, vt etiam tertius creditor ex causa pasturæ, vel aliarum expensarum, statutis temporibus cum fructibus currentibus satisfieret, non autem pati, quod fieret huiusmodi crediti adeo priuilegiati cumulus, quò mediante, locator, vel mandans supplantatus remaneret, eiusque prædia deteriorarentur per amissionem huiusmodi necessariorum instrumentorum; Ideoque multò magis de culpa redarguẽdus veniebat, dum negligentia non fuerat circa factum alienum, in quo posset se excusari, cum credulitate, quod ipsi casarij, statutis temporibus (vt tenebantur) soluissent, sed erat circa factum proprium, & consequenter, quod sibi obstaret exceptio doli, seù propriæ culpæ, cum qua repellendus veniret; Istique mihi videbantur veri, ac proprij huius controuersiæ termini.

Clarius verò, quia in dicta conuentione specialiter prouisum fuerat super dictorum instrumentorum suppletione per 15 locatorẽ facienda, quatenus peremptio, vel diminutio contigisset ex casibus fortuitis, vndè propterea ex vulgari axiomate, de quo *apud Barbos. axiom.* 85. *n.* 4. *& Rotam decis.* 24. *par.* 6. *rec. numer.* 1., quod exceptio firmat regulam generalem in casibus non exceptis, ità dicta iuris dispositio super culpa per conductorem, vel mandatarium præstanda, clarè comprobata remanebat ex facto, quod scilicèt, locator, vel dominus abfuturus, solùm casum fortuitum in se susceperit, reliquum autem in se totum assumpsisset conductor, vel mandatarius, qui propterea domino, seù locatori eius culpam ad proprium commodum obijcere non poterat.

ROMANA

SEV

SABINEN. PECVNIARIA

PRO

PRINCIPE BVRGHESIO

CVM

ANNONA VRBIS.

Casus disputatus corã eiusdem Annonæ Præfecto, credo, sopitus cum concordi temperamento.

De priuilegio Fisci super eius potiori-

tate

tate aduersus creditores anteriores in bonis posteà quæsitis; Et àn istud priuilegium competat Annonæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An Annona sit idem, quod fiscus, & gaudeat priuilegijs fiscalibus.*
3 *De priuilegio potioritatis fisci in bonis posteà quæsitis, & de dicti priuilegij rationibus.*
4 *Reijciuntur aliquæ rationes.*
5 *Quando dicantur fructus nasci, ac percipi.*
6 *Et quando fructus veniant sub hypotheca ipsius fundi productiui.*
7 *De opinione* Carleual., *vt fructus dicantur bona posteà quæsita.*
8 *Reijciuntur rationes, ex quibus* Carleual. *fundat dictum assumptum.*
9 *Quod hypothecæ mulieris afficiat fructus bonorum dotalium.*
10 *De consuetudine communicationis bonorum inter coniuges constante matrimonio.*
11 *De potioritate locatoris in fructibus rei locatæ, vbi accedit reseruatio dominij.*
12 *In quo consistat aliquod fisci priuilegium.*
13 *An potioritas pro expensis procedat ad ratam fructuum extantium tantum.*
14 *De eodem, vt pro toto credito competat, & de ratione.*

DISC. XIX.

1 AD frumentum recollectũ ex satis cuiusdam vassalli, seù coloni Principis Burghesij, concurrebant, Annona Vrbis eiusdem coloni creditrix ex causa frumenti sibi dati à mense Ianuarij citra, postquã segetes iam seminatæ erant, & Burghesius creditor ex causa seminis, ac pensionis, seù responsionis terrarum, ac etiam pro operis boum, quos cum expressa reseruatione dominij eidem colono vendiderat, alijsque expensis; Cumque creditũ Cameræ supponeretur quoque in eamdem causam culturæ, ac manutentionis eorumdem satorum, ac aliorum ad ipsam artem agrariam pertinentium, (vndè propterea aliud ad summũ prætendi non posset, nisi coæqualis potioritas ob identitatem, seù æqualitatem causæ); Attamen his non acquiescebant ministri Annonæ, omnimodam potioritatem prætendentes, ex priuilegio fisci vincentis creditores anteriores, multò magis æquales in bonis posteà quæsitis iuxtà *text. in l. si his qui ff. de iure fisci*; Quare assumpta desuper disputatione coram eiusdem Annonæ Præfecto duo erant puncti; Primò scilicèt, àn Annonę competerent priuilegia fisci, quodque ea esset de rebus fiscalibus; Et secundò, posita dicti priuilegij competentia, àn illud appliçaretur ad casum, quod scilicèt istud frumentum, super quo erat cõcursus, dici posset de bonis posteà quæsitis.

Super primo puncto, Scribentes hinc inde, deducebamus eadem, quæ occasione priuilegij fiscalis super exemptione à
2 vectigalibus, & pedagijs, àn illud competat pro frumento, quod asportetur pro seruitio Annonę, habentur plenè acta *sub tit. de Regal. disc.* 44., ex quibus patet, quod, excepto casu, in quo Princeps, vel eius Camera proprio sumptu Annonam prouideat absque reintegratione, istaque accedente, verius est, Annonam sub fisci nomine non venire, neque eius priuilegijs gaudere debere, ex fundamentis, ac rationibus ibi deductis frustra repetendis.

Atque hinc dicebam opus non esse cum inani labore assumere alterum punctum, àn istud frumentum dicendũ esset de bonis posteà quæsitis, necnè, in quibus dictum fiscale priuilegium intraret, dum cessabat applicatio in radice, opus tamen fuit huiusmodi quæstionem assumere, ex eo quod ipse Prætectus, alijque Annonæ officiales firmam habent hanc prætensionem, vt idem sit Camera, vel Annona, quodque propterea eadem fiscalia priuilegia competerent.

Quatenus igitur ad hunc punctum pertinet; Dicebam scribens pro Burghesio, quod huic fiscali priuilegio triplex assignari potest ratio; Primò scilicèt illa,
3 quæ ratio non est, sed rationem destruit, quod scilicèt ità placuerit legislatori, vt aduertit *Gait. de cred. cap. 4. quæst. 11. nu.*

1617.; Secundò ob præsumptionẽ, quod nouæ acquisitiones factæ sint ex pecunia fiscali, vt occasione extensionis huius priuilegij ad dotem, quæ fisco æquiparata est, aduertitur *sub tit. de Dote discur. particulari* 83. & 84. ac etiam *disc. generali* 166.

Quæ tamen ratio quoad fiscum tuta non est, quoniam cum hæc sit nuda præ-
4 sumptio elidibilis per contrariæ veritatis probationem, ità resultaret, quod in ijs bonis postea quæsitis, de quorum acquisitionis causa diuersa constaret, puta ex hæreditate, seù legato, vel donatione &c., dictum priuilegium intrare non deberet, cuius contrarium tanquam certum, fiscales prætendunt ob dicti textus generalitatem.

Et tertia est magis per Doctores receptа ratio ex relatis præsertim *per Acost. de priuil. cred. reg. 2. ampliat. 7. num. 168.*, quod scilicèt ità nullum ius creditoribus anterioribus tollitur, dum in ipso instanti acquisitionis, ac præãbula hora acquirendi, fiscus qui iam creditor reperitur, ipsa bona cum sua hypotheca præoccupat, suumque vinculum imprimit, cũ quo transeant in debitoris dominium, cuius ratione cadant sub aliorum creditorum hypotheca, vt clarè probat idem tex. ibi, *præuenit enim causam pignoris fiscus*.

Ista igitur ratione attenta (cum secũda videatur potius ratio rationis, siuè causa inductiua dictæ legis), ea verificabilis non erat in hac facti specie, dum de tempore, quò, fisci, vel Annonæ creditum superuenit, iam segetes erant satæ; Vt enim aduertitur *sub tit. de Dote disc.* 160., ac etiam *sub tit. de Benef. disc.* 83. & 100.,
5 fructus nõ nascuntur, vel percipi dicuntur de tempore, quo materialiter, ac de facto colliguntur, sed vsque ab initio, quo terra, seù natura ipsos concipere, ac producere incipit; Cumque causa productiua fatorum, iam esset in dominio debitoris, ac successiuè anterioribus hypothecis affecta, priusquam istud debitum cõtraheretur, hinc impossibile est dicere, vt hæc sint bona postmodum quæsita, cum fructus reguletur à sua causa productiua,
6 quoties ista est in dominio debitoris de tempore conceptionis, vel natiuitatis ad *text. in l. potior §. de futura ff. qui pot. in pign. l. Paulus §. 1. & l. grege ff. de pign. l. si conuenerit §. si fundum ff. de pignor. act.* & DD. communiter locis citatis, de quibus *apud Gait. de cred. cap. 4. quæst. 7. num. 413. cum seq. Merlin. de pign. lib. 2. qu. 53. & cõmuniter*; Atque in proposito obligationis, seù alienationis commoditatis rei emphyteoticæ, seù aliàs prohibitæ habetur *sub tit. de emphyt. discur. 44. & alibi*.

Scribentes pro Annona, fundamentũ cõstituebant in speciali auctoritate *Carleual. de Iud. tom. 2. tit. 3. disp. 34. num. 20. & seq.*, vbi profitendo nouiter proponere
7 casum ab alijs non tractatum in specie fructuum, cc. eludit vt dicantur bona postea quæsita. Verùm dicebam (etiam in sensu veritatis), vt hęc opinio fabulosa dici mereatur, non solùm vbi agatur de huiusmodi fructibus proueniẽtibus à segetibus iam satis, priusquam debitum fiscale contraheretur, sed etiam vbi de fructibus productis à prædijs ipsius debitoris, quamuis eorum origo, seù cõceptio initium haberet, postquam dictum debitum contractum est, quoniam ad regulandã hypothecã attenditur causa productiua, quæ iã erat in bonis debitoris, atq; anterioribus hypothecis affecta, iuxtà superius allegata iura litteralia, ideoque nõ videtur cuinam iuridico fundamẽto hęc noua opinio innixa sit, ipsaque media cum quibus illã probat, clarè conuincunt eius insubsistentiam, adeoùt ista opinio fraternizare videatur cum illa *Merendæ*, de qua supra *disc.* 12.

Põderat siquidẽ ipse *Merenda*; Primò differentiã inter proprietatẽ, & fructus, quodque isti sint quid diuersum à bonis,
8 exemplo bonorum dotalium, quod bona sunt mulieris, & fructus sunt viri; Hoc autem fundamentum videtur irrisione dignum, quoniam vir fructus percipit ex concessione mulieris, atque spectato effectu in istius vtilitatem correspectiuè ad alimenta, & alia onera matrimonialia, quę vir ei suppeditat, adeoùt dicatur percipere tanquam procurator mulieris in rem propriam, siuè tãquam dominus ipsorummet bonorum iure illius vtilitarij, vel subalterni dominij, quod vir obtinet in bonis dotalibus, de quo in sua materia *sub tit. de Dote*; Vnde propterea, si ante
9 dotis cõstitutionẽ ipsa bona hypothecata sint creditoribus, istis hypothecati etiam sunt fructus tãquam accessorij, cũ adhùc nascantur in dominio mulieris, Eatenus

autem

autem vir, cuius bona hypothecis affecta non sunt, creditorum molestias euitabit in huiusmodi fructibus, quatenus illi in statu bonæ fidei ab eo percepti sint, & cū reliquo eius patrimonio confusi; Siuè vbi neque ipsius mulieris bona hypothecata sint, sed ea bona, quæ hypothecis affecta sunt, obtineat iure singulari, atque fructus concepti sint postquam debitor desierat esse dominus, iuxtà distinctionem, de qua in allegatis iuribus, & *d. disc.* 44. *de Emphyt. & infrà disc.* 36. *& alibi.*

Magis irrisione dignum videtur aliud medium deductum ex legibus Hispaniarum circa communionem fructuum ob-
10 uenientiū ex bonis coniugum constante matrimonio, quamuis ipsa bona prius quæsita essent, ità ponderādo distinctionem inter bona, & fructus; Id enim continet æquiuocum clarum; Tùm quia in huiusmodi cōmunicatione inter coniuges, bonorum quæ acquiruntur constante matrimonio, id procedit in merè industrialibus, qui dici valeant fructus, ac effectus laboris, et industriæ, vt aduertūt *Barbos. in l. 1. ff. sol. matr. par. 1. num.* 35. & cæteri relati *per Acost. de priuil. credit. reg.* 2. *ampliat.* 6. *num.* 35.; Tùm etiam quia id prouenit ex quadam societate inita inter coniuges, quam lex, vel consuetudo inducit, vel præsupponit, quod nil commune habet cum casu quæstionis, dū talis societas præiudicare non posset creditoribus iam extantibus, et consequenter nullum subest probabile fundamentum, cui hæc opinio innitatur.

Multò verò minus in hac facti specie, quod fundus, seù terra, quæ huiusmodi fructus produxerat, supponebatur de dominio ipsius Burghesij, concessa colono cum reseruatione dominij, vndè propte-
11 reà dicebam intrare eadem, quæ habentur supra *in Portuen. disc.* 15., vt fructus dici non valeant de dominio debitoris in præiudicium domini, qui noluit in conductorem dominium transferre, nisi conditionaliter.

Id autem, quod ad summum ex parte Annonæ, posita competentia priuilegij fiscalis, vel ex quodā vsu prætendi poterat, consistere videbatur in eo quod pro
12 pecunia, vel frumento dato, non cogeretur formiter probare requisita, quorum probatione præmitur priuatus, ad effectum, vt ingret potioritas deriuans à tex. *in l. interdum ff. qui pot. &c.*

In proposito autem huiusmodi potioritatis ob pecuniam mutuatam pro cultura, vel collecta, pluries mihi disputare contigit, àn potioritas attendi deberet
13 solùm discretiuè in omnibus fructibus, vel eorū rata respectiuè, vel integrè competeret in ea parte, quæ extet; Vt puta, colonus pro colendis, & colligendis segetibus mutuas recipit pecunias in tota recollecta erogatas, ex qua e.g. colligantur centum rubra frumenti, ex quibus (alijs iam distractis) extent solum quinquaginta, vel triginta, àn scilicèt in istis mutuator pro tota summa potioritatem habere debeat aduersus alios creditores anteriores coloni, vel solùm pro rata expensarū ipsi parti extanti proportionata; Atque in facti contingentia, scribens pro creditoribus anterioribus dicebam, vt potioritas in sola rata extante, & ad proportionem competere deberet ex conclusione, de qua cæteris relatis *apud Amat. resol.* 3. *num.* 63. *& Merlin. de pign. lib.* 3. *tit.* 1. *qu.* 5. *num.* 66. 70. *&* 79., quod scilicèt priuilegiū competit in ipsa re extante, quæ refectā, seù conseruata sit, non autem ea perempta, in alijs bonis debitoris.

Verùm contrarium praxis recepit, et meritò, ex quadam non scripta æquitate, ac etiam ex iuridica ratione, quod ista sit eadem bonorū vniuersitas, in cuius cau-
14 sam creditum sit, & cuius fidem mutuator sequutus est in totum absque distinctione partium, vel membrorum, vndè propterea si quis credit pro pascuis animalium, nō ex eo quod durante pastura, vel ea finita, aliqua animalia pereant, dicendum est, quod super restantibus potioritas competere non debeat, nisi pro rata pasturæ singulorum, non autem eorum, quæ perierunt, quoniam attenditur totus grex tanquam vnum corpus indiuiduum, quod semper est idem, quamuis aliqua membra accidentaliter deficiant, iuxtà ea, quæ in simili deducta habentur *sub tit. de Regal. disc.* 125. & probat *text. in l. cum taberna ff. de pignor. cum concord. decis.* 126. *post Pacif. de saluiano*, vbi de grege &c.

VRBINATEN.
PECVNIARIA
PRO
HIERONYMO, ET CAROLO DE ALBANIS
CVM
HÆREDE DVCIS VRBINI.

Responsum pro veritate.

De eadem materia priuilegij fiscalis pro debito primipilari vincendi indefinitè creditores anteriores, etiam in bonis antea quæsitis; Et àn istud priuilegium sit in vsu, & quando locum habeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De exceptione circuitus.*
3 *Priuilegium primipilare, in cuius Principis fisco procedat.*
4 *Quod Princeps, & feudatarij habeant hunc fiscum priuilegiatum.*
5 *An in hoc priuilegio intret regula conquassationis priuilegiorum.*
6 *De distinctione bonorum in eodem Principe.*
7 *An dictum priuilegium primipilare sit in vsu.*
8 *De historia legis ciuilis.*
9 *Quando debitum dicatur Principis, ratione Principatus, vel iure priuato &c.*

DISC. XX.

PRO Victorio Vincentio deputato in depositariũ Cameræ Ducalis in concernentibus quoddam particulare negotium artis serici, de mense Iunij 1611., fideiussit Horatius Albanus, quem indemnem releuare promisit Iustinianus Bartolus, qui de mense Octobris anni sequentis 1612., assumptus fuit ad officium Thesaurarij eiusdem Cameræ Ducalis, atque in redditione rationum, eo remanente debitore in quadam summa, pro eius solutione Dux, ex voluntaria datione in solutum, vel iudiciali adiudicatione, quædam bona obtinuit; Cumque dictus Victorius ex causa dictæ depositariæ serici remansisset etiam debitor in quadam summa, hinc pro ista, M. Duciſſa Etruriæ neptis ex filio præ. defuncto vltimi Ducis (de quo habetur pluries actum *sub tit. de feudis* præsertim *disc.* 1.) eiusque hæres in allodialibus (*vt patet eodem tit. de feud. disc.* 3.) pulsare cæpit hæredes, ac bona dicti Albani fideiussoris, quibus excipiẽtibus de circuitu, ex eo quod actrix possideret bona dicti releuatoris, ad quæ fideiussor pulsatus regressum habere poterat, ob anterioritatem hypothecæ per annum, & vltra; Replicabatur de potioritate resultante ex priuilegio fisci ex causa primipilari, dum creditum proueniebat ex administratione Thesaurariæ Cameræ Ducalis; Quare desuper ex parte reorum conuentorum consultus, tàm ad veritatem, vt deliberare possent, àn deberent cedere, vel contendere, quàm etiam pro informatione apud ministros actricis.

Respondi, quod eorum iura probabiliora videbantur; spectatis enim terminis regulæ generalis, *qui prior &c.*, dubitãdum non erat, quod bona possessa per actricem erant ipsis prius hypothecata pro releuatione indemnitatis, stante
2 temporis anterioritate per annum, & vltra, et consequenter quod intraret dicta exceptio circuitus, de qua *apud Otthob. decis.* 235. *num.* 15. *& seq.*; Quodque ista exceptio circuitus deducta ex regula *dolo facis &c.* admittenda veniat etiam in iudicio executiuo, cæteris relatis habetur *apud Gratian. discept.* 408. *nu.* 3. *&* 4., idque praxis recepit, vt pluries, atque pluries ego eam admitti obtinui in Tribunali A. C. & in Signatura.

Quatenus verò pertinet ad priuilegiũ primipilare, ad quod tota difficultas restringebatur, plura deducebam fundamẽta; Primò scilicèt, quod illud intrare deberet in terminis, in quibus loquuntur iura de eo disponentia, in fisco scilicèt
3 Imperiali, & consequenter in illo Regum & supremorum Principum, qui nullum superiorem cognoscentes nisi Deum, Imperatores in proprio Regno, vel domi-

nio

nio dici merentur, quia tantam habent potestatem in suo Principatu, quantam Imperator in Imperio; Secus autem in huiusmodi Principibus inferioribus qui iure feudi, imperium, ac iurisdictionem habent, ideoque recognoscunt superiorem, vndè eis non conueniunt iura Imperialia, ex ijs quæ in huiusmodi Feudatarijs super potestate tollendi ius tertij habentur deducta *sub tit. de feud. disc. 9.*, ac etiam occasione concessionis veniæ ætatis in alia *Vrbinaten. sub tit. de Donat. disc. 2.*

Istud autem fundamentum (reflectendo ad veritatem ipsis requirentibus pro stylo insinuatam) nõ videbeatur tutum,
4 quoniam licèt huiusmodi feudatarij aliũ recognoscant superiorem in alto dominio, ac ea maiori superioritate, quæ vulgò dicitur *Souranità*; Attamen in reliquis habent omnia iura regalia etiam maiora, omniaque iura Imperij, ac supremi Principatus, vt eisdem locis proximè citatis aduertitur, præsertim *dicto disc. 9. de feudis*, vbi allegantur Doctores in specie loquentes de hoc Duce Vrbini, alijsque similibus.

Secundò dicebam quod, posito etiam hoc priuilegio, adhùc tamen intraret re-
5 gula conquassationis priuilegiorum, et consequenter fieret locus eidem regulæ, *qui prior* ad text. *in §. His consequens Auth. de Aequalit. Dot. cum concord.*, de quibus *sub tit. de Dote disc. 166.*, stante quod etiam debitum Vincentij prouenie-bat ex eadem causa fiscali, seù primipilari; Verùm pariter dubitabam de motiuo; Tùm quia non agebatur de bonis dicti Vincẽtij depositarij, sed tertij promissoris, in quo dubitari poterat, àn intraret exceptio cedendarum; Tùm clarius, quia dici non poterat debitum ex causa verè fiscali, ac publica concernente administrationem bonorum, seù iurium Principatus, vel Reipublicæ, sed de negotio priuato ad industriã (quamuis illud ab eo prudenti Principe, non ad mercaturam, sed ex motiuo benefaciendi subditis introductum esset), vt de hac differentia inter iura, & bona Principatus, vel
6 Imperij, ac iura, & bona ipsius Principis in particulari habetur *eod. tit. de feud. disc. 2. & 3. & in alijs*; Et in specie de priuilegio primipilari, quod solùm procedat in Thesaurario pecuniæ militaris, vel exercitus subsistentationi destinatæ *ex Mantic. de tacit. lib. 11. tit. 18. num. 8. & 9. & alijs, Rota in Bononien. bonorum 20. Iunij 1664. & 1. Februarij 1666. coram Bourlemont.*, ideoque prædicta regula conquassationis priuilegiorum non intrabat.

Tertiò deducebam huius priuilegij primipilaris nõ vsum, iuxtà magis communem sensum Doctorum, de quo cæteris relatis, testantur *Gait. de cred. cap. 4. quæst. 11. num. 1909. Fontanell. de pact. claus. 7. glos. 2. par. 3. num. 11. Acost. de priuil. credit. reg. 2. ampl. 2. numer. 23.*, Vndè propterea obseruabam, quod *apud Capyc. decis. 129.* iudicatum fuit pro priuato creditore anteriore, etiam solam legalem hypothecam habente, contra
7 Reginam, ex cuius parte istud priuilegium deducebatur; Quamuis enim Fiscales in eo insistere soleant, illudque prætendant, etiam hodie vigere, vt *apud Spad. cons. 15. lib. 1.* vbi cæteri, & de quo discursiuè nihil firmãdo habetur *in dicta Bononien. bonorũ coram Bourlemont.*; Attamen magis communis videtur in contrarium; Et fortiùs ratione vsus, qui hodie circa legum ciuilium intelligentiam, seù dispositionem principaliter attendendus est, dum eius ratione, atque ad eius limites, non autem ex Imperiali auctoritate vim legis habent, iuxtà legalem historiam pluries in omni ferè materia enunciatam, latius autem, & ex professo
8 deductam *sub tit. de seruit. disc. 1.*, occasione agendi de puncto, àn nouæ leges, quæ per eruditionis professores in modernis Codicibus priuata auctoritate registratę sunt, vim legis habere debeant, necnè.

Istud igitur motiuum solidum videbatur, non solùm ex præmissis, sed clarius, quia agebatur de debito, quod, stante feudi deuolutione, ac resoluto iure
9 Principatus, effectum erat merè allodiale, ac priuatum, atque pro eo non agebat fiscus, sed hæres priuatus, seù allodialis eius, qui desierat esse Princeps, cum istud adeo exorbitans priuilegium habeat pro vnico fundamẽto rationem publicæ causæ, seù publicæ vtilitatis *ad text. in l. vtilitas C. de primipilar. lib. 12.*, & admittit *idem Spad. dicto cons. 15. lib. 1. in fine*; Si etenim fuisset debitum publicum, & ex causa publica ipsi Principatui annexũ,

deuolui debuiſſet cum feudo, ſeù Principatu ad Cameram, non autem remanere in hæreditate allodiali; Et de alia controuerſia inter has Partes habita, ſed ſopita per concordiam ſuper diuerſo puncto habetur *infra diſc.* 125.

ROMANA

GABELLÆ

PRO

RECTORE ECCLESIÆ S. SALVATORIS

CVM

DOHANERIO GABELLÆ VINI, SEV STVDII.

Caſus diſputatus in Camera, & reſolutus pro Rectore.

De priuilegio potioritatis conceſſo Gabellario pro gabella in bonis exercentis artem, ſeù negotium mercium gabellabilium, de quibus bonis intelligendum veniat, & quomodo.

SVMMARIVM.

1 *FActi ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *Quod Princeps poſſit tollere hypothecam, vel ordinem anterioritatis.*
4 *An requiratur cauſa, vt tollat ius tertij.*
5 *Sed attenditur, an voluerit vti hac poteſtate.*
6 *De quibus bonis intelligenda ſit prælatio data gabellario.*
7 *De priuilegio potioritatis mercatorum ripalium.*
8 *Gabellarius poſtponitur doti, & penſioni domus.*
9 *Fiſcus non præfertur anterioribus, & quando ſecus.*
10 *De priuilegio potioritatis Montiſtarum.*
11 *Princeps non ſolet tollere hypothecam conuentionalem.*
12 *Non debet eſſe in facultate debitoris eludere creditores.*
13 *In prohibitis, creditores poſteriores cum aſſenſu, vincunt anteriores.*
14 *Quid in pretio.*
15 *De eodem.*
16 *An fiſci priuilegium competat contra miniſtros deputatos exactioni, vel contrà conductores gabellæ.*

DISC. XXI.

1 DOhanerio gabellæ vini, quæ in Vrbe *ſtudij* nuncupatur, eo quia prouentus publicorum ſtudiorũ manutentioni deſtinati ſunt, & de qua agitur *deciſ.* 285. *poſt Pacif. de Salu. & ſub tit. de Regal. diſc.* 68., ex priuilegijs, ſeù capitulis appaltus, potioritatem habet, tàm in ipſo vino, quàm in alijs bonis exercentium artem venditorum vini, (quos vulgo *Tabernarios*, ſeù *Oſtes* dicimus), aduerſus quoſcunque anteriores creditores, quantumuis hypothecarios, etiam cum ſpeciali hypotheca, exceptis mercatoribus Ripalibus, & creditoribus pro penſione domus vltimi anni, ſeù vltimi ſemeſtris; Cum autem quidam, poſt impoſitionem cenſus ad fauorem Eccleſiæ parochialis S. Saluatoris ſuper eius domo emphyteotica, de conſenſu domini directi, dictã artem tabernarij, ſeù venditoris vini aſſumpſiſſet, eoque defecto, formatus eſſet cõcurſus ſuper eius bonis, præſertim verò in pretio dictæ domus de mandato Iudicis ſubhaſtatæ, Rectore dictæ Eccleſiæ petente ſolutionem ſortis, & fructuum ex cauſa dicti cenſus, ſe oppoſuit Dohanerius prædictus, prætendens potioritatem, pro eo, quod ex cauſa gabellæ conſequi debebat; Introductaq; lite coram Camerario Riparum, prodijt
2 ſententia vni ex contendentibus fauorabilis, reuocata in ſecunda inſtantia per earundem dohanarum Præſidem, introdu-

ductaque causa in Camera, responsum fuit pro confirmatione sententiæ concedentis prælationem Ecclesiæ creditrici ex causa census, atque mihi pro Ecclesia scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, iusta, & probabilis resolutio visa est.

Quæstio autem, non erat super potestate concedendi potioritatem, quoniam vt aduertitur supra *in Ferrarien. Montis Bentiuoli discur.* 5., extra controuersiam est, vt Summus Pontifex, vel alter supremus Princeps, habens potestatẽ condendi legem, atque legi positiuæ derogandi, *vel* dispensandi, id agere valeat, absque eo quod ius naturæ, vel gentium lædatur, (vt vulgus ignarus credit) quoniam non tollit substantiam debiti, neq; facit, vt qui pecuniam alienam accepit, eam restituere non teneatur, sed solùm tollit hanc pignoris fictionem à lege positiua inductam, eo modo quo cernimus de priuilegio fiscali in bonis postea quæsitis, vel de dotali aduersus anteriores cũ similibus, vt *dicto disc.* 5. aduertitur, ac generaliter *disc.* 148. *sub tit. de Regal.* ad materiam potestatis tollendi ius tertij. 3

Quamuis autem id facere valeat etiam sine causa *ex deduct. dicto disc.* 148. *de Regal.*; Attamen non solet, nec fortè debet, vbi iusta causa, quæ publicam vtilitatem concernat, non accedat, ea verò concurrente, minor ac fortè nulla dubitatio cadit; Atquè hic videtur casus, ex publica causa commercij, seù commoditatis, quæ populo resultat ex huiusmodi cauponarum, seù tabernarum vsu, qui non de facili haberi potest ob qualitatem huiusmodi artem exercentium, nisi gabellarius, pro gabella vini minutatim vendendi, fidem habeat, vsque quo ipsius vini venditio sequatur, eo modo quo coguntur etiam mercatores Ripales ipsum vinũ dare pecunia credita, vndè propterea, idem ac maius priuilegium rationabiliter eis attributum est. 4

Dicebam tamen, punctum esse in voluntate concedentis priuilegium, eiusque interpretatione, vt scilicèt intelligendũ solùm veniat, tàm super ipso vino (in quo nulla cadit ratio dubitandi ex communi recepto vsu) quàm etiam super illis bonis mobilibus, quæ ad eamdem artem pertinent, atque huiusmodi cauponarũ, seù tabernarum sunt consueta instrumẽta, non autem super alijs, idque probari dicebam per plura media. 5

Primò scilicèt, quod capitulum appaltus prælationem concedit super vino, & alijs bonis huiusmodi tabernariorum, vndè propterea ex natura verbi *alius*, quod similitudinem denotat, intelligendum est de similibus ijs, quæ expressa sunt, & sic de ijs, quæ dicuntur bona cauponarum, seù tabernariorum, vtpotè huic arti, vel exercitio exposita, et consequenter specialiter cum potioritate affecta, ad instar illius hypothecæ priuilegiatæ, quam lex concedit in bonis inuectis, & illatis in domum locatam pro eius pensione. 6

Secundò ex regula *si vinco vincentem &c.*, quoniam gabellarius declaratur inferior mercatori Ripali creditori pro vino dato pecunia credita, et tamen Cõstitutio *Pauli III.* 45. §. 4. & 5., ità declarata fuit per Cameram, vt scilicèt intelligatur, non in bonis stabilibus, ac alijs indifferentibus, sed solùm de illis, quæ suam artem, seù mercimonium concernunt iuxtà generales declarationes factas de anno 1612. *coram Raymundo*, vt habetur etiam super huiusmodi concursu mercatorum Ripalium cum dote, & alijs creditoribus, *sub tit. de dote disc.* 82. 7

Tertiò in idem, quod gabellarius postponitur domino ipsius domus, vel tabernæ, pro pensione, cum rationabili restrictione ad vltimum annum, seù semestre, ad tollendas fraudes, & collusiones, ac etiã quia locator adeo negligẽdo præter communem vsum pensionem exigere, vel pati vt conductor ità deficiens continuet est in culpa, & tamen hæc potioritas cadit solùm in bonis inuectis, & illatis, non autem in stabilibus, & alijs indifferentibus, vt de hoc priuilegio habetur in sua materia *sub tit. de locato*. 8

Quartò quia si ipsemet fiscus (excepta causa primipilari, cuius priuilegiũ quoque sub quæstione est, àn sit in vsu, necnè, magisque communis videtur negatiua *ex deduct. disc. præced.*) hoc priuilegium sibi non vsurpat præter quam in bonis postea quæsitis, ex rationibus, de quibus *supra disc.* 17., multò minus dicẽdum est, vt concedi debuerit maius priuilegium huiusmodi gabellario, quam ipsimet fisco competat. 9

Quintò quia, omnium magis priuile-

giata materia videtur illa erectionis montium fauore publici commercij, ip-
10 siusque Principis, ac Reipublicæ, et tamen stylus est (ex quo Principis voluntas arguitur) suspendendi quidem hypothecas contractas super bonis, quæ pro dote montis assignantur, easque transferendi in alia bona, quorum discussio solùm creditoribus anterioribus iniungitur, sed ista sequuta, suspensio cessat, atque creditores expressam conuentionalem hypothecam habentes, vincunt Montistas, ex ea ratione, quæ ponderatur ad materiam *text. in l. assiduis C. qui pot. in pign. hab.* super potioritate concessa do-
11 ti restituendæ, vt scilicèt, Princeps quamuis possit, non tamen solet, nec debet tollere illud ius, quod ex conuentione, ac propria prouidentia quæsitum est, tollendo solùm id, quod prouenit ex benignitate, ac prouidentia ipsius legis circa hypothecam tacitam, seù legalem, vndè propterea quidquid teneant scholastici, & Academici, apud forenses receptum est, vt dictum priuilegium dotale, non nisi de hypotheca legali intelligendum sit,

Et demum vrgere dicebam, viuam, & conuincentem rationem, ex vtroque positiuo, ac naturali iure manantem, vt in-
12 libito debitoris esse non deberet, assumendo hanc vilem artem, quæ iuxta frequentiorem praxim, vilibus, ac perditis congrua est, cum ista adeo prompta dissipandi, ac luxuriandi occasione, creditores, qui bonorum stabilium fidem sequuti sunt, eludere.

In hoc autem præciso casu, extra minorem controuersiam versari credebam, ex eo quod non ageretur de bonis indifferentibus ad liberam debitoris dispositi-
13 tionem, sed de re emphyteotica strictissimè alienari, ac hypothecari prohibita sine consensu domini, cuius ratione illum habentes, quamuis posteriores, vincunt omnes anteriores, & priuilegiatos, vtpotè sequentes fidem potius ipsius domini assentientis, quam debitoris hypothecantis, ex ijs quæ in his terminis Emphyteoticis habentur in sua materia *sub tit. de Emphyt. in Romana concursus dis.* 58., ac pluries *sub tit. de feud & sub altero de Regal.*, circa potioritatem creditorum cum assensu, vel cum reseruatione decreti, vt etiam insinuatur *supra dis.* 12. & 13., ac etiam *infrà* pluries.

Verùm de isto motiuo, quamuis solidissimo, ac omnium meliore, pro currenti abusu, nimium timendum videbatur,
14 dum cõcursus erat super pretio rei emphyteoticæ hæreditariæ, stantibus iam firmatis in cõtrarium *per Rotam in dicta Romana Concursus* 15. *Iunij* 1665. *coram Emerix*, vt pretium non habeat naturam rei; Quamuis enim huiusmodi resolutio
15 nullum videatur habere probabile fundamentum, vt aduertitur *eod. dis.* 58. *de Emphyt.*; Attamen vbi habeatur pũctualis decisio in cõtrarium, tunc est, (vt vulgo dicitur) prædicare in deserto.

In hoc etiam proposito potioritatis competentis ex priuilegio Appaltatori Dohanarum Vrbis super ipsis mercibus gabellæ affectis, alijsque ipsius mercimo-
16 nij instrumentis; Cum Dohanerius deputasset ministrum, vel subappaltatorem, super exactione, & administratione cuiusdam gabellæ ipsis Dohanis annexæ cum eodem priuilegio, atque dictam potioritatem prætenderet in bonis stabilibus possessis per Lucam Egidium creditorem anteriorem, siue iura habentem creditorum anteriorum cum eius pecunia dimissorum, introducta causa coram Thesaurario; Dicebam scribens pro Luca reo, & possessore, prorsus improbabilem esse huiusmodi prætensionem, (qualem quoque Iudex censuit concedẽdo absolutoriam); Tùm ex præmissis, quod scilicèt huiusmodi priuilegium intelligendum sit de ipsis mercibus, vel tabernæ, seù mercimonij instrumentis, eodem modo quo supra de exercentibus tabernam, seù cauponam dictum est, non autem de alijs bonis indifferentibus præsertim stabilibus; Tùm etiam quia istud fiscale priuilegium competit pro ipsa gabella, vel aliis iuribus fiscalibus contra directos debitores, atque super mercibus, vel bonis, ex quorum causa, gabellæ, & vectigalia soluenda sunt ex relat. *per Merlin. lib. 1. contr. 2. & Caren. resol. 153. apud quos concordantes*; Secus autem cum administratoribus, & subappaltatoribus, qui dicuntur debitores potius ex contractu, & priuata cõuentione, non autem pro gabella, vel iure fiscali, vt *per Peregr. de iur. fisci lib. 3. tit. 7. nu.* 34., cũ cuius doctrina in foro proceditur, vt etiam aduertitur *sub tit. de Regal.*

NEA-

NEAPOLITANA

SEV

VENVSINA PIGNORVM

PRO

FABRITIO DE LVCA

CVM

CREDITORIBVS PATRIMONII PRINCIPIS MINERVINI.

Responsum in causa vertente in Sac. Cons. Neapolitano.

De potioritate creditoris possidentis pignus manuale rerum mobilium, aduersus creditores anteriores, àn competat necnè; Et àn creditor possit vendere, vel alteri pignori dare ipsum pignus, vt propterea ab eius exhibitione excusetur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Non est incipiendum à sequestro, quod regulariter est prohibitum.*
3 *Ille qui desyt dolo, vel mala fide possidere, habetur pro possidente.*
4 *De eodem.*
5 *Creditor de consensu debitoris potest vendere, vel pignori dare pignus.*
6 *Antidata sapit delictum, & falsitatem.*
7 *De antiquo stylo scribendi Neapolitano hodie alterato.*
8 *De forma* l. Scripturas *adimplenda per æquipollens.*
9 *De eiusdem* text. dispositione, *eiusque diuersis partibus.*
10 *Cõtra creditorem, àn tertio competat actio adhibendum pignora.*
11 *Quid requiratur, vt dicta actio competat.*
12 *De eodem, ac de necessaria probatione existentiæ tempore litis.*
13 *An Aduocatis liceat deducere motiua fallacia.*
14 *Creditor tenetur conseruare pignus conuentionale.*
15 *Et de qua culpa teneatur circa eius custodiam.*
16 *Tenetur de fructibus percipiendis, & de differentia inter pignus conuentionale, & prætorium.*
17 *Ideoque tenetur exhibere pignus, vel probare casualem peremptionem.*
18 *Quod creditor habens pignus teneatur illud exhibere, & concurrere cũ alijs.*
19 *Contrarium, vt non teneatur, & de libero transitu mercium in emptorem.*
20 *Mobilia vsualia non veniunt sub hypotheca exercibili contra tertium.*
21 *Hypotheca non est exercibilis in mercibus contra tertium, & quando secus.*
22 *Quod idem in bonis pignori datis, & de ratione.*
23 *De eodem.*
24 *De stylo apponendi sequestrum de facto.*

DISC. XXII.

1 PRinceps Mineruini, residentiam habere solitus in ea Ciuitate, contigua, ac penè cõfinante cum Ciuitate Venusina (quæ mihi & Fabritio consobrino patria est) ex ista vicinitatis ratione aliquam habens cum dicto Fabritio particularem beneuolentiam, siuè, vt vulgò dicitur, bonam correspondentiam, in quadam eius graui, ac imminenti vrgẽtia, eumdem Fabritium requisiuit pro mutuo notabilis summæ pecuniarum (libenter aliàs sequuto); Quia verò aliquis timor irrepserat, ob varias calamitates, ac infortunia, de præfati alias ditissimi Magnatis idoneitate, hinc recusauit Fabritius cõsuetũ gratuitũ officiũ impẽdere absq; competenti cautela, ideoque occultè, ac fiducialiter, absquè instrumento, vel alia scriptura, dicti Fabritij fidem alias expertus, ei transmisit aliqua vasa argentea, & aurea, ac gemmas loco pignoris, donec sequeretur restitutio mutui, quod ità sequutum fuit.

Formato autem concursu creditorum in S. Cons. Neapolitano, idem Fabritius timens molestias, obtinuit ab eodem debitore facultatem dicta bona alteri pignorandi, vnde propterea, accepta æquiualenti summa, illa tradidit in pignus

qui-

quibuſdam perſonis eccleſiaſticis, iuriſdictioni, & auctoritati Sac. Conſil. non ſubiectis; Prætendente autem creditore, id in fraudem geſtum eſſe, ipſum in eodem Sac. Conſil. pulſarunt ad præfatorum bonorum, vel eorum valoris exhibitionem, obtentoque (iuxtà illum ſtylum nullatenus commendabilem vtpotè iuri ciuili, & canonico contarium) ſequeſtro quorumdam bonorum eiuſdem Fabritij, de facto, eoq; non citato, neque audito; Quod verè abuſus, & corruptelæ nomen potius mereri videtur, ex vtriuſ-
2 que iuris ciuilis, & canonici regula, vt à ſequeſtro incipiendum non ſit *l. vnic. C. de probib. ſequeſtr., & tot. tit. decretal. de ſequeſtr. poſſ. & fruct. cum concord. per Gregor. deciſ.* 118., *Caualer. deciſ.* 324., *Buratt. & Add. deciſ.* 105. & 654. *deciſ.* 277. *par.* 10. *rec.* & pluries *ſub tit. de Iudicijs*; Multò verò minus nulla præuia citatione, vel cauſę cognitione, cum qua, vbi dilapidationis timor ſubſit, & nè alias iudicium reddatur eluſorium, dicta Regula, quandoq; limitationem recipit, vt pluries aduertitur *ſub d. tit. de Iudicijs*, vbi de hac ſequeſtri materia agitur, ſecus autem cum perſona notoriè idonea in bonis ſtabilibus, aliiſque iuribus, quæ latere, nec diſſipari poſſunt.

Hinc proindè, ad ipſius Fabritij tunc viuentis inſtantiam (qui poſtmodum ſine prole decedens me ſcripſit hęredē); Scribens in cauſa pro huiuſmodi moleſtiarū remotione, duas conſtituebam inſpectiones; Primò ſcilicèt, àn creditor, qui pignus amplius non habeat, ſed de conſenſu debitoris diſtraxerit, ſeù pignorauerit, cogi poſſit ad eiuſdem pignoris, vel æquiualentiæ exhibitionem, actione perſonali, & in bonis proprijs; Et ſecundò, quatenus non diſtraxiſſet, ſed haberet ipſum pignus in manibus, ſiuè quod dici poſſet (vt prætendebatur) quod dolo deſierit poſſidere, ideoque habendus eſſet
3 pro poſſeſſore, iuxta ea, quæ in propoſito diſtrahentis merces, & bona mobilia in ſtatu malæ fidei, habentur *ſub tit. de Regal. diſc.* 129.; An ſuper eodem pignore, ipſius creditoris, qui illud in manibus habebat, potior deberet eſſe conditio, etiam aduerſus creditores anteriores hypothecarios.

Prima inſpectio erat potius facti quam iuris, ſuper probatione prætenſæ ſimulationis, ac malæ fidei, quod ſcilicèt, ſimulatè, ac in fraudem huiuſmodi bona
4 data eſſent perſonis eccleſiaſticis, non ſubiectis iudici concurſus ad eludendos creditores anteriores; Poſito enim iſto facto, ego admittebam, quod tanquam dolo deſiens poſſidere, habendus eſſet pro poſſeſſore; Econuersò autem, vbi re integra, in ſtatu bonæ fidei, ſincere id ſequutum eſſet, ante quam ſcilicèt debitori libera bonorum diſpoſitio interdiceretur, ob introductionem formalis cōcurſus creditorum, ſupponebatur quod Scribentes pro eorumdem creditorum vniuerſitate, admitterēt quod iſte creditor tutus eſſet; De iure ſiquidē ceſsātibus dictis malæ fidei, vel fraudis circumſtantijs, certum eſt, vt creditor poſſit de conſenſu debitoris vendere, ſeù pignori dare pignus ſibi traditum, cum tunc venditio, vel pignoratio ab ipſomet debitore fa-
5 cta dicatur *ad tex. in l.* 1. & 2. *C. credit. euict. pign. non deber.*; & cōmuniter ſcribentes, *de quibus in magiſtrali deciſione* 445. *Durani*, cum alijs collectis *per modernum Olea de ceſſ. iur. tit.* 5. *quæſt.* 13. *num.* 1. & *ſeq.*, quoniam eſt principium certum; Taliq; caſu aduerſus huiuſmodi creditorem, intrare ſolùm poſſunt termini auocationis pecuniæ per debitorem ſolutæ, de quibus infrà pluries cum recepta diſtinctione inter pecuniam extantem, ſeù quæ ratione malæ fidei pro extante habenda eſt, & bona fide conſumptam.

Super hoc autem puncto, bonæ, vel malæ fidei, vel ſinceritatis, ac reſpectiuè fraudis, & ſimulationis, cum ex data ſcripturarum conſtaret, vt totum ſequutum
6 eſſet re integra, hinc Dicebam, fundatam eſſe huius Partis intentionem, neglecto obiecto prętenſę poſſibilis antidatę, quoniam cū hæc falſitatis delictum redoleat ex deductis *per Farinac. quæſt.* 150. *n.* 99. *Buratt. deciſ.* 47. *n.* 8., intrat vulgaris regula *text. in l. dolum C. de dolo*, quod delicta in dubio præſumenda non ſunt, ſed per allegantem iuſtificanda.

Et quamuis ſcribentes pro creditoribus (pro eo, docto quidem, ac elaborato,
7 ſed prolixo ſuperfluo ſtylo à moderno tempore ſuſcepto, deſerendo antiquum optimum, ac ſtringentem, quem docent *deciſiones Afflict.*, *Minad.*, & *Franch.*, & *allegationes Io. Vincen. de Anna*, &

alios

aliorum seniorum), de quibus *apud Marin. tom. 3.*, nimium insisterent super materia *text. in l. scripturas C. qui pot. in pign. hab.*, illam quasi per speciem formalis tractationis reassumendo, super necessitate scilicèt interuentus trium testium, qui in scripturis priuatis *à dicta l.*, iuxtà vnam opinionem requiruntur prò
8 forma solemni, & præcisa, iuxtà verò alteram in praxi magis receptam, pro forma probatoria, adimplenda quidem per æquipollens, quod tamen æquiualeat, ex ijs, quæ in materia cõcursus inter habẽtes scripturas priuatas cũ habentibus instrumenta publica habentur *pluries infra.*

Attamen hic verè inanis, ac euagatorius labor erat, quoniam textus prædictus duas habet partes; Primò scilicèt generalem, vbi scriptura deducatur excipiendo ad liberandum, seù aliàs agendo, sed non in concursu cum agente in vim
9 instrumenti publici, et tunc ista maior probatio requisita non est, sed intrant termini generales recognitionis, vt quotidiana praxis docet in apocis de recepto, ac albaranis, & quietanijs, nec nõ in litteris cambij, vel apocis banci, alijsquè apocis simplicibus etiam obligatorijs; In posteriori verò parte desideratur hæc maior probatio, in solo casu concursus cum publico instrumento, vel altero documento aliàs certo, atque ab antidatæ, seù falsitatis suspicione alieno; Cumque propterea versaremur in dicta prima parte, prorsus extranei remanebant termini huius secundæ, et consequenter tota inspectio restringebatur ad factum, àn scilicèt ex parte creditorum allegata simulatio iustificaretur, necnè.

Dicebam etiam, scribens ad causam more Aduocati, quod cum inter actores, & reum nulla contracta esset obligatio, quæ mater est actionis, alia nõ esset exercibilis actio, nisi illa ad exhibendũ iuxta
10 terminos *text. in l. 3. §. fin. ff. ad exhib. cum concordan.* relatis *per Salgad. in labyr. par. 1. cap. 11. nu. 10. & 14. cum seq.*, vbi in specie agit de coactione creditorũ particularium ad instantiam vniuersitatis creditorum formato cõcursu, ad exhibendum pignora.

Ad effectum autem, vt hæc actio intret, pro requisito necessario desideratur existentia rei penès tertium de tempore moti iudicij, vera, & de facto, vel saltèm à lege subintellecta, quod scilicèt dolo
11 desierit possidere *iuxtà text. litterales in dicta l. 3. in princ., & l. Celsus §. fin ff. ad exhib. l. ad exhibendum C. eodem cum concordan. per Iaf. in §. Prætereà Instit. de Act. num. 61.*, vbi *ex Speculat. & Roffred.*, ac alijs, ponendo formam libelli huius actionis, præsupponit existẽtiam, ac possessionem de tempore petitionis ibi, *ago contra Titium, & dico quod ipse possidet talem librum*; Atque cum hoc præsuppositio procedit *Bart. in l. à Diuo Pio §. sed & illud num. 2. ff. de re Iudic.*, in cuius auctoritate omnia fundat *Salgad. vbi supra* ibi, *secundo quæro, scholaris habet librum pignoratum penès fœneratorem &c.*

Et in specie gemmarum, aliorumque mobilium huiusmodi, vt ad effectum di-
12 ctæ actionis, non sufficiat probatio existentiæ de præterito, nisi ea probetur de tempore moti iudicij, cum rectè reus cõuentus dicere valeat se non possidere, neque dolo desijsse possidere, potissimè, vbi offert se iurare ex *Castr. in l. si minorem num. 4. C. de in integr. rest. Butr. in cap. ad Sedem num. 25. de rest. Spol. Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina num. 27. de cauf. possess. & propriet.*, & alijs, benè *Rot. decis. 297. par. 6. rec.*

Verùm (reflectendo ad veritatem) prœmissa, quamuis in suis casibus de iure vera, extranea esse agnoscebam à casu, ideo-
13 que fallacia erat in applicatione; Deducebantur tamen more scribentis ad causæ opportunitatem ex pluries insinuata ratione, quod Aduocati, præsertim à longa experientia edocti, plura motiua deducere debent, tàm ea, quæ credunt solida, & subsistentia, quàm debilia, seù fallacia (dummodò tamen ista consistant in iure, nunquam tamen in facto, cuius alteratio semper inexcusabilis est, cum mendacium sit intrinsecè malum, & peccaminosum) quia scilicèt ob ingeniorum varietatem frequens praxis docet, vt motiua solida, & certa negligantur, debilia verò, ac fallacia plausum habeant, vt latius in proposito aduertitur *sub tit. de Iudic.* in praxi, seù relatione Curiæ, occasione agendi de modo scribendi.

Fallacia verò erat clara, quoniam præmissa locum habent in tertio non obligato rem custodire, & conseruare ex cõ-
14 tractu, vel quasi suscepti mãdati, adeout contra eum alia nõ detur actio, nisi causati-

satiua,seù occasionalis, quatenus scilicèt rem habeat iuxta casum,de quo *dict.disc.* 129.,*& disc.8.& 9.de Regal.*,ac habetur pluries infra, ad materiam occasionalis, vel causatiuæ obligationis,seù actionis; Id autem non congruit pignori conuentionali,quod in creditore illud penès se suscipiente præsefert implicitum contractum mandati, quod ipse suscipit, illud
15 more diligentis patrisfamilias conseruandi, ac benè administrandi, adeoùt de culpa lata,& leui teneatur, cadente solùm quæstione, àn de leuissima ex relatis *per Merlin.de pignor.lib.1.quæst.1.num.4.,& lib.5.q.45.num.7.& 8.*,& conferunt quæ habentur *sub tit.de Regal.disc.*117.

Hinc proindè tenetur etiam de fructibus,qui percipi potuerunt, de quibus
16 non tenetur creditor possidens pignus prætorium,nisi ex dolo,vel culpa lata nõ perceperit,ex *ijs* quæ *in* hac materia habẽtur *infra disc.*132.*& seq.*,ex ea differẽtiæ ratione,quod suscipiens pignus conuentionale,acceptare dicitur mandatum, seù illius diligentem administrationẽ nomine debitoris; Et consequenter, susceptione probata,non excusatur cum assertione (licèt iurata) se non habere,neque
17 dolo habere desijsse, quoniam nisi doceat de casuali peremptione, intrat eius coactio ad factum, sinè ad quanti interest,deferẽdo circa valorem, (vbi incertus est), etiã imperfectis probationibus, vel adminiculatæ assertioni debitoris,tãquam per speciem illius iuramenti in litem, quod in iure habetur contra tutores, vel alios legales administratores, ac ad instar.

Quoueró ad alteram inspectionem,àn scilicèt, præsuppositа certa existentia pignorum penès istum creditorem,teneretur illa exhibere ad effectum ea ponendi in massa reliqui patrimonij debitoris,
18 atque concurrendi cum alijs, iuxtà eius anterioritatis ordinem, vt est sensus *Salgad. d. par.1.cap.11. per tot.* præsertim *nu.18.*,vbi reprobat *Gait.& alios*,de quibus infra, et in qua auctoritate totũ erat fundamentum scribentium pro creditorum vniuersitate.

Vbi possibile sit dare veritatis sinceram cognitionem in agente causam propriam, cum frequentius proprium
19 interesse, intellectum fascinare soleat; Mihi,in sensu etiam veritatis, contrariũ omninò verius videbatur, vt scilicèt vbi non agatur de bonis,quæ ex cõmuni vsu in pignus verũ,ac de facto creditori dari nõ soleant fiducialiter, ac breui manu,vt sũt stabilia,sed de illis huiusmodi naturæ vt sunt gemmæ,ac vasa aurea,& argẽtea, aliaque vsualia & manualia mobilia,omninò verius sit (vbi non agatur de mercibus vniuersitatẽ constituentibus iuxtà distinctionem,de qua ad materiam *text. in l.cum Taberna ff. de pign. habetur infra disc.*35.) vt potiores debeant esse in ipso pignore partes creditoris, qui sub eius fide pecunias credidit,aliàs non crediturus,vt ex *Stracch. de decoct. tit.qui pot. in pign.num.*11. *Scacc. de cambijs* §.2.*gl.*5. *num.*438.*Pirrmaur. de retent. numer.*24. benè *Gait.de cred.cap.*4. *quæst.*8. *n.*1467. *& seq.*,*atque decisum testatur Thorus in supplem.compend. decis.* verbo *Creditor in pignore fol.*119.; Idque probari obseruabam ex pluribus fundamentis.

Primò scilicèt ex eo,quod suppellectilia,& vsualia,quæ pro vsu personæ destinata sunt, regulariter non veniunt sub
20 hypotheca generali *ad text.in l.obligatione ff.de pign.*, vbi *Bart. & cæteri de quibus Mantic.de tac.lib.*11.*tit.*4.*n.*14.*&* 15. *Gait.de cred.cap.*4.*quæst.*5.*n.*62. *cum seq. Merlin.de pign.lib.*2.*q.*57.*n.*1.*cum seq.*

Secundo quia, licèt sub hypotheca generali, veniant etiam mobilia, & semouentia,ac merces,nihilominus vbi non
21 agitur de negotio constituente vniuersitatem iuxtà dictam distinctionem *text. in l.cum taberna*,ex quadam recepta æquitate inducta ratione libertatis commercij, quod aliàs omninò impeditũ remaneret,cessante fraude,vel collusione, in huiusmodi mercibus,quæ manualiter, ac numerato emi,seù permutari,aut aliàs ex causa correspectiua cõtrectari solent, emptor,vel alter possessor tutus est, neq; exercibilis remanet hypothecaria,quæ in alijs bonis sub ista manualis cõmercij ratione nõ cadentibus contra quemcumq; possessorem est exercibilis,vt ex originali traditione *Bald. in in l.adhùc C. de iure dot.* firmant communiter scribentes, de quibus *apud Gizzar.decis.*62. *Capicciatr. decis.*24.*nu.*12.*Ganauerr.decis.*5. *Rot.dec.* 107.*num.*6. *post Merlin. de pign. repetit. apud Otthobon.decis.*35. *& in alijs.*

Ista etenim ratio adamussim congruit etiam pignori,quod scilicèt aliàs magũ

resul-

ROMANA MERCIVM PRO ANNA PESARONA, ET ALIIS CVM IO. BAPTISTA DE AYE', ET ALIIS.

Casus disputatus coram A.C. sub incerto exitu, credo concordatus.

De concursu in mercibus inter creditores emptoris, & dominos mercium, qui eas mercantili more transmiserunt debitori corresponsali, fundacum exercenti.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Venditor, cessante reseruatione dominij, nullam habet potioritatem pro pretio in ipsa re vendita.*

3 *In rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, non transfertur dominium, & successiuè periculum, non sequuta ponderatione &c.*

4 *De eodem.*

5 *Pretium certum est vnum de requisitis essentialibus emptionis, & venditionis.*

6 *Quod venditor pro pretio debeat præferri.*

7 *Et quomodo in istis materijs iudicari debeat.*

8 *Inter mercatores proceditur de bono, & æquo, non autem per apices iuris.*

9 *Quando dominium mercium etiam sine mensuratione, vel ponderatione dicatur translatum in emptorem.*

10 *De eodem, & de ratione.*

11 *Ex pretio, seù loco valutationis arguitur ad trãslationem dominij, & traditionem.*

resultaret cõmercij præiudicium, potissimè in Magnatibus, ac nobilibus, ac etiã
22 in idoneis, & probatis negotiatoribus, qui frequenter pro implemento tractarum, vel occasione aliorum negotiorum, ità eorum fidem, ac existimationem conseruant, vt aduertitur præsertim *sub tit. de vsur. disc. 6.*, quoniam cum huiusmodi pignorum cautela inueniunt promptos mutuatores, ità de hypotheca, vel publica scriptura non sollicitos, & quam publicitatem euitare expedit; Vnde propterea, quando aliæ rationes, vel auctoritates id non probarent, satis probare deberet *ipse* communis vsus, dictaque commercij necessitas; Ideoque inoleuit etiam vsus rationabilis concedendi Hæbreis
23 priuilegium enunciatum *dicto tit. de vsur. disc. 7.*, vt cessante fraude, vel ignorantia crassa, & affectata resultante ex circumstantijs ibi ponderatis, tuti reddantur in pignoribus huiusmodi rerum vsualium, & manualium, quamuis per nõ dominos data sint; Nimiamque admirationem mihi inferebat adeo magni, ac docti Tribunalis praxis in isto indiuiduo concursu, habita contra hæredes Hieronymi Donadoni, alterius ibi contiguæ Ciuitatis Melphiensis, qui confimile mutuum eidem Principi, cum argentorum, vel gemmarum confimili pignore fecerat, dum hæredes, vel adminiſtra-
24 tores hæredum pupillorum, de facto, nullo iuris ordine seruato, expeditis *illis* adeo damnosis, ac perniciosis cõmissarijs, per carceretionem, aliasque violentas molestias, coacti fuerunt pignora exhibere, quod idem est, ac creditũ perdere, dum ità sub pignorum bona fide, mutuantes in occulto, ad mutuatarij præsertim, ità qualificati decorem, & existimationem conseruandam, negligunt publica instrumenta, cum hypotheca, vel fidemussoribus, ideoque remanent creditores chirographarij in sola actione personali, contra publicã fidem, quæ ex cõmuni vsu, & successiuè ex iure gentiũ potius manare dicitur, quò nil absurdius; Et cõferunt, quæ fauore creditoris habentis pignus in manibus habẽtur *supra disc. 10. & 11.* in terminis statuti Bononiæ; Ac etiam confert ratio, ob quam lex cõcedit prælationẽ creditori habenti hypothecam contra creditores chyrographarios quantumcumque anteriores, quia eadem est ratio, seù proportio.

DISC. XXIII.



1 Vxta seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de empt. & vend. disc. 5.* (cum vtrique materiæ casus controuersiæ rectè congruat), Hieronymo exercenti in Vrbe mercimonium, siuè vt vulgò dicitur negotium fundacariũ, mercatores Lugdunenses eius correspõsales, de ipsius commissione, iuxtà huius negotij stylum, plures merces transmiserunt, quarum aliquæ de tempore, quo idem Hieronymus defecit, commixtæ, seù confusæ fuerant cum reliquis mercibus in ipso fundaco, aliæque vero adhuc existebant in dohana in sarcinis, seù ballis, eo modo quo ab ipsa Lugdunensi Ciuitate transmissæ fuerant; Quarè formato creditorum concursu coram A. C., præfati mercatores Lugdunenses, aduersus creditores anteriores, præsertim Annam vxorem concurrentem pro eius dote, & lucro, prætendebant potioritatem ratione dominij in eorum proprijs mercibus, vt supra, transmissis, atque respectu earũ, quæ iam obuenerant in dominium, ac possessionem debitoris, & cum reliquis erant confusæ, vel commixtæ in ipsa taberna, seù fundaco, scribentes pro eis, post aliquas disputationes, dabant
2 manus victas, cum re vera transierint in debitoris dominium, ipsique remanerent solùm creditores in pretio, cuius fides, ità habita fuerat, quo casu, (cessante cautela reseruationis dominij) nullam habet potioritatem venditor in ipsa re vendita ex deductis *supra disc. 6., & dicto disc. 5. de empt. & vend.*, & alibi, nisi dictus animus cesset, quia nempè bona data sint cũ præsuppositio promptæ solutionis, vt eisdem locis mox citatis.

Quarè disputatio restringebatur ad merces adhùc existentes intus dohanam in ballis, vel sarcinis, àn & cuius esset dominium, cuius ratione dicti mercatores vincere prætendebant hypothecas, quãtumuis anteriores, & priuilegiatas, quæ in bonis nunquam de dominio debitoris existentibus imprimi non potuerunt.

Ad probandum autem dominij continuationem; Scribentes pro eis, deduce-
3 bant conclusionem de iure veram, de qua *in l. 2. & tot. tit. ff. & C. de peric. & com. rei vend. cum concord. sub tit. de Regal. disc. 118. & 125.*, quod in rebus cõsistentibus in pondere, numero, & mensura, vbi etiam accedãt omnia tria essentialia requisita contractus emptionis, & venditionis, qui proindè iam perfectus dici valeat, adhùc tamen non sequuta mensuratione, ponderatione, vel numeratione respectiuè, periculum sit venditoris, tanquam sequela dominij, quod ante traditionem (qua mediante illius translatio sequi dicitur) penès eum continuat, ex ijs etiam quæ in proposito cõ-
4 tinuationis dominij ante traditionem, vel huiusmodi actus habentur *eodem tit. de Regal. dicto disc. 118. & 125.*, ac etiam *sub tit. de Dote disc. 160. & alibi.*

Multò verò magis in hac facti specie, ob dicti contractus imperfectionem, ratione deficientis certi pretij, quod est
5 vnum ex eius essentialibus requisitis *ad text. in l. fin. C. de contrahen. empt. cum concordan.* plenè deductis *per Rot. apud Merlin. decis. 567. & 605. repetit. par. 6. rec. decis. 172. & 280., & in dicta sua materia sub tit. de empt. & vend. discur. 4. & in alijs.*

Scribens ego pro Anna alijsque creditoribus, dicebam quidem, quod in sensu naturali, magna æquitas huiusmodi trãsmissoribus mercium assisteret, quodque
6 vt pluries insinuatur, nimia asperitas ista sit, vt ex quadam fictione, vel subtilitate iuris ciuilis, dominus in re sua, ab alijs vinci deberet, potissimè verò inter mercatores & negotiatores, inter quos proceditur de bono & æquo, neque incumbitur iuris subtilitatibus, & cautelis reseruationis dominij, ac similibus, quinimò neque cum hypotheca, cum merces transmittantur in sola fide litterarum familiarium, paruarumque pagellarum, grossolano more conceptarum; Vnde propterea nunquam placuit iste rigor legis ciuilibus in huiusmodi negotijs mercantilibus, in quibus, licèt inesse dicatur contractus emptionis, & venditionis habita fide de pretio, cuius virtuale mutuũ, ità inest; Attamen imputari non potest venditori cur sibi de debitis cautelis non consuluerit.

Ideoque in huiusmodi materijs, semper magis placuit aliquorum Emporiorum, vel mercantilium Ciuitatum stylus,

vt

vt per mercatores, ac Iudices pectorales,
7 cum hac æquitate, ac vsu mercatorum, non autem per apices iuris huiusmodi cõtrouersiæ decidi debeant; Eodem modo, quo idem sequi deberet in litteris cambij acceptatis, quando scribentis decoctio superueniat, ac etiam in assecurationibus nauium, & similibus, non autem procedendum cum iuris subtilitatibus, ac rigoribus, vt præ cæteris Romana Curia procedit, vt aduertitur in proposito litterarum cambij in sua materia *sub tit. de Camb.*, ac etiam *infra disc. 75. & seqq. & 85.*, atq; in proposito assecurationis pariter *infra disc. 106. & seqq.*

Quamuis enim pluries Rota in abstracto firmauerit conclusionem, quod inter mercatores procedendum est de bono,
8 & æquo, ac iuxtà eorum stylum, non autem per iuris apices ex deductis *apud Buratt. & Adden. decis. 58. & 85. vtro. bique in fine, decis. 395. in fin. par. 5. rec.*, & in alijs frequenter, attamen ista theorica non de facili ad praxim deduci videtur; Ideoquè in ista causa, libenter consului, vt honestum concordiæ temperamentum procurari deberet.

De stricto autem iuris rigore, ac etiã admixto ipso mercatorum vsu, dicendũ
9 videbatur, quod ab ipso istanti, quo ipsimet venditores sarcinas composuerunt, ac nautæ, vel mulioni tradiderunt, translatum esset dominium in hunc mercatorem Vrbis emptorem, cuius fuisset periculum in itinere, ex ijs quæ in his terminis periculi contingentis in mercibus transmissis per correspõsalẽ ab vno loco ad alterum habentur *sub tit. de empt. & vend. disc. 6. & in alijs*.

Idque ex ratione ponderata *in hac eadem causa dicto disc. 5. de empt. & vend.*, quod scilicèt in ipso venditore transmit-
10 tente merces correspõsali existenti in altera Ciuitate ex eius commissione, intret illa personarum multiplicatio, de qua habetur *disc. 1.*, *& in plerisque alijs sub tit. de camb.*, quod scilicèt ità duplicem gerat personam, vnam nempè venditoris, & alteram mandatarij emptoris, cuius vice, & nomine, recipit à se ipso mercium traditionem, ac mensurationẽ, & ponderationem, seù numerationem, statuto pretio, quod in libris, ac etiam in epistolis responsiuis adnotatur; Et consequenter ex tunc sequuta censeatur vera, & perfecta traditio cum translatione dominij, eiusque effectibus, vel sequelis, tàm circa periculum in itinere, quàm circa augumentum, vel decrementum pretij, quod in hac materia potissimum totum regulat.

Vt enim aduertitur *dicto disc. 6. de empt. & vend.*, in his specialibus terminis transmissionis mercium de loco ad lo-
11 cum, cum pretium in loco, à quo, frequentius sit minus, quam in loco, ad quẽ, hinc iustum, ac rationabile est, vt eius sit periculum, cuius est commodum pretij maioris, quodque ex hoc pendeat pũctus dominij, àn existat penès venditorem, vel respectiuè penès emptorem, ex quo de cõsequenti resultat inspectio potioritatis resultãtis à dominio, quod vincit hypothecas vt supra.

ROMANA

DOMVS

PRO

MONTE PIETATIS

CVM

CREDITORIBVS ILLORVM DE FILONARDIS

Casus disputatus corã Iudice eiusdem montis, & resolutus, vt infrà.

De potioritate meliorantis rem debitoris, creditoribus hypothecatam, in ipsis melioramentis; Et quid si possessor qui melioramenta fecit, statum antiquum rei destruxerit, seù aliàs deterioraverit, àn melioramenta compensanda sint cum deteriorationibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De puncto controuersiæ.*
3 *Quæ actio competat melioranti pro refectione melioramentorum.*
4 *Melioramenta facta pro restauratione deteriorationis non habentur in consideratione.*
5 *Quando non intrent isti termini, sed diuersi in melioramentis detrahendis.*
6 *Fructus rei hypothecatæ, an & quando cadant sub hypotheca.*
7 *De eodem, de quo num. 5.*
8 *De distinctione inter melioramenta separabilia, & inseparabilia.*
9 *Quod in decisione quæstionum oporteat distinguere casus.*
10 *De melioramentis inseparabilibus factis in re aliena per non dominum.*
11 *De factis à domino resolubili.*
12 *De illis quæ fiant de aliena pecunia ad id mutuata.*
13 *Quid de factis de aliena pecunia, quæ actio competat domino pecuniæ, quæ ad id data non est.*
14 *De melioramentis, quæ fiant pro restitutione status pristini.*
15 *Quid vbi id factum est à tertio possessore iure suo.*
16 & 17 *De eodem, & quando destruens teneatur reficere, vt nõ cadat sub hypotheca, id quod non fuit in dominio debitoris.*
18 *De priuilegio meliorantis circa ius offerendi, & de hac materia.*

DISC. XXIV.

1 Vxta facti seriem recensitam *sub tit. de alien. & contract. discur. 27.*, emerunt Administratores Montis pietatis à Iacobo Filonardo, tàm nomine proprio, quàm vti patre, ac legitimo administratore Marij pro quibusdam ratis condomini, pretio scutorũ 8000., ibi cõtiguam domum, cuius parte solo æquata, eo modo quo de alijs etiam domibus pariter emptis factum fuit, ad effectum scilicèt, vt ipsa domus Montis, in qua adeo ingens quantitas pecuniarum, & pignorum conseruatur, à vijs publicis vndique circumdata esset; Reliquam verò partem, nè inutilis remaneret, cum noua fabrica, ijdem Administratores reduxerunt ad formam domus habitabilis, super qua creditores venditorum, vel eorum auctorum, iudicium in saluiano ratione hypothecæ ante venditionem contractæ instituerunt coram Iudice particulari ipsius Montis, à quo post acerrimas disputationes, immisso in dicto interdicto concessa fuit actoribus pro indiuiso ad solam partem antiquam extantem, demandando repartitionem pensionum pro rata valoris, in quo ex cõcordi iudicio peritorum, vtraque antiqua, & noua fabrica respectiuè æstimata fuit.

In his autem disputationibus, nulla fuit quæstio, super dicti interdicti competentia in parte antiqua non meliorata, 2 per venditores identificè possessa, ideoque actorum hypotheçis absquè dubio affecta, cum in ea concurrerent omnia extrema dicti interdicti, quod erat inuitabile, vndè propterea ego scribens pro Monte reo conuento, in hoc dabam manus victas; Potissimè quia Monti iam consultum remanebat cum parte pretij extantis, inuestiti in loca montium, in quibus manuũ iniectio cum omnimoda potioritate, ac specie reseruationis dominij in casu euictionis, & moleftiarum, iuxtà consuetam cautelã, reseruata fuerat.

Ideoque sola quæstio fuit super fabrica noua, seù melioramentis; Cum enim alij pro eodem Monte scribentes de huiusmodi melioramentis exciperent, tanquam per speciem detractionis, iuxtà terminos generales, quos frequenter habemus in hærede grauato, vel alio tertio possessore, à quo fideicommissi successor, vel dominus, ob inualidã alienationem, ipsa bona iure dominij vendicare velit, iuxtà ea quæ ad materiam huius detractionis ex causa melioramentorũ habentur in sua materia *sub tit. de Detraction.*

Replicabant scribentes pro actoribus (& benè) quod cum ex ibi deductis, ac etiam *sub tit. de feud. disc. 27.*, excipienti de hac detractione aduersus dominũ 3 rem suam vindicantem, competat solum æquitatiua exceptio, vt euitetur locupletatio de alieno, quæ intrat solùm in eo, in quò dominus vtilitatem sentire deberet

ret

ret, & non vltrà; Hinc proindè insiste-
bant in conclusione in suo casu vera, &
recepta, vt melioramenta facta per pos-
sessorem, compensari debeant cum de-
teriorationibus ab eodem meliorante,
vel eius auctore factis, ideoquè do-
minus, qui rem suam vendicat, ad aliud
teneri non debeat, nisi ad id quod su-
pereſt, dicta compensatione facta, & sic
in ea rata, in qua remaneret in lucro,
ac vtilitate sine causa, vnde propterea
intraret dicta ratio locupletationis cum
aliena iactura.

His tamen non obstantibus, scribens
pro Monte reo conuento, (etiam cum
sensu veritatis) dicebam contrarium esse
verius; Admittebam siquidem verita-
tem dictæ conclusionis in casu suo, vbi
4 scilicèt de melioramẽtis à possessore op-
ponitur domino rem suam vendicanti,
cui tunc solùm dicta oppositio obstat,
quando dicta æquitatiua ratio intret, &
non alias, ideoquè reductio ad statum
pristinum, meliorationem, vel augmen-
tum non causat, ex deductis (cæteris rela-
tis) latè *per Borgnin. decis.32.par.2.Gra-
tian. discept.654., Cenc.de cens.quæst.101.
num.18. & Leotar. de vsur. quæst.57.nu.
56. & seqq.*, qui in hoc proposito allega-
bantur per Scribentes pro actoribus;
Nisi intret ea consideratio, de qua habe-
tur actum *sub tit.de seruitut. ad materiam
damni infecti disc.45.*, pro ea scilicèt vti-
litate, quam importet ædificium esse ve-
tustum, vel nouum; Vel nisi ruina con-
tigisset à casu, vel facto tertij absquè cul-
pa, & facto voluntario possessoris, adeoùt
contigisset etiam penès ipsum dominum
vindicãtem, si fuisset possessor, cum tunc
intret eadem ratio.

Verùm quidquid sit de præmissis,
de quibus maturius agitur in dicta sua
sede *sub tit. de Detract.*, ea extra-
5 nea dicebam à casu controuersiæ, quo-
niam punctus causæ non consistebat in
iure, vel exceptione detrahendi meliora-
menta iure detractionis vt supra, sed in
deficiente hypotheca, sine qua compete-
re non potest saluianum, vel aliud reme-
dium rei persequutorium contra tertiũ
possessorem titulo singulari validè trans-
latiuo dominij, qui foueat causam onero-
sam, & correspectiuam, iuxtà satis nota,
& recepta principia; Siquidem cum ista
noua fabrica nunquam fuerit in domi-
nio debitoris, vtpotè constructa post-
quam res hypothecata de illius dominio
6 exiuit, atque de dominio tertij effecta
est, hinc sub dicta hypotheca cadere
non potuit, cum hæc exigat dominium
in debitore; Si enim in partubus ancil-
larum, vel fætibus animalium, alijsque
fructibus, quamuis proueniẽtibus à cau-
sa productiua iam hypothecata, adhùc
tamen, si conceptio seù productio sequu-
ta sit, postquam ipsa causa productiua
desierat esse de dominio debitoris, non
veniunt sub hypotheca ex iuribus litte-
ralis recensitis supra *disc.5. & 6.*, ac etiã
sub tit.de Emphyt.disc.44. & in alijs, mul-
tò magis, & absquè principio dubitandi,
vbi accessio non prouenit ab ipsa causa
productiua hypothecata.

Et consequenter dicebam, quod non
excipiebatur de his melioramentis ad-
uersus eum, qui ipsorũ dominus effectus
erat, iure æquitatiuæ detractionis, de
qua supra; Minusque iure illius potio-
7 ritatis, de qua infrà, sed ex regula *text.
in l. actor C. de probat., & cap. ex litteris
extra eodem*, quod scilicèt reo, & posses-
sori sufficit repellere actorem per nõ ius,
ob deficientiam hypothecæ, quæ adesse
non poterat, dum res nunquam fuerat
in dominio debitoris.

Quia verò per Scribentes in contra-
rium, plures inuoluebantur doctrinæ, ac
auctoritates super melioramentis sepa-
rabilibus, & inseparabilibus, quod scili-
8 cèt inseparabilia, tanquam species allu-
uionis fortiuntur eamdem naturam rei
principalis ex ijs, quæ habentur pluries
sub tit. de feud. præsertim *dicto disc.27.*;
Ac etiam deducebantur ea quæ haben-
tur *apud Cenc. & Leotard. vbi supra*, super
domo, vel alio ædificio super quo fit
creatus census, àn & quãdo eius refectio,
9 constituat, necnè ædificium nouum, ac
diuersum, vel econuersò fit idem anti-
quum ex nouis meliorationibus non al-
teratum; Hinc proindè (vt in omni
fere materia hodie facere oportet), pro
tollendis æquiuocis, quorum praxim ad
eo frequentem habemus apud modernos
ex huiusmodi doctrinarum confusione,
non distinguendo casus, vel circumstan-
tias, in quibus ipsæ procedunt, Aduer-
tebã quod in hoc proposito plures casus
distinguendi erant.

Primus igitur est, vbi agitur de melio-

ra-

ramentis inſeparabilibus factis in re aliena per non dominum; Tunc enim, vbi
10 ſunt omninò inſeparabilia, ſequuntur naturam rei, ac efficiuntur de eodem dominio, tanquam ſpecies alluuionis, ſolumque poſſeſſori melioranti, ex beneficio retentionis, vel ex altero cautionis, ſiuè iudicis officio, pro facti qualitate, competit æquitatiua refectio eius, in quo dominus, qui rem ſuam vindicat, cum diſtinctione neceſſariorum, vtilium, & voluptuariorum, & cum altera diſtinctione bonæ, vel malæ fidei iuxtà deducta in ſua materia *dicto tit. de Detract.*, ideoque omnes doctrinæ, ac rationes, quæ iſtos terminos percutiunt, extraneæ ſunt à caſu controuerſiæ, & conſequenter ſegregandæ.

Alter caſus eſt, vbi melioramenta, fiant quidem à poſſidente iure dominij, de ſui natura reuocabilis, vel reſolubilis, vt ſunt, feudatarius, emphyteuta, hæres
11 grauatus, vel fideicommiſſarius, & ſimiles; Et tunc (cum aliqua modica differentia) intrant ijdem termini, eædemque rationes, de quibus in caſu præcedenti, et de hoc præſertim agitur *dicto diſcur. 27. de feud.*, ac etiam *ſub tit. de Emphyt. diſc. 31. & 48.*, & in dicta ſua materia *ſub tit. de Detract.*, vndè pariter iſtæ doctrinæ, ac rationes ſegregandæ veniunt ad effectum præſentis quæſtionis.

Tertius eſt caſus, in quo melioramenta fiant ab ipſomet debitore, de pecunia tamen aliena, quæ ad hunc effectum ex-
12 preſsè mutuata ſit; Et tunc intrant termini *text. in l. interdum ff. qui pot. in pign. &c.*, de quibus pluries in præcedentibus, ſuper potioritate mutuantis in refectionem, quatenus eius requiſita cõcurrant; Atque tunc cadere poteſt inſpectio, àn creditor anterior huiuſmodi creditori obijcere valeat, quod communis debitor prius culposè rem deterioraſſet, ideoque de refectione non deberet haberi ratio, Et quo caſu (quem adhùc occaſio non dedit diſputare) probabilius pro mutuante reſpondendum videretur, quoniam, ſiuè ex culpa, ſiuè ex caſu, iam res debitori affecta, in ea parte deſtructa, ſeù deteriorata erat, ſiuè ruinam minabatur, atque pecunia ad hunc effectum mutuata, & erogata, cauſat cõſeruationem rei aliàs non extituræ, vndè propterea intrat ratio *text. in dicta l. interdum*; Ac etiam quia mutuator, qui videt rem in parte deſtructam, vel deterioratam, ſeù minantem ruinam, non debet indagare, àn culpa, vel caſu prouenerit, & quomodo, ſed reſpicit ad nudum factum, atq; ſequitur fidem actus, qui ex eius pecunia fieri debet, aſſecuratus à lege de eius potioritate, quoties eiuſdem legis requiſita ſeruet; Idemque vbi etiam non domino, vel domino reſolubili, ad eundem effectum ſincere, ac citra ſimulationem, tertius ad hunc effectum pecuniam credat.

Quartus eſt vbi, vel dominus, qui ſit aliorum debitor, ſiuè dominus reſolubilis, vel non dominus, huiuſmodi melio-
13 ramenta inſeparabilia faciat de aliena pecunia, quæ tamen ad hunc effectum data non ſit, adeoùt non intrent dicti termini *text. in l. interdum*; Et tunc fauore domini pecuniæ, cum qua melioratio ſequuta eſt, aduerſus dominum rei melioratæ, de ſtricto iure nulla competere videtur actio, nec realis, nec perſonalis, ſolumque videtur intrare illa actio æquitatiua, quæ reſultat ex diſpoſitione *text. in l. ſi me & Titium ff. ſi cert. pet.*, ſiuè altera vtilis in rem verſo iuxta ea, quæ habentur infra *in Romana pecuniaria diſcur. 72.*; Et ſic quatenus intret locupletatio de alieno ſine cauſa, atque tunc rectè intrare videntur ijdem termini compenſationis culpoſæ deteriorationis, vndè propterea non dicatur melioratio, ſed reſtitutio rei priſtino ſtatui.

Quintus eſt caſus, vbi cadat quæſtio, àn refectio domus, vel alterius rei cenſitæ, dicatur acceſſoria, & conſecutiua,
14 adeoùt non immutet naturam, ac ſtatum prioris ædificij, quod adhùc idem perſeueret, quamuis in aliqua parte melioratum, vel conſeruatum, nè periret, ad effectum inſpiciendi, àn cenſus ſuper eo creatus duret, vel euanuerit; Atque ad hunc effectum intrat diſtinctio, de qua *apud Gratian., Cenc., & Leotard. vbi ſupra*, àn ædificium ſit in totum deſtructum, necnè, quoniam de hoc non agitur ad effectum detractionis, ſeù concurſus, ſed ſolùm ad effectum, àn duret ſubiectum cenſus, qui perneceſsè exigit pro fundo rem ſtabilem fructiferam, cuius peremptionis periculo creditor

cen-

censuarius subiaceat, solumque vbi prædium in totum non perierit, sed notabiliter melioratum sit, quamuis non intret cessatio census ex peremptione fundi, intrare potest dubitatio circa capacitatem, vel incapacitatem, & àn habenda sit ratio illorum fructuum, quos meliorameuta producunt, aliàs ab ipso fundo, attento eius primæuo statu, non producibilium, & qui fructus ex magis æqua, & recepta opinione pertinent ad ipsum meliorantem quamuis non dominum, vt *dicto tit. de detract.*; Atque tunc pariter videtur, quod creditor censuarius pro fundi capacitate probabiliter dicere valeat, vt fieri non debeat detractio fructuum, quos producit melioramentum, vbi istud verè non importet rei augumentum, sed solùm restitutionem status pristini, culposè, seù aliàs voluntariè deteriorati, sed pariter doctrinæ, vel rationes istum, alioíque proximos casus percutientes, extraneæ sunt à casu.

Sextus demum casus noster præcisus, vbi scilicèt res hypothecata, ex valido, & legitimo titulo translatiuo dominij, abdicata est à dominio debitoris, atquè
15 transitum fecit in dominium tertij, quamuis affecta remaneat hypothecis iam contractis, quæ (cessante inhibitione legis, vel hominis, absquè dubio huiusmodi abdicationem, vel translationem respectiuè non impediunt); Nouus autem dominus in statu bonæ fidei, atque, vt dictum est, à lege, vel ab homine non inhibitus, vtendo vel credendo vti re sua, pro eius placito, iuxtà regulam *text. in l. re mandata ff. de recept. arbitr.*, mutat ædificij, vel rei formam in toto, vel in parte, illam destruendo, nouamque fabricam faciendo; Et tunc illi obijci non potest, quod voluntariè rem deteriorauerit, ideoque nouæ fabricæ, vel alterius melioramenti constructio fuerit restitutio status pristini, quoniam licitè id egit, vtendo re sua pro libito voluntatis, pro quo quilibet eius bona in mare proicere potest, siuè deuastare.

Dicta enim ratio reintegrationis, seù restitutionis in statum pristinum, rectè intrat in eo qui verè vel interpretatiuè, ac impropriè, administratoris po-
16 tius, quàm veri, ac liberi domini personam gerere dicitur, & qui voluntarias, seù aliàs culposas deteriorationes faciendo, de iure teneatur ad reintegrationem, vel ad quanti interest, vt sunt, hæres grauatus, vel fideicommissi possessor, feudatarius, emphyteuta, maritus, beneficiatus, & similes, quoniam tunc noua constructio, vel melioratio, vtpotè necessaria, in omnibus succedere dicitur loco rei culposè destructæ, cum regula subrogatorum; Eodemque iure censendus etiam est dominus, qui in præiudicium tertij, puta censuarij, ipsum fundum censitum voluntariè destruere, vel deteriorare non poterat, sed potius habet obligationem illum more diligentis patrisfamilias, vel administratoris cõseruandi.

Ideoquè dicebam in ista causa, quod vbi actores de iure probarent, vt Mons vel eius administratores, vbi etiam sine causa, & pro solo libito voluntatis, adhùc à lege, vel homine non inhibiti, istam domum in totum, vel in parte deuastan-
17 tes, tenerentur eam reædificare, vel ad quanti interest, tunc benè dicerent, atque doctrinæ, quæ super eis deducebantur, congruè applicarentur; Secus autem vbi dicta actio non intraret, vt omninò verius est isto casu non intrare, quamuis sine causa id gestum esset; Multò verò magis, ac extra omne dubium, vbi ex adeo iusta, imò necessaria causa, ob quam principaliter huiusmodi emptio facta fuerat.

Vndè propterea, rectè applicari dicebam conclusionem, de qua cæteris rela-
18 tis *Neguſ. de pign. 4. membr. 5. par. num. 21. in fine*, *Cyriac. contr. 194. numer. 10. Merlin. de pign. lib. 2. quæst. 69. num. 7.*, vt superadditum à tertio possessore, non cadat sub hypotheca, cum nunquam id fuerit in dominio, ac possessione debitoris; Oportebat etenim deducere huiusmodi doctrinas sine quibus tamen, licèt ex iuris principijs claris, & certis, totus dictus discursus desumatur, adhùc forsan inanis, ac de vento fuisset, cum id Aduocatorum ratiocinio referri soleat, iuxtà currentem insipiduram.

Hinc autem resultare dicebam illud priuilegium, quod in iure meliorati
19 conceditur, eumque distinguit à nomine.

meliorante, circa ius offerendi, quod rei hypothecatæ possessori competit aduersus creditores, quoniam vbi non vrget ratio meliorametorum, non admittitur ad offerendum ipsius rei valorem, sed vel totum creditum offerre debet, vel rem dimittere, secus autem, vbi meliorauit, quoniam tunc admittitur ad offerendum valorem rei non melioratæ affectæ hypothecis, sub quibus pars meliorata non cadit *Castr. in l. si conuenerit §. si fundus ff. de pign. act. & cæteris relatis Negus. 4. memb. 5 par. numer. 1. Cyriac. dict. contr. 194. numer. 1. & seq. Merlin. de pign. lib. 2. quæst. 69. num. 5. & lib. 4. quæst. 81. num. 1. & 3.*, (vbi dictam rationem considerat) *Franch. decis. 38. Rota apud Dunozett. decis. 259.* & in alijs; Atque cum ista conclusione dicebam, quod ità actores repelli poterant, eis offerendo valorem antiqui ædificij, quod supererat, nulla ratione habita alterius partis ædificij destructi, perindè, ac si à casu id sequutum esset, dum totum contigerat licitè, ac in statu bonæ fidei, vt supra, istique videbantur veri, ac proprij termini istius controuersiæ, à qua extraneæ erant omnes doctrinæ, ac rationes, quæ deducebantur, percutientes dictos alios diuersos casus, vel terminos; Idquè semper à iudicantibus præ oculis habendum est, principaliter studendo congruæ, vel incongruæ applicationi, in qua totus est punctus.

ROMANA

CONCVRSVS

PRO

BRVNOMONTINO ET ALIIS CREDITORIBVS EX CAVSA DEPOSITI

CVM

VNIVERSITATE ALIORVM CREDITORVM INDIFFERENTIVM.

Casus disputatus coram Thesaurario, & resolutus pro creditoribus ex causa depositi.

De potioritate creditorum ex causa depositi, aduersus alios creditores indifferentes Bancherij, seù Campsoris, àn & quando intret necnè; Et quando debitum dicatur ex causa depositi, vel potius ex causa mandati.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Inter mercatores, paruæ pagellæ, vel ordines habentur pro pecunia numerata.*
3 *Quod regulariter pecunia data campsori referatur deposito.*
4 *Quare fiant depositi in bancis priuatis.*
5 *Quando non sit ex causa depositi, sed mandati.*
6 *De eodem, & quod sit potius depositi.*
7 *Vndè deriuet potioritas depositi.*
8 *Vt procedat in depositis in bancis publicis.*
9 *An bancherij nostri temporis successerint loco antiquorum argentariorum.*
10 *De conclusione, de qua num. 8., vt procedat etiam in campsoribus priuatis.*
11 *An munus argentariorum esset publicum.*
12 *Vt procedendum sit cum distinctione.*
13 *Qui dicantur banci publici à Principe vel*

vel ſupremo Magiſtratu probati.

14 *De eodem.*

15 *Quales in Vrbe dicantur banci publici.*

16 *De ratione, ob quam banci campſorum non ſint publici, & non intret priuilegium.*

17 *Depoſita iudicialia vbi fiant.*

18 *De diſtinctione depoſiti regularis, & irregularis.*

19 *Reprobatur dicta diſtinctio ad hunc effectum.*

20 *In depoſito regulari non intrat ratio priuilegij in concurſu.*

21 *De altera diſtinctione in depoſito irregulari.*

22 *De eodem, vt in caſu depoſiti regulari non intret concurſus cum priuilegio.*

23 *Ad quid referat, àn bancum ſit publicum vel priuatum.*

24 *De antinomia inter aliquas leges.*

25 *Quod non deberet permitti apertura banci priuata auctoritate.*

26 *Atque deberet cõcedi hypotheca deponentibus pecunias.*

DISC. XXV.

1 CVM foro ceſſiſſet Antonius in Vrbe campſor, ſeù bancherius, formato iuxtà ſtylum, creditorum concurſu coram Theſaurario, orta eſt controuerſia inter ipſoſmet creditores æquè chirographarios (vtpotè ex ipſis libris banci, ſeù litteris abſque hypotheca ſuũ creditum deſumentes, ac probantes), àn intrare deberet potioritas eorũ, qui eſſent creditores ex cauſa depoſiti; Quare in diſputationibus deſuper habitis, in quibus ego ſcribebam pro Brunomontino, & alijs, dictam potioritatem ex cauſa depoſiti prætendentibus, duo erant puncti, ſiuè inſpectiones, de quibus actum fuit; Primò ſcilicèt, àn illa credita, quæ in libris aliam mutui, vel alterius contractus cauſam expreſſam non habebant, ſed illã ſimplicis tranſportationis pecuniæ, explicari ſolitam cum illis verbis *recò contanti*, dicenda eſſent ex cauſa depoſiti, necnè, dum depoſiti titulus non exprimebatur; Et ſecundò, poſito quod dici poſſent ex cauſa depoſiti, irregularis tamen, (cum nullum adeſſet depoſitũ regulare) competere deberet, necnè in bonis campſoris, ſeù bancherij, potioritas aduerſus alios creditores, ex cauſa mutui, ſeù alia indifferẽti; Atque in omnibus iudicatum fuit pro creditoribus ex cauſa depoſiti.

Prima inſpectio ſubdiſtinguebatur in duas creditorum ſpecies; Vnam ſcilicèt eorum, qui verè pecuniam numeratam in bãco repoſuerant, eo modo, quo iuxtà frequentiorem Vrbis vſum, reponitur in duabus ſacris Ædibus Montis Pietatis, & S. Spiritus, nulla alia expreſſa cauſa, vel diuerſa conuentione non accedente; Et alteram eorum, qui pecunias numeratas non tranſmiſerant, ſed dederant ordines, ab alijs mercatoribus, vel banchis exigendos ex litteris cambij, ſiuè ex illis paruis pagellis inter mercatores, & negotiantes vſitatis, quæ vulgò nuncupantur 2 *pagarò*, atquè inter eos pro faciliori commercio pro pecunia verè numerata habentur, vt in ſpecie aduertitur *apud Scac. de camb. §. 2. gloſ. 5. numer. 55. Rot. apud Buratt. deciſ. 556. num. 1. Romana Saluiani 4. Martij 1644. coram Veroſpio*, & comprobat notorius vſus.

In prima enim ſpecie, ijdem ſcribentes pro vniuerſitate aliorum creditorũ, non negabant aſſumptum, quod ego deducebam, quod ſcilicèt, vbi inter dantem pecuniam, & campſorem, nulla accedit alteratiua conuentio ſuper dilatione, vel præſtatione vſurarum, ac ſimili, debi- 3 tum ad cauſam depoſiti, quamuis irregularis, non conſtito de diuerſo titulo, referendum veniat iuxtà doctrinam *Bald. in l. incendium num. 2. C. ſi cert. pet.*, vbi *Salyc. num. 3. Felin. in cap. ſi cautio de fid. inſtrum. cum concordan. apud Gratian. diſcept. 174. num. 1. & ſeq. Amat. reſol. 57. num. 3. Rodriq. de ann. reddit. lib. 3. cap. 11. num. 26. cum ſeq. Idem vel alter Rodriq. de concur. cred. par. 1. art. 6. num. fin. Salgad. in labyr. par. 3. cap. 11. num. 23. cum ſeq. Rota apud Seraph. deciſ. 1158. num. 1.* atquè ità diſtinguendo benè *Apont. conſ. 56. lib. 1.*; Idque comprobare videtur communis vſus, quoniam vbi agitur de illis campſoribus, qui publicum bancum apertum retinent, atque bancherij nomen aſſumunt, adinſtar dictarum ſacrarum Ædium, atque agitur de pecunia numerata in banco repoſita, alia non expreſſa cauſa, minuſque vt dictum eſt, accedente dilatione ad certum tempus, cũ

cõuentione vſurarũ interim, tunc ex cõ-
4 muni recepto vſu depoſitũ dicitur, quod in huiuſmodi bancis fieri ſolet; Tũ pro ſecuritate, & nè pecunia domi, periculo expoſita retineatur; Tùm etiam ob aliquam commoditatem, non quidem ex conuentione, vel depoſiti natura, ſed ex quadam congruentia, ac per accidens reſultante, quod ſcilicèt ille campſor, cuius banco quis vti ſolet, intuitu commodi, quod reportat ab vſu pecuniæ penès eũ ex cauſa depoſiti otioſæ remanentis, implere ſolet ordines deponentis, licèt quandoquè excedant ſummam in banco exiſtentem, ex quadam mutua, ſeù reciproca beneuolentia, & commoditate; Cumque difficilius id practicetur per dictas ſacras Ædes, hinc proindè ſequitur, vt neglecta maiori ſecuritate, quæ in illis viget, huiuſmodi banci particularium campſorum, cum frequenti periculo defectionis eligantur.

Difficultas autem erat in altera ſpecie creditorũ, quos conſtabat, quod nõ tranſmiſiſſent pecuniam numeratam, vt in banco deponeretur, ſed dediſſent litteras, vel ordines exigendos ab alijs per ipſum campſorem, qui ſequuta exactione dederat in libris creditum, in eadem tamen forma *per contanti*; In iſtis etenim,
5 dicebant Scribẽtes pro vniuerſitate creditorum, quod creditum principaliter, ſeù originariè proueniebat, potius ex cauſa mandati dati ad exigendum ipſi campſori, qui habens in manibus exactã pecuniam mandantis, iſtum in eius libris creditorem conſtituerat, et ſic quod in partium intentione primariò, ſeù principaliter fuerit contractus mandati pro exactione facienda nominum debitorũ, acceſſoriè autem, ſeù conſecutiuè reſultauerit eiuſdem pecuniæ retentio penès mandatarium, alteram campſoris perſonam quoquè gerentem, vt habetur *per Rotam apud Seraph. dict. deciſ.* 1158. *Mantic. de tac. lib.* 10. *tit.* 3. *numer.* 8. *Grat. dict. diſcept.* 174. *num.* 9. & 273. *num.* 7.

Contrarium (etiam in ſenſu veritatis) in hac facti ſpecie probabilius dicebam, quodque nulla differentia conſtituenda
6 eſſet inter vnam & alteram ſpeciem, non negando quidem dictam concluſionem in ſuo caſu de iure veram, ſed negando eius applicationem ad factum; Id etenim procedit, quando ex facti qualitate conſtat, quod verè, ac principaliter contractus mandati in Partium intentione fuerit, quamuis acceſſoriè, ſeù conſequutiuè, alter depoſiti etiam inſit, iuxtà praxim, quàm frequenter cernimus in Magnatibus, qui vt commoditatem habeant indies pecuniæ numeratæ pro familiæ ſubſtentatione, aliſquè manualibus occurrentijs, abſquè neceſſitate expectãdi collectionem fructuum, vel eorumdem iam collectorum venditionem, quæ non ſemper prompta habetur, aſſignant campſori omnes eorum effectus ſub certa prouiſione per eos adminiſtrandos, ac exigendos, retinendo computum dati, & accepti in eorum libris, cum obligatione ſubminiſtrandi ſingulis menſibus, vel hebdomadis, ſeù alijs temporibus aliquam ſummã, adinſtar illius conuentionis, quæ iuxtà frequentem praxim, quæ haberi ſolet cũ depoſitarijs montium baronalium; Tunc enim principaliter initus dicitur contractus mandati, quamuis acceſſoriè, & conſecutiuè alter depoſiti reſultet; Secus autem, vbi pro maiori commoditate, ac ad euitandum incõmodum duplicis numerationis pecuniæ, illiuſquè tranſportationis de loco ad locum, ac magis ad effectum euitandi damnum frequenter contingibile, monetæ præſertim aureæ reprobæ, vel non iuſti ponderis, conſignantur ordines, ſiuè dictæ paruæ pagellæ vulgò nuncupatæ *pagarò*, cum tunc pecuniæ numeratæ veræ æquipolleant, vt ſupra aduertitur, atquè mandatum exactionis, acceſſoriè, & pro maiori commoditate vt ſupra ineſſe dicitur, ideoquè in hac parte caſus videbatur planus.

Maior igitur, ac tota quæſtio fuit, ſuper ſecunda inſpectione, àn ſcilicèt, poſita etiam cauſa depoſiti, dum iſtud non erat regulare, intraret, necnè potioritatis priuilegium, aduerſus alios creditores chirographarios, vel potius inter omnes, locus eſſet æquali contributo abſquè differentia.

Iſta verò inſpectio pariter in duas ſubdiſtinguebatur; Primò ſcilicèt, àn
7 *text. in l. ſi ventri §. in bonis ff. de priuil. cred.*, & *l. ſi hominem §. quoties ff. de poſ.*, ex quibus iſtud depoſiti priuilegium reſultat, locum habeant, necnè in huiuſmodi noſtrorum temporum campſoribus, & bancherijs; Et ſecundò, in qua depoſiti ſpecie idem priuilegium procede-

ret,

ret, & an ad hanc facti speciem esset applicabile.

Quoad primum; Scribentes pro vniuersitate creditorum dicebant, quod vbi etiam dictorum iurium disponsitio in deposito irregulari admittenda esset, intelligendum tamen veniret in illis bancherijs, qui per Principem, vel supremũ magistratum in officium deputati sunt, quasi quod deponentes sequantur fidem publicam, quæ causa est priuilegij, vt probat *text. in dicta l. si ventri §. quod in bonis ff. de priu. cred.*, ibi, *qui pecunias ad mensam fidem publicam sequuti deposuerunt*, quoniam alias priuatã fidem sequuti non essent, vt *ex Cuman. in eodem §., quod in bonis*, obseruant *Barbos. in l. si cum dotem §. fin. num. 33. vers. sed pro vera concordia ff. sol. matr. Faber. in Rational. ad l. 8. eodem tit. ff. de priuil. cred. in prima dubio Molin. de contr. disp. 126. nu. 6. vers. Et quamuis Besold. lib. 16. Pandec. quæst. 6. vers. Quæritur etiam*, & sentire videtur *Apont. dicto cons. 56.*, vbi discurrit, an bancherij, & campsores nostri temporis subrogati sint necnè loco nummulariorum, seù argentariorũ, de quibus allegata iura loquuntur.

Econuersò dicebam ego, quod *Cuman. in l. si hominem §. quoties ff. de posit.*, cum cuius originali doctrina omnes procedunt, exemplificat casum illius textus in mercatoribus cessantibus, ac fugitiuis, qui foro cedant, & in quorum bonis dantur syndici, & curatores pro creditoribus graduandis, vt est propriè casus, quem in huiusmodi temporum nostrorũ campsoribus praxis docet; Atque *Angel. in dicta l. si ventri §. quod in bonis*, pariter exemplificat in deponentibus pecunias apud campsores suorum temporum, qui sunt ijdem, ac nostri, absquè vlla differentia, dum tunc in Ciuitate Perusina eius patria, totaque Italia, pariter nulla aderat imago antiqui Imperij Romani, illorumque argentariorum, seù nummulariorum, de quibus præfata iura loquuntur; Et cum eodem sensu loquitur eius cœtaneus, ac germanus frater *Bald. in l. pro debito Cod. de bon. auctoritate Iudicis possid. & cons. 432. lib. 1. & cons. 399. lib. 5.*, cum quo procedit *Stracch.* (doctor. nimiũ versatus in hac materia mercaturæ, & negotiationis) *in tract. de mercat. tit. de Decoct. par. vlt. sub Rubr. qui pot. in pign. hab. in princ.*, & benè etiam in bancherijs nostrorũ temporum *Peguer. decis. 38.*, cum quò pertransit *Flores de Mena*, quem malè redarguit *Fõtanell. de pac. claus. 5. glos. 6. par. 7. num. 12.*, cum hic Auctor in materia æquiuocare videatur, vt aduertitur infra in altera inspectione.

Neque aduertebam subsistere rationẽ muneris, vel officij publici, quod antiqui argentarii, seù nummularij haberent, quoniam in iure habetur, vt etiam serui essent huiusmodi munerũ capaces, illaque exercerent, & tamen certum est, quod serui incapaces erant publicorum officiorum; Ideoque dicebam, quod vera ratio videtur illa necessitatis, ob quam Respublica, & commercium indigent huiusmodi mensis nummularijs, vt obseruat *Bart. in dicto §. quoties*, & benè probat *text. in l. quod priuil. 8. ff. depos.*, ibi, *idque propter necessarium vsum argentariorum, ex vtilitate publica receptum est*, vt benè obseruat *Peguer. dicta decis. 38. circa finem.*

Adhùc tamen dicta ratio publicæ fidei, in qua dictæ leges fundantur, me torquebat, neq; intellectus acquiescebat dicto assumpto ità indefinitè admittendo in quibuscumque campsoriam artem exercentibus iure merè priuato; Quare, istius, vel similium causarum occasione, (reflectendo ad veritatem), mihi videbatur procedendum esse cum distinctione, qua mediante, omnes præmissæ auctoritates rectè conciliari possunt, benèque adaptari rationes publicæ fidei, publicæuè necessitatis in dictis iuribus allegatæ.

Aut enim in Ciuitate, vel ditione, ex eius lege scripta, vel non scripta, non conceditur cuique priuata auctoritate publicum bancum aperire, sed solùm illis, qui à Principe, vel aliquo supremo Magistratu, ad id facultatem habeant, vt prudenter, ac benè dispositum est in Regno Neapolitano, quod id non conceditur, nisi præuio examine idoneitatis personæ volentis assumere munus bãcherij publici, cum cautione ducatorum 100. m. & vltra, quod etiam supponitur dispositum esse in altero Regno Siciliæ vltra, aliisque locis, vndè praxis docet, quod banci publici per solas sacras Ædes nimis idoneas, vel per ipsam Ciuitatem exercentur; Quamuis enim ma-

gnus adsit numerus mercatorum exercentium campsoriam artem, non tamen dicuntur bancherij publici.

Et tunc ob istam discretiuam, dum habentibus pecunias benè consultum est cũ bancis publicis, à *Principe*, vel *maiori* Magistratu deputatis, si ipsi deponere volunt penès priuatos campsores, prædictorum iurium præsidio digni nõ videntur, cum ità, priuatam potiùs quã publicam fidem sequi dicantur; Atque congruere videtur distinctio, de qua infra *in Anconitana discur. 39.*, in proposito competentiæ hypothecæ legalis inter priuatum voluntarium administratorem, ac alterum necessarium, seù legalem.

Aut verò ista formalis deputatio in vsu non est, sed de facto, publicè, ac palam, etiam priuati mercatoris, seù cam-
14 psoris bancum publicum reputatur, vndè iudicialia deposita etiam admittantur, eiusque cedulæ loco pecuniæ numeratæ, ac depositæ in iudicio recipiantur; Et tunc idem dicendum est, cum ita fides publica quoque adesse videatur, ob implicitam deputationem resultantem à tollerantia Principis, vel supremi Magistratus loci, adeoùt intret ratio publicæ fidei in persona, quæ à Republica, vel *Principe* approbata est, eo modo quo in antiquis argentarijs, vel nummularijs, quorum officium non erat quidem de illis publicis honorarijs, quæ solùm ingenuis conueniebant, sed benè de seruilibus, adhùc tamen dicebatur publicum ob Reipublicæ seruitium, cum stent simul, vt officium sit potiùs ignobile, ac seruile, quam nobile, & honorificum, & tamen quod sit publicum, vt habemus in tabellionibus, ac tabellarijs, & similibus.

Applicando autem ad rem; Quamuis in Vrbe non sit in vsu ista particularis deputatio, per quam distinguantur bancherij publici à priuatis, vndè propterea quilibet negotiator priuata auctoritate
15 sibi assumit titulum bancherij (cum solùm in hæbreis quædam licentia requiratur pro facultate exercendi bancum, & pignorandi), adeoùt nulla exquiratur cautio ab eis, qui huiusmodi bancorum fidem sequuntur; Attamen id fortè prouenit quia, cum publicæ necessitati, & commoditati iam consultum sit, cum duobus publicis bancis Apostolica auctoritate erectis, nimium idoneis, ac tutis, in quibus dicta ratio publicæ fidei benè congruere videtur, vt sunt banci Montis pietatis, ac Hospitalis S. Spiritus, eo modo quo in Ciuitate Neapolitana sunt banci Hospitalis Sãctissimæ Annunciationis, & Spiritus Sancti, ac Populi, & Montis Pietatis; Et in Ciuitate Mediolanen. est celebre bancum S. Ambrosij; Proùt in Ciuitate Ianuen. est alterum S. Georgij; Ac in Ciuitate Panormitana est ea, quæ dicitur tabula publica Ciuitatis cum similibus.

Hinc proindè, quamuis more Aduocati in contrarium scriberem, nimium tamen dubitabam de huiusmodi potio-
16 ritatis competentia, quodque in his priuatis campsoribus, & bancherijs dicta iura non procederent, cum dicantur banci, ad negotiationem potius, quam pro formali mensa nummularia erecta pro depositis, eo modo quo infra in sequenti inspectione circa depositorum diuersas species ponderatur; Quodque in huiusmodi bancis pecuniam tenentes, potius id agant ad supra insinuatam priuatam commoditatem, cum aliàs stultitiæ species videatur, dum possunt haberi dictæ omninò tutæ tabulæ, se exponere priuatorum campsorum decoctionibus, quas in dies experimur.

Quod *nimium* comprobare videtur ea circumstantia, quod deposita iudicia-
17 lia, vel necessaria, non admittuntur, vbi fiant penès huiusmodi priuatos campsores, quorum cedulæ admitti solent per Congregationem Baronum, vel alia Tribunalia, potius tanquam per speciem assecurationis, vel fideiussionis, quàm per speciem veri depositi, iuxta eam cedularum distinctionem, de qua supra *disc. 7.*, *& sub tit. de cambijs disc. 1. & 2.*, nisi per particulare chirographum Pontificium aliter caueatur, quod tamen rarum est, præter quam quoad depositarium Cameræ, in quo eadem ratio publici muneris publicæuè deputationis intrare videtur; Ac propterea, licèt vulgò per ora forensiũ id referatur particularibus Indultis dictarum sacrarum Ædium, præsertim autem *Montis* Pietatis, vt non nisi ibi iudicialia, ac necessaria deposita fieri debeant, nihilominus id potius referendum est approba-

tio-

tioni publicæ, seù destinationi, quæ publica auctoritate facta sit pro isto depositorum vsu in Republica necessario; Atque hinc de consequenti resultabat resolutio alterius inspectionis, de qua scilicèt depositorũ specie superius allegata iura potioritatis priuilegium tribuentia, intelligenda venirent.

Verùm vbi de hoc puncto agendum esset; Scribentes pro vniuersitate creditorum, pro consueto pragmatico more intellectum captiuantes cum aliqua spe-
18 ciali auctoritate absque alio ratiocinio, vel discursu, magnum fundamentum cõstituebant in doctrina *Fontanell. de pact. dict. clauſ. 5. gloſ. 6. par. 7. num. 12.*, vbi redarguendo (vt dictũ est) *Flores de Mena* super mala intelligentia *decis. 38. Peguer.* vtpotè fundatæ in ratione hypothecæ legalis ex illis peculiaribus legibus aduersus huiusmodi cãpsores inductæ, procedit cum vulgari distinctione depositi regularis, & irregularis, quodq; propterea dictorum iurium dispositio, in regularibus, non autem in irregularibus locũ habere debeat.

Ista verò *Fõtanell.* doctrina (etiã in sensu veritatis) malè fundata, ac forsan inepta mihi videbatur, quoniã magis cõmuniter
19 receptum est, vt potioritas, quæ per allegata iura depositi causæ tribuitur, procedat inter creditores æquè chirographarios, non autem aduersus hypothecarios, vt est sensus *Cuman. in dict. l. si ventri §. in bonis & Castr. in dict. l. si hominem §. quoties*, ac aliorum de quibus *Barbos., Rodriq. & alij supra allegat. Gait. de cred. cap. 4. in appendice nu. 124. & 126. Castill. lib. 3. contr. cap. 16. num. 48. cum seqq. apud quos cæteri*; Et tamen id congruere non
20 potest depositо regulari, quale propriè dicitur illud, quod fiat in pecunia sacculo obsignata, potiùs tanquam per speciem, quam tanquam per quantitatem, vndè dominium & possessio remaneant penès deponentem, depositarius autem non habeat nisi simplicem facti detentationem, eo modo quò habet simplex custos, vel alter administrator, vndè propterea improprij sunt termini priuilegij, vel potioritatis, cũ isti cadant inter creditores chirographarios, cum hypothecarius vincat etiam priuilegiatum ex ista causa, & tamen dominus depositi regularis vincit etiam hypothecarium anteriorem, ac priuilegiatum, quia non cõcurrit super bonis campsoris tanquam creditor, sed vendicat rem suam iure dominij, ideoq; prorsus inepta videtur dicta consideratio, seù distinctio.

Hinc proindè Doctores magis cõmuniter procedere videntur cum altera distinctione initio insinuata, inter depositum purum, quamuis irregulare quantitatis, & illud quod ratione conuentionis vsurarum, vel certæ dilationis, transeat magis in mutuum, vt *per Apont. dicto cons. 56. & alios supra allegatos*;
21

Procùt fatua esset inspectio, àn mensa in qua depositum factum sit, publica, vel
22 priuata esset, & àn intrent necnè rationes publicæ fidei, vel publicæ necessitatis, quibus, vt supra, innituntur allegata iura hanc potioritatem tribuentia, quoniam vbi agitur de depositо regulari in sacculo obsignato, tanquam per speciem, cuius dominium penès deponentem remaneat, etiamsi fieret penès merè priuatum hominem, cui campsoris, vel negotiatoris terminus nullatenus cõgrueret, adhùc idem dicendum esset, ideoque incongrua distinctio.

Benè tamen huius secundæ inspectionis decisio pendet à prima, super qualitate mensæ nummulariæ, àn verè publica-
23 dici valeat necnè, ac principaliter erecta, seù destinata pro depositis recipiendis, ad publicam commoditatem, cum tunc, cessante implicita mixtura mutui, vel alterius contractus, quę à conuentione vsurarũ cum certa dilatione vt supra resultare dicitur, atque veri depositi cõtractum corrumpit, intret illa tertia, seù mixta depositi species, de qua habetur infra *in Romana pro Monte pietàtis disc. 68.* participans de vtraque specie, regularis, ac irregularis, vt scilicèt illa pecunia, quę in arcis depositorum, quamuis cõmixta retineatur, species depositi regularis magis importare videatur, ideoque in ea potior sit deponentium conditio, ex plenius deductis *dicto disc. 68.*, istequè videtur proprius, ac germanus dictorum iurium sensus.

Super dictis autem iuribus *in l. si ventri §. in bonis ff. de priuil. cred. & in l. si hominem §. quoties ff. depos.* Doctores ali-
24 quam antinomiam considerare solent respectu priuilegiatorum, cum vnus textus dicat *ante*, alter verò *post* priuilegia;

Atta-

Attamen quidquid esset de hoc, de quo post antiquiores agunt *Barbos. in l. sicũ dotem §. fin. num. 34. ff. sol. matr. Rodriquez de concurr. cred, dicta par. 1. art. 6. numer. 44. & seq. Merlin. de pign. lib. 4. quæst. 27.*; Adhùc tamen in hac facti specie nulla suberat necessitas assumendi huiusmodi inspectiones, cum inter reliquos creditores chirographarios non adessent priuilegiati.

Quamuis autem de stricta iuris censura hæc ità procedant, attamen quia non omnibus ea nota sunt, vndè de facili opinantur homines, huiusmodi bancheriorum quamdam publicam fidem sequi; Hinc proindè laudabilis nimium videtur dictus vsus, non permittendi publici banci aperturam, nisi præuia causæ cognitione, præstitisque bonis cautionibus; Ac etiam concedendi deponentibus pecunias, hypothecam, eo modo quo conceditur in Hispanijs, vt patet ex *Peguer. dicta decisione 38. Barbos., Fontanell., Castill., & alijs Hispanis de quibus supra*, & in Sicilia *Amat. resolut. 57. in princip.*, & in Statu Veneto *Peregr. consil. 89. numer. 2. lib. 4.*; Quoniam ità occurreretur infinitis fraudibus, neque iustum est, vt eadem sit conditio sequentium fidem huiusmodi campsorum in statu valido, ac magnæ fidei, eamque sequentium propè decoctionem, & in statu suspecto, adeoùt admirationem conceperim non modicam, quod in Vrbe ad id non aduertatur.

BONONIEN.

SEV

VENETA PECVNIARIA

PRO

VINCENTIO MARESCOTTO

CVM

DOCTIS ET VAMBARLIS.

Casus disputatus coram A.C., & in Rota, resolutus, vt infrà.

De concursu domini pecuniæ furatæ, & creditorum hypothecariorum furis, in pecunijs penès eum repertis, ac in mercibus ex eisdem pecunijs emptis; Et quando res succedat loco pretij remissiuè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Dominus pecuniæ furatæ in ea vincit creditores furis.*
3 *Identitas pecuniæ furatæ probatur etiam adminiculatiuè.*
4 *An, & quando res succedat loco pecuniæ, seù pretij.*
5 *Res empta ex pecunia furtiua non est furtiua.*
6 & 7 *An & quando res succedat loco pretij in vniuersalibus, vel particularibus.*
8 *Quid in personis priuilegiatis.*
9 *Quando in rebus emptis ex pecunia furata dominus pecuniæ sit potior.*
10 *Quod venditor in re sua postponatur creditoribus emptoris.*
11 *De domino priuato re sua capta ab hostibus.*
12 *Quando æquitas præferatur rigori, & è contrà.*

DISC. XXVI.

QVerelato Iacobo de furto notabilis summæ pecuniarum facto Doctis, & Vambarlis mercatoribus Venetis, cum falsis ordinibus mercatoris Bononiensis eorum correspondalis, Cum penès eum in Ciuitate Bononiæ repertæ fuissent plures merces, & quædam summa pecuniæ aureæ vngaricæ, Iudex criminalis (ipso Iacobo loco immuni restituto, in contumaciam ad triremes in perpetuum condemnato) mandauit, tàm merces, quàm pecuniam consignari præfatis mercatoribus, vndè per Vincentiũ, alioſque creditores dicti Iacobi interposita appellatione ad A.C., hic circa pecuniam, pronunciauit fauore dictorũ mercatorum, iure dominij eam vindicantiũ; Circa verò merces fauore creditorum, à qua sententia commissa per appellationẽ causa *in Rota coram Celso*, vnica habita fuit disputatio *sub die 27. Ianuarij 1661.* dilata resolutione, incertumque est quid postmodum sequutum sit, cum actum de causa amplius non audierim.

In disputationibus autem habitis, tàm coram A.C., quàm in Rota, duæ erant distinctiones; Vna scilicèt circa pecuniam numeratam, & altera circa merces; Quatenus pertinet ad pecuniam, tota quæstio fuit, facti potius quàm iuris, àn scilicèt benè cõstaret de identitate, necnè, ea etenim probata, clarũ remanebat bonum ius domini rei furtiuæ, aduersus furis creditores, quamuis hypothecarios, ac priuilegiatos, cum sub eorum hypotheca non cadant, nisi bona iam effecta de dominio debitoris, quod ad id omninò necessarium est, vt pluries in præcedentibus aduertitur, occasione potioritatis venditoris in bonis venditis, quando accedat cautela reseruationis dominij, siuè domini depositi regularis cum similibus; Vndè propterea vt habetur *infra disc. 136. & seq.*, & alibi pluries, si debitor negligat agnoscere hæreditatẽ, vel fideicõmissum, seù legatũ, quamuis ei legitimè delatum, creditores nullum ius in bonis hæreditarijs, vel fideicommissarijs, aut legatis habent, cum oporteat dare dominium, seù ius quæsitum in persona debitoris, cũ fur absquè dubio non efficiatur dominus rei furtiuæ, quæ identificè existat, cum eius possessio importet solùm iniustam detentationem, et cõsequenter creditores nullum concursum cum domino prætendere possunt.

Circa verò inspectionem facti; Quamuis ego scribens pro creditoribus plura dicerem in contrarium cum regulis generalibus, attamen agnoscebam, quod 3 sufficiens probatio adesset ex qualitate personæ, ac monetarum, & breuitatis tẽporis, vndè in proposito congruere videbantur ea, quæ habentur circa probationem versionis pecuniæ, ad rem emendam, vel reficiendam, vt etiam præsumptiua, seù adminiculatiua probatio sufficiat, iuxtà auctoritates deductas supra *disc. 1. & alibi*, stante impossibilitate probandi identitatem precisè in pecunia recipiente functionem in genere suo cum ea perfecta probatione, quæ contrariam possibilitatem excludat.

Quòd verò ad alteram inspectionem super mercibus, pariter eadem geminata inspectio cadebat, facti scilicèt, àn constaret, quod merces ex dicta furata pecunia comparatæ essent; Et iuris posita dicta probatione, àn in ipsis intraret subrogatio loco pecuniæ, adeoùt locum haberet eadem vendicatio loco dominij, quæ vincit quascumque hypothecas vt supra.

Super hoc autem multa hincindè deducta fuerunt ad materiam *text. in l. 1. C. si quis alter. vel sibi, & in l. si ex ea C. de rei vindic.* super cõclusione, àn, & quã- 4 do res succedat loco pretij, potissimè in subsidium, ac vbi domino pretij non potest aliàs esse consultum, ex ijs quæ post antiquiores ab eis relatos habentur deducta *apud Gait. de cred. cap. 4. quæst. 11. ex numer. 1474. cum seq. Salgad. in labyr. par. 2. cap. 24. num. 6. cum seq. Merlin. lib. 2. contr. 67.* vbi referuntur *Faber, & alij Buratt. decis. 784. & 874. Duran. decis. 63. & 212.* cum alijs generaliter infra deductis in materia *disc. 33.*, àn scilicèt, & quando res succedat loco pretij, vel econuersò pretium loco rei.

Scribens autem pro creditoribus, etiã cum sensu veritatis, dicebam potiores esse istorum partes, vbi etiam adminiculatiua probatio admittenda esset, quod merces ex pecunia furata comparatæ

essent,

essent, quoniam euagandum non est in similibus, vel generalibus, vbi in iure habemus
5 specialia, ideoque cum habeamus *text. expressum in l. qui res §. vlt. ff. de furt. cum concordan. relat. per glos. ibid.*, vt res comparatæ ex pecunia furtiua non dicatur talis; Ità versabamur in claris.

Ac etiam quia attentis dictis terminis generalibus, vel similibus, de quibus præsertim frequenter agi cõtingit in acquisitionibus
6 factis per hæredem grauatum de pecunia hæreditatis fideicõmissariæ, regula est, quod acquisitiones factæ de aliena pecunia fiunt acquirentis, qui debitor remanet domini pecuniæ in æqualenti ex deductis *sub tit. de fideic. disc.* 177., ac etiam infra *dicto discur.* 33., *& sub tit. de Regal. disc.* 1. *& alibi*; Et ex alia regula, quæ reiectis contrarium sentientibus, in puncto iuris magis communiter verior reputatur, quod in particu-
7 laribus res non succedit loco pretij ex deductis præsertim *per Salgad. dicto cap.* 24. *& Merlin. dicta contr.* 67. *& infra dicto disc.* 33., vbi reprobantur *Gait.* & alij contrarium tenentes.

Et quamuis Doctores nimium se inuoluere videantur distinguendo, àn versaremur in casu subsidij, necnè, siuè agatur de personis priuilegiatis inter
8 quas pupilli, & minores, seù Ecclesiæ recenseri solent, quasi quod copulatiuè cõcurrentibus priuilegio, & casu subsidij, admittenda sit subrogatio rei loco pretij, vel è conuerso, etiam in particularibus; Attamen vt præsertim aduertitur *dicto discur.* 1. *de Regal.*, & benè in puncto iuris materiam examinant *Merlin. dicta contr.* 67. *nu.* 19. *cum seq. & Hermosill.*, cuius verba regiſtrat *Salgad. dicto cap.* 24. *num.* 21., id procedit contra fouentem causam lucratiuam, cui obstet etiam dispositio, vel ratio *text. in l. sime & Titium ff. si cert. pet.*, Secus autem cõtra fouentes causam onerosam, vt in hac specie, quod agebatur de creditotibus; Licèt enim *Salgad.* articulum hincindè discurrendo, pro subrogatione potius concludere videatur, attamen quidquid sit de eius sensu, ille percutit terminos diuersos causæ vniuersalis, in qua facilius intrat huiusmodi subrogatio quam tamen ipse admittit non intrare in particularibus.

Clarius verò dicebam id procedere in hac facti specie, quod accedebat for-
9 malis contrectatio mercium de loco, ad locum, à Veneta scilicèt ad Bononiensem Ciuitatem, cum notabili temporis interuallo, in quo in libera dispositione acquirentis fuerunt, prout de facto in parte dispoſuerat, adeoùt ex æquitatiua conclusione à commercij libertate inducta contra eos, qui huiusmodi merces in statu bonæ fidei emerant, actio nõ cõpeteret, vt aduertitur in alijs supra *hoc tit.*; Tunc enim considerabam, quod pro domino pecuniæ furtiuæ probabiliter respondẽdum esset circa huiusmodi subrogationem, quando casus fuisset instantaneus absque huiusmodi contrectatione, ac notabilis temporis retentione, quia nempè eo, qui furtum passus est, furem persequente, hic repertus esset in ipso actu, vel paulò post cum mercibus, vel bonis cum pecunia furata tunc acquisitis, quasi quod dici non possent bona cũ reliquo ipsius patrimonio commixta, neque in eius dominio radicata.

Licèt enim inspecto naturali sensu, durum videatur, vt in bonis, quæ constat de aliena pecunia acquisita esse, creditores excludere debeant ipsius pecuniæ dominum, attamen multa habemus in iure, quæ in sensu naturali aspera videntur, ea
10 tamen recipere oportet, quia sic per legem statutum sit, vt habetur in pluries insinuato casu vendentis habita fide de pretio, absquè cautela reseruationis dominij, quod in ipsismet eius bonis vincitur ab emptoris creditoribus, nisi intret illa æquitas, de qua supra *discur.* 21; Ac etiam habemus in bonis per hostes deprædatis, quæ in eorum præsidijs pernoctauerint, vt quamuis per amicos recuperentur intra breue tempus, non ta-
11 men reincidant sub priori dominio, vndè propterea dominus pati cogatur, vt ea etiam titulo lucratiuo retineantur ab illis, qui ab ipsis hostibus occupantur iuxtà ea quæ habentur deducta *sub tit. de feud. disc.* 58., cum similibus; Multa enim in iure statuta sunt, quæ in sensu naturali aspera vidẽtur, atq; æquitati repugnant, & tamen ea recipere oportet, cum ista dicatur legis prorogatiua, vt quamuis dura, recipienda sit, vndè propterea re-
12 ceptum habemus, quod tunc in iudicãdo inhærendum est æquitati nõ scriptæ, quan-

quando non obstet ius scriptũ, siuè istud sit dubium, adeoùt agatur de interpræ-tatione iuxtà æquitatem potius quam rigorem in dubio facienda, secus autem vbi clarum ius scriptum habetur, cum tunc istius rigor prævaleat non scriptæ æquitati ex ijs, quę cæteris relatis habentur *apud Merlin. decis. 386. & 567. cum alijs per Adden. ad decis. 28. par. 3. rec. num. 37. & seqq.*

NEAPOLITANA

CONCVRSVS

PRO

ANTONIO PIGNATELLO EPISCOPO LICIEN.

CVM

CREDITORIBVS PATRIMONII PRINCIPIS MINERVINI

Responsum in causa vertente in Sac. Cons.

De potioritate creditorum defuncti in istius bonis aduersus creditores anteriores, & priuilegiatos hæredis; Et quid vbi agatur de bonis feudalibus, seù aliàs differentibus, ac in libero commercio non existentibus.

An incidenter, àn assignatio facta creditori dicatur pro soluto, vel pro soluendo, adeoùt extinguat primæua iura, primæuasque hypothecas, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Creditores defuncti præferuntur creditoribus anterioribus hæredis.*
3 *De assensu generali super obligatione feudalium pro dote.*
4 *In feudis non intrat conclusio, de qua num. 2.*
5 *Non versantes in Tribunali, in quo causa agitur, non possunt tutè in ea iudicium dare.*
6 *Feuda Regni Neapolitani, nimium alterata videntur à generali natura feudorum.*
7 *De quæstione, àn, & quãdo assignatio censeatur facta pro soluto, vel pro soluendo.*
8 *Etiam vbi facta est pro soluendo intrat obligatio ad diligentias.*
9 *Quando dicatur assignatio facta pro soluto, vel pro soluendo.*
10 *Quomodo ista quæstio decidi debeat.*
11 *In dubio præsumitur pro soluendo.*
12 *De adminiculis idem probantibus, vt sit pro soluendo.*
13 *Vbi etiam sit pro soluto, sed inualida non extinguit debitum, ac primæua iura.*
14 *Datio insolutum fraternizat cum emptione, & venditione, & exigit eadem requisita.*
15 *De iuribus fiscalibus, quod sint idem, ac loca Montium, & de eorum natura.*
16 *Contractus super eis inter partes, quid operetur.*
17 *Quando propriè intret quæstio, àn assignatio sit pro soluto, vel pro soluendo.*
18 *De eodem, & quando priora iura non extinguantur, etiamsi assignatio sit pro soluto.*
19 *Quid vbi assignetur census redimibilis, qui redimatur cum cedente.*
20 *Facta redẽptione omnia iura tertio quæsita euanescunt.*
21 *De eadem conclusione, de qua num. 2.*
22 *De stylo, vt emptor feudi teneatur emere etiam bona allodialia.*
23 *E conuerso expedit, vt allodialia nõ scindantur à feudo.*
24 *Declaratur conclusio, de qua nu. 4., vt in feudis non intret beneficium separationis bonorum.*
25 *De eodem, & quæ sit ratio dictæ conclusionis in feudis.*

DISC. XXVII.

DE anno 1605., inter Frãciscum Pignatellum Spinaziolæ Marchionem, & Portiam Caraffam filiam Ducis Andriæ, more Magnatum, initum fuit matrimonium cum dote ducatorum 38. m., & è conuersò vir, pro mulieris donatione, seu antephato se constituit debitorẽ in ducatis circiter 12. m., sub conuentione vt, quatenus ob mulieris superuientiam, illius lucro fieret locus, post eius mortem spectare deberet ad filios ex eo matrimonio procreandos, vti filios; Dicto autem matrimonio dissoluto de anno 1620. per mortem viri, superstitibus quinque filijs masculis pupillis, ac minoribus respectiuè, de anno 1623. vnus ex baliis Martij primogeniti, ac successoris in dicto Marchionatu, & in Principatu Mineruini, hæredis etiam vniuersalis dictæ Portiæ pro ducatis 41. m. circiter debitis pro dote, & parte antephati, cum præseruatione antiquorum iurium, assignauit plures effectus super eisdem locis Mineruini, & Spinaziolæ; Cumque in patrimonio dicti primogeniti formatus esset concursus enunciatus supra *disc.* 20., atque præmortuis, tàm Portia matre, quàm Fabritio, Io. Baptista, & Aloysio filijs, ac fratribus respectiuè, eorum iura, tàm propriæ legitimæ in bonis paterno, quã successionis in bonis maternis, pro aliquibus ratis cõsolidata essent in Antonio vltimo genito Episcopo Licien., & Nuncio Apostolico apud Imperatorẽ, qui proindè ex fratrũ, ac proprijs iuribus erat dicti patrimonij creditor in sorte principali in ducatis circiter 105. m., ex quibus 60. m. circiter prouenieb̃at à dote materna, & antephato, & ex causa portionis legitimæ, & successionis in bonis paternis, adeoùt sine dubio in dictis feudis, ac bonis allodialibus illis annexis de iure vinceret omnes creditores dicti primogeniti hæredis, ac propterea ex parte eius diceretur, quod pro reliquis ducatis 45. m. prouenientibus à debitis proprijs dicti hæredis, ipse venire debebat in concursu, atque suo loco graduari, secus autem pro dictis ducatis 60. m. circiter, in quibus non intrabat concursus.

1 Ex vera, & recepta conclusione, quod creditores defuncti, etiam chirographarij, & in sola actione personali, quinimò etiam ex causa lucratiua, (vt sunt legatarij) vincunt in bonis eiusdem defuncti, 2 creditores hæredis quãtumuis hypothecarios, ac anteriores, & priuilegiatos, ex pluries in præcedentibus insinuata ratione dominij, quod omnes vincit hypothecas cum dominio non concurrentes, ob beneficium scilicèt separationis bonorum, per quod in concernentibus ius creditorum hæreditatis, hæres fingitur non hæres perindè, ac si hæreditatem nõ adiuisset, et consequenter habetur, ac si bona ipsi hæredi acquisita non essent, neque effecta de eius dominio, sine quo in creditorum hypothecas reincidere nõ potuerunt ad *text. in l. 1. §. sciendum ff. de separat. bon. cum concord. per Franch. & Adden. decis. 374., Surd. decis. 310. Capyc. latr. consult. 99. Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 9. cum alijs sub tit. de feud. disc. 78. & in alijs*, cum, excepto casu feudorum, vel similiũ, de quibus infra, sit iuris principium certum.

Ad id euitandum (quod in iure absolutum est), creditorum vniuersitas duo deducebat; Primò scilicèt, quod creditum proueniens ex causa dotis, & ante- 3 phati, prò quò, tàm allodialia, quàm feudalia affecta erãt ob assensum generalem, qui ex gratia concessus est pro creditis dotalibus, ex ijs quæ circa hunc assensum habentur plenè deducta *sub tit. de feud. disc 26., & sub tit. de Dote disc.* 146., per assignationem vt supra sequutam de anno 1623. iam extinctum esset, quodque propterea alia non competeret actio nisi ad iura assignata; Non obstante quod ea vtpotè consistentia in fiscalibus, ac effectibus redimibilibus, iuxtà quamdam speciem nostrorum locorum montium, irretractabiliter extincta, vel alienata essent ab eodẽ hærede; Dicebatur etenim quod ità effectum erat istius proprium debitum, suo loco graduandum, non tamen dici poterat debitum defuncti, pro quo dicta prærogatiua separationis bonorum competeret, ex regula, quod euicta re data in solutum loco quantitatis non reuiuiscunt primæua iura, sed agitur pro euictione actione ex empto.

Et quoad reliquam partem proue-

nien-

nientem ex causa legitimæ, seù portionis paternæ, admittebatur potioritas in bonis allodialibus, non autẽ in feudalibus in concursu creditorum cũ assensu ex cõclusione pluries insinuata *sub dicto tit. de feudis* præsertim *disc.* 109. *nu.* 19. *& supra disc.* 13. *iuxta allegat.* 83. *Theodor.*, quæ
4 supponitur in illis Tribunalibus magis recepta, reiecta contraria opinione, de qua *apud Capyc. latr. consult.* 99., vt in feudis non intret beneficium separationis bonorum, et consequenter, quod creditores heredis cum assensu vincant creditores defuncti sine assensu etiam in istius bonis.

Super his autem ex parte dicti Antonij, seù agentium pro eo in Vrbe consultus, præuia protestatione, vt in causis
5 vertentibus in Tribunalibus habentibus proprios stylos, ac opiniones, incongruè Aduocati in diuersis Tribunalibus versãtes maturè respondeant, quodq; ibi versantibus deferendum sit, vt præsertim, aduertitur *sub dicto tit. de feud. & alibi.*

Potissimè verò in concernentibus illius Regni feuda, in quibus leges, vel cõsuetudines feudales generales, per quem-
6 dam dicendi modum, oblitatæ dici possunt, cum ferè in omnibus regulentur ex eiusdem Regni Constitutionibus, Capitulis, Pragmaticis, & Gratijs, adeoùt nimium rari sint casus, seù quæstiones, quas in puris terminis feudalibus tractare cõgruat, eo modo quò sequi solet in feudis Imperialibus Italiæ, ac Germaniæ, aliarumque Prouinciarum iuxtà plures casus recensitos *sub tit. de feud.*; Adhùc tamen, vt petentibus morem gererem, loquendo potius in forma discursiua, cum sensu veritatis, atquè distinguendo dictas debiti species.

Quatenus pertinet ad illud dotis, & antephati, omnium antiquius vsque ab anno 1605., & in quo non cadebat respectu feudalium difficultas assensus, ob assensum generalem vt supra competentem; Causa restringebatur ad punctum dictæ assignationis, àn scilicèt illa facta esset pro soluto, & per viam veræ, ac perfectæ dationis in solutum, adeoùt sequuta esset priorum iurium extinctio, necnè,
7 cum posita negatiua, anterioritas esset extra omnem controuersiam, iuxtà distinctionem, de qua post antiquiores ibi relatos *apud Merlin. de pign. lib.* 5. *quæst.* 30. *numer.* 32. *cum seq. Leotard. de vsur. quæst.* 39. *num.* 51. *Salgad. in Labyr. par.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. *cum seq. Olea de cess. iur. tit.* 7. *quæst.* 3. *num.* 3. 19. *&* 24. *& Rota frequenter* præsertim benè *apud Duran. decis.* 266. *num.* 16. *cum seq. repetit. decis.* 392. *par.* 5. *rec.*, quam in hoc articulo satis commendat *Leotard. vbi supra*, *& apud Royas decis.* 362., *dec.* 47. *&* 260. *par.* 10. *rec. ac frequenter.*

Quod scilicèt, vbi assignatio facta est pro soluto per viam perfectæ, ac formalis dationis insolutum, vel delegationis, intret priorum iurium extinctio, adeoùt nisi eorum reseruatio, vel creditoris priuilegium aliud suadeat, etiam in casu euictionis, ea non reuiuiscant, vt infra ad hãc materiã aduertitur *disc.* 64. *& seq.*, *&* occasione priuilegij dotalis habetur etiã *sub tit. de Dote disc.* 64.; Secùs autem vbi cessio, vel assignatio sit pro soluendo, cũ tunc aliud non importet, nisi simplex mandatum ad exigendum, quod creditor suscipit nomine debitoris, quem solũ
8 obligat ad diligentias (morales tamen, ac tales quales) ex ijs quæ cæteris relatis habentur *apud Fontanell. decis.* 124. *&* 125. *Merlin. decis.* 639. *decis.* 44. *par.* 11. *rec. n.* 12. *& frequenter.*

Quamuis autem in huiusmodi quęstione, Scribentes nimium se inuoluisse videantur, atque plures ex eis, cum consuetis pragmaticorum ineptijs, insistere soleant in formalitate verborum, & clausularum, vel super significatione verbi
9 *dare*, seù verbi *assignare*, cum similibus frigiditatibus; Omninò tamen verius esse dicebam quod, vt benè aduertitur *per Rot. apud Duran. dicta decis.* 266. *& apud Royas dicta decis.* 362. *numer.* 16. *& per doctum modernũ Leotard. dicta qu.* 39. *n.* 52. *& infra dicto disc.* 64. *& seq.*, ista dicitur potius quæstio facti, & voluntatis quàm iuris, ideoque iuxta generalem regulam, quã in quæstionibus facti, & voluntatis habemus, adeo frequentèr insinuatam *hoc eod. tit.*, & sub altero *de alien. & contr.*, & sub illo *de fideicom.*, ac ferè in omnibus materijs, vt nõ cortex & figura verborum, sed substantia verisimilis voluntatis attendi debeat pro facti qualita-
10 te, ac singulorũ casuum particularibus circumstantijs decidẽda, ideoq; erroneũ est, certam ac generalem regulam desuper statuere, siuè doctrinas, ac decisio-

nes in certis casibus, vnam, vel alteram speciem firmantes, cuicumque alteri casui applicare, cum hic sit error, quo nullo maior, (licèt nimium frequens.)

Applicando autem ad rem; Ex facti circumstantijs, ponderandis, vt decet, nõ singulariter, sed vnitim, cum consueta regula, quæ in huiusmodi quæstionibus facti, & voluntatis perpetuò est attendẽda, *vt singula quæ non prosunt vnita iuuent*, nimium planum, ac extra controuersiam videbatur, vt huiusmodi assignatio censenda esset potius pro soluendo, 11 quàm pro soluto; Primò scilicèt ex iuris præsumptione, quæ in dubio talis est ex deductis *in dictis dec. Duran. & Royas, & decis. 47. & 260. par. 10. rec.* cum alijs *per Hodiern. ad Surd. decis. 266. num. 19. & seq., & infra d. disc. 64. & seq.*; Secundò ex clara præseruatione primæuorũ iurium cũ promissione exigibilitatis, quæ in spe- 12 cie ponderãtur *in proximè allegat. decisionibus, & per Hodier. ad Surd. vbi supra*; Tertiò ob dictã subsequutã diuersam obseruantiã resultantem ex eo quod dictus hæres factus maior, de dictis bonis, seù iuribus assignatis disposuit tanquã dominus, ex adeo f. equẽti, & recepta propositione, quod obseruantia dicitur optima interpres etiã voluntatis cõtrahentium; Quartò ex pluribus dicti contractus nullitatibus resultantibus ex defectu decreti Iudicis de iure necessarij in alienationibus bonorum minoris, ac etiã ob eiusdem minoris non interuentum in contractu, dum iam erat adultus ex ijs quæ habẽtur in sua materia *sub tit. de alien. & cõtract.*; Ac etiã quia supponebatur, quod Balius non esset legitimus, et consequen- 13 tèr intrabat conclusio, de qua *apud Gabriel. conf. 36. num. 66. lib. 1. Surd. decis. 51. num. 20. Rot. decis. 307. num. 7. par. 11. rec. & frequenter*, quod scilicèt datio in solutum inualida, hunc effectum operari non potest, ex vulgari axiomate, vt quod nullum est, nullum operetur effectum.

Et quintò demum clariùs (quodque solùm pro meo iudicio extra omnem cõtrouersiam sufficiebat) ratione subiectæ materiæ; Siquidem ad effectum vt, 14 posito etiam explicito titulo formalis dationis in solutum, quæ venditioni æquipollet, & cum qua in omnibus fraternizat ex plenè deductis *per Rot. apud Buratt. decis. 372. & pluries infra hoc eodem tit.*, requiritur vt res, quæ in contractum deducitur, sit in libera dispositione venditoris, seù dantis in solutum, adeoùt per eius veram, vel fictam traditionem; dominium validè, ac perfectè, abdicetur à venditore, vel assignante, ac trãsferatur in emptorem, vel assignatarium, vt apud supra allegatos, & passim, cum sit principium absolutum.

Id autem dici non poterat sequutum in effectibus assignatis, quæ in toto, vel in parte notabiliori consistebant in introitibus fiscalibus super Communitatibus dictorũ locorũ Mineruini, & Spinaziolæ; Ista etenim fiscalia, quæ sunt iura Regi debita per populos, & Communitates, priuatis ab eodem Rege pro eius in- 15 digentijs vendi solent, eo adamussim modo, quo vẽduntur loca Montiũ Vrbis, ac iura Hispaniarũ, de quibus frequẽter agitur in sua peculiari materia *sub tit. de Regalib.*, ideoque non sunt in libero priuatorum commercio, neque ab vno eorum dominium abdicari potest, et in alterum transferri, nisi cum assensu Principis, vel illius officialis, qui ad id sit præpositus, cum deletione alienantis à libris publicis, in quibus describatur nouus emptor, qui directè, ac immediatè ab ipso Principe ius suum metiri dicitur, tanquam præuia suppressione iuris prioris domini, vel creditoris, nouaque creatione in emptore, seù resignatario, vndè propterea quæcumque priuatæ cõuentiones resoluuntur in tractatum, atque continent actum imperfectum, qui admittit pœnitentiam; Vel vbi etiam conuentio inter Partes esset ità perfecta, quod omnimodam pœnitentiam exclu- 16 deret, attamen id solùm apti est causare actionẽ ad damna, & interesse in actione personali, vel hypothecaria in alijs bonis indifferentibus, nullatenus tamen inducit ius reale, vel translationem dominij huiusmodi iurium differentium, vt pluries aduertitur ad materiam locorum Montium *sub tit. de Regal.*, et in specie huiusmodi iurium fiscaliũ, seù aliàs competentium super gabellis, alijsq; iuribus Regijs, vt vulgò dicitur super arrendamentis in hoc Regno habetur *eod. tit. disc. 40.*; Et consequenter, cum sequuta non esset vera translatio dominij ob vitium rei in commercio nõ existentis, resultare non potuit dictus effectus.

In

In hoc enim proposito quæstionis, àn cessio, vel assignatio censeatur facta prò soluto, vel pro soluendo, illa cadit, vbi res
17 assignata euincatur ad materiam *text. in l. ex Sextante* §. *Latinus Largus ff. de exeq. rei iud. cum concord. apud Surd. cons.* 145. *decis.* 51. 113. & 266. ibique *Add. Rouit. super Pragm. rubr de liquid. instrum. Merlin. contr.* 27. *lib.* 1. *cum alijs sub tit. de Dote disc.* 64.

Vel vbi nomen cessum post cessionem pereat, vel deterioretur, seù fiat inexigibile ad materiam *text. in l. si nomen C. de hæred. vel act. vend. de qua pluries infra*
18 adeoùt cadere possit formalis translatio dominij, seù iuris in cessionarium, vnde concurrat veritas, vel substantia iuris cessi de iure, solaque controuersia cadat super veritate de facto ex collectis *per Oleam de cess. iur. tit.* 7. *quæst.* 3. *cum alijs infra ad hãc materiã*; Et nihilominus, vbi accedit reseruatio primæuorum iurium in casu euictionis, quæstio cessat, multò verò magis, vbi fauor dotis cumulatur, de quo fauore *dicto disc.* 64. *de Dote*.

Idemque in omnibus (quamuis non ex eadem ratione, sed à simili) procedere dicebam in illis censibus, seù annuis red-
19 ditibus redimibilibus cum priuatis in ista assignatione contentis; Quamuis enim de bonis, ac iuribus indifferentibus essent in libero commercio, attamen, vt perfectè fiant de irreuocabili dominio cessionarij, vel emptoris, seù auctoris, interuenire debet vnum ex requisitis *text. in l.* 3. *C. de nouat.*, adeoùt debitor cessus liberè soluere, non possit cedenti, seù cum eo ius luendi exercere per se ipsum, vel etiam per secundum creditorem cessionarium, iuxtà eam iuris luendi cautelam in eo Regno vsitatam, de qua præsertim agitur *apud Capyc. Latr. decis.* 16. *enunciatam etiam in præcedentibus*.

Vbi enim tale ius cum cedente exerceri potest, ac de facto exercetur, exindè resultat, quod causa reducitur ad nõ causam cum omnimoda retrotractione ad
20 suum initium, cum resolutione omnium intermediorum iurium, & hypothecarũ ex deductis *per Franch. & Add. decis.* 64. *Capyc. Latr. & Add. dicta decisione* 16. & *passim*; Et consequentèr cessio, quamuis prò soluto, habetur pro non facta, cum dicatur transferri dominium resolubile, implicitam habens conditionem resolutiuam, qua sequuta, habetur, ac si actus non esset gestus; Ideoque nullum potuit operari effectum extinctionis primæuorum iurium, quæ ità huiusmodi conditione durante suspensa remanserunt, ea verò purificata, tanquam per remotionem obstaculi, vigent, ac exercibilia sunt, potius (vt nostri dicunt) per excitationem à somno, quàm per reuiuiscentiam à morte; Ideoque ex his (etiam in sensu veritatis) mihi videbatur, quod parum probabilis esset ista creditorũ prætensio, quamuis non visis eorum iuribus, ac fundamentis, omninò certum, ac maturum iudicium desuper efformare non potuerim.

Quo verò ad alias crediti partitas, resultantes ab ipsius Antonij, & fratrũ legitima, & legatis in bonis paternis; Res-
21 pectu allodialium, casus videbatur incapax quæstionis, ex supra enunciato beneficio separationis bonorum, ob quod creditores defuncti, *in* istius bonis absque dubio vincunt creditores hæredis, vndè propterea aliquam admirationis occasionem mihi præbebat ista causa, vt huic creditori in huiusmodi bonis allodialibus existentibus in dictis feudis, atque commodè ab eis separabilibus, in quibus erat indubitatè primus, nullumquè admittebat aliorum creditorum concursum, illi non fieret assignatio, absquè necessitate patiendi illam duram seruitutem, quam in huiusmodi cõcursibus adeò ibi frequentibus, atquè per sæcula durare solitis, creditores pati coguntur.

Quamuis enim, cõmendabilis ibi stylus inoleuerit enunciatus *sub tit. de feud. disc.* 27. *in fin.*, quod vbi per deuolutionẽ, seù aliàs, feudum vendi contingat, prouideatur, vt illius emptor emere quoque
22 debeat pro iusto pretio bona allodialia, quæ ibi burgensatica dicuntur; Attamen id prouenit ex rationabili æquitatis motiuo, quod cessante iurisdictione, ac baronali qualitate, ea bona penès hæredem feudatarij, vel ipsum, qui feudum amittere cogitur, quodammodo inutilia remanent, vel nimium deterioris conditionis efficiuntur; Vndè propterea, quando hæc ratio cesset, quod scilicèt bona sunt rectè separabilia, atquè creditor indubitatè primus, diuersæ conditionis ab alijs, se offert ea recipere pro omninò

iusto

iusto ac maleri pretio, quod ex illorum Regionum Tabularioru̅ iudicio inueniri posset, non videtur quæ ratio suadeat, vt id denegandū sit, atq; interim retineri sub illis administrationibus, ac afflictibus forsan aliquando colluſiuis, quibus mediantibus, vix medietas redditu̅m obtinetur per creditores, tanquam per speciem eleemosinæ cū magnis sumptibus, & incōmodis singulis annis distribuēdæ; Atque vbi vrgeret ratio prohibitæ scissuræ prioris status, quodq; bona allodialia, vtpotè meliora, facilitare possent ven-
23 ditionem feudi, eiusque conditionem reddere meliorē; Adhùc tamen rectè cōsuli poterat, faciendo assignationem provisionalem, & sub cōditione reuendendi, seù retrocedendi; Sed quod istius qualitatis creditor, ob æs alienum per fratrem contractum, in bonis proprij parentis ratione legitimæ, ità pendente huiusmodi concursu, (durare solito per sæcula, ex quodam stylo, quem nisi excusent leges prudentiales substinendi statū Magnatum, absquè dubio abusum, & corruptelam dicere oportet), cogatur necessitatem sentire, id intellectus non de facili percipere poterat.

Difficultas autem considerabilis cadebat super ipsis feudis, ob superius enunciatam cōclusionem, quod iuxtà opinionem, quam audio in illis Tribunalibus magis receptam, in eis non intrat beneficium separationis bonorū, vndè propterea creditores hæredis cum assensu, vincunt simplices creditores sine assensu defuncti.

In hoc autem, vtpotè per diuturnum tempus alienus ab illorum Tribunalium praxi, quàm solùm adolescens aliqualitèr deguſtaui, Dixi quod nullatenus iudiciū interponere poteram, sed procedendum erat cum sensu Aduocatorum ibi versantium, quorum peritissimorum magna copia habetur; Adhùc tamen, retenta dicta conclusione in ordinarijs creditoribus extraneis, qui ex mutuo, vel alio cōtractu, creditores quantitatis existant; Aduertebam illam applicabilem non videri ad casum cōtrouersiæ, vtpotè diuersum, diuersamque habentem rationem,
24 quodque propterea, fauore filiorum venientium pro legitima, seù vita & militia ex omnimoda rationis identitate, intrare deberent ea, quæ pro paragio fœminarum aduersus creditores fratris in bonis paternis habentur *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 78., quod scilicèt intret quædā actio rei persequutoria, redolens speciem dominij, seù rei vindicationis, qua mediante, quæcumque hypothecæ contractæ per hæredem, vincantur.

Neque isto casu congruere videntur rationes, ex quibus alij creditores defuncti excluduntur à dicto beneficio separationis bonorum; Id enim ideò prouenit, quia creditores contrahentes cum
25 assensu sequi dicūtur, magis fidem Regis assentientis, quàm debitoris contrahentis, eisque sufficit perquirere libros, vel quinterniones feudorū, seù regestra vinculorum, quæ in eis adijciuntur, atquè ità certificari, quod ipsi sint primi in imprimendo ius in feudo, cuius fidem sequuntur, et nè alias publica fide decepti remaneant; Neque alij creditores conqueri possunt, cum ipsi, non feudi, vel publicam fidem Principis, sed solùm fidem priuatam ipsius debitoris, eiusquè patrimonij allodialis sequuti sint, et consequenter dici potest, quod sibi imputent, cur de ista cautela assensus, solliciti non fuerint, vt aduertitur pluries *sub dict. tit. de feud.*, ac etiā *sub tit. de Emphyt. disc.* 58. *& alibi*; Ista vero ratio nō cadit in filijs, vel filiabus, quibus lex, iure dominij magis, quàm crediti, in bonis paternis defert legitimam, vel paragium, vel respectiuè vitam militiam &c., et consequenter credebam quod rectè cōgruerent omnia, quæ occasione dotis de paragio fœminarum, habentur *dicto disc.* 78. *de feud.*

RO-

ROMANA

DE SODERINIS

PRO

FRANCISCO ORSETTO

CVM

ISACH HÆBREO.

Casus disputatus in Congregatione Baronum incertus est exitus.

An creditor chirographarius in sola actione personali, vincat creditorem cum hypotheca contracta post pignus prætorium ad fauorem creditoris chyrographarij iam sequutum; Et incidenter de concursu Hæbrei mutuatoris super pignore, àn concurrat ratione hypothecæ cum alijs creditoribus in eo, quod pignoris valorem excedit; Ac etiam incidenter, àn pro alimentis competat hypotheca.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Creditor anterior non tenetur seruare ordinem inter creditores posteriores, & auocare ab vltimo, sed quid seruet praxis.*
3 *De præscriptione crediti ex causa medicinarum.*
4 *Creditor ex causa medicinarum, àn præferatur anterioribus etiam priuilegiatis.*
5 *An pro alimentis competat hypotheca.*
6 *De priuilegio alimentorum possessoris feudi, vel maioratus.*
7 *De eodem, & quando id procedat.*
8 *De priuilegio potioritatis pistorum pro pane remissiuè.*
9 *Pignus prætoriũ æquipollet conuentionali, ideoque creditor chirographarius præfertur creditori hypothecario contrahenti post pignus prætorium.*
10 *Creditores post introductum concursum non concurrunt cum alijs.*
11 *De materia* text. in l. scripturas *remissiuè.*
12 *Mutuans super pignore, si istud non sufficit, non concurrit pro excessu cum alijs creditoribus.*
13 *Declaratur, quando id procedat.*
14 *De vsuris hæbreorum, àn currant post lapsum terminum ad vendendum pignus.*
15 *An creditor pro vsuris dicatur ex causa lucratiua, adeoùt postponi debeat posterioribus ex causa onerosa.*

DISC. XXVIII.

1 IN concursu creditorum formato in Congregatione Baronũ in pretio Baroniæ Collis alti Nicolai Soderini, de quo habetur actum *sub tit. de feud. ad materiam Bull. Baron. disc. 86.*, satisfacti fuerũt, Orsettus pharmacopola, & Isach hæbreus creditores; Cumque Isabella creditrix anterior, ad restitutionem pulsaret hebreum, atque iste pulsaret Orsettum; Laudabilis autem sit stylus, quod licèt in Curia recepta non sit opinio volentiũ, vt creditor anterior volens auo-
2 care pecuniam solutam posterioribus cũ cautione de restituendo &c., teneatur seruare ordinem, ac pulsare vltimum, sed potius contraria, vt in eius arbitrio positum sit pulsare secundum, vel tertiũ, aut alium pro eius placito, qui pulset posteriores, et quam esse veriorem cæteris relatis firmatur *apud Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 17. num. 16. & seq., par. 2. cap. 4 num 85.*, & latiùs *par. 3. cap. 14. per tot.*, vbi disputat, ac refert plures tenentes cõtrariam opinionem, & habetur particulariter actum *infra discur. 50.*; Attamen vbi vnus alterum successiuè ità pulsat, quamuis fiant decreta fauore petentiũ, ad euitandum inanem circuitum, suspendi solet relaxatio mandati, vt ista sequatur contra vltimum, quoties breuiter id dignosci potest.

Hinc disputatum fuit, àn potius contra Hæbreum, vel contra Orsettum effectiua restitutio practicanda esset; Cumque Hæbreus esset creditor ex duplici causa diuerso tempore, vna scilicèt de anno 1631. pro mutuo vsurario super pignore

gnore, & cum solita apocha continente obligationem cameralem, et consequenter hypothecã; Et altera de anno 1641. pariter cum hypotheca, de quo tamen tempore dicta Congregatio in vim Bullæ Baronum, ad instantiam creditorum apposuerat sequestrum, ac destinauerat commissarium super dicta Baronia, in cuius postmodũ vendite pretio erat concursus; Creditũ autẽ Orsetti, partim esset ex causa medicinarum, partim verò ex causa alimentorum; Hinc proindè de quatuor punctis actum fuit; Primò scilicèt super potioritate pharmacopolæ prò rata proueniente ex medicinis; Secundò, àn eadem potioritas, vel saltèm hypotheca legalis competeret pro alimẽtis debitori præstitis; Tertiò, àn posita incompetentia hypothecæ pro hac secũda partita, quæ maior erat, adeoùt Orsettus remaneret simplex creditor chirographarius, adhùc tamen præferendus esset dicti Hæbrei credito posteriori hypothecario contracto postquam bona sub pignore prætorio posita erant; Et quartò demum, àn pro alio Hæbrei credito hypothecario de anno 1631. actio aliqua competeret pro sorte vel vsuris, dum agebatur de credito super pignoribus, quamuis ista essent insufficientia.

Primus punctus potioritatis ex causa medicinarũ à quinquennio citra ad formam decreti Clementis VIII. demandantis præscriptionem, vel præsumptam solutionem huiusmodi crediti post quinquennium, fuit planus pro Orsetto, pro quo scribebam, quoniam circa potioritatem huiusmodi credito competentem aduersus anteriores, quæstio cadit respectu priuilegiatorum, àn scilicèt intret, necnè regula cõquassationis priuilegiorum; Et nihilominus etiam isto casu, quamuis plerique credant dictam regulam intrare, ideoque potioritatem aduersus anteriores priuilegiatos locum non habere, vt præsertim *apud Franch. & Adden. decis. 51. apud quos habentur concordantes, relati etiam per Capyc. Latr., Merlin. & alios de quibus proximè*; Verior tamen magisque recepta est contraria, vt *apud Capyc. Latr. & Add. decis. 47. Merlin. de pignor. lib. 4. quæst. 27. vers. 11., Modernus de Luca in add. ad Franch. dicta decis. 51.*, et hanc tenuit pluries *Rota præsertim decis. 187. nu. 20. & 23. apud Zacch. de obl., & decis. 438. num. 73. & 76. par. 9. rec.*

Quo verò ad secundũ; Quamuis ego scribens pro dicto creditore ex causa alimentorũ, more Aduocati dicerem, quod pro eis hypotheca legalis competeret, vt est plurium sententia, de qua *apud Surd. de alim. tit. 8. priu. 51. num. 1. Salgad. in labyr. par. 1. cap. 24. num. 82. Castill. de alim.* aliàs *8. tom. contr. cap. 66. numer. 24. & seq. Boss. de alim. oblig. c. 7. §. 49. n. 483.*; Attamen, reflectendo ad veritatem, liberè ab initio pro stylo insinuatam, motiuũ non erat tutũ, cum in contrarium sit magis communis, & recepta, ex relatis *per Salgad. dicto cap. 24. num. 83. Castill. dicto cap. 66. num. 27. Surd. dicto priuil. 51. num. 3. & Boss. vbi supra*, atque hanc tenet Rota, & Curia, vt *decis. 125. num. 11. par. 4. rec tom. 2. & decis. 398. numer. 33. par. 9. & in alijs*, ex generali regula, quod hypotheca subintelligenda non est extra casus in iure expressos, nisi omnimoda rationis identitas suadeat comprehensionem, iuxtà ea quæ habentur *infra in Tolentina disc. 33. & in alijs*; Ac etiam quia si pro legitima, vel dote ipsismet filijs in bonis parentis debitis loco alimẽtorum, quodammodo ex iure naturæ, verius est non competere hypothecam ex deductis *sub tit. de feud. disc 78.*, ac etiam *sub tit. de Dote*, non videtur, cum quo fundamẽto pro huiusmodi alimentis accidentalibus ex voluntate, illa competere valeat.

Acuendo item ingenium more Aduocati, atque respondendo dictis decisionibus, quæ in contrarium adducebantur; Dicebam quod ea procederent inter personas priuatæ fortunæ, quibus alimentorum prærogatiua nulla competit aduersus eius creditores, secùs autem isto casu, in quo agebatur de feudatario, seù Barone etiam titulato, cui competit ius alimentorum, etiam cum potioritate aduersus creditores, in bonis, vel fructibus feudi, seù Baroniæ, ex ijs quæ cæteris relatis plenè habentur *apud Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 24. cum alijs sub tit. de fideic. disc. 170.*, ac etiam *infra hoc tit.*

Agnoscebam tamen motiuum continere fallaciam, pariter sincere partibus insinuatam; Tùm quia hæc prærogatiua non procedit de iure, sed ex stylo particu-

ticulari maioratuum Hiſpaniæ, vt latiùs aduertitur *ſub tit. de fideicom. diſc.* 170.; Tùm etiam quia, vbi iuxtà terminos *text. in l. miles ff. de re iud.* inſinuatos *eodem diſcur* 170. *de fideicom.*, ac etiam *infra diſc.* 118., debitori ità qualificato reſeruanda eſſent alimenta aduerſus creditores præcipua, attamen id percutit ſolùm præſentia, & futura, ſubminiſtranda ex fructibus, iuxtà terminos *text. in cap. Odoardus de ſolut.*, *de quibus etiam infra dicto diſc.* 118. *& ſeq.*; Non autem, vt pro præteritis ius competere deberet in ſorte principali.

Potiſſimè autem (& clarius) de tempore, quò ipſe Baro, qui alimenta percepit, poſſedit baroniam, atque percepit
3 fructus, ex quibus commodè poterat ſibi alimẽta ſuppeditare, dum alias eſſet aperire viam fraudibus, & colluſionibus, vt in propoſito exorbitantis priuilegij potioritatis in Vrbe conceſſi per Vrban. *VIII.* piſtoribus pro credito ex cauſa panis aduertitur *ſub tit. de Dote diſc.* 166. *& in alijs*.

Circa tertiũ punctũ, àn ſcilicèt creditũ hypothecariũ hæbrei de anno 1641. vinceret chirographariũ, poſtquã Cõgregatio ad formam Bullæ manus appoſuerat; Dicebã (etiã *in* ſenſu veritatis, per Cõgregationem quoque agnitæ) potiorem eſſe debere Orſettum quamuis creditorem chirographariũ tunc exiſtentem; Quamuis enim certum ſit de iure, vt hypothecarius quamuis poſterior, vincat chiro-
9 grapharios, quantuncunque anteriores, quibus temporis beneficium non ſuffragatur; Attamen ſecus eſt, vbi chirographariorum fauore, de tempore contracti debiti hypothecarij, iam inductum eſſet pignus prætorium, ſeù iudiciale, quoniã iſtud ambulat pari paſſu cum conuentionali, ideoque intrat regula *qui prior* ad *text. in l. 2. C. qui pot. in pign. hab. & l. ſi poſtquam ff. vt in poſſeſſ. legat.* vtrobique ſcribẽtes, de quibus *apud Neguſ. de pign. par. 3. membr. 2. num. 5. & 7. Merlin. eod. tract. lib. 1. quæſt. 17. num. 10. Rodriq. de Conc. cred. par. 2. art. 1. num. 21.*

Clarius verò in hac facti ſpecie, quod debitor iam ità detectus erat non ſoluendo, eiuſque bona omnia per Congrega-
10 tionẽ ſequeſtrata, & poſita ſub concurſu, vndè propterea reſultat in debitore interdictio adminiſtrationis, et de conſequenti debita in hoc ſtatu contracta, concurſum prætendere nõ poſſunt cum alijs quamuis chirographarijs contractis de tempore valido, ſeù habili, ex deductis *apud Salgad. vbi ſupra par. 2. cap. 26. num. 49.*

Quare difficultas reſtringebatur ad aliam partitam crediti anterioris cõtracti de tempore habili in anno 1631.; Super quo duæ cadebant inſpectiones, Vna facti, àn ſcilicèt concurrerent, necnè, in-
apoca hæbrei probationes æquipollen-
11 tes trino teſti requiſito per *text. in l. ſcripturas C. qui pot. in pign. hab.*, ad tollendam antidatæ ſuſpicionem, cum iuxta fortè vbiquè, præſertim verò in Curia receptã opinionem, æquipollens admittatur, neque illa trini teſtis ſit forma præciſa, vt aduertitur infra *hoc eod. tit.*; Et ſecunda iuris, àn fœneratori mutuanti ſuper pignoribus, quæ probentur eſſe inſufficientia, competat ius, vel actio in cõcurſu aliorum creditorum pro ſumma excedente.

Prima inſpectio, vtpotè nudi facti, ex pluries inſinuato ſtylo, pertinebat ad cauſæ Patronum; Verùm ex libris bancherij, & alijs antidatæ ſuſpicio omninò tollebatur, ideoque reſtringebatur quæſtio ad alteram iuris.

Circa quam dicebam, quod cum notoria eſſet Hæbreorum conſuetudo, non mutuandi niſi ſuper pignoribus maioris
12 valoris, hinc proindè, ſibi imputandum eſſet, cur dictam conſuetudinem nõ ſeruaſſet, ac propterea, in exceſſu alia actio concedi non deberet, vt cum præſuppoſito dictæ conſuetudinis, in puncto Hæbreorum, aliorumque fœneratorum *Neguſ. de pign. par. 3. membr. 2. nu. 36. Merlin. eod. tract. lib. 1. quæſt. 32. num. 5.*

Verùm neque motiuum videbatur tutum, ob dictam conſuetudinem in Vrbe non probatam, ſed potiùs ex parte hæbrei excluſam, quod ſcilicèt tunc, non vr-
13 gente decreto edito de anno 1670. occaſione quæſtionis, de qua habetur actum *ſub tit. de vſur. diſc. 6.*, & de quo decreto habetur *eodem tit. de vſur. in ſupplemento*, conſuetudo eſſet etiam mutuandi ſine pignoribus, vel cum iſtis, poſtea in gratiam debitorũ eis reſtitui ſolitis, ſequendo eorum fidem cum ſolis apocis, vt in præſenti ſequutum erat, quod ſcilicèt aderat etiam apoca.

Hinc proindè mihi videbatur, quod benè dicerent Scribentes in cõtrarium, vt scilicèt, si mutuando cum sola apoca absque aliquo pignore, actio cõpeteret, nulla subesse videbatur ratio, cur idem dicendum non esset dato pignore minus idoneo; Adinstar eorũ, quæ habemus in materia fideiussoria, quod quandoque fideiussor non pro toto debito, sed pro aliqua parte præstari solet, non tamen exindè in alia parte, pro qua prẽstitus nõ fuit, deneganda est illa actio, quæ competeret, quamuis nullus fideiussor præstitus esset.

Aliquam probabilitatem habebat motiuum, quod denegari deberet actio pro vsuris excedentibus terminũ 18. seù 21.
14 mensium, intra quem, ex capitulis sub Sixto V. ordinatis Hæbrei tenentur vẽdere pignora, ac aliàs eis imputandum est, ac impeditur cursus vsurarum, vt aduertitur *sub tit. de vsur. disc.7.*, sed pariter, cum adhùc editum non esset dictũ decretum anni 1670., motiuum nõ erat tutum, dum eadem capitula ità decernunt, nisi accedat consensus debitoris, vt aduertitur *eodem discur.7. de vsur.*, vnde propterea *disc.5.eodem tit.*, quamuis magnus factus esset cumulus vsurarum in triplo vltra sortem, attamen id nõ suffragabatur nisi aliud superueniisset motiuũ in eo peregrino casu, quod agebatur de christiano cessionario hæbrei.

Motiuabam quoque de ijs, quæ habentur *apud Manent. decis.45.*, cum quo pertraxit *Gait de cred. quæst.11. num.1373. & seq.*, quod respectu vsurarũ, hæbreus
35 esset creditor ex causa lucratiua, ideoq; postponendus creditoribus ex causa onerosa; Verùm neque motiuum erat tutũ, quoniam, cessante fraude, vel simulatione, in Curia magis recepta est opinio, vt creditor anterior ex causa lucratiua munitus cum hypotheca expressa, vincat posteriores, quamuis ex causa onerosa ex deductis *infra disc.31*; Adhùc tamen, huiusmodi excitatæ difficultates (vt credo) profuerunt ad concordiam, per quam creditor posterior in aliquo eius conditionem meliorauit.

ROMANA

FRVCTVVM CENSVS

PRO

DVCE BASSANELLÆ

CVM

IOSEPHO DE BLANCHIS.

Casus disputatus coram A. C., & resolutus pro Duce.

An creditor anterior postponendus veniat posterioribus, eosque molestare non valeat in illis bonis, vel effectibus, in quibus ipse, non solùm neglexit, sed positiuè curauit non obtinere satisfactionem iam promptam, adeoùt in illis bonis, vel eorum pretio, sibi præiudicauerit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Creditor qui dedit cautionem de restituendo &c. conuenitur executiuè ad restitutionem.*

3 *De remissione hypothecæ, seù præiudicio ob non comparitionem in concursu.*

4 *De eodem, & quando consensus creditoris anterioris præiudicet.*

5 *An & quãdo ex silentio, seù taciturnitate resultet consensus.*

6 *De differentia inter actum positiuum, & negatiuum.*

7 *Qualem finem habeat Pontifex, quando possessori fideicommissi concedit licentiam alienandi bona fideicommissaria pro solutione æris alieni.*

8 *De ratione, ob quam creditor anterior sibi præiudicet negligendo comparere in concursu.*

9 *In idem, & de ratione, ob quam in huiusmodi gratiosis creditor sibi præiudicat.*

DISC. XXIX.

CVM Horatius iunior de Roccellais possessor fideicommissi ordinati per Horatium seniorem, ac enunciati *sub tit. de Regal. ad materiam locorum Montium disc.* 30., obtinuisset ab Innocentio X., (iuxtà istius Principatus frequentem stylum), facultatem vendendi quoddam casale fideicommissarium, cum fideicommissi derogatione, ad effectum dissoluēdi eius debita cum pretio, istius quadam parte, pro eodem stylo, destinata multiplico, pro eiusdem fideicommissi reintegratione, atque ad formam chirographi Pontificij desuper editi, pretium, (in quod translatæ fuerunt omnes hypothecæ, aliaque vincula, à quibus ipsum casale liberatum fuit, adinstar eorum quæ disponuntur per Bullam Baronum), depositum fuisset in Monte pietatis, ad effectum soluendi cum consueta cautione de restituendo anterioribus, iuxta eorumdem creditorum notulam ab ipso Horatio dandam; Pompeus de Blanchis eiusdem Horatij familiaris, atque de his benè conscius, eius creditum omnibus anterius ex causa cēsus sub grauibus fructibus septem pro centenario, agnoscendo sibi nō expedire obtinere satisfactionem in dicta pecunia vinculata, quam ob difficultatem idoneæ cautionis, ad chirographi formam, oportebat inuestire in loca montium longè minoris fructus, studiosè curauit non describi in dicta notula, quinimò ab ea, in qua iam descriptus erat, deleri, vnde propterea pretium solutū fuit alijs creditoribus, inter quos, in summa notabili, fuit Pompeus Columna Gallicani Princeps; Tractu verò temporis Ioseph dicti Pompei filius & hæres, facto notabili fructuum cumulo dicti census, in vim obligationis de restituendo anterioribus, iudicium executiuum pro auocatione instituit cōtra Ducem Bassanellæ dicti Principis Gallicani hæredem coram A. C., à quo tamen post plures acerrimas disputationes, me pro Duce reo conuento scribente, sententia absolutoria prodijt, et quidem iustè, ac fundatè.

1

Quamuis enim, iuxta regulas generales, planum videretur bonum ius actoris, cum eius anterioritas esset indubitata, atque cautio de restituendo, faciat pecuniam verè extantem, ad cuius restitutionem etiam in processu executiuo creditor posterior vrgetur, vt *apud Cels. decis.* 63. & 106. *cum alijs de quibus infra disc.* 50., & passim, iuxta praxim quotidianam, ratione obligationis cameralis, vel alterius pacti executiui, quod in huiusmodi cautionibus, vel obligationibus adijcitur, Attamen dicebam, quod in hac facti specie ob eam circumstantiam, quod dictus creditor anterior in concursu neglexerat sibi ex hoc pretio satisfieri, non solùm per simplicem negligentiam, resultantem ab actu negatiuo, sed etiam per studiosam diligentiam positiuam, ità sibi præiudicauerat, atque in isto concursu se posteriorem effecerat. 2

Ad id autem probandum, deducebam ea, quæ plenè, cæteris relatis, habentur *apud Salgad. in labyr. par. 3. cap. 13. §. vnico ex numer. 100. cum seq. vsque ad fin.*, super præiudicio creditoris anterioris patientis posteriorem dimitti, vndè intrat quæstio, àn sibi præiudicet etiam quoad intermedios ratione circuitus; Verùm quamuis ista doctrina faceret impressionem, atque aliarum causarum occasione, expertus essem, quod per ora forensiū circumferri soleat super hoc puncto anterioris negligentis comparere in concursu; Attamen mihi videbatur, quod non percuteret casum præcisum, sed terminos diuersos consensus positiui, qui præstaretur fauore alicuius ex vltimis, cui locus ità cedi dicitur, vnde propterea cadit dicta quæstio respectu intermediorum. 3

Considerabam quod magis ad rem faceret cōclusio remissionis hypothecæ super certa re hypothecata resultantis, non solùm ex consensu explicito, ac positiuo eius alienationi præstito, sed etiā ex simplici permissione, vel ratihabitione ex iuribus litteralibus, de quibus *infra disc.* 34. *& seq.*, & in alijs de quibus in præcedentibus, ac in alijs; Quamuis enim ista conclusio pariter diuersos terminos percutiat, remissionis scilicèt hypothecæ super ipsa re, fauore tertij emptoris 4

sub hac fide ementis, aliàs forsan non empturi, ideoque non importet remissionem debiti, minusque actionem in concursu super pretio, in quo dicta ratio non vrget, ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de fideicom.* super consensu præstito per substitutum alienationi rei fideicommissæ subiectæ, vt id percutiat fauorem emptoris, non autem remissionem fideicommissi, quod saluum remanet in pretio tãquam subrogato; Nihilominus ponderabam, vt id rectè procederet, quando versaremur in terminis simplicis negligentiæ, vel dissimulationis, quæ regulariter non importat consensum in eo qui certus est de suo iure, quod tunc nolit, vel ex alio impedimento non possit prosequi, iuxta distinctionem, quæ circa consensum ex taciturnitate resultantem habetur cæteris relatis *apud Barbos. axiom.* 217. cum alijs *per Buratt. decis.* 236. *in fin. & Add. ad eum decis.* 82.

Secus autem vbi accedat actus positiuus, quod scilicèt debitore volente creditorem anteriorem omnibus alijs posterioribus indicare, eumque dimittere, ipse studiosè curet, vt id non sequatur, non in alicuius gratiam, sed sui ipsius, vt ità pecuniam melius inuestitam haberet cum maiori cursu fructuum, vt supra, cum tunc dicta conclusio, si non præcisè, ac directè, saltèm ex identitate rationis intrare debeat, imò, et fortius ob fraudes, & inconuenientia.

Primò siquidem iuxtà ea, quæ ponderantur *sub tit. de feud. ad materiam Bull. Baron. disc.* 81., quando Pontifex exorbitantem gratiam concessit possessori fideicommissi, faciendi alienationem alias prohibitam ex motiuo illum liberandi, non solùm ab ære alieno in forte, sed à cursu grauium vsurarum eum suffocantium, in animo verisimiliter habuit, vt debita eò ipso quod pecunia deposita est in banco promptè soluenda, idque creditoribus intimatũ est, adeoùt per eos stare dicatur, facere debeant punctum in eo statu, non autem quod aliqua studiosè occultata cum successiuo cursu grauium vsurarum, totum pretiũ absorberent à posterioribus auocandum, vndè propterea non sequeretur finis, qui fuit causa gratiæ.

Et secundò quod intermedij creditores, vbi in lista, seù notula vidissent creditorem anteriorem ex causa debiti, ità fructiferi, fuissent solliciti de illius primaria dimissione, atque non permisissent, vt in præsenti sequutum erat, vt reliquum pretium liberaretur pro artificum, ac aliorum creditis infructiferis, & chirographarijs, à quibus (cum essent partitę minutæ) neglecta fuit idonea cautio de restituendo, cũ ità intermedij, visa notula, iustè credidissent, quod de auocatione timendum non esset.

Cumque ista res tanquam fideicommissaria non esset subiecta hypothecis ipsorum creditorum, qui proindè satisfactionem ex eius pretio obtinebant, sed ius acquirebant ex mera gratia Papæ, iuxtà ea, quæ in proposito Bullæ Baronum pluries ad eius materiam insinuantur *sub tit. de feud.*, ac etiam insinuatur *supra disc.* 12., ità in dicto anteriori inductus videtur non vsus gratiæ, sed voluntas sequendi fidem debitoris, aliorumque eius bonorum, cum aliàs esset dare ansam fraudibus, ac deceptionibus, ex quibus resultaret commodum fraudatoris, cum supplantatione innocentium contra vtriusque iuris principia, ideoque magna differentia est inter casum non affectatæ, & studiosæ negligentiæ, vel dissimulationis, et vbi dicta affectatio concurrit, vndè propterea, reflectendo etiam ad solam veritatem, resolutio iusta visa est.

NEAPOLITANA

CONCVRSVS

PRO

ÆGIDIO COLVMNA

CVM

VNIVERSITATE CREDITORVM PATRIMONII PRINCIPIS GALLICANI IN REGNO NEAPOLIS.

Discursus ad causam pro directione.

De potioritate creditorum posteriorum in aliqua bonorum specie aduersus creditorem, cui consultum esse posset cum diuersa bonorum specie, ad quæ ipsis posterioribus actio non competat; Et an creditor anterior ità priuilegiatus, à posterioribus cogi valeat, vt eius iura experiatur super bonis differentibus, ad limitationem *text. in l. creditoris arbitrio ff. de distract. pignor.*

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De stylo Tribunalium Regni Neapolitani, vt creditores quamuis Regio assensu muniti, non agant ad bona feudalia deuoluta nisi excussis allodialibus.*
3 *Quod creditor anterior, qui actionem habet ad bona feudalia, vel fideicommissaria non possit impedire creditores posteriores in bonis liberis.*
4 *Contrarium verius, & quod alicubi sit de stylo.*
5 *Idem, & de ratione, ob quam conclusio, de qua num. 3. non procedit.*
6 *Quando procedat stylus, de quo num. 3.*
7 *Styli & consuetudines non extenduntur de casu ad casum, sed attenduntur solum in individuo.*
8 *Exceptiones quæ obstant cedenti, obstant etiam cessionario.*
9 *Quando census in vno loco validi, sint in Vrbe inefficaces.*
10 *Bulla Baronum non suffragatur creditoribus extra Statum Ecclesiasticum.*
11 *De pluralitate personarum in eadem persona materiali possidente plura feuda, & bona in diuersis Principatibus.*

DISC. XXX.

1 DEfuncto Pompeo Columna enunciato *discurs. præced.* absque prole, alioque legitimo feudorum successore, scripto hærede Stephano Duce Bassanellæ de eadem familia, nullatenus, vel remotissimè attinente, vndè propterea sequuta fuit deuolutio ad Regē plurium feudorum existentium in Regno Neapolitano, constituentium duos notabiles Comitatus, vel Status, Cicoli, & Pacentrij in Apruzio, ac etiam Ciuitatis Sarni cum ibi annexis; Cum in eisdem feudis, alijsque adiacentibus locis, idem plura possideret bona allodialia, et econuersò istud feudale, ac allodiale patrimonium existens in dicto Regno Neapolis, contradistinctum ab alio patrimonio Vrbis, & Status Ecclesiastici, grauatum esset ære alieno, pro maiori parte patris, & aui eiusdem Pompei; Vnde propterea eius pinguis hæreditas, constituta ex patrimonio Vrbis, & Status Ecclesiastici, huiusmodi creditores timere non poterat, cum nulla adessent bona libera debitorum, neque huiusmodi exteris creditoribus suffragari valeat Bulla Baronum, vt infra, solumque aliqui adessent ipsum Pompeum quoque obligatum habentes, qui ratione actionis personalis, ad huius patrimonij Romani bona regressum habere potuissent, illique essent ex anterioribus; Hinc Ægidius præfati Ducis germanus frater, huiusmodi debitorum translatiuam cessionem, cum aliquibus proficuis conditionibus, reportauit.

Cumque in eo Regno stylus inoleuerit, vt creditores feudatarij defuncti, quamuis muniti Regio assensu, cuius ratione
2 actionem exercibilem habeant ad bona feudalia, etiam deuoluta contra Fiscum

fiscum, vel alios ab eo causam habentes, teneantur tamen prius excutere bona patrimonij allodialis ipsius feudatarij debitoris, adeoùt actio ad bona feudalia deuoluta, remaneat merè subsidiaria, hinc proindè, fisco etiam pro eius iure assistente, vt cum debito ordine dimitterentur creditores habētes assensum, quos sua dimitti intererat, (cùm alios sine assensu non formidaret) formatus fuit concursus in patrimonio allodiali ibi existente, in quo veniente dicto Aegidio, vtpotè repræsentante plures creditores ex anterioribus Regio etiã assensu munitos, aliorum vniuersitas, præsertim posteriorum, prætensionem excitauit, vt hic à dicto concursu excludendus esset, ex eo quod tanquam ciuis, & incola Vrbis, ac germanus frater hæredis, eius credita in eadem Vrbe, ac super alio patrimonio ibi existente experiri poterat.

Huiusmodi autem prætensionis fundamentum constituebant in cõclusione, de qua *Anelt. de Amat. cons.* 95. & alij de quibus *apud Hodier. ad Surd. decis.* 44. *Bilott. concl. feud.* 47. *de Marin. resolut.* 16. *num.* 15. *& seq. & resol.* 58. *num.* 9. *cum seq. lib.* 2., *apud quos concordantes*, quod 3 scilicèt, vbi creditor anterior aliquam habet specialem prærogatiuam agendi ad bona differentia, ad quæ alij posteriores non priuilegiati regressum habere non possunt, ex æquitatiuo axiomate, *vt quod vni nõ nocet, & alteri prodest &c.*, teneatur anterior, ità priuilegiatus eius iura experiri ad bona differentia, atque aditum relinquere alijs non priuilegiatis in bonis liberis indifferentibus; Ideoque vt creditores cum assensu actionem habentes ad bona feudalia, admitti non debeant in concursu patrimonij allodialis, ac indifferētis cum creditoribus sine assensu, dum ita vtrique generi benè cõsultum esse potest; Ita pariter ex rationis identitate, de creditoribus, qui actionem haberent ad bona fideicommissaria, vel maioratui subiecta ex beneficio *Auth. res quæ C. communia delegat.*, siue ex Principis facultate, cum fideicommissi derogatione &c.

Desuper autem ex parte dicti Aegidij consultus, Respondi mihi videri omninò improbabilem huiusmodi creditorum prætensionem, illam dupliciter discurrẽdo; Primò scilicèt in puncto iuris communis; Et secundò ex dicto stylo illorum Tribunalium.

Quatenus ad primam *inspectionem* pertinet; Aduertebam, quod licèt *Molin. de primogen. lib.* 4. *cap.* 7., agendo 4 de supra exemplificato casu qualificatorum creditorum ius habentium ad bona, maioratui, vel fideicommisso subiecta, crediderit, vt dictus æquitatiuus ordo intrare deberet, ideoque priuilegiati creditores, turbare non debeant, in bonis liberis ac indifferentibus alios creditores non priuilegiatos, dum ità ex benè consultum remanet, vndè propterea intrat axioma *quod tibi non nocet, & mihi prodest &c.*; Istaque opinio aliquos habeat sequaces; Attamen vtpotè nulli iuris dispositioni, vel rationi innixa, sed potius eiusdē iuris dispositioni contraria *in l. creditoris arbitrio ff. de distr. pign. cum ibi notat.*, est magis communiter reiecta, vt benè *apud Franch. dec.* 519., quæ videtur in materia magistralis *Cyriac. contr.* 328. *nu.* 33. *& seq.* plenè alijs relatis *Salgad. in labyr. par.* 2. *cap.* 5. *nu.* 15. *& seq. vbi num.* 21., hanc dicit veriorem, atque in praxi tribunalium magis receptam allegando *Castill. Noguerol. & alios*.

Atque, vt in Curiæ Tribunalibus super hoc puncto ab aliquibus excitato cũ dictis doctrinis *de Marin. & aliorum* di- 5 cere consueui, et aduertitur etiam ad materiam *Auth. res quæ sub tit. de Dote disc.* 145. *& in alijs eodem tit.* super eadem materia, respectu mulieris, vel alterius ex *dict. Auth.* beneficio ius habentis ad bona fideicommissi, verè hæc posterior opinio omninò verior, ac tenenda est, non solùm ex dicta regula *text. in l. creditoris arbitrio*, alijsque generalitatibus per allegatos ponderatis, sed clarius quia, vt in dicta sua sede aduertitur, fideicõmissum dicitur legalis fideiussor, cui mulier, vel eius hæres pro dote constituenda, vel restituenda ex *dict. Auth.* beneficio satisfactionem obtinens ex bonis fideicommissarijs, eius iura cedere tenetur, quæ ex legis dispositione, vel intentione etiã cessa censentur tanquam per subintrationem in locum dimissi creditoris, ex cuius iuribus reintegrationem in alijs debitoris bonis liberis, quæ tanquam intricata excutere mulier non tenebatur, obtinere potest; Et consequenter inanis, nulliusque operationis remanet dictus circu-

lus,

Ius, seù coactio creditoris priuilegiati, dũ ita posteriores non priuilegiati excludi possunt, et habetur etiã *infra disc.* 127.

Quoverò ad alteram inspectionem resultantem à dicto particulari stylo illorũ tribunalium; Aduertebam quod vt patet
6 *ex dicto cons.* 95. *Anell. de Amat. num.* 4., cum quo alij moderniores pertranseunt, procedit cum præsupposito, quod vtrique creditorum, qualificato, & non qualificato generi, æquè benè consultum esse possit super vtroque feudali, & allodiali, seù differenti, ac indifferenti patrimonio in eodem loco, seù prouincia existenti vndè propterea intret dictum axioma, *vt quod vni non nocet &c.*, nõ autem, vt creditores vnius patrimonij, vel prouinciæ ita cogi debeant habere regressum ad bona diuersi patrimonij in diuersa prouincia, vel diuerso Principatu, cum nemo ex deponẽtibus de dicto stylo id asserat, vnde propterea intrare dicebam frequentem, ac receptam cõclusionem originatam ex magistrali *cons.* 237. *Oldrad. nu.* 3. & traditione *Bald. in l. fin. C. cõmunia vtriusq*; *Iud.*, de qua *apud Surd. decis.* 131. *num.* 9. *cum seq. Rot. dec.* 278. *&* 304. *par.* 12. *rec. & sæpius*, vt styli, & consuetudines attendi debeant in casu præciso, ac indiuiduo, & non admittatur extensio, de casu ad casum, loco ad locum, vel persona ad personam.

Præterea dicebam, omnem quæstionẽ in proposito cessare, ex cessante verificatione dicti axiomatis *vt quod vni non nocet &c.*, quoniam, licèt iste cessionarius esset Vrbis ciuis, & incola, Attamen repræsentabat exteros creditores eius authores, quorum mandatario nomine, tãquam procurator in rem propriam, iura exercere poterat, ideoque sicuti ipsi venientes ad Vrbem, suaque iura in hoc patrimonio exercere volentes, repelli potuissent, ità quoque cessionarius, ex vera, & frequenti conclusione, de qua in alijs *infra hoc tit. & alibi*, quod vbi non agitur de exceptionibus merè personalibus ratione reuerentiæ, vel simili, sed de realibus, omnes quæ obstarent cedenti, obstãt quoque cessionario; Et consequenter dicebam intrare dilemma, quod Aut alij creditores, qui hanc oppositionem deducebant, ius quoque habebant eorum iura experiendi in patrimonio Vrbis, et non intrabat conclusio, dum ita æqualiter eis quoque consultum remanebat, Aut ipsi non habebant, & neque habebat hic cessionarius.

Verè autem iste regressus competere nõ poterat, cum debita essent originariè contracta per dicti Pompei patrem, & auum, quorũ hæreditates minus idoneæ erant, omniaque huius patrimonij bona, ad ipsum Pompeum iure fideicommissorum ex persona propria competebant; Et quãuis aliquibus ex dictis debitis ipse Pompeus in gratiã patris accessisset, siuè
9 eo mortuo tanquam hæres in eis se obligasset, adhùc tamen non erant debita in Vrbe experibilia super hoc patrimonio, cum pro maiori parte essent census malè creati sine forma Pianæ Constitutionis, & ex fructibus conuersis in sortem iuxta opiniones, quas ea Tribunalia laicalia retinent, in Romana verò Curia perpetuo reprobatas, vt in *sua materia sub tit. de Cens.*, aliæque benè fundatæ, ac releuantes exceptiones competunt aduersus huiusmodi obligationes, quas rectè hæres iuxta opiniones in Curia receptas impugnare potest, ideoque cessabat præsupposita, vel ratio dicti styli.

Neque suffragari poterat Bulla Baronũ, quoniam vt patet ex proœmio dictæ
10 Bullæ, ac aduertitur pluries ad eius materiam *sub tit. de feud.*, quemadmodũ illa non comprehendit Barones aliorũ Principatuum etiam Status Ecclesiastici mediati, quamuis in ipsa Vrbe vel statu immediato viuant, atque Baronum, & Magnatum figuram faciant, vt præsertim aduertitur *dicto tit. de feud. disc.* 74., ità suffragari non debeat exteris creditoribus, qui omninò diuersi patrimonij fidẽ sequuti sunt, & quibus nullatenus congruit eiusdem Bullæ ratio proœmialis, vndè propterea intrare videtur ea patrimoniorum, ac bonorum distinctio, de qua supra *disc.* 11.; Et magis ad rem, illa
11 distinctio personarum formalium in eadem persona materiali, eiusdẽ Magnatis, vel Baronis, feuda, aliaque bona possidentis in diuersis Principatibus, quod consideratur verè diuersus homo, de qua *sub tit. de Iurisd. disc.* 90.

RO-

ROMANA FIDEICOMMISSI DE INCORONATIS PRO PRINCIPE BVRGHESIO CVM MARCO ANTONIO INCORONATO.

Casus decisus per Rotam pro Burghesio.

De potioritate creditoris posterioris ex causa onerosa aduersus anteriorem ex causa lucratiua, àn, & quando intret necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De variatione Rotæ in articulo, àn posterior ex causa onerosa præferatur.*
4 *De distinctione, àn adsit fraus, necnè.*
5 *Quod quæstio extranea esset à casu.*
6 *De stylo Curiæ non immorandi in superfluis.*
7 *Quod apud antiquiores concorditer recepta esset opinio fauore posterioris ex causa onerosa.*
8 *De distinctione moderna tradita per Gabriel.*
9 *De opinione reprobante dictam distinctionem, & de alia approbante.*
10 *Quod benè moderni impugnent antiquorum traditiones.*
11 *De antinomia legum in materia.*
12 *Quod ista quæstio tractari debeat cum distinctione.*
13 *De primo casu donationis in specie.*
14 *De eodem vbi non transferat dominium.*
15 *Et quid vbi adsit perfectio inductiua translationis dominij.*
16 *De distinctione inter diuersas species imperfectionis.*
17 *De donatione quantitatis.*
18 *Quando intret ratio ingratitudinis, ob quam anterior cedat locum posteriori.*
19 *De incongruitate distinctionis, àn adsit fraus, necnè, & de ratione.*
20 *Quare ad eamdem distinctionem reflectendum sit.*
21 *De casu, in quo ob dictam distinctionem posterior debeat præferri.*

DISC. XXXI.

1 ORdinato fideicõmisso per Marcellum de Incoronatis, Franciscus filius, post. quam de anno 1618. fecerat donationem ferè de omnibus eius bonis ad fauorem Cæsaris eius filij, & succeſſiuè in eius defectum ad fauorem Marcelli alterius filij, omniumque eorum reſpectiuè deſcendentium, ac in omnium defectum ad fauorem proximiorum de domo; De anno 1625. alienauit Principi Burgheſio quoddam caſale hæreditariũ patris, quod eligere declarauit in cauſam eius legitimæ, præfatæ alienationi cõſentientibus prædictis Cæſare, & Marcello, quibus omnibus defectis, Angelus Incoronatus, iure vtriuſque fideicõmiſſi, ſiuè alterius eorum, præſertim poſterioris in dicta donatione contenti, iudicium inſtituit immiſſionis ad dictum caſale, & introducta cauſa *in Rota coram Ghislerio*, datoque ſolito dubio, àn danda ſit immiſſio, *ſub die* 10. *Maij* 1642. negatiua prodijt reſolutio, confirmata cõ-
2 tra Marcum Antonium dicti Angeli filium *die* 7. *Iunij* 1652. *coram Albergato ſubrogato*, neque quod ſciam cauſa vlteriorem progreſſum habuit, dictarumque deciſionum prima, eſt *impreſſ. par.* 9. *rec. deciſ.* 81. & ſecunda *deciſ.* 162. *par.* 11. *repetit. poſt contr. Contr. deciſ.* 150.

In his igitur diſputationibus, præſertim ſecunda de anno 1652., in qua ſcripſi pro Burgheſio (cum de tempore primæ, adhùc non acceſſiſſem ad Curiam), vltra concernentia detractionum cõſumptionem, ac alia, potiùs in facto, quam in iure conſiſtentia; Præcipuus iuris punctus fuit, àn Burgheſius reus conuentus
3 tanquam creditor Angeli venditoris ex cauſa onerosa, præferendus eſſet dicto alteri Angelo, vel eius filio, venienti ex

ipſius

ipsius debitoris donationi anteriore, vtpotè fouenti causam lucratiuam, atque in hoc puncto, licèt in prima resolutione anni 1642. Rota pertransierit cum opinione fauorabili posterioribus creditoribus ex causa onerosa, nihilominus in alia subsequēti in hac parte recessū fuit à decisis, canonizando alteram opinionem fauorabilem creditori anteriori, quamuis lucratiuo, hypotheca munito; Adhùc tamen perstitum fuit in decisis pro actoris exclusione ex motiuo fraudis, qua ex facti circumstantijs visum fuit donationem prædictam laborare, ità decidendo huiusmodi quæstionem cum distinctione, àn donatio anterior sit sincera, & ab omni fraudis suspicione aliena, vel econuersò suspecta, vt primo casu intret regula *qui prior*, reiecta distinctione causæ lucratiuæ, vel onerosæ, secus autem in altero. 4

Mihi reflectenti ad veritatem, videbatur labor inanis adhibitus in istius quæstionis disputatione, vtpotè extra casum controuersiæ; Illa siquidem procedit, quando vterque venit in concursu, tanquam creditor, quia nempè agatur de donatione quantitatis, pro qua, donatarius concurrat cum alijs creditoribus onerosis, super bonis donatoris, ac debitoris respectiuè; Isti autem termini in præsenti non cadebant, cum ageretur de donatione ipsorum bonorum in specie, operante ex tunc abdicationem dominij à donatore, eiusque translationem in donatarios, stante reseruatione vsusfructus per donatorem ad eius fauorem facta, et consequenter concursus non erat inter creditores æquè venientes cū hipotheca, ex regula *qui prior*, vndè propterea intraret quæstio, àn adesset diuersitas causæ, quæ dictæ regulæ limitationem induceret, sed actor veniebat vendicando iure dominij bona, quæ subiecta non erant hypothecis postmodum contractis fauore rei conuenti, cum tunc non essent in dominio hypothecantis. 5

Hinc proindè obseruabam intrare dilemma, quod, Aut donatio dicenda erat simulata, et tunc habenda erat, ac si nō esset in rerum natura; Aut istud vitiū non aderat, et non intrabat quæstio concursus, quæ ità semper à casu quæstionis extranea erat, idque mihi circa professionis initia aliquam inferebat admirationem, vtpotè contra verè nimium commendabilem Curiæ stylū, omninò abhorrendi euagationem in quæstionibus superfluis, ac strictè immorandi in casu, seù puncto præciso; Sed quia senioribus istam quæstionem assumere visum fuit in prima disputatione, idcircò in posteriori oportebat eam prosequi. 6

Quatenus igitur (positis terminis habilibus) agatur de concursu iure crediti, vndè propterea quæstio prædicta intret; Et quatenus ad eam pertinet; Scribens fauore posterioris fouentis causam onerosam, dicebam quod omnes nostri maiores vsque ad *Gabriel. Eugubin.* scribentem circa finem sæculi decursi, pertransierunt cum theorica *Cumani*, qui reputatur antesignanus *in l. priuilegia ff. de priuil. cred.*, ideoque crediderunt potiores esse posteriores ex causa onerosa per *text. in l. fin. §. Lucius ff. de don.* 7

Verùm *Gabr. conf. 82. lib. 1.*, omnium primus adhibuit distinctionē inter creditores chirographarios, et hypothecarios, vt in prima specie rectè cadat dicta theorica, quoniam inter chirographarios non intrat ordo temporis, neque datur prius, & posterius, sed omnium est concursus æqualis, cum contributo, quatenus bona omnibus non sufficiant, habita solùm ratione priuilegij, per quod prælatio inducatur, atque inter priuilegia conumeratur istud resultans à causa; Secùs autem vbi agatur de concursu inter hypothecarios, cum tunc indistinctè intret regula, *qui prior* ex dispositione *text. in l. 1. C. de iur. fisc. lib. 10.* 8

Ista verò distinctio ansam tradidit modernis huiusmodi quæstionem examinandi, àn ea recipienda esset, necnè, eis quasi per classes diuisis; Multi etenim crediderunt, vt ab antiquiori traditione recedendum non esset, quodque indefinitè recipienda veniat dicta theorica *Cuman.*, vt præsertim cæteris relatis plenè *Guttier. de iuram. confirm. par. 3. cap. 15. num. 19. Paschal. de patr. potest. par. 2. cap. 9. num. 45. Capoblanc singul. 1. post primum vol. de Baron. Noguerol. alleg. 14. num. 68. cum seq. Caroc. decis. 1. per tot. & decis. 125. num. 9. Barbat. de Assist. pragm. 1. glos. 7. nu. 21. cum seq. Carleual. de Iud. tom. 2. quæst. 30. Dexart. decis. 19.* latè *Rouit. decis. 48.* & alij de more collecti *per Amat. resol. 26. num. 14.* 9

Contrariâ verò, sequendo dictã distinctionem *Gabriel.*, alijs relatis sequuntur *Mantic. de tac. lib. 11. tit. 22. num. 23. Pacif. de Salu. inspect 3. cap. 2. num. 469. Fontanell. de pact. claus. 7. glos. 1. par. 2. nu. 23. Gait. de cred. cap. 4. quæst. 11. num. 1235. & seq. & in append.*, latè discusso articulo *Rodriq. de conc. cred. par. 2. art. 1. num. 19. Merlin. de pign. lib. 4. quæst. 25. num. 2. & 3. Merlin. contr. 19 lib. 1. aliorum relator Amat dict. resol. 26. numer. 16.*; Istaque posterior opinio videtur magis recepta, præsertim in Curia, in qua proceditur cum huius causæ posteriori decisione, pluries in alijs canonizata præsertim de eodem anno *1652.* eodemque mense Iunij *coram Cerro in Tudertina donationis impress. eadem par. 11. rec. decis. 273.*

Hinc autem edocemur, de manifesto errore conuinci ineptum pragmaticorũ stylum, procedendi in cæca fide cum do-
10 ctrinis, seù antiquiorum traditionibus, absque alio discursu, vel ratiocinio, istud potius damnãdo, dum ità cernitur, quod postquam per tria sæcula, & vltrà cum dicta distinctione causæ lucratiuæ, & onerosæ indefinitè processum fuerat, licitum fuit moderno, examinãdo punctũ per iuris principia, adhibere distinctionem, quæ in Scribentium, ac tribunalium sensu magis communi, probabilis visa est ac recepta, vt de plerisque alijs antiquorum erroribus habemus.

Cum igitur quæstio hæc pendere videatur ab antinomia, quam aliqui credunt adesse inter *text. in l. fin. §. Lucius Titius ff. de donat.*, cum qua procedunt
11 *Cuman. & sequaces, & in l. 1. C. de iur. fisc. lib. 10.*; Ac etiam pendere videatur ex dispositione, vel ratione *text. in l. qui ex donatione ff. de donat.*, cui nimium innituntur indefinitè sequentes *dictam Cuman.* theoricam fauore creditorum fouentium causam onerosam quamuis posteriorum, & præsertim *Carleu. vbi supra, & Rouit. dicta decis. 48.*, qui alia iura in idem concordantia expendunt, quod scilicèt si admittitur prælatio donatarij anterioris in bonis donatoris, ita erit dare casum suffocationis eius personæ à creditoribus posterioribus, quod in donatario redoleret ingratitudinem, ideoque permittendum non est, et quæ ratio nimium probabilis videtur.

Hinc proindè, occasione istius causæ, pluriumque aliarum similium, in quibus frequẽter huiusmodi quæstionem disputaui; Aduertebam pro congrua conciliatione, seù dictæ rationis applicatione,
12 procedendum videri cum plurium diuersorum casuum distinctione, quæ in omnibus ferè iuris quæstionibus adhibenda est, cum ità enitentur tot æquiuoca resultantia, ex verè inepto stylo, consarcinandi quasi per classes indigestè auctoritates, atque in earum maiori numero vim constituendo, nõ distinguendo diuersitatem casuum, vel circumstantiarum, ex quibus diuersimodè pro facti qualitate respondendum est.

Primus igitur casus est, vbi donator, post alicuius rei donationem, perfectam quidem quoad irreuocabilitatem, siuè exclusionem pœnitentiæ, non autem quoad
13 translationem dominij, pro qua necessaria est traditio vera, vel ficta, eamdem rem, adhùc in eius dominio perseuerantem, alteri vendidit, vel hypothecauit, nulla ad donatarij fauorem adiecta hypotheca pro donationis obseruantia; Et tunc rectè intrat dispositio *dict. text. in l. fin. §. Lucius Titius*, cui innituntur *Cuman. & sequaces*, vt potiores sint partes creditoris posterioris fouentis causam onerosam, non quidẽ ratione prælationis in concursu, sed ex defectu actionis, quæ exercibilis non est per donatarium contra tertium fouentem causam onerosam; Nõ quidem illa rei vindicationis ratione dominij, cum istud abdicatum non fuerit à donatore, neque translatum in donatariũ; Minusq; actio hypothecaria, vel alterũ remediũ ex hypotheca resultans, cum ista desit, vndè propterea aliud non suppetit remedium, nisi rescissoriũ ex *edicto de his quæ in fraud. cred.*, non de facili verificabile in eo, qui onerosam causam foueat; Istique sunt veri, ac proprij termini *dicti text.* adaptabiles quoque creditori, cui citra fraudem ex causa onerosa ipsa bona donata hypothecata sint, quoniam posita perseuerantia dominij in donatore, cum tunc donatario alia non competat actio, nisi personalis pro obseruantia donationis, seù ad quanti intereſt, iuxta ea, quæ occasione promissionis de donando, vel donationis
14 factæ absenti, nemine pro eo legitimè stipulante, habentur *decis. 58. par. 6. rec., & decis. 314. coram Royas*, ac pluries in

sua

sua materia *sub tit. de Donat.*; Hinc proindè resultat, quod in concursu donatarij creditoris pro obseruantia donationis in actione personali, et alterius posterioris creditoris ex causa onerosa, istius potiores partes esse debeant, quamuis esset solùm chirografarius, cum in pari causa intrare dicatur priuilegium quod resultat ab eiusdem causæ diuersitate vt suprà, multò verò magis, vbi istius fauore concurrat hypotheca, quæ semper vincit actionem personalem quantumuis antiquissimam.

Alter casus est, vbi pariter agitur de donatione speciei, cum omnimoda perfectione, etiam circa translationem dominij, mediante traditione vera, & de
15 facto, seu etiam ficta, et legali, resultante à reseruatione vsusfructus, vel à constituto, adeò vt ex tunc bona exierint à dominio donatoris, ac transierint in illud donatarij; Et tunc, vt suprà aduertitur, extranea est quæstio concursus, ac prælationis, quoniam creditor posterior non vincitur à donatario ratione hypothecæ anterioris, & ex regula *qui prior*, sed potiùs per non ius, et ex defectu hypothecę non capientis bona, quę de tempore, quo illa contracta est, non erant ampliùs in dominio hypothecantis, et hic est propriè casus *text in dicta l. 1. C. de iur. fisc. lib.* 10., vt dicta iura conciliando, aduertunt *glos. ibid.* ac *Bart. nu 6*, vbi benè obseruat, quod Alia est illa do-
16 nationis perfectio, quæ excludat pœnitentiam, ac inducat irreuocabilitatem, non autem translationem dominij, vnde propterea solùm producat actionem pro obseruantia donationis, in qua donatarius reputatur tanquam creditor; Alia verò est perfectio omnimoda inductiua translationis dominij, ac faciens donatarium dominum, non autem creditorem, vt ex *Bart.* & alijs aduertitur apud *Ganauerr. decis. 42. num. 18.*

Tertius casus est, vbi agatur de donatione quantitatis, pro qua etiam agat creditor ex causa onerosa; Et tũc si vterque hypotheca destitutus est, de plano
17 intrat, vt suprà, prælatio fouentis causam onerosam ratione priuilegij, quod in concursu æquali causæ conceditur; Aut verò vterque habet hypothecam, et tunc verè, ac propriè intrat quæstio, cuius iste est casus præcisus, vel etiam alter, in quo agatur de donatione speciei, iuxta primam perfectionem producentem actionem ad obseruantiam, ideoque reddente donatarium potiùs creditorem quàm dominum; Atque tunc, data sinceritate actus, probabilior videtur moderna opinio *Gabriel. & sequacium*, non quidem ex dispositione *text in dicta l. 1. C. de iur. fisc.*, cui innititur *Gabr.* cum re vera ille diuersos percutiat terminos vt suprà, sed ex eius ratione, et adinstar, quod scilicet bona priùs affecta hypotheca contracta fauore donatarij, pro ea rata tanquam absorta, incapacia sunt, vt cadant sub hypotheca posteriori.

Neque ratio ingratitudinis, vel suffocationis, de qua suprà, vrgere videtur, quoniam secundi creditoris exclusio ita
18 prouenire dicitur ex non iure reali, seu rei persequutorio in bonis, in quibus est concursus, remanente donatario obligatione suppeditandi donatori alimenta, quorum præstationi creditores posteriores quamuis ex causa onerosa, se opponere nõ possunt, dũ ex recepto vsu, de quo *infra hoc eod. tit.* ipsimet creditores, quando debitorem suffocarent, tenerentur illum alere, quamuis non esset ex priuilegiatis, non conueniendis vltra quam facere possunt, cum magna differentia sit inter istud priuilegium nè vltra quam &c., & obligationem suppeditandi alimenta præcisè necessaria, vt aduertitur infra ad materiam huius priuilegij.

His ita stantibus, incongrua videtur dicta distinctio inter sinceritatem, vel non sinceritatem donationis, quoniam Aut est simulata & fraudulenta, et tunc
19 dicitur nulla, ideoque habenda est, ac si non esset, et consequenter cessat quæstio concursus; Aut hoc vitium abest, et tunc præmissa procedunt, vnde propterea videtur consideratio, quæ, vel non sufficit, vel non est necessaria.

Verùm benè reflectendo, adhuc nimium ea considerabilis est, atq; principaliter à iudicantibus reflectendum est, an
20 verè actus omnimodam sinceritatem, vel èconuersò aliquam suspicionem redoleat, ob fraudes, quæ ita committi solent, quoniam stant benè simul, vt actus dici non valeat formiter simulatus, vel collusiuus, ideoque sit validus quoad ipsum donatorem, eiusque hæredes, vel

alios ex pari causa lucratiua, ab eo causam habentes, et tamen vt redoleat aliquam fraudis suspicionem, ob quam acrius non debeat tertio præiudicare; Ideoque tunc magis veniat recipienda prima opinio *Rouit. & Carleual.* & aliorũ indefinitè sequentiũ theoricam *Cuman.*, ac iuxta eam distinctionem, quæ habetur in dote confessata, inter præiudicium ipsius confitentis, eiusque hæredum, vel tertij, vt *sub tit. de Dote disc.* 159.

Hinc propterea in plerisque similibus casibus credebam rectè istam ponderationem intrare, atque potiores esse debere partes posteriorum creditorum contra donatarium quantitatis iuxta sensum, cum quo processit Rota in ista causa, quod tamen pluries admissum non fuit.

2

si aliàs debitum erat fructiferum, vel vsurarium.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Non dicitur soluta pecunia reuocabilis, sequuta reuocatione.*

3 *Adeò vt reuiuiscat debitum etiam pro cursu fructuum.*

4 *Quod procedendum sit cum distinctione casuum.*

5 *De reuiuiscentia vbi auocatur pecunia soluta cum obligatione de restituendo.*

6 *Euicta re data pro debito speciei putà census, iste reuiuiscit.*

7 *Idem si creditor promiserit emptori euictionem rei venditæ, vel restitutionem pretij.*

8 *Si creditori fiant assignamenta, quæ non sortiatur effectum, intrat reuiuiscentia.*

9 *Non datur extinctio primæuorum iurium per dationem insolutum, si ea reseruantur.*

10 *In claris non intrant quæstiones.*

11 *Neque dari potest nouatio sine voluntate in contrarium declarata.*

12 *Fauore dotis euicta re data insolutum primæua iura reuiuiscunt.*

13 *Vt etiam in non priuilegiatis de æquitate detur reuiuiscentia.*

14 *Contrarium verius in puncto iuris.*

15 *Rigor iuris clari præferri debet non scriptæ æquitati.*

16 *De errore pragmaticorum confundendi doctrinas absque congrua applicatione.*

17 *Quando propriè intret quæstio reuiuiscentiæ.*

18 *Emptor an, & quãdò tueatur cum iuribus creditoris dimissi cum eius pecunia.*

19 *Creditor, qui emat tanquam tertius licitator, habetur iure extranei.*

20 *Quod creditor possit licitari tanquam tertius.*

21 *Quando non intrent termini reuiuiscentiæ, licèt ipsa res euincatur.*

22 *In quo differat, vt bona adiudicentur creditori, vel quod ipse licitetur sub hasta.*

ROMANA

SALVIANI DE SARACENIS

PRO

PETRO SARACENO

CVM N.

Casus disputatus coram A.C. & in Signatura sub incerto exitu.

De concursu creditorum posteriorum cum anteriori iam satisfacto mediante assignatione bonorum, quæ posteà euicta fuerint, seu mediante solutione pecuniæ ab eo postmodum auocatæ, ideòque regrediente ad primæua iura; An, & quando iste regressus competat; Et quatenus competat, an ille intret etiam pro fructibus, vel vsuris,

DISC. XXXII.

PRo credito administratæ tutelæ, cum hypotheca legali, initium sumente de anno 1589, obtentum fuit mandatum contra debitorem de anno 1629, cuius vigore executa, & posita sub hasta quadam domo, tertius oblator, illam licitatus est pro persona nominanda, cum saltim apparenti pecunia numerata, iuxta stylum, soluta cursori, facienti instrumentum venditionis deliberatario, ac soluenti pecuniam creditori, reportata quietantia; Cum autem licitator nominasset eumdem creditorem, qui tractu temporis dictæ domus euictionem passus est ab illam vindicante iure fideicommissi; Hinc idem creditor, prætendens sibi competere regressum ad primæua iura de dicto anno 1589., immitti obtinuit in saluiano ab A. C. ad aliam domum possessam per Petrum ex iuribus intermedio tempore quæsitis, atque pro reo conuento postquam contrariam sententiam reportauerat, solùm scripsi in Signatura Iustitiæ, ad effectum obtinendi commissionem appellationis, etiam ad effectum suspensiuum Ægidiana non obstante, incertumque est, qualis fuerit causæ exitus, dum ampliùs de illa actum non audiui, forsan concordia eam terminauit.

Vnicus causæ punctus consistebat in regressu ad primæua iura, an actori competeret, necnè, super quo pro eodem actore Scribentes, quibus absque Aduocati opera ex parte Rei, Iudex adhæsit; Dicebant, planam esse affirmatiuam, ex eo, quod vbi solutio iudicis auctoritate facta est, si solutum ab alio creditore anteriore euincitur, habetur, ac si actus non esset sequutus, et consequenter primæua iura reuiuiscunt, seu veriùs, vtpotè nunquam extincta, excitantur (vt nostri dicunt) potiùs tanquam à somno, quàm à morte, cum non dicatur solutum id, quod à iudice reuocabiliter creditori soluitur, sequuto casu reuocationis, iuxta 2 *text. in l. qui sic soluit, ff. de solut. cum concord. per Rot. in Romana census 24. Nouembris 1628. coram Ghisterio*, & in alijs de quibus habetur *sub tit. de feud. discur. 81., et sub tit. de cens. discur. 15. & 16.*

Idque adeò verùm, quod si creditum esset fructiferum, puta ex causa census, intret omnimoda reuiuiscentia etiam pro cursu fructuum ex ijs, quæ firmata 3 fuerunt *per Rotam in dicta Romana census 24. Nouembris 1628. coram Ghisterio*, & in alijs, de quibus habetur *dicto tit. de Cens. disc. 15. & 16.*, & latius *dicto tit. de feud. ad mater. Bull. Baron. disc. 81.*

Scribens ego pro reo, cuius defensio consistebat in extinctione antiquæ hypothecæ, itaùt actori competeret solùm actio euictionis initium sumens de anno 1629. (cum eius iura intermedio tempore quæsita essent); Cum ex informationibus hincindè datis viderem, quod 4 iuxtà frequentiorem stylum modernum, multa in confuso inuoluebantur super hoc articulo reuiuiscentiæ primæuorum iurium; Hinc ad instar eorum, quæ occasione reuiuiscentiæ censuum, & cursus fructuum habentur *dicto disc. 81. de feud. & disc. 15. de Cens.*, pro æquinocis tollendis, aduertebam procedendum esse cum distinctione casuum, quoniam plures decisiones, & auctoritates, vnum casum percutientes, ab altero extraneæ sunt.

Primus igitur casus est, vbi creditori datur per iudicem pecunia vinculata, cū obligatione restituendi anterioribus, vel potioribus, & ad omne mandatū &c., 5 et tunc sequuta pecuniæ auocatione, planum est intrare reuiuiscentiam, ex deductis locis proximè citatis, ex ratione ibidem, ac pluries in præcedentibus insinuata, præsertim *disc. 2.*, quod hic actus non importat veram, ac formalem solutionem debiti extinctiuam, sed potius quamdam prouisionalem consignationem reuocabilem, per speciem depositi, seù precariæ retentionis, ad iudicis nutum, adeoùt, pecunia dicatur semper extare, et consequenter purificata conditione resolutiua, intrat retrotractio ad suum initium, perindè ac si actus sequutus non esset; Solaque difficultas cadit circa reuiuiscentiam fructuum, non quidem ratione extinctionis iurium, sed ratione libertatis repetendi sortem, & ex alijs pōderationibus, de quibus *dicto disc. 81. de feud., & disc. 15. de censib.*

Alter casus est, vbi illi, qui sit creditor speciei, per debitorem, vel iudicem de-

tur

tur insolutum altera species, vt frequenter contingit in creditore censuario, cui
6 detur domus, vel fundus &c.; Et tunc iſtius euictione ſequuta, intrat etiam regreſſus ad primæua iura iuxtà *deciſ.* 530. *poſt Cenc. de cenſ. repetit. deciſ.* 278. *par.* 5. *rec.*, cum alijs, de quibus *dicto diſc.* 81. *de feud.*, ex ibi aſſignata ratione, quod hæc dicitur potius ſpecies permutationis, in qua de plano intrat regreſſus, iuxtà communem, ac receptam diſtinctionem, de qua apud infra allegandos.

Atque cum primo caſu, fraternizat alter, vbi venditis bonis debitoris ad inſtantiam creditoris, iſte promittat licitatori euictionem de proprio, ſiue (vt
7 frequentius) reſtitutionem acceptæ pecuniæ in caſu euictionis, vel moleſtiarum, quoniam pariter non eſt vera ſolutio, quæ effectum extinctiuum operari valeat, ſed potius actus conditionalis, ſub conditione reſolutiua, qui, purificata conditione, euaneſcit, ac ſi geſtus non eſſet.

Tertius eſt caſus, in quo creditori per Iudicem, vel per debitorem fiant aſſignamenta nominum debitorum, vel aliorum effectuum ab ipſo exigendorum abſque
8 requiſitis formalis delegationis; Et tunc, quia regula eſt, vt ceſſio ſeù aſſignatio facta cenſeatur, potius pro ſoluendo, quã pro ſoluto, redolens ſuſceptionem mandati ad exigendum, quod ſolùm obligat ad diligentias tales quales, hinc proindè vbi exactio non ſequatur, ſalua remanent primæua iura, & in his terminis procedit *deciſ.* 71. *Caualer.*, cum concordantibus, vt aduertitur *eodem diſc.* 81. *de feud.*

Quartus eſt ille, in quo propriè cadit quæſtio, non modicam habens Scribentium ſciſſuram, & ſuper quo, in hac diſputatione plura inuoluebantur hinc
9 indè, Vbi ſcilicèt creditori quantitatis datur in ſolutum aliqua ſpecies iure formalis dationis, quæ ſpeciem emptionis & venditionis redoleat, (cum huiuſmodi contractus in omnibus fraternizent ex deductis *apud Buratt. deciſ.* 372. *& paſſim*); Et tunc, Aut creditor proteſtatur, (iuxta frequentiorem cautelam), de reſeruatione primæuorum iurium in caſu euictionis, vel moleſtiarum, et quidquid aliqui ſubtilizando dicant, vt neq; iſta proteſtatio ſuffragetur, quorum opinio ſcholis, & accademijs pro iuuenum ingenijs exercendis congrua eſt; In foro extra controuerſiam receptum, & quotidianum habemus, vt proteſtatio ſuffragetur, atque primæua iura conſeruet; Et meritò quidem, quoniam cum nouatio ſit effectus voluntatis, ità per legem præſumptæ, impoſſibile eſt illam dare ſine voluntate, imò ea expreſsè in contrarium declarata, neque vnquam legis fictio, ſeù præſumptio intrat, vbi habetur cõtraria
10 probatio expreſſa iuxtà vulgarẽ regulã *text. in l. ille aut ille ff. de leg.* 3., ſuper qua, circa actus inter viuos, in his proximis terminis receptionis alicuius aſſignamẽti, plura cumulantur *per Rot. deciſ.* 44. *nu.* 14. *par.* 11. *rec.*; Et de nouatione non danda ſine voluntate, ideoque excludenda per contrariam proteſtationem *apud Otthob. deciſ.* 131. *num.* 10. & 11., & communiter apud omnes proximè infra pro vtraque opinione allegandos.

Ceſſante autem hac præſeruatiua proteſtatione, adeoùt intret iuris adeò famoſa quæſtio, àn ſcilicèt, euicta re data in ſolutum loco quantitatis, reuiuiſcant, necnè primæua iura, vel ſolùm competat actio euictionis ad materiam *text. in l. libera quidem Theodora C. de ſent. & interl. & l. ex ſextãte §. Latinus Largus ff. de excepti. rei iud. cum concord.*, de quibus apud proximè allegandos, et tunc altera intrat diſtinctio inter priuilegiatos, et non priuilegiatos, vt in priuilegiatis, inter quos dos recenſetur, intret regreſſus ex
12 ijs, quæ de iſto priuilegio dotali habentur in ſua materia *ſubtit. de dote diſc.* 64.

Vbi verò agatur de creditore non priuilegiato, Scribentes ſcinduntur; Siquidem *Afflict. deciſ.* 8. & 16. & 333., & alij relat. *per Merlin lib.* 1. *contr.* 27., credunt quod, licèt de ſtricto iure non intret reuiuiſcentia, ex regula quod à priuatione
13 ad habitum non datur regreſſus; Attamen quod ex æquitate admitti debeat, quaſi quod creditor, adinſtar eorum, quæ ſupra in primo caſu habentur, conditionaliter ea bona receperit, cum præſuppoſito, quod irreuocabiliter penès eum ſint extitura, & cum probabili intentione retinendi primæua iura, quatenus hoc præſuppoſitum ceſſet.

Contrarium verò in puncto iuris verius eſſe ex magis communi ſenſu antiquiorum, & ex dictorum iurium diſpoſi-

tio-

tione, ità distinguendo vbi datur spe-
14 cies pro specie, vel species pro quanti-
tate, plenè firmatur *apud Surd. decis. 51.*, *113*, *& 266.*, vbi *Hodiern. in addit.*, *Rouit. in Rubr. de liquid. instrum. num. 48. cum seq.*, omnium latius examinato articulo, ac deductis vtriusque opinionis fundamentis *Arias de Mesa lib. 1. var. cap. 38. cum plur. seq.*, et tanquam veriorem tenere, vel præsupponere consueuit Rota, admittendo regressum, vel ratione priuilegij dotalis, vel quia ageretur de specie pro specie, vt præsertim *decis. 278. par. 5. rec. repetit post Cenc. de cens. decis. 530. in Romana Dotis 11. Februarij 1647. coram Bichio, Romana pecuniaria 24. Martij 1656. coram Beuilaqua* cum alijs de quibus *dicto disc. 64. de Dot.*

Itaque opinio in puncto iuris verior, ac recipienda est, quamuis altera maiorem æquitatis assistentiam habere videatur, quoniam rigor scriptus, non scriptæ æquitati præferendus est, sibique imputet ille creditor, qui neglecta adeo facili, & visitata cautela dictæ præseruatiuæ protestationis, ità simpliciter formalem dationem in solutum acceptat; Magis enim æquitati repugnat alter casus, de quo pluries in præcedentibus, vt vendens habita fide de pretio, quoties de cautela reseruationis dominij non est sollicitus, in ipsamet re sua ab alijs emptoris anterioribus creditoribus vincatur, et tamen lex ita disponit, atq; contraria æquitas non attenditur.

Verùm obseruabam de his agi ad exuberantiam, atquè pro dilucidandis æquiuocis, cum quibus procedebatur, ità inconfuso cumulando omnes dictas auctoritates, & decisiones pro reuiuiscentia faciētes, cum frequens videatur Pragmaticorum stylus, reuoluendo repertoria super aliqua materia, cumulare totū id, quod in ea reperiunt, non distinguendo casum à casu; Siquidem vbi etiam tenenda esset altera æquior opinio *Afflict. & sequacium*, de quibus *apud Merlin. dicta contr. 27.*, & quam etiam (licèt obiter, ac extra sui casus necessitatem) magis communem, & receptam appellat *Aegr. conf. 16. lib. 1.*, adhùc tamen non versabamur in casu quæstionis, quoniam nō agebatur de datione in solutum, siuè adiudicatione directè, ac immediatè per debitorem, vel iudicem eius vice, ac nomine facta creditori in satisfactionem debiti quantitatis, in quibus terminis, verè ac propriè dicta quæstio intrat, sed agebatur de tertio emptore sub hasta, soluente saltèm apparenter numerato pre-
18 tio, quod pariter numerato solutum fuit creditori, purè, ac irreuocabiliter, vndè propterea, per solutionem generis loco alterius generis, seù pecuniæ pro pecunia sine eo vinculo, de quo in casu primo, inducta est vera extinctio, atq; casus euictionis non dicitur contingere in ipso creditore iam satisfacto cum pretio rei, sed contingit in emptore, cui sibi non consulenti de cessione iurium dimissi creditoris, vel de pacto de subintrando in eius locum, consultum solùm remanet, vt excipiendo se tueatur dictis iuribus, non autem agendo, ex ijs quæ in his specialibus terminis emptoris, cum cuius pecunia in causam pretij soluta, creditores dimissi sunt, ità distinguendo, habētur collecta *per Adden. ad Buratt. decis. 420. nu. 8. & seqq.*, cum alijs de quibus supra *disc. 4. & seq.*

Et quamuis ex parte actoris replicaretur, quod ipsemet esset creditor, ac
19 emptor respectiuè, ideoquè in effectu dicendus esset creditor, qui bona debitoris in solutum receperit; Dicebam tamen (etiam in sensu veritatis), responsionem esse fallacem, quoniam ob reduplicationem personarum formalium in eadem persona materiali, ipse considerandus veniebat tanquam omninò tertius licitator, cuius partes rectè gerere potest ipsemet creditor, ad cuius instantiam bona debitoris subhastentur, quoniam consideratur tanquam extraneus,
20 ac diuersus homo, ex ijs quæ habentur ad materiam iuris offerendi *sub tit. de Empt. & Vend. discur. 31.*; Multò verò magis, vbi neque ipse directè emptoris partes fecit, sed eas explicauit tertius, qui deindè eum in eius locum posuit, vndè propterea consideratur potius tertius, ac extraneus homo, diuersus ab altera persona creditoris, cum vera solutione pecuniæ purè, ac irreuocabiliter solutæ, iam satisfacti, et consequenter euictio rei emptæ nil commune habet cum pecunia soluta credi-

tori

21 tori, neque reuiuiscentia iuris iam extincti intrat, vt benè cæteris relatis aduertitur *in Romana domus* 17. *Martij* 1649., & 24. *Ianuarij* 1650. *coram Bichio, quarũ prima est impress. decis.* 297. *numer.* 24. *& seqq. par.* 10. *rec.*, *& alteræ decis.* 6. *num.* 23. *& seqq. par.* 11. *rec.*, & habentur etiam inter suas.

Magna siquidem differentia est inter casum, in quo creditor personam extranei licitatoris faciat, ac alterum in quo gerat personam creditoris, cui fiat adiu-
22 dicatio bonorum debitoris; Primò enim casu redditur tutus à iure offerendi, ac etiam sibi licitum est, iuxta opinionem, quam tenet Rota, & Curia Romana, facere eius conditionem meliorem circa pretium, quoties non concurrat læsio vltra dimidiam iuxtà terminos *text. in l. secunda Cod. de rescind. vend.*; In altero autem subiacet iuri offerendi, ac etiam cogitur recipere bona ad æstimationem, ex qua pro aliquorum Tribunalium stylo aliqua deductio fieri solet, vndè propterea intrat regula, vt *qui in vno grauatur &c.*; Et consequenter si creditor duas habens vias, Vnam scilicèt creditoris per viam adiudicationis; Et alteram tertij per viam licitationis, hanc secundam eligere voluit, negligendo cautelam reportandi cessionem iurium à se ipso, sibi patere debet via, quam elegit, atque de propria negligentia conqueri.

FARFEN.

PRÆDII

PRO

MARCHIONE COSMO PASQVALE.

CVM

NARDVCCIIS.

Casus decisus per Rotam pro Cosmo.

De secundo creditore cum publico instrumento vincente primum cum scriptura priuata, necnè, ad materiam *text. in l. scripturas C. qui pot. in pign.*

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutione.*

2 *De societate officij, & quando illius lucrũ non fiat.*

3 *De dispositione* l. scripturas, *vt habens scripturam priuatam concurrat cum habente instrumentum.*

4 *Quomodo legibus, vel doctrinis deferendum sit, & quando doctrinæ non deferentur.*

5 *De eadem* l. scripturas, *& an ea forma sit præcisa, vel admittat æquipollens.*

6 *Sed qualis debeat esse probatio æquipollens, quæ sufficat.*

7 *De eodem.*

8 *De testamẽtis ad formam* cap. cum esset & cap. relatum de testam.

9 *De ratione differentiæ inter dicta testamenta, & cur in vna specie maior probatio desideretur.*

10 *Non sufficit probare veritatem scripturæ sed oportet iustificare veritatem debitæ cum hypotheca.*

11 *De fraudibus, quæ desuper committi solent.*

12 *Quomodo ista materia decidenda sit.*

DISC. XXXIII.

FRatres de Cerasolis, creditores Felicis Carducci, de anno 1640. obtinuerunt immissionem in Saluiano super prædio possesso per filios Felicis, dictaque immissio in gradu appellationis cõfirmata fuit *per Rotam sub die* 30. *Maij* 1664. *coram Albergato* ad fauorem etiam Marchionis Cosmi Pasqualis, cum subsequuto effectu; Postmodum verò Rei, ac *antiqui possessores*, obtenta noua cõmissione *in Rota coram Priolo*, datoque dubio, àn, & cui dandum esset mandatum de manutenendo *sub die* 23. *Iunij* 1670. pro dicto Marchione responsum fuit.

In hac disputatione vltra ea quæ concernebant ordinem iudicij, seù validitatẽ processus; Quatenus pertinet ad merita, duo erant puncti; Primò deficientiæ crediti dicti Cosmi, cũ proueniret ex quadam societate officij, quæ prætendebatur superlucrata per mortem eius, sub cuius vitæ periculo inita erat, et hic pũctus cõsistebat *in facto*, àn scilicèt constaret de disdicta benè facta, eiusque reproductione, ac etiã, àn debitori prætendenti lucrũ obstaret defectus *implementi* ob nõ prę-
2 stitum fideiussorem *iuxta decis.* 64. *Royas* & 31. *Otthob.* cum alijs in sua materia *sub tit. de societ. offic. post tit. de vsur.*, cùm posito facto, conclusiones iuris essent planæ.

Alter vero punctus erat super credito anteriori prætenso per dictos antiquos possessores, qui propterea se indebitè spoliatos dicebant, illud deducendo ex duabus apocis cum data annorum 1620. & 1622., et consequenter longè antè creditũ dicti Cosmi, vtpotè de anno 1640.; Quia verò de isto constabat per publicũ instrumentum, de illo autem per apocas priuatas; Hinc dicebam scribens pro
3 Cosmo, quod *nisi venientes ex dicto* credito anteriori docerent de requisitis *text. in l. scripturas C. qui pot. in pign. hab.*, quod dictæ apocæ essent trino teste notatæ, fundata remanebat intentio creditoris posterioris habentis publicum instrumẽtum per dispositionem litteralem dicti textus, vbi omnes, cum desiderandæ non sint auctoritates probabiles Doctorum, vbi habemus claram auctoritatem necessariam legi, nisi quando istæ non
4 essent vsu receptæ, vt de pluribus legibus habemus ex ratione ponderata *sub tit. de seru. disc.* 1., ac etiam *sub tit. de Dote* in proposito consuetudinis *Martini* ad materiam *text. in l. dos à Patre C. de iure Dot.*, ac aduertitur particulariter *sub tit. de Iud.*, in relatione, ac praxi Curiæ Romanæ in rubrica *de Aduocatis*, vbi de modo scribendi, & consulendi, & quomodo legibus, vel doctrinis deferendum sit.

In hoc autem puncto; Quamuis Ego more Aduocati ad *scripturæ* ornatum, deducerem ea, quæ in discursiua ratione habentur præsertim *apud Surd. decis.* 71.,
5 ac etiam pro ratione dubitandi *apud Franch. & alios, de quibus infra*, vt forma subscriptionis trium testium idoneorum præscripta per *text. in dicta l. scripturas*, sit præcisa, & non possit adimpleri per æquipollens, et consequenter cum in his apocis ea non concurreret, id sufficere deberet pro excludendo creditorem anteriorem, eius creditum fundãtem in scriptura priuata; Nihilominus, reflectendo ad veritatem, agnoscebam quod motiuum non esset tutum, quoniã in foro vbique, præsertim in Rota, & Curia, recepta est diuersa opinio, vt sufficiat implementum per æquipollens, quoniam cum formæ inductio habeat in ipsius legis corpore causam, seù rationem expressam, suspicionis scilicèt collusiuæ antidatæ ad supplantandum creditores iam præexistentes, hinc proindè, vbi ex alijs probationibus, & adminiculis, de rei veritate constat, dictaque suspicio cessat, cessare quoque dicitur dictæ legis dispositio ex deductis *apud Franch. & Adden. decis.* 95. *Surd. d. dec.* 71. *Rota apud Buratt. decis.* 844. & 905. *& sæpius*, quoniam hoc iure viuitur.

Dicebam tamen, etiam in sensu veritatis, tàm in ista causa, quàm nimium frequenter in centum alijs, & vltra, in quibus de eodem puncto disputare occasio
6 præbuit, quod ad hunc effectum nõ sufficit quælibet ordinaria adminiculatiua probatio, quæ, lege non resistente, sufficeret in ijs, quæ sunt difficilis probationis, vel benignam, ac præsumptam probationẽ de facili admittunt, vt (E.G.) est pro-

batio solutionis debiti, de qua pluries infra, cum similibus; Sed debet esse probatio talis, quæ adæquet illam magis certã, ac solemnem probationem à *dicta l.* requisitam, ad inducendam omnimodam veritatis certitudinẽ, adeoùt adsit æquipollentia.

Ordinaria siquidem probatio concludens, & perfecta, de iure inducitur per duos testes, ex oraculo *quod in ore duorũ, vel trium stat omne verbum*, neq; in iure statutũ est, vt testes debeant esse idonei, 7 & qualificati, sed sufficit, quod non sint ab eodem iure reprobati, atque sæpius habemus conclusam probationem per vnicum testem benè adminiculatum, et tamen iste textus exigit tres testes qualificatos, quod nempè sint *probatæ, ac integrè opinionis*, et consequenter tàm ratione numeri, quàm ratione qualitatis, non contentatur textus simplici, ac ordinaria probatione, sed exigit extraordinariam, magisquè exquisitam, ac certam, vtpotè duas operationes facere debentem, vnam scilicet concludendi ordinariam probationem, & alteram tollendi suspicionem, quæ desuper à lege habetur; Ideoque licèt aliæ species probationis admittantur etiam adminiculatiuæ, nihilominus, vt dictum est, debent esse extraordinariæ, ac exuberantes, adeoùt æquiualeant dictæ extraordinariæ, & exquisitæ formæ per hanc legem desideratæ, cum non debeat esse maioris valoris, ac efficaciæ exemplum, quàm exemplar, siuè ficta suppletio, quàm veritas, sed æquipollens tanquam subrogatum, debet esse eiusdem ponderis, & efficaciæ.

Ad quod probandum ponderabam ea, quæ ad materiam *text. in cap. cum esses, & cap. relatum de testam.* habentur pluries 8 *sub tit. de testam.* præsertim *disc.* 6. & 25., quoniam in vtroque canone eadem assignatur ratio dicti oraculi, vt *in ore duorum, vel trium stet omne verbum*, & tamen in testamentis ad pias causas, de quibus agitur *in cap. relatũ*, receptũ est, vt sufficiat ordinaria, ac naturalis probatio per duos testes, vel per schedulam etiam sine testibus, aliasque species naturalis probationis simplicis, ac ordinariæ, in illis verò, quæ fiant ad causas profanas desiderantur tres, quorum vnus sit qualificatus, quia proprius parochus, vel confessarius ordinarius, vel, isto deficiente, sint quatuor integri, ac omni exceptione maiores, quamuis reiecta cõtraria sententia, verius sit, istam quoque esse formam probatoriam potius quam solemnem, ex ibi deductis.

Ratio autem differentiæ, iuxta opinionem *Abbat.* & sequacium, magis cõmuniter receptam, reiecta contraria singulari 9 opinione *Butr.*, consistit in maiori suspicione, quã lex habet de vltimis voluntatibus, quæ extraneorum fauore ordinatæ sunt, quam non habet de dispositionibus inter liberos, vel ad causas pias, idcircò maior, ac solemnior probatio desideratur, non quidem pro forma, vel solemnitate, sed pro suppletione dictæ suspicionis, quam lex habet; Sic à pari.

Et quamuis in hac facti specie deducerentur aliquæ epistolæ familiares, aliæque scripturæ benè recognitæ, vt scriptæ essent per eos, quos iustificabatur esse 10 defunctos, antequam contraheretur dictum alterum creditum per instrumẽtum publicum, enunciantes debitum contentũ in apocis, seù debendi causam, quę per alias probationis species quoque benè iustificabatur; Attamen dicebam, quod punctus non erat in substantia debiti, eiusque præexistenti veritate, de tempore quo istud aliud debitum instrumentarium contractum fuerat, sed consistebat in data scripturarum continentium hypothecam expressam, vel implicitam contentam sub obligatione cameràli.

Vt enim non semel praxis me docuit, sæpè contingit, quod debitore minus idoneo, vel suspecto effecto pro debito 11 quãuis antiquo, nulla hypotheca munito, sed solùm chirographario, ideoq; postponẽdo debitis hypothecarijs, quamuis posterioribus; Opinantibus partibus, id rectè fieri posse, inspecta naturali veritate, iuxta quã debitum est anterius, ita supplere curant antiquam negligentiam non muniendi ex tunc, & ab initio debitum cum hypotheca; Ideoque punctus non est in substantia debiti, eiusque veritatis primordio, sed est in tempore datæ illius scripturæ, quæ hypothecam contineat, per quam prætendi valeat concursus in exclusionem habentis instrumentum publicum, vel aliam certam, ac probatam probationem, quæ instrumento æquiualeat.

Benè

Benè verùm, quod primordium veritatis, ac certa præexistentia debiti de tẽpore, quò alterum cõtractum est, præbet aliquod adminiculum, ideoque minores
12 probationes, seù minora adminicula desiderantur, quàm in altero casu, in quo ista circumstantia non accedat, ob maiorem suspicionem, quod minus idonei debitores, vt pecunias mutuas inueniant, solent huiusmodi fraudes, ac falsitates committere, ideoque in primo casu minor vrget suspicio.

Est autẽ ista quæstio potius facti, quã iuris, certã, ac determinatã regulã generalẽ nõ recipiens, sed ad instar aliarũ adminiculatiuarũ, seù coniecturalium, decidẽda pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, maiorem vel minorem suspicionem redolentibus prudenti arbitrio; Ideoque non ex eo quod aliqua adminicula in vno casu sufficientia, vel respectiuè insufficiẽtia reputata fuerint, exindè sequitur, quod in omni alio idem dicendum sit, quoniam, vt pluries in omni fere materia aduertitur præsertim verò, ac frequentius in illa vltimarum voluntatum *dicto tit. de fideicom.* stant benè simul, vt aliquæ coniecturæ, vel adminicula in vno casu sufficiant, in altero autem, eadem, ac longè maiora non; Et consequenter semper erroneum est procedere cum sola generalitate decisionum, vel doctrinarum, non benè reflectendo ad congruam applicationem, quæ pendere debet ex combinatione qualitatis, vel circumstantiarum vnius, vel alterius casus, vt ità dignoscatur, àn doctrinæ cõgruant, atque casum decidant.

ROMANA

SALVIANI DE ZECCADORIS

PRO

CATHERINA, ET ALIIS DE ZECCADORIS

CVM

IOANNE DE TAVRINIS

Casus decisus per Rotam pro Zeccadoris.

De creditore posteriore, vel alio possessore, posterius ius habente, excludente creditorem anteriorẽ ex defectu hypothecæ, vtpotè remissæ per consensum ab eo præstitum eius alienationi; Et quid vbi res alienata reincidat in dominium debitoris, àn ea reincidat sub priori hypotheca, vel saltèm sub hypotheca generali bonorum futurorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De remissione hypothecæ ob consensum præstitum alienationi.*
4 *Dicta remissio operatur, quamuis res alienata denuò acquiratur per debitorem.*
5 *Declaratur quando id procedat &c.*
6 *De confusione actionum per additionem hæreditatis reuocabiliter.*
7 *Hæres beneficiatus, non est verus hæres, sed administrator hæreditatis.*
8 *De declaratione, de qua num. 5., & quomodo intelligenda sit.*
9 *Non potest creditor ex eadem hypotheca obtinere ipsam rem, & eius pretium.*
10 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
11 *De eadem declaratione, & de conclusione, de qua num. 4.*
12 *Quando in hoc proposito persona hæredis consideretur tanquam diuersa*

ab illa defuncti.

13 *Conclusio, de qua num. 3. non procedit in credito postea superuento.*

DISC. XXXIV.

1 CVM ad instantiam Ioannis, & Ludouici de Taurinis, creditorum Francisci Zeccadori, executa, & subhastata fuisset domus hæreditaria debitoris, possessa per Michaelem Angelũ fratrem, & hæredem, eique ex statuto Vrbis competeret facultas illam redimendi infrà sex menses, dictaque redemptione sequuta, Michael Angelus eamdem domum in parte dedisset in dotem Catherinæ filiæ, ac in parte assignasset alteri filio; Contra istos possessores, ijdem Taurini pro summa residuali dicti crediti, pro quo obligatum quoque habebant dictum hæredem nomine proprio iuxtà seriẽ de qua *sub tit. de contract. disc.* 41., ad eamdẽ domũ contra Catherinam & alios immitti obtinuerunt ab A.C. in interdicto saluia i, Commissaque per Signaturam causa *in Rota coram Corrado* cum solita clausula *constito, quod sit locus Aegidianæ*, sub diebus 18. *Februar.* 1650.
2 & 10. *Februarij* 1651., fauore possessorum prodierunt resolutiones, quæ habẽtur impressæ *decis.* 18. & 113. *par.* 11. *rec. repetit. apud Post. de subhast. in addit. dec.* 246 & 248., & quarum prima est etiam impressa *post Salgad. in labyr. decis.* 19. & *post Oleam de cession. decis.* 17.

In huiusmodi autem disputationibus habitis in Rota, in qua solùm scripsi pro reis, & possessoribus, circa professionis initia; Cum in facto non dubitaretur de veritate crediti anterioris Actorum, tàm contra Franciscum defunctum, quã etiam contra Michaelem Angelum hæredem nomine proprio, non obstante obiecta nullitate obligationis istius ex eo quod facta esset in carcere iuxta præcedenter firmata *per Rotam corã Arguell. ex deduct. dicto discur.* 41. *de alien. & contract*; Hinc proindè possessorum defensio consistebat in motiuo insinuato etiã
3 supra *in Cremonen. disc.* 4., deducto ex dispositione *text. in l. fin. C. de remiss. pign. & in l. si debitor* §. 1. *ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solu. cum concordan.*, vt per consensum præstitum per creditorem alienationi rei hypothecatæ, remissa censeatur hypotheca super illa re, adeoùt, non solùm molestari non possit emptor, vel alter ab eo causam habens ex contractu, cui ipse creditor consensum præstiterit, iuxta casum, de quo habetur *discur. seq.*, sed neque hypotheca afficiat ipsam rem, quamuis ad manus eiusdem debitoris redierit, in præiudicium habentium hypothecas posteriores.

Licèt enim primò aspectu contrariũ dicendum istò casu videatur, quod scilicèt quemadmodum alia bona omninò de nouo per debitorem quæsita, cadunt sub hypotheca anteriori, amplectente, tã præsentia, quàm futura, ità pariformiter bona, quamuis aliàs de consensu creditoris distracta capere debeat tanquã de
4 nouo quæsita, & sub nomine futurorum venientia, adeoùt *Bart. in eadem l. fin.* aduertat, quod quilibet prima facie contrarium responderet; Nihilominus contrarium lex disponit, & sequuntur *ibidem Bald. & alij de quibus Neguss. de pign. par. 6. membr. 3. numer. 21. Mantic. de tac. lib. 10. tit. 30. num. 60. Pacif. de salu. inspect. 5. cap. vnico num. 67. Merlin. de pign. lib. 4. cap. 109. nu. 38. Surd. decis. 163. & alij de quibus in huius causæ decisionibus.*

Non negabant Scribentes in contrarium istam cõclusionem vtpotè receptã; Duo tamen deducebant fundamenta, ex quibus conclusionem euitari dicebant;
5 Primò scilicèt iam insinuatum supra *dicto disc.* 4., vt conclusio procedat quãdo alienatione, cui consensus accommodatus est, iam irreuocabiliter perfecta, suumque plenum effectũ sortiente, postmodũ contingat quod ex diuerso titulo, vel causa, bona denuo per ipsum debitorẽ acquirãtur; Secùs autẽ vbi, resoluto actu alienationis, cum retrotractione ad suum initium, causa reducatur ad nou causam, vt cõtingit, quoties ex iure luendi, seù redimendi legali, vel conuentionali, venditor bona reuocabiliter vendita obtineat, tunc etenim per huiusmodi alienationẽ reuocabilem, nõ extinguuntur hypothecæ creditorum consentientium, sed solũ obdormiunt, vel suspenduntur, sub conditione resolutiua, qua purificata, ex quadam postliminij fictione, fingitur, ac si bona nunquã à priori dominio exierint, & aduertunt *Bart. & alij in eadem l. fin.*

de

de quibus apud Franch. decis.64.numer.8. cum seq. Merlin. de pign. d.lib.4.cap.109. num.41. cum seq. & communiter.

Et conferunt quæ circa effectus ex pacto de retrouendendo resultantes habentur *sub tit. de feud. disc.69.*, & infra *discur. 40.*, in proposito confusionis actionum, quæ resultat in hærede, quod vbi est talis reuocabiliter, sequuta reuocatione, omnia redeunt ad primæuum statum, per excitationem à somno potius, quàm per reuiuiscentiam à morte; Et hic erat casus, cum domus redempta esset infra terminum à statuto præfinitum, per aliquos dies re integra prorogatum, (quod sonat in idem) iure redemptionis, seù luitionis.

Et secundò quod actores duos diuersos habebant debitores, Franciscum scilicèt defunctum, eiusque hæreditatem, & Michaelem Angelum hæredem, proprio tamen, ac priuato nomine obligatum; Cumque vt aduertitur pluries infra, præsertim *disc. 36.*, hæres beneficiatus ex dispositione *text. in l. fin. C. de iur. delib.* reputetur omninò diuersus homo, ac potius tanquam administrator hæreditatis, quàm verus hæres, adeoùt, non solùm cesset actionum confusio, sed rectè intrent actio, & passio, etiam ex post facto, vt sit debitor, & creditor, emptor, & venditor, mandans, & mandatarius &c.; Hinc proindè inferebant, quod admissa operatione conclusionis in hypotheca, quæ obtinebatur cum Francisco primo debitore, cuius erat domus, adhùc tamen intacta remaneret altera cum Michaele Angelo secundo debitore; Quemadmodũ etenim creditor habens obligatos duos diuersos debitores, si vni eorum in eius bonis hypothecam remittit, seù verè illa per solutionem extinguatur, indubitatum est, quod si eadem bona acquirantur per alterum debitorem, cadunt sub alia hypotheca, cum ita creditor reputetur duplex, ac diuersus homo pro diuersitate respectuũ, seù debitorum; Ità in præsenti.

Ad primum motiuum, Respondebam ego scribens pro reis conuentis, (atque Rota in vtraque decisione admittit responsionem), vt id rectè procedat, quando actus ità resoluatur, quod etiam resoluantur, vel cessent effectus, qui exindè resultarunt, puta, quia non soluto pretio, seù aliàs, verè in omnibus habeatur, ac si actus nullatenus esset sequutus; Secus autem vbi remissio hypothecæ non proueniat à solo consensu gratuito, ac beneuolo, qui præstetur in solam gratiã emptoris, ac pro eius cautela, iuxta eam consensus speciem, quæ per vocatos ad fideicommissum, vel feudum, seù emphyteusim præstetur, de quo *sub tit. de fideicommiss.*, & *alibi*; Sed hypothecæ remissio, seù verius extinctio resultet ex eo, quod idem creditor, quo instante, vel consentiente alienatio fiat, rei alienatæ pretium obtineat in satisfactionem debiti, quoniã tunc respectu illius rei alienatæ, hypotheca potius dicitur extingui per solutionem, quàm remitti per consensum, vel permissionem iuxta casum, de quo *disc. seq.*

Ac etiam quia, vt *dicto discur. 4.* aduertitur, vigore eiusdem hypothecæ, quæ super aliqua re habeatur, obtineri simultaneè non possunt, *res*, & pretium, atque (vt vulgò dicitur), ex vna filia haberi duo generi, siuè bibere vinum, ac retinere vas plenum, vt aduertitur *apud Mantic. de tacit. lib.11. tit.19. numer.49. & seq. Surd. decis.266. numer.4. cum alijs in vtraque decisione*; Et consequenter, cum creditor iam obtinuerit pretiũ irretractabiliter, ità quo ad eum alienatio omninò perfecta, & consumata remanebat, neque dici poterat, quod causa redijsset ad non causam, cum omnimoda resolutione, seù retractatione.

Quamuis autem ista responsio admissa fuerit, atque in suo casu vera sit; Attamen (reflectendo ad veritatem) illa nõ captiuabat intellectum, ideoque adhùc apud me vigebat difficultas, ex ijs quæ habentur supra *disc.4.*, vt scilicèt id rectè procedat, quando redemptio fiat cum ipsomet creditore conscio, vel etiam eo ignaro, cum tertio emptore, non de pecunia ipsiusmet debitoris, sed de illa tertij ad hunc effectum mutuãtis, vt tunc creditor iam dimissus cũ pretio rei venditæ, aliud contra tertium prætendere suamque priorem hypothecam exercere non possit; Secùs autem vbi redemptio fiat de pecunia propria ipsius debitoris, vt in præsenti supponebatur, quoniam ità cessat dicta ratio habendi eiusdem rei duplicatum pretium, siuè obtinen-

nendi eodē tempore duos generos vnius filiæ; Cum etenim illa pecunia, cum qua redemptio facta est, ipsimet creditori quoque affecta esset, adeoùt, nisi debitor eam in huiusmodi redemptionem erogasset, illa remansisset in eius patrimonio ad cōmodum creditoris, ità pro residuo satisfaciendi; Hinc proindè, ex dicta fictione, per quamdam speciem postliminij intrante, quādo iure redemptionis actus alienationis resoluitur, rectè dici posse videtur, vt creditor satisfactus dicatur, non ex pretio rei alienatæ, sed ex ea pecunia sibi affecta, quā debitor erogauit pro redemptione, ac emptori soluit, perindè, ac si ab initio ita sequutum esset, nullo alienationis actu facto.

Ideoque *text. in d. l. fin.* intelligendus venit, vbi debitor ex nouo titulo ipsam rem denuo acquirat, cum tunc militet
11 supradicta ratio, quod ex ea creditor iam obtinuit pretium, vndè propterea quoad eam hypotheca extincta est; Quamuis enim, vbi noua acquisitio sequeretur ex causa onerosa, & mediante pecunia, vel alia recompensa, eadem ratio, de qua supra intrare videatur, quod scilicèt, pecunia, cum qua dicta noua acquisitio facta est, eidem creditori affecta erat, ideoque in nihilo ipse locupletatus remanet, dum res, quę de nouo acquiritur, ita subrogata videtur loco pecuniæ, vel aliorum bonorum, ex quibus acquisitio facta est, adeoùt merito *Bart. vt supra*, aduertat quod quilibet non viso hoc *text. in dicta l. fin.*, contrarium responderet, cum verè, cessante iure tertij, de cuius pecunia redemptio facta sit, *id nullam* habeat probabilem rationem; Attamen tunc saluari potest cum altero iuris rigore, quod in particularibus non datur subrogatio rei loco pretij, et consequenter quod licèt ea pecunia, cum qua acquisitio facta est, affecta esset creditori, non tamen intret ratio subrogatorum, et sic res exempta remaneat à prima hypotheca, vtpotè dissoluta per solutionem ex eius pretio sequutam, atq; nō cadat sub ea, quæ habebatur super pecunia, cum qua denuò quæsita fuit, ex dicta ratione prohibitæ subrogationis rei loco pretij; Sed vbi bona redeunt ex primæua causa necessaria, atque per resolutionem actus, tunc nō videtur subesse ratio quæ prohibeat.

Alterum motiuum alijs pro hac parte Scribentibus difficilius videbatur, apud me tamen erat planum, ac facile; Illud etenim rectè procederet in suo ca-
12 su, vbi scilicèt diuersum esset debitum hæredis beneficiati à debito defuncti, adeoùt intraret actiuè, & passiuè dicta ratio reduplicationis personarū; Id autem in præsenti cessabat, quoniam obligatio Michaelis Angeli hæredis, erat pro eodem debito, eademque causa per quamdam speciem fideiussionis pro hæreditate, seù verius per quamdam speciem priuationis beneficij inuentarij, ità quoad istos creditores, se faciendo hæredem simplicem, quodque inuentarium vtpotè non benè, ac fideliter confectum, illi non suffragaretur ex causa, de qua supra allegato *disc. 41. de alienat. & contr.*, vndè propterea persona hæredis, ità ad terminos iuris antiqui, ac noui priusquam prodiret nouissimū introductiuum beneficij inuentarij, confusa, siuè identificata erat cū persona defuncti, et consequenter non datur diuersitas debitorum, vel diuersitas debiti.

Vbi verò gratuitus consensus alienationi præstetur, quod scilicèt nō sit correspectiuus receptioni pretij rei alienatæ vtsupra, tunc ille non suffragatur pro
13 debito tunc non præexistente, vel non experibili *Castr. cons. 375. n. 5. lib. 2. Gabr. cons. 72. numer. 5. lib. 1. Pacif. de saluian. inspect. 5. cap. vnic. num. 74. Rot. decis. 217. n. 24. & seq. par. 11. rec. repetit. decis. 3. post Salgad. in labyrint. &c.*

ROMANA

SALVIANI SEV FVNDACI

PRO

DOMINICO FRATACCHIO

CVM

IO. BAPTISTA RICCIANTE.

Casus disputatus coram A.C., resolutus pro Dominico.

De eadem materia secundi creditoris, vel tertij possessoris ius habentis post contractam hypothecam, fauore primi creditoris, quando istum excludat ob remissionem hypothecæ resultantem à consensu præstito alienationi rei hypothecatæ, siuè ab eiusdem alienationis approbatione, et quando hæc sequi dicatur.

Et incidenter, ân, & quando merces de nouo introductæ in taberna, succedant loco antiquarum, atque cadant sub hypotheca, cui illæ subiacebant, ad materiam *text. in l. cum Taberna ff. de pignor.*; Qua occasione generaliter agitur de materia subrogationis, quando scilicet pretium succedat loco rei, seù res loco pretij &c.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *De extremis, seù requisitis saltuiani.*

3 *Non datur exercitium hypothecæ contra tertium in mercibus, & mobilibus.*

4 *Secus vbi agatur de taberna, vel grege, seù alias constituente vniuersitatem.*

5 *De eadem distinctione ad effectum fructuum, seù vsurarum.*

6 *Per consensum præstitum alienationi rei hypothecatæ resultat remissio hypothecæ.*

7 *Sufficit etiam consensus implicitus, seù approbatio.*

8 *Potest præcedere, & subsequi per ratihabitionem.*

9 *Approbatio resultat ex petitione, vel receptione partis pretij.*

10 *Receptio pretij ad vnum effectum non præiudicat ad alium diuersum.*

11 *Habens ius retractus, si recognoscit emptorem, non per hoc sibi præiudicat in retractu.*

12 *Secus vbi est vnicum ius, vel vnicus titulus creditoris.*

13 *An merces emptæ per hæredem, subrogentur loco antiquarum obligatarum.*

14 *De materia subrogationis rei loco pretij, vel econtrà remissiuè.*

15 *Fructus non veniunt sub hypotheca rei, si nati, & percepti sunt, vbi res non est in dominio debitoris.*

16 *Quare non possit in tertio dari subrogatio nouarum mercium loco antiquarum.*

17 *De ratione, ob quam taberna reputatur ius vniuersale.*

18 *Vna taberna confusa cum altera, desinit esse talis.*

19 *De beneficijs, vel feudis accessoriè vnitis, vt amittant priorem statum.*

20 *De eadem impossibilitate, de qua num. 16.*

21 *Si socius vendit socio rem diuisibilem cõmunem, durant hypothecæ.*

22 *Secus si rem indiuiduam, quia iura incorporalia competunt insolidum.*

23 *De eodem, & quare in portione cedentis ius indiuiduum incorporale, non durent hypothecæ.*

24 *De generica tractatione, ân & quando res succedat loco pretij, vel pretium loco rei.*

25 *Distinguuntur inspectiones.*

26 *Res loco rei extantis generaliter succedit, tàm in vniuersalibus, quam in particularibus.*

27 *De ratione, ob quam intrat dicta subrogatio.*

28 *De immediata subrogatione rei loco alterius rei defectæ, quæ amplius non extet; & ex qua noua res producta fit.*

29 *Capitulã semper est idem licet omnes Canonici mutati sint, idemque de Consilio, vel Ciuitate &c.*

30 *An, & quando fœtus, vel fructus cadant sub eadem hypothèca causæ productiuæ.*

31 *Quid de animalibus subrogatis loco aliorum*

rum deficientium, sed aliundè, non autem ex eis.

32 An meliorationes, vel nouæ plantationes, nouaque ædificia cadant sub hypotheca rei principalis deuastatæ, cuius loco noua res constructa sit.

33 De distinctione inter dominum, & creditorem in materia meliorationum, & quale sit ius domini.

34 Quale verò illud creditoris.

35 De conclusione, de qua numer. 13. remissiuè.

36 De distinctione mediatæ, & immediatæ subrogationis rei loco pretij.

37 Distinguitur casus acquisitionis factæ per hæredem cum pecunia hæreditaria, & rei datæ ab ipsomet debitore, atque in vniuersalibus, vbi agitur de secundo casu rei datæ per debitorem indefinitè intrat subrogatio, tàm fauore venientis iure dominij, quàm respectu creditorum.

38 Quid in primo casu, quod acquisitio facta sit ab ipso possessore hæreditatis, vel alterius iuris vniuersalis cum pecunia &c.

39 In dubio non intrat subrogatio, sed res efficitur acquirentis.

40 Fallit vbi accedat destinatio, vel præceptum testatoris.

41 Sed id causat præsumptionem iuris tantùm contraria probatione elidibilem.

42 De hypotheca competente in bonis grauati.

43 In quo differat cõpetere hypothecam, vel dominium.

44 In particularibus magis de plano res non succedit loco pretij.

45 Nisi acquisitio fiat ab vno, nomine alterius, non tamen in feudis, in quibus non admittitur simulatio.

46 De limitatione, in casu subsidij, & quod non sit alias consultum.

47 Quod dominus pecuniæ præferatur creditoribus acquirentis.

48 Reprobatur hæc opinio.

49 Subsidiaria vendicatio, de qua num. 46. intrat solùm contra fouentem causam lucratiuam.

50 Secus vbi agitur de priuilegiatis contra fouentes causam oneroſam, & qui sint.

51 Quid referat ad bona quæsita competere hypothecam, vel rei vendicationem.

52 De materia subsidiariæ vendicationis in priuilegiatis.

53 De priuilegio fisci in bonis postea quæsitis, & de eodem priuilegio dotis.

54 De eadem materia dotalis priuilegij remissiuè.

55 In vniuersalibus pretium succedit loco rei, secus autem in particularibus.

56 In qua vniuersitate id procedat, & quod pretium feudi non sit feudale.

57 Regula negatiua limitatur contra fouentem causam lucratiuam, & quando, & num. 61.

58 An tali casu contra tertium competat actio rei persecutoria.

59 Quod dicitur de fouente causam lucratiuam, procedit etiam contra fouentem causam oneroſam, qui dolo desierit possidere.

60 Idque etiam respectu creditorum habentium solùm actionem personalem, sine hypotheca.

61 Declaratur conclusio, de qua num. 57.

62 Limitatur item regula negatiua, vbi accedat voluntas partium.

63 Item vbi ex natura rei, vel facto Principis, seù Iudicis, exemplificatur.

64 Per Bullam Baronum vincula transferuntur in pretium, quod succedit loco rei.

65 Et tunc in pretio seruandus est idem ordo, qui in ipsa re, ideoq; pretium feudi est feudale.

66 Quod expediat vendi bona debitoris, atque emptorem reddi tutum, transferendo onera in pretium.

67 Minor cautela emptoris minuit de pretio.

68 De priuilegiatis, quorum fauore pretium succedit loco rei.

69 In specie de priuilegio dotis, & de eius ratione.

70 De eadem materia priuilegij dotalis, & quando procedat.

DISC. XXXV.

1 SEquuta decoctione Gregorij Fusti mercatoris fundacarij, eius creditores fundacum cum omnibus mercibus vendiderunt Baldassari Biello, quo etiam defecto, ad instantiam creditorum

torũ ille vẽditus fuit Dominico Fratacchio, qui in eo societatem inijt cum eodem Baldassare, ac tribus alijs, pro aliquibus ratis; *Verùm* ad breue tempus dicta societate dissoluta, ob aliquas controuersias inter ipsos socios ortas, ex laudo Arbitri ad id electi, fundacus remansit soli Dominico & cum obligatione restituendi eorum ratas pretij socijs, & præsertim pro rata Baldassaris, ad instãtiam creditorum per A. C. coactus fuit deponere id, quod remanebat debendũ, citatis omnibus creditoribus, præsertim Io. Baptista Ricciante, qui comparendo in concursu, obtinuit ex dicta pecunia depositata sibi liberari quamdam summam in partem eius crediti; Cumque dictus Dominicus istud negotium confudisset cum alio maiori, quod ipse aliàs iam habebat, ità ex duobus vnum efformando, ad hunc fundacum idem Io. Baptista pro residuali credito à dicto Baldassare assequendo, iudicium in saluiano coram A. C. instituit pro ea quota, seù rata, quã iure societatis vt supra, Baldassar debitor possederat; Atque Scribentes pro actore eius intentionem deplano fundatam dicebant ob benè iustificata omnia *dicti iudicij*, seù *interdicti* extrema, quod scilicèt constaret de credito cum hypotheca, quod est huius interdicti fundamẽtum, atq; principale requisitum, ac etiam de primo extremo, vt iste fundacus pro certa quota, fuerit in bonis debitoris post contractam hypothecam, illeque à reo conuento possideretur, quod est alterum extremum. 2

Neque obstare dicebant defectum probationis identitatis mercium in fundaco existentium, quod scilicet essent eędem extantes de tempore, quo fundacus pro eius quota possessus fuerat per debitorem, quinimò quod ex longo temporis interuallo, attenta natura, seu qualitate mercium, clara probata remaneret negatiua, quoniam id rectè procedere dicebant, quando merces singulariter, ac de per se venditæ fuissent, cum tunc in eis non intret subrogatio; Quinimò ex recepto vsu, fundato in æquitate, seu ratione commercij, neq; ad ipsasmet merces singulariter distractas exercibilis est hypotheca contra tertium bonæ fidei emptorem *ex pluries dedũct. hoc eod. tit.* 3

Secus autem, vbi agatur de vniuersitate fundaci, seu tabernæ, quoniam tunc attenditur ipsum corpus vniuersale, quod semper est vnum, & idem, neque per variationem mercium variatur, sed rectè intrat subrogatio nouarum loco antiquarum, iuxta terminos *text. in l. cum taberna, ff. de pign. cum concord. apud Gratian. discep. 897. num. 16. cum seq. Merlin. de pign. lib. 2. tit. 1. quæst. 44. Rot. apud Millin. decis. 224. nu. 8. & 9. Caualer. dec. 259. num. 3.* cum alijs, de quibus infra; Et de eadem distinctione inter merces iure singulari, et ipsum mercimoninm, seu tabernam iure vniuersali, habetur *sub tit. de vsur. disc. 15. & 16.*, ac in decisionibus in ea causa editis. 4 5

Scribens ego pro Dominico reo conuento (etiam cum sensu veritatis) improbabilem dicebam actoris prætensionem, ideòque locum esse rei conuenti absolutoriæ ex duplici fundamento; Primò scilicet ex illo remissionis hypothecæ resultantis ab ipsius actoris consensu præstito alienationi rei debitoris, vel ab eius subsequuta approbatione, vnde propterea, vbi etiam certa esset identitas eiusdẽ fundaci, dicta actio nõ cõpeteret; Et secũdò ob cessãtẽ identitatẽ, vel subrogationem nouarum mercium loco antiquarum subrogatarũ, atq; iudex primo motiuo acquiescẽs absolutoriã dedit.

Quatenus pertinet ad primum, dicebam quod per plura iura literalia relata *per Merlin. de pign. lib. 4. quæst. 109. seu 110. num. 1. & seq. & nu. 56. & seq. Rotam decis. 114. num. 7. & decis. 232. nu. 17. par. 10. rec. cum alijs*, de quibus *disc. præced.*, extra quæstionem statutum est, vt per consensum præstitum à creditore alienationi rei hypothecatæ, resultet hypothecæ remissio; Idque non negabatur per Scribentes in contrarium vtpotè incontrouertibile, dicebatur tamen, quod consensus debet esse expressus, ac specificus, quod in facto non verificabatur. 6

Verìùs tamen est, id præcisè non requiri, cum certa forma desuper statuta non sit, sed sufficiat, non solùm consensus expressus, verùm etiam tacitus, seu virtualis, redolens permissionem, vel approbationem, dum *text. in l. creditor 119. ff. de remiss. pign.* solam permissionem ponderat, et *text. in l. si eo tempore 6. C eodem tit.* contentatur sola præsentia & non oppositione, si proclamata præce- 7

dant, ac *text. in l. Titius Sempronius 9. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solu.*, clarè supponit, vt consensus tacitus, vel implicitus sufficiat, et de restitutione chirographi disponit *text. in l. creditricem, C. de remiss. pign. cum concord.*

Iste autem consensus, tam expressus, quàm implicitus, seu virtualis potest præcedere, ac subsequi, etiam per ratihabitionem, dum hæc habet vim mandati,
8 eique æquipollet, etiam vbi illud speciale requiratur *ex deduct. apud Greg. & addend. decis. 525. Otthob. decis. 116. num. 21. add. ad Buratt. decis. 801. & communiter.*

Dictaque approbatio, clarè resultabat ex ea circumstantia, quod creditor sciens venditionem rei sibi hypothecatæ, ac pretij depositum, comparuit coram iudice, atque obtinuit partem dicti pretij sibi liberari; Id enim perneces-
9 sè redolet approbationem venditionis, cum sine ista pretium recipi non possit, ex generaliter *collectis per Salgad. in labyr. par. 2. cap. 9. num. 50.*; Et in terminis specialibus, vt sola appositio sequestri facta super pretio, vel eius parte ad instantiam creditoris, huiu smodi approbationem causet, firmatur *per Rot. apud Buratt. decis. 301. num. 1. & seq. & dec. 447. num. 2.*; Neque tam in ista causa, quàm in plerisque alijs, quas occasio dedit disputare, scribentes in contrarium deducebant leges, vel auctoritates, quæ diuersimodè disponant, vel probent.

Quamuis enim in vna alia *Eugubina associationis* pro Ioanne Piccino, disputata in eodem Tribunali, Scribentes pro creditore dicerent, quod cum receptio facta esset iure creditoris, et in causam debiti in parte, non deberet præiudicare in reliqua parte, ex eo quod actus
10 gestus ad vnum effectum, illum egredi non debeat, in id deducendo *decis. 657. Caualer. num. 3. & alias collect. per Ciroch. discep. 29. nu. 53.*; Attamen id extraneum est à quæstione; Procedit enim, vbi agatur de diuersis iuribus ex diuersa causa competentibus, in quibus vnus, & idem consideretur tãquã duplex, vel multiplex persona; Puta, in casu, de quo agitur *dicta decis. Caualer.*, si quis sit creditor, ac etiam vicinus, vel consors, cui competat ius congrui, seu retractus, atque tanquam creditor recipiat, vel petat pretium in toto, vel in parte, sibi non præiudicat in iure retrahendi competente ratione vicinitatis, vel consortij, aut alio iure, ex ea ratione, quod in hoc consideratur diuersus homo habens diuersum ius ex
11 diuersa causa proueniens, ideoque renunciatio vnius non comprehendit alterum; Vt etiam habetur *apud Millin. decis. 446. cum alijs sub tit. de seruit. ad materiam retractus pluries*, quod si inquilinus recognoscit in dominum nouum emptorem tam verbis, quàm factis soluendo pensiones, sibi non præiudicat in iure retractus, ratione etiam compatibilitatis, cum interim emptor, quamuis retractui subiectus, dicatur verus, ac perfectus dominus, ad omnes effectus, atque vicinus, vel inquilinus, habens à lege, vel consuetudine aliquem terminũ ad suum ius exercendum, potest, illius beneficio vtendo, interim esse indeterminatus; Vel vt maturius cogitet, an expediat; Vel vt pecuniam ad id necessariam, commodè paret, vt pluries aduertitur *dicto tit. de seruit.* præsertim *disc. 75.*

Secùs autem, vbi agitur de vno, eodemque actu indiuiduo, circa quem creditor vnicam *istius* personam gerat, cum
12 tunc, petendo, vel recipiendo pretium, perneces sè approbet actum alienationis, sine quo dari non potest pretium, neque illud recipi; Vnde propterea dicebam, quod, si ipse creditor sit parum cautus, patiendo reliquum pretium liberari posterioribus, vel petendo, ac recipiendo partem pretij, cuius reliqua pars ipsi debitori iam soluta fuisset, sibi imputet, dum ius suum poterat esse saluum, ac exercibile super tota re.

Quo verò ad alterum punctum subrogationis nouarum mercium in locum antiquarum, iuxta terminos *text. in dicta l. cum taberna, ff. de pign.*; Non negabam veritatem conclusionis, vbi talis subrogatio sequatur ab eodem debitore; Vbi
13 verò id fiat per hæredem debitoris, tunc est in quæstione ex relatis pro vtraq; opinione *per Merlin de pign. l. 2. tit. 1. quæst. 45. n. 64 & seq.*, quod tamẽ non fuit opus assumere, dum non versabamur in casu, istoque casu opinio affirmatiua non videtur à probabilitate aliena; Tum quia hæres dicitur vna, eademque persona cum defuncto, cuius personam in vniuerso iure actiuo, & passiuo repræsentat; Tum etiam, quia intrat ratio causæ vniuer-

uersalis, ob quam dici potest, vt pretium succedat loco rei, vel res loco pretij, iux-
14 ta ea, quæ, plures casus distinguendo, ad hanc materiam rei succedentis loco pretij, vel è contrà, habentur deducta generaliter proximè infra.

Id autem nullatenus verificabile est in tertio possessore titulo particulari translatiuo dominij, penès quẽ fiat subrogatio, quamuis agatur de illa subrogatione magis proxima, & immediata, quæ resultat in grege, vel armento, ex fœtibus scilicet eorumdem animalium, quoniam fructus, eatenus cadunt sub eadem hypotheca rei, seu causæ productiuæ, quatenus nascantur, vel saltim concipiantur de tempore, quo ipsa res, seu causa productiua erat in dominio debitoris, secùs autem postquam ex illo exiuit, iuxta *text. expressos in l. 1. §. 1. & l. Paulus, ff. de pign., l. potior, §. de futura, ff. qui potior. in pign.* habeantur cum concordantibus alibi *suprà & sub tit. de Emphyt. disc. 44.*
15

Multò igitur magis, in ista mediata, magisque remota subrogatione, non solùm ex dicta ratione, quod actus sequatur postquam res desijt esse de dominio debitoris, et ex altera, quod in particularibus non datur hæc subrogatio, nisi
16 vbi vtrumque extremum subsidij, & causæ lucratiuæ in possessore concurrat ex deductis proximè infra; Sed fortiùs ob impossibilem probationem identitatis, vt aduertitur præsertim *per Gait. de cred. cap. 4. quæs. 5. num. 199.*; Siquidem tertius possessor titulo singulari tanquam dominus, quando in dies minutatim vendit merces, et recipit pretium, illud cum reliquo patrimonio commiscet, seu confundit, et consequenter quando nouas merces emit, emere dicitur cum pecunia propria, quæ cum eius reliquo patrimonio confusa erat, adeò vt impossibile videatur probare identitatem illiusmet pecuniæ, quæ ab illis mercibus retracta est, potissimè verò, vbi id sequatur in statu bonæ fidei; Adinstar eorum, quæ habemus circa auocationem pecuniæ posteriori solutæ, ac bona fide cum reliquo patrimonio commixtæ, seu confusæ, idcòque meritò hæc subrogatio denegatur *per Rotam decis. 4. post Rodriq. de conc. cred. num. 11.*, quamuis non multùm feliciter motiuum explicetur.

Procedere dicebam hæc, *etiam vbi* versaremur *in terminis continuationis* eiusdem *fundaci*, seu tabernæ constituentis vniuersitatem stantem de per se, eodem modo, quo penès debitorem, quoniam tunc hypotheca continuare dicitur, tàm in instrumentis ipsius tabernæ, quæ sunt eadem, quàm etiam
17 *in* eo iure intellectuali, quod vulgo *auiamentum* dicitur, cuius ratione receptum habemus, vt huiusmodi vniuersitates mercimoniorum, reputentur bona fructifera, in contractum locationis, & conductionis deducibilia, et consequenter, quod in pretio verificentur termini *text. in l. curabit C. de act. empt.*, ex ijs, quæ distinguendo merces singulares ab huiusmodi corporibus vniuersalibus habentur *sub tit. de vsur. dicto discur. 15. & 16.*

Verùm in hac facti specie, versabamur *in terminis clarioribus*, ex duplici circumstantia; Primò scilicèt quod non continuabat eadem identifica vniuersitas, quam emptor possideret tanquã subintrans in locum eius auctoris, dum idem emptor erat possessor alterius negotij maioris, atque cum eo istud con-
18 fuderat, vndè propterea, hæc vniuersitas in cõtractum deducta, omninò euanuerat, atque suppressa erat, ad instar riuuli intrantis in flumen, vel fluminis intrantis in mare; Vt habemus frequens in materia beneficiali, quod beneficium aliàs de per se constituens corpus, vel vniuersitatem, si accessoriè alteri vniatur, amittit eius nomen, & essentiam, atq; efficitur nudum prædium, seu mem-
19 brum illius corporis, cui vnitum est ex deductis *sub tit. de Benef. disc. 44.*, ac etiã *sub tit. de Præem. disc. 7.*; Atque adinstar, habetur etiã in feudis ex deductis in sua materia *sub tit. de Feud. disc. 7.*; Et de via publica intrante in plateam, quod desinat esse via, & efficiatur platea, habetur *sub tit. de Regal. disc. 135.*; Et in his præcisis terminis vnius fundaci confusi cum altero maiori habetur *sub tit. de fideicom. disc. 99.*, vt etiam in præcedentibus insinuatur.

Et consequenter, ità impossibile erat verificare identitatem ad effectũ subrogationis, cum incertum esset, àn merces
20 de præsenti in taberna extantes, essent emptæ, potius ex pretio antiquarũ mer-

cium propriatum, quàm aliarum emptarum; Ac etiam quia huiusmodi mercatores, alia quoque negotia solent explicare, etiam cambiorum per litteras; Siuè non habentes promptam pecuniam prouenientem ex ipsis mercibus venditis (cum frequentius, ac pro maiori parte vendi soleāt pecunia credita), accipiunt pecunias ad cambium, siuè alijs eorum effectibus vtuntur pro opportunis emptionibus nouarum mercium in nundinis, ac emporijs, vel portubus, ideoque impossibilis est iustificatio identitatis, quamuis de iure intraret subrogatio.

Item obseruabam, quod iste emptor erat iam condominus eiusdem fundaci cum Baldassare debitore, alijsque socijs vt supra, ex quorum cessione, ipse remanserat solus dominus, cum obligatione restituendi pretium, seù portionem valoris
21 consocijs; Vbi enim ageretur de re corporali, recipiente diuisionem, ac distinguibili materialiter, per quotas, vel partes, vt sunt domus, prædia, & alia huiusmodi, tunc si socius emat à consocio eius portionem, reputatur potius tanquā tertius, ac extraneus emptor, illaque portio, vtpotè diuisibilis, seù distinguibilis, retinet priores hypothecas, exercibiles etiam contra tertiū, quoniam licèt possidens rem pro communi cum altero, dicatur eam possidere totam, ac insolidū, nihilominus id intelligitur pro eius portione, habitualiter diuisibili, ideoque lex, iure cuiusdā retrotractionis, fingere potest, quod ex tunc, & ab initio portiones essent diuersæ.

Id autem verificabile non videtur in huiusmodi iuribus mercimoniorū, quoniam ipsius iuris vniuersalitas non consistit in ipsis mercibus materialibus, sed in ipso iure incorporali, seù intellectuali ex deductis *dicto disc.* 15. & 16. *sub tit. de vsur.*; Huiusmodi verò iura incorpo-
22 ralia, seù intellectualia dicuntur indiuidua, quæ residenr penès quemlibet insolidum, adeoùt, alijs negligentibus suum ius exercere, illud in vno tantùm sit considerabile, ex ijs quæ in terminis iurispatronatus, vel iuris conferendi, aut alterius iuris capitularis, vel collegialis, siuè feudi indiuidui habentur *sub tit. de feud. discur.* 8., & *sub tit. de benef. discur.* 23., & frequentius *sub tit. de Iurepatron.* præsertim *disc.* 61.; Vnde propterea resultat, quod licèt iurispatronatus translatio fieri non possit de vno in alterum sine consensu Ordinarij, rectè tamen fieri potest in compatronum, quoniam non est alienare ius suum, illudque in alterum transferre, qui ex iure alienantis, illud de nouo acquirere dicatur, sed solum ille qui alienat, dicitur tollere se de medio; Atque hinc sequitur, quod ille, cui fit alienatio, ex beneficio iuris non decrescendi, tanquam per remotionem obstaculi, obtinet totū iure suo, vt latiùs *dicto disc.* 8. *de feud.*, vbi de pluribus similibus.

Et hinc sequitur quod pretium
23 solutum per socium consocio dicatur præmium illius voluntarij recessus à participatione iuris indiuidui communis, & nè alter, qui insolidum dominus remanet, locupletetur de alieno, non autem vt durare dicatur idem ius eius qui se substulit de medio, cum verè alienatio isto casu, non importet formalem translationem sui iuris in alterum, sed potiùs negationē sui ipsius, & sic magis renunciationem extinctiuam, vel abstentiuam, quam translatiuam, iuxtà distinctiones, de quibus *sub tit. de renunc.*; Hæc autē ad superabundantiam deducebantur, dum aderant dicta alia motiua magis plana; Adeoùt licèt istud motiuum in puncto iuris probabile quoque esset, attamen quia non dabatur doctrina specialis, quæ id diceret, atq; quamdā specie metaphysicę cōtinere videretur (Deus scit) àn vbi esset solùm, ac de per se consideratum, inuenisset Iudicem hospitem, qui illud recepisset.

In proposito autem subrogationis pretij loco rei, vel rei loco pretij, seù rei pro re, cum nimis frequenter de illa agere occasio dederit, tàm ratione hypothecæ, vel alterius iuris creditorum, & in istorum concursu, quàm etiam ratione do-
24 minij, ac vendicationis, vt præsertim contingit in materia fideicommissaria, inter successorem fideicommissi, & hæredes, vel creditores hæredis grauati; Hinc proindè citrà euagationis notam (cui publica vtilitas præualere debet), annectere non inopportunum visum est aliquas annotationes generales, ex quibus, licèt prò omnibus casibus certa determinatio vniformis dari non valeat, cum reuerà sit ista quæstio facti potiùs, quàm iuris, ex singulorum

lorum casuum particulari qualitate decidenda, adeoùt tota vis consistere videatur in diuersæ theoricæ respectiuè veræ congrua applicationes ad casum, adhùc tamen pro eadem applicatione aliqua norma desumi potest, et de ista quæstione in proposito rerum comparatarum ex pecunia furtiua habetur supra *disc.* 24.

Tres igitur inspectiones in hoc proposito efformandæ veniunt; Primò scilicèt circa subrogationem vnius rei loco
25 alterius; Secundò circa subrogationem rei loco pretij; Et tertiò circa subrogationem *pretij loco rei*.

Prima inspectio subdistinguitur in plures species; *Primò* scilicèt vbi subrogatio est immediata, & coæqualis, seù contemporanea, puta quia vna res cum altera adhùc extante permutetur; Secundò vbi sit etiam immediata, sed consequutiua, vel suppletiua ipsius rei defectæ, ac amplius non extantis, qualis est ea subrogatio, quæ in grege fiat nouorũ capitum in locum senescentium, vel deficientium, ex eorumdem fœtibus; Et tertiò vbi sit mediata, quia nempè ex pretio antiquarum rerum aliæ nouæ comparentur, ac subrogentur, qualis est ea, quæ fit in mercibus in taberna existentibus, quod scilicèt venduntur merces vtpotè non conseruabiles, & ex pecunia exindè retracta aliæ emuntur vtsupra, istaque mediata subrogatio intrat etiam in stabilibus, & alijs bonis, quod istis venditis ex eorum pretio alia emantur, cum alijs exemplis, de quibus infra.

In prima igitur specie subrogationis immediatæ, & coæqualis rei loco alterius rei adhùc extantis, adeoùt vtraque res existat, indefinitè intrat subrogatio, siuè
26 agatur de vniuersalibus, siuè de particularibus *ad text. in l. si donatæ § fin. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. filiæ § fin. ff. de cond. & demonstr. cum concord. per Peregr. de fideicom. art. 44. num. 30. Menoch. cons. 213. num 15. & seq. Giurb. dec. 111. nu. 24. & seq. Rota apud Buratt. dec. 686. num. 8.*

Idque verum, non solùm ex dictorum iurium clara dispositione, ac Scribentiũ concordi sensu, sed etiam ex viua, & con-
27 uincenti ratione circuitus, quoniam vbi extat res, in qua tertius, dominium, vel hypothecam habeat, illa iure vindicationis, vel hypothecariæ euinci potest à possessore, cui sequuta euictione, datur regressus ad rem propriam permutatam, vbi potissimum sit pœnes ipsum debitorem, vel alterius primæ rei permutatæ possessorem, vndè non intret difficultas, de qua *in Albanen. sub tit. de Empt. & Vend. disc.* 20.

In secunda verò specie subrogationis rei loco alterius rei, quæ sit etiam immediata, sed consequutiua, vel suppletiua
28 antiquæ rei affectæ, quæ defecerit, ac amplius non extet, vndè propterea non intret ratio circuitus, de qua supra, puta in nouis capitibus animalium subrogatis in locum senescentium, vel defectorum, ex eorumdem fœtibus, iuxta terminos *text. in l. grege ff. de pignor.* cũ concordan. de quibus in his terminis gregis subrogationis respectiuè, cæteris relatis habetur *dicta decis. 125. & 126. post Pacif. de Salu.*, quarum secunda est eadem *apud Millin. decis. 224.*, et tunc intrat suprà dicta distinctio ad materiam *text. in dicta l. grege, & in l. cum taberna* inter causam vniuersalem, & particularem; Vbi enim agitur de corpore vniuersali, puta grege, vel armento, in quo dicta immediata subrogatio fit practicabilis, tunc rectè intrat subrogatio, cum corpus dicatur semper vnũ, & idem; Ad mitar eorum, quæ habemus de Capitulo, & Collegio, vel Consilio &c., quod semper dici-
29 tur idem, quamuis tractu temporis omnes Canonici, vel Collegiales, seù Consiliarij mutati sint, cum similibus.

Aut verò non agitur de vniuersitate, sed de rebus particularibus, quamuis fœtum producentibus, vndè eadem subrogatio sequi possit, vt sunt equæ, & vaccæ, ac alia animalia, non tamen vniuersitatem constituentia, et tunc, respectu præsertim hypothecæ, cui fauore credi-
30 torum ipsa antiqua animalia affecta erant, intrat pluries enunciata distinctio, àn fœtus conceptus esset de tempore, quo animal erat in dominio debitoris, vel potius postquam ab illo exierat, ac transierat in tertium bonæ fidei possessorem iuxta text. litterales, de quibus *supra num. 15.*, & in alijs pluries *hoc eod. tit.*, istoq; casu nõ intrant termini subrogationis, sed potius illi affectionis, vel non affectionis.

In tertia verò specie subrogationis

mediatæ, puta, quia *in armento* bouum, vel equorum deseruientium pro instrumento fundi, istius possessor animalia
31 senescentia permutet cum iunioribus, siuè in locum deficientium alia subroget, iuxta eam subrogãdi obligationem, quæ vsufructuario, vel fideicommissario, siuè marito, vel beneficiato incumbit in huiusmodi animalibus non relinquentibus post se speciem, sed exigentibus subrogationem aliundè ratione conseruationis instrumentorum fundi iuxtà distinctionem, de qua præsertim *sub tit. de seruit. ad mater. vsus fr. disc.* 54.

Et tunc vbi subrogatio est necessaria, atque à lege demandata, cum obligatione aliàs ad totùm id, quod interest eam non esse factam, & isto etiam casu intrare videtur subrogatio, tàm respectu dominij, quàm respectu hypothecæ, non curata distinctione, de qua supra, àn id fiat à debitore, vel respectiuè ab hærede, seù à tertio, cũ tunc in effectu non sit augere, vel meliorare, sed conseruare ipsam rem in consueto statu, atque regulando voluntatem à potestate, necessitati potiùs, quàm voluntati actus referendus est, ideoque intelligenda venit voluntas subrogandi tanquam per speciem iuris vniuersalis, vniuersitatis scilicèt ipsius fundi, vel negotij, cuius hæc instrumenta sint, et consequenter intrant ea, quæ habemus de subrogatione in vniuersalibus.

Secùs autem vbi tertius hanc obligationem non habeat, adeoùt, si in statu bonæ fidei, animalia, vel alia huiusmodi distraxisset, vel dissipasset, contra eum
32 aliqua actio non competeret, quoniam tunc intrare videntur ea, quæ habemus in materia melioramentorum *discur.* 24. *& in alijs locis ibidem insinuatis*, quod scilicèt, Aut agitur de separabilibus, Aut de inseparabilibus; Primò enim casu subrogatio non intrat, cum bona per tertium quæsita tanquam sua, ac animo quærendi sibi, & non alteri, sua sint, eoque inuito ad alterum spectare non possint; Ac etiam quia respectu creditorum esset obtinere satisfactionem de bonis alterius, quàm debitoris; Aut verò agitur de inseparabilibus, vt *(e. g.)* sunt noua ædificia constructa loco antiquorum dirutorũ iuxta casum, de quo *dicto discur.* 24.; Siuè sunt nouæ plantationes vitium, vel arborum, cum similibus; Et tunc intrat distinctio inter vẽdicantem
33 fundum iure dominij, et creditorem venientem iure hypothecæ; Primo enim casu huiusmodi melioramenta inseparabilia tanquam accessoria, & solo cedentia, veniunt cum ipsa re, atque efficiuntur de eodem dominio *ipsius veri domini*, qui solùm ex æquitate de vtili in rem verso, impeditiua locupletationis de alieno, tenetur melioranti reficere id, quod sua interest melioramenta facta esse, ac penès eum existere, vbi sit minus melioratũ, quàm impensum, secùs autem è conuersò ex deductis in sua materia *sub tit. de detraction. disc.* 35., ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 27. *& alibi*.

In altero autem casu, in quo agatur de creditore veniente iure hypothecæ, intrant ea, quæ habentur *dicto disc.* 24., vt
34 in huiusmodi melioramentis, vel additionibus, siuè pristini status restitutione non intret subrogatio tertio prçiudicialis, sed potior sit cõditio ipsius tertij meliorantis; Idquè non solùm ratione potioritatis iuxta terminos *text. in l. interdum ff. qui pot. in pign.*, sed clariùs ex defectu hypothecæ, sub qua cadere non possunt ea, quæ nunquam fuerunt in dominio, & possessione debitoris.

In tertia verò specie subrogationis magis mediatæ iuxtà casum præsentis
35 discursus, quod scilicèt ex pretio antiquarum mercium distractarum nouæ merces emantur, tunc intrant distinctiones, de quibus supra ad materiam *textus in l. cum taberna cum concordan.*

Quo verò ad secundam speciem rei succedentis loco pretij; Illa pariter subdistinguenda est in successionem mediatã, & immediatam; Immediata enim est vbi
36 ex pecunia alicuius, ipsa *res* acquiritur; Mediata verò, vbi ad aliquem pertineant bona, vel merces, quæ per alium vendantur pretio recepto in pecunia, cum quadeindè alia res ematur.

In prima specie acquisitionis proximæ, seù immediatæ, intrat distinctio inter causam vniuersalem, & particularem; Vbi enim agitur de causa vniuersali, puta hæreditate, in qua frequentius de hoc
37 agi solet, quia scilicèt de pecunia in hæreditate reperta, siuè per debitores hæreditarios debita, hæres directus, vel

fidei-

fideicommissarius bona acquirat, etc. pariter intrat distinctio inter dictos casus pecuniæ repertæ in hæreditate, siue à debitoribus hæreditarijs exactæ per hæredem, qui deindè illam inuestiat titulo nouæ emptionis, seù acquisitionis ab eo factæ, et casum, in quo ipsi debitores hæreditarij pro pecunia hæreditati debita, rem in solutum darent.

In secundo etenim casu, compertum est, rem succedere loco pretij, atque effici hæreditariam, tàm respectu venientiũ iure dominij, vt in hæreditate sunt successores iure fideicommissi, & in feudo (quod vniuersitas etiã dicitur) sunt successores vocati ab inuestitura pacti & prouidentiæ, quàm etiam respectu creditorum, quibus ipsa nomina debitorum hypothecata erant *ad text. in l Imperator §. fin. & l. sequen. ff. de leg. secundo cum concordan. per Menoch. dicto cons. 213. nu. 29. Gait. de cred. cap. 4. quæst. 11. numer. 1449. Surd. decis. 15. nu. 19. & 20. Fusar. de substit. quæst. 627. in fine, & communiter.*

In primo autem casu, in quo hæreditatis, vel alterius iuris vniuersalis possessor, acquisitiones faciat ex pecunia in hæreditate reperta, seù ex nominibus de-
38 bitorum exacta, quæstio videtur potiùs facti, & voluntatis, quàm iuris, quo scilicèt animo, hæres, vel feudatarius &c. acquisitionem facere voluerit, àn pro se ipso nomine priuato, vel potius pro hæreditate, seù maioratu, vel feudo per ipsum possesso, & administrato; Vbi enim de hac voluntate expressè cõstat, quia nempè ità acquirendo declarauerit cessat omnis quæstio ex vulgari regula *text. in l. ille, aut ille ff de leg. tertio*, quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta, ideoq; si dicat emere pro hæreditate, vel maioratu, seù feudo, res emptæ illi acquirũtur, ac locus est subrogationi, secùs autem è conuerso, si dicat acquirere pro se ipso, priuato, ac proprio nomine, quoniã sibi acquirens rem ex pecunia aliena, eius dominus efficitur, obligatus autem restituere pecuniam eius domino ex deductis apud allegatos præsertim *Surd. dicta decis. 15. Fusar. dicta quæst. 627. Rot. apud Buratt. decis. 650.*, & in alijs, de quibus pluries *sub tit. de fideic.* præsertim *disc. 177.*

Quare intrant solùm quæstiones in ambiguo, & quando huiusmodi voluntas incerta sit, vndè propterea ex iuris dispositione, vel præsumptione illam deducere oporteat; Et tunc variæ sunt Scribentium opiniones, de quibus apud allegat. & alios infra; Magis tamen com-
39 muniter, ac pro regula receptum videtur, vt non intret subrogatio, sed bona acquirãtur ipsi hæredi, vel possessori simpliciter acquisitionem facienti ex regula *text. in l. 1. & 2. C. si quis alter. vel sibi cum concord. de quibus, vltra allegatos, Rot. apud Duran. decis. 63. & decis. 308. par. 11. rec.*, quæ circumferri solet tanquam magistralis, tàm circa regulam, quàm circa proximè insinuandam limitationem, dictaque decisio prodijt in quæstione, de qua *dicto disc. 177. sub tit. de fideic.*

Limitari tamen solet hæc regula, vbi accedat præceptum testatoris, vt pecunia in acquisitiones bonorum erogari
40 deberet, vel quod ea ad id iam destinata sit, tunc enim quamuis hæres, vel possessor dicat acquirere pro se, suisque hæredibus, & successoribus, adhùc tamen ad excludendum delictum censetur actũ in exequutionem præcepti, seù destinationis, illudque verbum *hæredibus*, & *successoribus* intelligitur proùt de iure de illis sanguinis, seù aliàs vocatis, vel etiam de proprijs, & extraneis, quatenus fieret casus caducationi ex deductis *eadem dec. 308. par. 11. rec. cum alijs dicto disc. 177. de fideic.*, ac latè exornat *Salgad. in labyr. par. 2. cap. 24.*, quidquid in contrarium dicant *Menoch. dicto cons. 213. & alij apud eum.*

Benè verùm, quod, vt aduertitur *eodem disc. 177. de fideic.*, ista non est præsum-
41 ptio necessaria, quæ dici valeat iuris, & de iure, vndè propterea non admittat probationem in contrarium, sed est præsumptio iuris tantùm elidibilis, tàm per contrariam probationem expressam, quã etiam per fortiores præsumptiones.

Adhùc tamen quoad ius vocati ad fideicommissum, siuè maioratum, vel feudum, isto præcepto, vel destinatione accedente, effectus videtur idem, vel quasi;
42 Non quidem ratione dominij, sed ratione hypothecæ legalis, quæ vel iuxta vnam opinionem generaliter, ac indefinitè, vel iuxtà alteram (quam hucusque tenet Rota & Curia) competit in casu

doli

doli præsumpti ex sola scientia resultante ex deductis *disc. sequen.*, quoniam eo ipso quod pecunia destinata est inuestimento bonorum ad commodum hæreditatis, vel fideicommissi, seù feudi, culposè agit hæres, vel possessor, illam erogando in diuersos vsus, vnde est species alienationis ex regula, de qua *sub tit. de alien. & contract. disc. 1. & in alijs*, vt pecunia destinata in emptionem stabiliũ, istorum loco censeatur; Non tamen hic
43 effectus esset ità proficuus, vt est alter acquisitionis iure dominij ob hypothecas anteriores, vel etiam posteriorem dotalem, à quibus hæc hypotheca legalis vincitur, quod nõ est in dominio omnes hypothecas vincente.

Posito autem, quod etiam in vniuersalibus, regula sit, vt res non succedat loco pretij, magis de plano illa procedit in
44 particularibus ad communiter notata *in l. 1. C. si quis alteri, vel sibi*, & communiter firmant superius allegati præsertim *Menoch. cons. 213. num. 54. & seq. Buratt. dicta decis. 784. num. 3. & alij*; Nisi constet de diuersa veritate acquirendi pro alio, quoniam emptum ab altero nomine meo, mihi acquiritur *ad text. in l. 1. C. per*
45 *quas pers. nob. acq.*, *& l. si vt proponis C. de rei vind.*; Quinimò etiam si acquisitio appareat nomine acquirentis, sufficit, quod aliundè expressè, vel adminiculatiuè constet, quod eius nomen simulatè appositum sit, quia voluntas fuerit acquirendi domino pecuniæ *ad text. in l. 1. & tot. tit. C. plus valer. quod agit. & c. cum concordan. per Caualer. decis. 221. & 243. Buratt. decis. 733. & passim*, cum sit conclusio certa in bonis allodialibus, seù indifferentibus; Difficultas verò cadat in feudis, vel officijs, ac similibus iuribus Regalibus, in quibus non intrat dictus titulus *plus valere quod agitur &c.*, sed ille dicitur feudatarius, vel officialis, sub cuius nomine in libris Principis, vel Reipublicæ cantat officium, vel feudum, quamuis de aliena pecunia, & cum expressa voluntate, vt domino pecuniæ acquiratur, ex his, quæ habentur pluries *sub tit. de feud., & sub altero de Regal.*

Dicta igitur regula negatiua, ità constituta, Scribentes nimium se inuoluere videntur super eius limitatione in casu subsidij, quãdo scilicèt domino pecuniæ, seù etiam rei, ex qua pecunia obuenit, non remanet aliàs consultum iuxta theo-
46 ricam *Castren. in l. sed si lege* §. 1. *nu. 3. ff. de petit. hæred. in lectura Auenionense*, quam alij sequuntur relati *apud Buratt. decis. 784. num. 10.* & clariùs *decis. 874. num. 2. cum seq., & Duran. decis. 63. nu. 3.*, in quibus decisionibus agitur de acquisitione mediata obueniente, vt supra dictum est, ex pretio alterius rei, multò magis, vbi agitur de immediata.

In isto enim casu subsidij *Gait. de cred. dict. quæsit. 11. num. 1476. & seq.*, credit quod dominus pecuniæ præfe-
47 ratur creditoribus anterioribus ipsius acquirentis cum ea nomine proprio; Verùm hæc assertio *Gaiti* erronea est, vbi præsertim non agatur de personis priuilegiatis, vt infra præsertim de pecunia dotali, quoniam si damus acquisitio-
48 nem dominij in ipso acquirente, non intrat vindicatio ratione dominij in domino pecuniæ non extantis, sed solùm intrant termini crediti, & debiti, quibus positis, de consequenti intrat concursus cum regula *qui prior &c.*, vnde meritò reprobatur in specie *apud Merlin. de pignor. lib. 3. tit. 1. quæst. 32. numer. 13. & seqq.*

Ideoquè, vt cæteris relatis aduertitur *in dictis decis. Buratti* præsertim 874., *& per Merlin. lib. 2. contr. 67., ac alijs de quibus infra*, verius est, vtilem rei vindicationem subsidiariam, solùm operatiuã esse contra tertium fouentem causam lu-
49 cratiuam, contra quem de stricto iure domino pecuniæ, tanquã habenti solam actionem personalem, nulla competit actio directa; Non quidem personalis, quæ tanquam filia obligationis absque ista non datur; Minusque realis, vel rei persequutoria, quæ pariter requirit, vel dominium, vel hypothecam; Ideoque ex æquitate *text. in l. si me & Titium ff. si cert. petat*, ità fingit quamdam subrogationem, cuius ratione vtilis rei vindicatio cõcedatur, eodem modo, quo ex eadẽ æquitate datur illi, cum cuius pecuniã à tertio alienum debitum dissolutũ est, actio contra debitorem liberatum iuxta casum, de quo infra *disc. 72. & seq.*; Et consequenter id est solùm verificabile contra fouentẽ causam lucratiuam, cõtra quem intrat dicta ratio æquitatis prohibẽtis locupletationem cũ aliena iactura; Siuè contra fouentem onerosam versan-

tem

tem in dolo, cum isto annullante actum, ipse habendus veniat pro non possessore, idque de plano procedit in priuatis, seù non priuilegiatis sub aliena legali administratione non viuentibus.

Difficultas verò est in priuilegiatis sub legali administratione viuentibus, vt sunt pupilli, minores, amentes, & similes, Ecclesia, & Loca pia, mulier vxorata sub administratione viri in dotalibus, ac etiam hæreditas fideicommissaria, vel etiam non fideicommissaria cum beneficio inuentarij, in qua hæres iure administratoris censendus venit ex deductis *disc. seq.*; His etenim casibus nimiũ Scribentes se inuoluere videntur, àn scilicèt, positis duobus requisitis subsidij, quod res propria non extet, neque possit esse aliàs consultum in bonis administratoris, pro huiusmodi subrogatione, requiratur etiam dictum tertium requisitum, quod agatur cum fouente causam lucratiuã, seù cõtra dolosũ, vel potiùs indefinitè intret subrogatio contra tertium, quamuis bonæ fidei possessorem ex causa onerosa.

Effectus huius quæstionis respicit casum, in quo tertius posset se fouere cum hypothecis anterioribus, ab ipso acquirente de pecunia aliena cõtractis, adeoùt 51 non suffragetur hypotheca legalis, quæ à die susceptæ administrationis competit huiusmodi personis priuilegiatis, in bonis eius, qui ita administratam pecuniam in proprios vsus malè erogauit; Siuè etiam vbi bonis existentibus penès ipsummet acquirentem, vel eius hæredẽ, seù etiam tertium fouentem causam lucratiuam, ipse dominus pecuniæ, cũ qua, mediatè, vel immediatè acquisitio facta est, cõcurrat cum alijs creditoribus, quoniam si creditores, vel tertius possessor ex causa onerosa sunt administrationi posteriores, nil refert, àn intret ista subsidiaria subrogatio, necnè, cum suffragetur hypotheca legalis anterior; Vbi verò sint anteriores, tunc ea nimium suffragaretur ratione dominij, quod vincit quamcunque hypothecam.

In hoc autem, quamuis Doctores nimium varient, vt patet ex deductis per *Barbos. in rubric. fol. matr. par. 3. Merlin. dicta contr. 67. lib. 2. alter. Merlin. de pign. lib. 3. tit. 1. quæst. 25. & quæst. 32.*, apud quos cæteri, & *apud Buratt. dicta decis. 874.*; Videtur tamen quod intret 52 distinctio, àn agatur cum administratore legali, vel cum altero, cui iste titulus non congruat, dictaque distinctio, duplicem percutit effectum; Primò scilicèt, circa præsumptionem, vt in dubio, non constito de diuersa veritate, acquisitio per administratorem censeatur facta nomine ipsius domini pecuniæ, sub eius administratione viuentis, eodem modo quo supra habetur de acquisitione facta per hæredem grauatum cum pecunijs fideicommissariæ hæreditatis, quando testatoris præceptum, vel destinatio accedit, cum ista præsumptio non intret in tertio, cui dictus administrationis titulus non congruat.

Et secundo ratione hypothecæ legalis benè competentis à die susceptæ administrationis in bonis administratoris, nõ autẽ in bonis tertij pupilli, qui vel alterius priuilegiati pecuniam occuper; In reliquis autem probabilior videtur opinio, quam benè expendit *Merlin. dicta contr. 67.*, vt contra tertium bonæ fidei possessorem ex causa onerosa, non intret hæc subrogatio, cuius ratione intret vtilis vendicatio, quæ hypothecas anteriores vincat.

Ponderant aliqui limitationem in fisco, ob quamdam speciem peculiaris pri- 53 uilegij, vt bona acquisita ex eius pecunia sibi acquirãtur; Verũ secluso casu cõcursus cum dote, vel alio creditore priuilegiato, cum quo ex regula conquassationis priuilegiorum, procedendum sit, cum regula *qui prior &c.*, nullus est huius priuilegij effectus ob alterũ priuilegiũ, quod fiscus habet aduersus hypothecas anteriores in bonis postea quæsitis.

Idemque respectu mulieris in pecunia dotali immediata, vel mediata, cum qua vir acquisitiones nomine proprio fecerit, quod scilicèt vbi nõ vrgeat necessitas excludẽdi cũ dominio creditorẽ anteriorẽ priuilegiatũ, ista potioritas doti adinstar fisci datur aduersus anteriores in bonis postea quæsitis; Quamuis enim extensio generalis priuilegij fiscalis ad dotem mihi non placeat, Attamen vbi expressè, vel etiam præsumptiuè acquisitio ad pecuniam dotalem referri possit, illa rectè admittenda est, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de Dote discur. 83. & 84. & 166.*; Siuè etiam fauore dotis

considerari potest illa subsidiaria vindicatio, quæ resultat ex priuilegio *text. in l. in rebus C. de iur. dotium*, de quo *d. disc. 166. de Dote*.

Quoverò ad alios effectus, præsertim periculi, seù augumenti, & decrementi, vel priuilegij fundi dotalis cum similibus, de quibus DD. nimium variando agunt in acquisitionibus factis per virum ex pecunia dotali, id potiùs respicit materiam conuersionis dotis de quantitate ad speciem, de quo in sua materia *sub tit. de Dote in supplemento*. 54

Demum quoad tertiam inspectionem pretij succedentis loco rei, intrat eadem distinctio inter causam vniuersalem, & particularem, vt in vniuersalibus intret successio *ad text. in l. sed si lege* §. 1. *ff. de petit. hared.*, vbi communiter Scribentes de quibus *apud Gabriel. conf. 37. lib. 1. Surd. dicta decis. 15. Merlin. l. 1. contr. 92. num. 1.* & alij de quibus supra agentes de secundo casu rei succedentis loco pretij; E conuerso autem in particularibus, regula est negatiua, vt pretium non succedat loco rei *ad text. in l. qui vas* §. *vlt. ff. de fiert. vbi DD. cum concordan.*, de quibus apud proximè allegatos, & *per Amat. resol. 4. num. 10. Marcian. iun. disput. 74. in princ. Rot. apud. Buratt. dicta decis. 874. decis. 51. numer. 4. par. 10. recen. & in alijs*. 55

Benè verùm quod prima pars distinctionis circa causam vniuersalem, communiter recepta est in ea vniuersitate, quæ consideratur in hæreditate, in qua Scribentes id exemplificant, non tamen procedit in omni alia vniuersitate, quoniam apud Feudistas receptum est, vt feudum sit vniuersitas, cadente solùm quæstione, àn sit facti, & iuris, vel iuris tantùm, ex deductis in sua materia *sub tit. de feud.*, et tamen regula est, vt cessantibus casibus limitatis, pretiù feudi non fit feudale, neque feudi loco succedat, vt pluries *eodem tit. de feud. discur. 42. & 48. & in alijs*, ac etiam *sub tit. de Emphyt. disc. 58. & alibi*. 56

Regula autem negatiua vt supra (excepto iure vniuerso hæreditatis) constituta, plures recipit limitationes, quarum; Prima est, vbi contentio sit cum tertio fouente causam lucratiuam, atque concurrant alia duo requisita, de quibus inspectione præcedenti de re succedente loco pretij, quod est magis, quoniam facilius pretium succedit loco rei, quam vt res succedat loco pretij, quia scilicèt ipsa res perempta sit, seù aliàs ex eius natura, siuè ex facto superioris, ad eã actio, vel regressus competere non valeat, neque alias domino ipsius rei, siuè creditori hypothecam, vel alteri in ea ius habẽti consultum esse possit *ad text. in l. 1. ff. de distract. pign.* vbi *Bart. & alij* de quibus *apud Gabriel. dicto conf. 37. lib. 1. Gait. de cred. dicto cap. 4. quæsit. 11. num. 1394. Merlin. contr. 92. lib. 1. num. 11. Rota in allegata decis. 51. par. 10. rec. num. 5.* & in alijs, cum sit cõclusio certa ex dicta æquitate *text. in l. si me & Titium ff. si cert. pet.*, siuè ex ratione absurdi, nè alias resultaret locupletatio de alieno inuito domino. 57

Cadente solùm quæstione pro consueta subtilitate excitata *per Fabrum de error. pragm. decad. 62. error. 10.*, àn ista actio subsidiaria sit solùm personalis, vt *Faber* credit, vel etiã realis, seù rei persequutoria, vt eo impugnato, latè probat *Gait. dicto quæsit. 11. num. 1397. & seq.*, istaque posterior opinio videtur probabilior. 58

Atque vt supra insinuatum est, iure fouentis causam lucratiuam, habendus venit etiam ille, qui fouet causam onerosam, vbi dolo desierit eam possidere, adeoùt ipse dici valeat in culpa, vt dominus rem suam vindicare non valeat iuxta ea, quæ habentur *in Romana seù Ciuitatis Vetulæ mercium sub tit. de Regal. discur. 129*. 59

Idque in ordine ad creditores procedit, non solùm quoad eos, qui hypothecam habeant, sed etiam quoad chyrographarios, quorum tamen respectu, rectè intrat opinio *Fabri*, de qua supra, super sola competentia actionis personalis ex ædicto *de his quæ in fraudem &c.*, per quod huiusmodi creditoribus remedio reali, vel rei persequutorio destitutis, cõsultum remanet. 60

Eatenus verò cõtra fouentem causam lucratiuam hæc procedunt, quatenus ipsum pretium loco rei subrogandum extet in specie, vel in æquipollenti, vel quod de iure pro extanti habendum sit, quia nempè dolo, vel mala fide consumptum sit, adeoùt verificetur versio in vtilitatem sine causa, vndè resultet locuple- 61

pletatio de alieno; Secùs autem vbi amplius non extat, vel quia non duret versum, vel quia in ſtatu bonæ fidei tale pretium conſumptum ſit, aliàs fortè non cõſumendum, adeoùt locupletatio deficiat, cum tunc nulla ſuppetat ratio, ob quam tertius teneri debeat, ex ijs, quæ habentur infra *diſcur.* 72., ac etiam *ſub tit. de donat. diſc.* 43.

Altera eſt limitatio, vbi partium conuentio, expreſſa, vel tacita accedat, vt pretium ſtet loco rei ad cõmuniter no-
2 tata *per gloſ. & DD. in l. res quæ per illum text. ff. de iure dot. Tiraq. de retract. conſang. §. 32. gl. vnic. nu. 23. & 25. Surd. deciſ. 306. num. 12. Marcian. iun. dicta diſput. 74. numer. 25. & alij communiter*; Quamuis enim dictus textus loquatur de dote, in qua, vt infra, aliquid peculiare habetur; Attamen quoad hunc punctũ, ratio, vel diſpoſitio text. videtur generalis, nullamque dotis ſpecialitatem continet.

Tertio limitatur, vbi ex natura rei, ſeù ex facto Principis, aut alterius ſuperio-
3 ris, pretium ſuccedat loco rei, in qua conſultum eſſe non poſſit, iuxta ea quæ inſinuantur *ſupra diſcur. 17.*, & in alijs, ac etiam *ſub tit. de Emphyt. diſc. 58.*, & pluries *ſub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baron.*; Putà quia tractetur de fructibus, vel mercibus non conſeruabilibus, quæ vendere oportet, ſeù expedit, vndè id ſequatur de mãdato, ſeù prouiſione Iudicis, aut per curatorem, ſeù deputatos patrimonij, ſuper quo ſit concurſus &c., cum tunc ſine dubio pretiũ ſuccedat loco rei ex deductis *per Surd. dicta deciſ. 306.*; Siuè quod expediat etiã ipſamet bona ſtabilia, & conſeruabilia vendere, non reperiatur autem emptor, niſi reddatur tutus ab hypothecis tranſferendis in pretium, vt etiam in pleriſque partibus præſertim Hiſpaniæ eſt de ſtylo; Ac etiam docet frequens praxis
4 Curiæ in venditionibus, quæ fiant per Congregationem Baronum in vim *Conſtitutionis 41. Clem. VIII.* vulgò nuncupatæ *Bulla Baronum*, vt bona tranſeant libera in emptorem, transfuſis hypothecis, omnibuſque alijs iuribus in pretium ex deductis in dicta ſua materia *ſub tit. de feud. ad materiam Bullæ*, ad cùius inſtar, in gratiam emere volentium ſolet etiam, quandoque ità diſponi per litteras, ſeù chirographa Pontificia.

Atque tali caſu intrat etiam idem ordo, qui, non curata regula *qui prior*, tenendus eſſet in ipſis rebus differentibus, vt ſunt feuda, & officia, ac ſimilia, in quibus anterioritas regulatur ab aſſen-
65 ſu ex deductis *dicto diſc. 58. de Emphyt.*, ac habetur *apud Franch. deciſ. 64. & 75. Marcian. iun. diſp. 86. numer. 16. Galeot. lib. 2. contr. 63. & communiter*, quidquid in contrarium dicatur in deciſione edita in caſu, de quo *dicto diſcur. 58. de Emphyt.*, procedendo cum regula generali, quod pretium feudi non eſt feudale, quoniam ea rectè procedit vbi pretium proueniat ex facto priuato debitoris, atque creditori priuilegiato conſultũ remaneat ſuper ipſo feudo, vel alia re priuilegiata, ſecus iſto regreſſu deficiente, vt ibi.

Ac etiam idem dicendũ videtur vbi, competat quidem regreſſus ad ipſam rem contra emptorem, cui tamen, iuxta
66 frequentem praxim, detur ex ſpeciali reſeruatione priuilegiatiuus regreſſus ad pretium, quod adhùc extet verè, quia nempè pecunia depoſita ſit, vel æquipollenter, quia conſignata ſit creditoribus cũ cautione de reſtituendo &c., aut loco cautionis inueſtita in loca mõtium, quoniam tunc eſſet circuitus merè inanis, negando hanc ſubrogationem, dum creditoribus anterioribus, vel potioribus in pretio, non autem in re, excludere volentibus illos, qui tempore poſteriores, ratione aſſenſus ſunt potiores in ipſa re, ad eam regreſſum haberent contra venditorem, qui pretium repetere poſſet, ideoque contineret circuitum merè inanem ipſiſmet creditoribus præiudicialem, quoniam vbi emptoribus iſta ſecuritas à moleſtijs non detur, iſti non de facili inueniuntur, vel cum minori pretio, cuius pars reputatur maior, vel reſpectiuè minor cautela, vt
67 habetur in ſua materia *ſub tit. de Empt. & Venditione*, occaſione agendi de læſione, & aduertitur *infra diſc. 53. & 54.*, occaſione agendi de puncto, àn creditores cogi valeant recipere pretium vinculatum cum cautione de reſtituendo &c., & impediri moleſtare in Saluiano, vel alio remedio emptorem bonorum debitoris, dum ratione commercij, & vtilitatis creditorum, id omninò expedit.

Quarta limitatio, etiam contra fouentem causam onerosam præberi solet fauore priuilegiatorum sub aliena legali administratione viuentiũ, iuxta ea quæ
68 habentur supra inspectione præcedenti in fortioribus terminis rei succedentis loco pretij; Idque non videtur prouenire ex nudo priuilegio, sed potius ex congrua ratione, quod id non dicitur de bonis debitoris, in cuius dominium, ex legis impedimento, tale pretium non transiuit, cum eisdem declarationibus, de quibus in dicto alio casu; Vnde propterea ex dicta ratione non videtur opus in pretio rei dotalis adeo insistere super altera ratione, ob quam datur hæc subro-
69 gatio demandata per *text. in l. res in dotem ff. de iur. dot. & l. cum in fundo §. si fundus ff. eodem*, quia nempè dos dicatur ius vniuersale ex deductis *per Neguſ. 2. par. membr. 4. num. 54. & 59. Barboſ. in Rubr. fol. matr. par. 3. numer. 73. Gait. dict. quæſt. 11. num. 1451. Merlin. dicta contr. 92. lib. 1. num. 2. Cyriac. contr. 344. numer. 8. Marcian. dicta diſp. 74. & alios*, qui propterea disputationem assumunt, an id procedat, vbi agatur de dote in
70 vniuersum, non autem de singulis rebus in dotem datis, quasi quod in istis non intret ratio vniuersitatis ex deductis præsertim *per Merlin. dicta contr. 92. num. 4. lib. 1. & contr. 90. num. 21. lib. 2.*, de quo tamen, ac alijs peculiarem dotis materiam concernentibus, circa hunc punctum pretij succedentis loco rei, vel econtra, particulariter habetur in sua materia *sub tit. de Dote in ſupplemento*.

TOLENTINA

PECVNIARIA

PRO

CATHERINA PORCELLIA

CVM

LVDOVICO PARISANO.

Caſus diſputatus coram A. C., reſolutus vt infra.

De concursu creditorum hæredis cum creditoribus defuncti in eiusdem hæredis bonis proprijs, an scilicet, & quando ista cadant sub hypotheca per defunctum contracta, et præsertim quid vbi adsit obligatio cameralis, et quando hæc continere dicatur obligationem bonorum hæredis.

Et quando in bonis hæredis intret hypotheca legalis ad beneficium creditorum defuncti ob alienationem, vel malam administrationem bonorum hæreditariorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*

2 *Contra hæredem pro debitis defuncti regulariter non competit hypotheca, niſi defunctus bona hæredis etiam obligauerit, quod fieri poteſt.*

3 *Dicta obligatio defuncti eſſe dicitur in obligatione cameræli.*

4 *Fallit vbi defunctus reſtrinxit obligationem ad bona propria.*

5 *Negatur applicatio dictæ limitationis ad caſum.*

6 *De retrotractione ratificationis, aliiſque eius effectibus.*

7 *Inducta ad fauorem, non debent retorqueri in odium, neque admittenda eſt repugnantia, vel correctio.*

8 *Expenduntur* deciſiones 136. & 137. poſt Pacif. *ſuper limitatione, de qua num. 4.*

9 *De eodem.*

10 *Quod non sit absurdum, sed iuridicum, vt hypotheca legalis non detur in bonis hæredis simplicis, & detur in bonis hæredis beneficiati, & de rationibus.*

11 *Quoad ipsum hæredem nil refert hypothecam competere, necne.*

12 *Vbi deficiunt specialia, recurrendum est ad similia.*

13 *De quæstione, an in bonis hæredis fideicõmisso grauati competat hypotheca, referuntur opiniones hinc indè.*

14 *Qualis sit opinio Rotæ.*

15 *De ratione primæ opinionis affirmatiuæ.*

16 *De alia opinionis negatiuæ.*

17 *Quod placeat prima, & de hypotheca competente in bonis cuiuscumque administratoris legalis.*

18 *De ratione differentiæ inter administratorem legalem, & voluntarium.*

19 *Reijcitur opinio distinguens inter dolum, & non dolum.*

20 *De eodem, ac reijcitur opinio, quæ dat hypothecam ratione doli.*

21 *De eodem.*

22 *Hæres grauatus fideicommissa quare dicatur administrator.*

23 *Quod magis, ac verius dicatur administrator hæres cum inuentario.*

24 *Ideoque ea, quæ habentur de hærede grauato, fortius procedunt in hærede beneficiato.*

25 *In hærede non beneficiato non intrat distinctio doli, & non doli.*

26 *Benè tamen intrat in hærede beneficiato.*

27 *Et de ratione differentiæ.*

DISC. XXXVI.

PVlsante Catharina coram A. C. Ludouicum hæredem Parisani hæredis Io. Baptistæ principalis debitoris; Cum hic vltimus hæres, inuentarij beneficio munitus, à molestijs in bonis propijs tutus esset, ob exhibitionem inuentarij, ac oblationem reddendi rationes, idemque prætenderet facere nomine primi hæredis, vt istius bona quoque à iuribus actricis eximeret, in redditione autem rationum compertum esset, quod dictus Parisanus primus hæres, quamuis etiam beneficiatus, liberè soluisset plura debita hæreditaria posteriora, non reportata cautione de restituendo prioribus, atque post aliquas disputationes, iudicatũ esset, vt huiusmodi partitæ bonificandæ non essent perindè, ac si solutio sequuta nõ esset, et consequenter hæreditas dicti primi hæredis, ità declarata fuit debitrix in summa, quæ adæquabat creditum actricis; Hinc ad istam excludendam, idem Ludouicus reus, opposuit de nonnullis eius creditis contra eius immediatum auctorem, ac respectiuè primum hæredem competentibus cum hypotheca, cuius ratione propterea prætendebat excludere actricem, cui tãquam creditrici defuncti in bonis propijs hæredis, non competeret, nisi actio personalis.

Siquidem ista solùm de iure competit contra hæredem vtpotè proueniens à quasi contractu, qui per aditionem hæreditatis fieri dicitur, pro quo nullibi cautum est hypothecam competere, nisi in casu, quo per defunctum bona quoque hæredis hypothecata fuerint, quod non dubitatur fieri posse, quoniam sicuti defuncto conceditur potestas disponendi etiam de bonis propijs hæredis ex pluries deductis *sub tit. de fideicom.* præsertim *disc.* 134. *& seq.*, ità fortius conceditur potestas hypothecandi, quatenus ad exercitium ista potestas deducatur, sed vbi id non fiat, certum est, quod ex sola iuris dispositione, sub hypotheca generali bonorum defuncti, non veniunt bona propria hæredis, quamuis cessante beneficio inuentarij, ipse in solidum, ac de proprio, etiam vltra vires hæreditatis, ad debita hæreditaria teneatur, vt plenè, ac maturè discusso articulo cæteris relatis firmatur *per Rotam decis.* 343. *par.* 12. *rec. vbi concordantes.*

Non negabam ego scribens pro actrice huius theoricæ, seù conclusionis veritatem; Dicebam tamen, quod ea etiam admissa, in hac facti specie, hypotheca dupliciter ex particularibus facti circũstantijs intrabat; Primò scilicèt ratione obligationis cameralis contentæ in obligatione Io. Baptistæ debitoris, sub qua, iuxta eius formularium, continetur etiam obligatio hæredum, vt *per Zacch. de obl. quæst.* 4. *num.* 9. *Rot. decis.* 187. *numer.* 26. *& decis.* 239. *num.* 4. *cum seqq. post eund. Zacch.*

Zacch. add. ad Barat. decis. 564. numer. 5. & infra duob. discur. prox. seqq.; Et secundo ratione hypothecæ legalis competentis creditoribus, vel interessatis in hæreditate, ob istius bona malè administrata, contra bona hæredis beneficiati.

Super his autem, in acerrimis disputationibus desuper habitis, distinguendo dictas diuersas hypothecæ species; Quatenus pertinet ad primam resultantem ab obligatione camerali; Scribentes pro reo, nõ negabant dictam propositionem, vt scilicèt sub obligatione camerali, contineatur etiam obligatio bonorum hæredis, vt supra, sed dicebant, id procedere, nisi ex verbis contractus constaret, quod debitor se restringere voluerit ad bona propria, quoniam cum ista sit quæstio voluntatis, semper veritati cedit fictio, seù præsumptio, vt in his specialibus
4 terminis ex professo firmatur *per Rotam decis. 136. & 137. post Pacif. de Saluiane repetit. post Zacch. de obl. camer. decis. 16. & 83.*; Et hunc dicebant esse casum, quoniam in clausulis executiuis dicebatur, quod Io. Baptista *obligabat bona sua &c.*, ideoque propria, non autem hæredis bona obligare voluit.

His tamen non obstantibus (quamuis in suo casu veris), contrarium in hac facti specie verius esse dicebam; Siquidem debitum, de quo agebatur, non proueniebat solùm ex illo contractu, qui contineret dictam obligationem cameralem ad bona sua restrictam, iuxta casum, de quo in dictis decisionibus, sed ab alio præcedenti inito per eiusdem Io. Baptistæ filium eius procuratorio nomine cũ obligatione de ratificare faciendo, atque in hoc obligatio cameralis erat purè, ac
5 simpliciter adiecta, complectens absque dubio etiam bona hæredis; Cumque dictus Io. Baptista processisset ad ratificationem cum expressione, quod dictum primum instrumentum ratificabat in omnibus, & per omnia, ac in singulis eius partibus, & capitulis, nihilo excepto, hinc proinde, vbi etiam in hoc secundo actu nulla obligatio cameralis adiecta esset, adhuc intrabat, ac operatiua erat illa, quam contraxerat mãdatarius ipsius ratificantis nomine, cũ ratihabitio æquipolleat mandato.

Quidquid enim sit circa præiudicium tertij, qui medio tempore ius quæsiuit, quo casu intrat distinctio, an ratificatio esset necessaria, vel voluntaria, adeoùt respectiuè operetur, vt nunc,
6 vel vt tunc; Attamen quoad ipsum principalem, atq; in eius præiudicium, ità fingitur, ac si primus actus à mandatario gestus, per se ipsum gestus esset, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Gabr. conf. 80. num. 3. & 144. num. 5. lib. 1. Surd. decis. 69. & 245. Salgad. in labyrint. par. 2. cap. 10. num. 58. & cap. 21. num. 53. Rot. decis. 35. num. 10. & 11. post Merlin. de pignor.* apud quos de dicta distinctione.

Et consequenter, si in obligatione, quæ pro creditoris potiori cautela in hoc secundo ratificationis actu adiecta est, dicta restrictio admittenda veniret,
7 plura exindè resultarent, quæ, iuxta vulgaria axiomata, in iure damnata sunt; Primò scilicèt, quod ea, quæ gesta sunt ad exuberantiã, ac ad maiorem cautelam, & fauorem creditoris, inducere nõ debent odium, ac restrictionem; Secundo quod in eodẽ actu, ità contineretur repugnantia, vel subitanea correctio, dum cum huiusmodi restrictione, non esset ratificare primum actum in omnibus & singulis eius partibus, prout initus est, huiusmodi autem repugnantia, vel correctio de iure præsumenda nõ est, quoties alter possibilis intellectus conciliatiuus dari potest; Et tertio quod post dicta verba, ex quibus restrictio desumebatur, adiecta fuit generalitas ibi, *cum omnibus clausulis, & cautelis in formula cameralis obligationis contentis &c.*

Et quamuis Scribentes in contrarium dicerent (eisque Iudex adhæreret) quod hæc amplitudo verborum contineretur etiam in casu, de quo *in allegat. decis. 136. & 137. post Pacif.*, quæ vt supra sunt repetitæ *post Zacchiam*, et tamen neglecta
8 fuit, ex ea ratione quod intelligenda veniret de alijs, quàm de expressis, ex eadem ratione euitandi contradictionem, vel correctionem; Dicebam tamen (etiam in sensu veritatis), quod, vt ex eisdem decisionibus patet, ista non est quæstio iuris, sed nudi facti, ac voluntatis, quodque propterea, iuxta receptissimam propositionem, de qua pluries *sub tit. de fideicommiss.* & sub altero *de alien. & contract.*, ac etiam infra *in Romana fideiussionis disc. 103. & in alijs*; Immorandũ non est in solo cortice, seù formula verborũ,

sed

ſed attendi deberet ſubſtantia veriſimilis voluntatis, & an vrgeat, cõgrua ratio, quæ huiuſmodi reſtrictionẽ, ſeù reſtringendi voluntatem ſuadeat, vt in caſu dictarum deciſionum vrgebat.

Siquidem ibi non agebatur de contractu correſpectiuo, in quo pura obligatio cameralis, vt magis creditori expedit, ac in eius gratiam, & cautelam indefinitè 9 adijci ſolet; Sed agebatur de donatione merè gratuita, in qua totum facit voluntàs donatoris, qui de bonis ſuis donare expreſsè profeſſus fuerat, et conſequenter, congruè, ac rationabiliter obligatio adiecta pro donationis obſeruantia, reſtricta fuit ad ea bona, quæ ſolùm in contractu veniebant; Ac etiam quia obligatio proueniebat ex eadem beneuolentia, eodemque liberalitatis motiuo, ex quibus proueniebat ipſe actus principalis, et ſic à ſola voluntate donantis, ac ſeu obligantis, non autem à voluntate, & à cautela ex ſtudio potius creditoris, quàm debitoris, vt in huiuſmodi contractibus accidit, ideoquè longè diuerſa ratio militat inter vnum caſum, & alterum, vt in ſpecie reſpondendo his deciſionibus aduertitur *deciſ. 239. poſt Zacch. de oblig.*, vbi etiã aduertitur, quod in eo caſu verbum *hæredibus* non erat cæteratum, vt erat in præſenti, & quo caſu benè firmatur dictam reſtrictionem ceſſare; Probabilius autem eſt primum fundamentũ deductũ à ſubiecta materia, & veriſimili voluntate, iſtius ſubſtantia attenta, cum frequentius formalitas verborum pendeat à ſtylo Notarij, abſque eo quod partes reflectant.

Hinc opus non videbatur aſſumere aliam inſpectionem hypothecæ tacitæ, ſeù legalis, quam (poſito dicto culpoſo actu ſoluendi liberè creditoribus poſterioribus) ego reſultare dicebam in bonis 10 hæredis beneficiati, quamuis admitterem veritatem concluſionis vt ſupra firmatæ *dicta deciſ. 343. par. 10. rec.*, vt in bonis hæredis ſimplicis nullo inuentarij beneficio muniti, huiuſmodi hypotheca non intraret; Id autem videbatur aſſumptum nimium exorbitans, ac ſpecies paradoxi, quod ſcilicèt ità melioris conditionis eſſet hæres non beneficiatus, quàm beneficiatus, cum tamen lex, vnum, & non alterum priuilegiauerit.

Verùm iſtud abſurdum nullius momenti videbatur, quamuis primo aſpectu magnam faceret impreſſionem; Tùm quia in ordine ad ipſum hæredem, in hac 11 parte reiterandi ſolutionem malè factã, nulla dignoſci videtur differentiæ ratio inter ipſum, ac hæredem ſimplicem, nilq; refert, àn intret hypotheca, necnè, cum iſtius priuilegium, ſeù operatio, percutiat ius, vel intereſſe creditorum, inter quos intrat notabilis differentia hypothecæ, vel ſimplicis actionis perſonalis, ſed quoad ipſum debitorem idem eſt effectus, et conſequenter ceſſat ratio, ſeù applicatiõ dicti inconuenientis; Tùm etiam ex vulgari, ac recepto axiomate, vt *qui in vno grauatur &c.*, quoniam cum hæres beneficiatus (vt infra) habeatur iure ſimplicis adminiſtratoris omninò exempti ab obligatione ad debita hæreditaria in bonis proprijs, ac vltra vires, hinc proindè, mirum non eſt, ſi in hoc releuatur, in quo nõ releuatur hæres ſimplex, vt grauetur in altero, quod in effectu (vt ſupra), vel nullum, vel comparatiuè ſatis modicum grauamen importat, ac etiam ex ratione differentiæ militante inter vnum caſum, & alterum vt infra.

Quia verò ſuper hoc aſſumpto hypothecæ legalis, vt intret in bonis hæredis beneficiati malè ſe gerentis, & tamen nõ 12 intret in illis hæredis ſimplicis, quamuis pariformiter, ac circa idem malè ſe gereret, nulla ſpecialis habebatur auctoritas (quæ ſaltèm hincindè ſcribentibus innoteſceret), Hinc proindè, (cum deficientibus indiuiduis, recurrendum ſit ad ſimilia), ad id probandum, adhibebam terminos, ac auctoritates alterius quæſtionis pariter modernæ, noſtriſque maioribus ignotæ, ſuper hypotheca legali competente fideicommiſſario in bonis hæredis grauati pro reintegratione fideicommiſſi ratione bonorum, quæ alienata, ſeù aliàs malè adminiſtrata fuerint.

Siquidem, omnium primus huiuſmodi quæſtionem promouit *Theſ. iur.* Do- 13 ctor modernus noſtri ſæculi *lib. 2. quæſt. for. 84.*, qui firmat dictæ hypothecæ competentiam, eumque fèrè contemporaneè ſequutus fuit *Cyriac. contr. 283.* cui ſubſcripſerunt *Bellon. & Tortus.*

E conuersò autem *Cancer. tom. 1. var. cap. 2. num. 103. cum ſeq. ad 111.*, habens

ſolùm

solum notitiam *Thæsauri*, non autem *Cyriaci*, illum expresè reprobat, plura deducendo fundamenta, quæ postmodū (examinata quæstione ad partes) reassumpsit *Andreol. contr.* 92., qui cum posteriori opinione *Cancer.* cōcludit; Atq; totum desumendo ab hoc secundo Authore (eo tamē tacito) idem agit *Merlin. de pign. lib. 3. tit. 1. quæst. 3. per tot.*, eamdemque opinionem plenè quoque tuetur *Noguerol. alleg. 1.*

Verùm primam opinionem *Thesaur. & Cyriac.*, frequentiori calculo sequuntur alij præsertim Hispani relati *per Castill. 8. tom. contr. cap. 45. ex nu. 12. ad fin.*, vbi cum nimium quidem elaborato, & accurato, sed consueto parum felici stylo, examinata eadem quæstione ad partes, cum ista opinione pro hypothecæ competentia concludit; Quamuis etenim per allegatos, ad vnius, vel respectiuè alterius opinionis probationem deducantur, *Negusan. iun.*, *Peregr. & alij*, verè tamen isti incidenter, vel præsuppositiuè loquuntur, huiusmodi difficultatē adhuc non gustantes, neque eam examinantes per viam formalis quæstionis; Et alij, vnam, vel alteram opinionem sequentes referūtur per duos modernos Consulentes, nempè *Palm. iunior. consult. 70. & de Rosa consult. 24.*

Rota verò Romana, adhùc non edito dicto tractatu *Merlin. de pign.*, neq; editis, vel cognitis controuersijs *Andreol.*, minusque habita notitia difficultatis ex-
24 citatæ *per Cancer.* iam editum, prima vice de ista conclusione egit *in Romana Saluiani 28. Iunij 1641. coram Dunozets.* inter suas *decis. 630. num. 18.*, in qua proceditur cum dicta prima opinione *Thes. iun. & Cyriac.*, simplicitèr, ac indefinitè pro competentia hypothecæ; Deindè verò *in Romana Saluiani 26. Nouemb. 1650. coram eod. Dunozetto* inter suas *dec. 860. num. 23 & 24.*, cum tunc de recenti editus fuisset dictus tractatus *Merlini*, cum istius opinione (licèt incidenter ac præter illius causæ necessitatem) proceditur pro non competentia; Atque respondendo ad dictam præcedentem decisionem coram eodem, quędam adhibetur distinctio (nulla tamen ratione, vel auctoritate munita), inter hæredem grauatū dolosum, & non dolosum, vt primo casu recipienda sit opinio *Thesaur.*, in altero autem opinio *Merlin.*, Atq; cum hac decisione ita distinguente, cum consueta cæca fide, aliud non examinando, in plerisque alijs processum fuit, adeoùt huiusmodi distinctio per ora forensium pragmaticorum volitet tanquam iuris principium absolutum, ignorantium tamen quomodo, & quare; Moderando tamen in modernioribus decisionibus, circumstantiam doli, vt desiderari non debeat verus, sed sufficiat præsumptus, elicitus ex scientia fideicommissi, non ita certa, & præcisa, vt requiritur ad alium diuersum effectum pœnalem caducitatis ab alienatione resultantem, sed moralem iuxta distinctionem, de qua in sua materia pluries *sub tit. de fideic.*

Examinando autem dictarum opinionum rationes, ac fundamenta; Ratio primæ opinionis *Thes.*, & sequaciū est, quod
25 hæres grauatus, vtpotè reuocabilis, non est verus ac proprius hæres respectu fideicommissarij vniuersalis (quidquid sit respectu creditorum ac legatariorum), ideoque tanquam obligatus reddere rationem fideicommissario, censendus veniat potius tāquam administrator legalis; Et consequenter quod illa hypotheca, quàm lex induxit in tutore, vel curatore, ac patre administratore bonorum filij, intrare quoque debeat in quocumq; alio administratore legali, qualis iste hæres dicitur, & quam rationē, benè expendit *de Rosa* post hæc scripta editus *dicta consult. 24.*

E conuerso autem, ratio opinionis *Cancerij*, ac sequacium, est quod hypotheca admittenda non est, nisi in casibus
26 in quibus lex ipsam induxit, ac propterea, cum ea solùm inducta fuerit in administratoribus publicis, puta fisci, vel Ciuitatis, in priuatis autem, in tutoribus, & curatoribus solo fauore pupillorum, ac minorum, idcircò ad alios casus non expressos extendenda non est, & quam rationem (licèt obiter, ac in proposito hæredis simplicis) deducit etiam *Rota dicta decis. 343. num. 29. par. 12. rec.*

Ex his autem rationibus, omninò probabilior, magisque iuridica est prima,
27 quoniam vt aduertitur infra *in Anconitana disc. 39.*, illa hypotheca, quam lex induxit in tutoribus, & curatoribus pupillorum, & minorum, ac etiam in administratoribus Ciuitatis, vel Reipublicæ,

ex

ex rationis identitate, intrat etiam in curatoribus amentium, vel prodigorum, omniumque aliorum sub necessaria legali administratione viuentiũ, ea solùm denegata illis, qui valentes per se ipsos administrare, alijs bonorum suorum administrationem voluntariè committunt.

Idque ex duplici clara differentiæ ratione; Primò scilicèt, quod ille, qui vo-18 luntariè eius bona administranda alteri committit, poterat sibi consulere de hypotheca expressa bonorum administratoris, ideoq; sibi imputet, cur id neglexerit, quod in altero viuente sub necessaria legali administratione non intrat, ideoque admittenda est suppletio legis in eo, quod diligens paterfamilias verisimiliter fecisset, iuxta eam suppletionem, quæ in muliere dante bona æstimata in dotem ad terminos *text. in l. in rebus C. de iur. dot.* ponderatur *sub tit. de Dote disc.* 166.; Et secundo in idem, quia cum lex ita hãc administrationem committat, congruũ, ac rationabile est, vt eadem lex præbeat hoc præsidium illis, qui sub eius fiducia, ac dispositione perneccssè viuunt sub aliena administratione, vt ita distinguẽdo aduertitur infra *in dicto discur.* 39.; Et consequenter ex his duabus opinionibus, simpliciter affirmatiuis, vel negatiuis, omninò probabilior videtur prima, dictis solidis, ac melioribus rationibus innixa, & quæ maiores quoq; sequaces habet.

Tertia verò opinio distinguens, inter dolum, & non dolum, nulli rationi, vel 19 iuridico fundamento innixa videtur; Siquidem intrat dilemma clarum, quod Aut hæres grauatus censendus est tanquam publicus, ac legalis administrator, Aut non; Primo casu indefinitè hypotheca intrat, siuè in dolo versatus fuerit, siuè non, cum nullibi in iure hæc distinctio habeatur in tutoribus, & curatoribus, alijsque publicis administratoribus, quoniam eorum bona hypothecata sunt, quamuis ex negligentia, vel simplicitate, deficiant, ac teneantur pupillo, vel minori ad id, quod interest.

In altero autem casu voluntarij, & nõ legalis administratoris, hæc distinctio nõ intrat, quoniam dari nõ potest maior 20 dolus, quàm ille latronis, vel inuasoris, ac spoliatoris, et tamen non per hoc hypotheca competit; Quamuis enim aliqui moderni, in procuratore ad negotia, vel alio priuato voluntario administratore adhibuerint hanc distinctionem doli, vel non doli, quodque in casu doli intret hypotheca legalis, vt præsertim habetur *apud Negusant. de pignor. par. 2. membr. 4. num. 164. vers. vigesimus secundus*, cum quo tanquam relatores pertranseunt *Mantic. de tacit. lib. 11. tit. 14. nu. 5. in fin., & Merlin. de pignor. lib. 2. tit. 3. qu. 90.*, *atque ex eodem Negus. vbi supra numer.* 124., id afferant *Peregr. cons. 39. num.* 10. *& seqq. lib. 6.*, & ex eo *Gratian. discept.* 935. *num.* 24. pluresque colligat *Rosa dicta consult. 24. num. 17.*

Attamen id continet æquiuocum manifestum, cum nullo iure, nullaque ratione id cautum sit, quoniam *Negusan.* id fundat in auctoritate *Bart. in l. fin. C. in quib. caus. pign. tasitè contrahatur*, qui nullatenus de hoc loquitur, atque vt dictum est, dari non potest dolus maior, quam ille furis, & latronis, vel spoliatoris, et tamen nullibi de hac hypotheca est cautum in iure, ideoque intrat regula generalis quod admittenda nõ est hypo-21 theca in casibus in iure non expressis; Licèt enim *Negusan. dict. 4. membr. 2. par. num.* 124. in fure hypothecam legalem induci firmet; Attamen quidquid sit de hoc assumpto, quod etiam nullum iuris fundamentum habere videtur, non exindè *inferri* posse videtur ad alium casum, voluntarij, ac priuati administratoris, vt aduertitur *infra disc.* 38.

Et cõsequenter dicta distinctio nullũ habet fundamentum, sed, Vel indefinitè attendenda est prima opinio simpliciter affirmatiua, Vel indefinitè altera simpliciter negatiua.

Applicando autem ad rem, dicta ratio quæ militat in hærede grauato, magis de plano, minusque dubitabiliter in-22 trat in hærede beneficiato, quoniam hæres grauatus consideratus in terminis iuris antiqui, medij, & noui, *Digestorum*, *Codicis*, ac *Institutionum*, & *Authenticorum*, priusquam per ius nouissimum *in l. fin. C. de iur. delib.* introduceretur beneficium inuentarij, reputabatur administrator potiùs, quàm hæres, in ordine ad fideicommissarium vniuersalem tantum, cuius respectu, sequuto casu restitutionis hæreditatis, et consequenter resolutionis tituli

hæreditarij, saluæ remanent detractiones, ac etiam, cessata confusione actionũ, istæ reuiuiscunt, seù verius excitantur, omniaque redeunt ad suum initium ob causam redactam ad non causam, perindè, ac si nunquam fuisset hæres; Secus autem, respectu creditorum, vel legatorum, & fideicommissorum particulariũ, (ita nostris distinguentibus hæredem Trebellianicum ab hærede falcidio) ex deductis in sua materia *sub tit. de Hæred. & sub altero de Detract.*, ac etiam infra *disc.* 40., occasione agendi de confusione actionum.

Hæres autem beneficiatus, non expectata purificatione conditionis restituẽdi hæreditatem, tàm respectu fideicommissarij vniuersalis, quàm etiam creditorum, & legatariorum, reputatur ab initio, ac indefinitè verus administrator hæreditatis, tanquam iacentis, ac si nunquam adita fuisset, ex ijs quæ, antiquioribus relatis, habentur *per Rotã apud Mantic. decis.* 326. *num.* 3. & 4. *Gratian. discept.* 799 *num.* 42. & 43. *Capyc. Latr. consul* 13. *num.* 2 & 3. *Hodiern. contr.* 31. *n.* 18. *Rouit. decis.* 40. *num.* 11. *& seq. & communiter.* 23

Ea igitur, quæ habentur de hærede grauato ratione legalis administrationis, longè fortius, magisque de plano admittenda veniunt in hærede beneficiato malè administrante, seù non benè suum officium explente. 24

Et nihilominus, vbi etiam admittenda esset dicta distinctio Rotæ, inter dolum, & non dolum; Adhùc tamen, illa rectè cadit in hærede beneficiato, non autem in simplici, in quo (vt in ista causa aduertebam) terminorum error videtur, hanc distinctionem adhibere, quoniam purus, ac simplex hæres, nullo restitutionis onere grauatus, sed irreuocabilis, identificatur cum persona defuncti, atque (secluso præiudicio, vel interesse tertij, cui competat beneficium separationis bonorum), vnum patrimonium cum altero omninò confunditur, ac efficitur vnum, & idem, vnde propterea non intrant termini administrationis, cui congruant dicti alij termini culpæ, vel doli in administrando, cum ità non dicatur bona aliena administrare, sed disponere de proprijs, dum, siuè benè, siuè malè bona hæreditaria administrentur, semper ipse hæres erga creditores, & legatarios obligatus remanet, ideoque dicti termini doli, vel non doli nullatenus intrant; Solumque aliqui Doctores, per quemdam impropriũ loquendi modum, dicunt dolosum hæredem non conficientem Inuentarium, ad explicandum scilicèt quamdam mali animi præsumptionem resultantem à negligentia adhibendi adeò proficuum remedium omnium præiudiciorum præseruatiuum, quod tamen quandoque contingit ex inaduertentia, ac frequenter, ex regionis, vel familiæ consuetudine, quia nempè indecorum reputetur, ac defuncti existimationi præiudiciale, hæreditatem adire cum beneficio inuentarij, vt pluries in praxi expertus sum. 25 26

Non sic est in hærede beneficiato, in quo passim, & absque dubio, circa inuentarij fidelem, vel infidelem descriptionem, ac bonorum administrationem, intrat iste terminus doli ex deductis *decis.* 182. *par.* 6. *rec.*, & in dicta sua materia *sub tit. de hærede*; Ex ea clara ratione differentiæ, quod quando quis simpliciter hæreditatem adit, omnia onera in se suscipit, neque legis clypeo vult muniri, minusque administratoris personam gerere assumit; Secus autem in altero casu hæredis eligentis inuentarij remedium à iure nouissimo inductum cum tot priuilegijs, quoniam si vult dictæ legis beneficio muniri, debet eam obseruare, eamque non fraudare; Ideoque eam fraudando, seù susceptum administratoris munus non benè exercendo, meritò teneri debet, ad id, quod eadem lex in administratoribus dolosè, seù malè se gerentibus disposuit; Et consequenter, magna est differentia inter vnum casum, & alterum, ob nimis euidentem, ac notabilem discriminis rationem. 27

In proposito autem quæstionis, de qua *supra num.* 13. *& seqq.*, àn scilicèt in bonis hæredis grauati competat hypotheca legalis, *De Rosa* post hæc scripta editus *dicta consult.* 24., ponderat distinctionẽ, quæ primo aspectu mihi placuit, inter bona propria ipsius hæredis, & bona quę fuerunt in dominio fideicommittentis, quasi quod in istis, hypotheca pro legatis, & fideicõmissis particularibus absque dubio intret, ideoque cadat quæstio in alia specie; Verùm attentiùs reflectendo, obseruabam, eam nò videri subsistentem, 28

rem, quoniam, Aut agitur de illis bonis, quæ cadunt sub besse extra detractiones, et in istis vtpotè cadentibus sub fideicõmisso, necessarium non est hoc refugium hypothecæ, cum adsit aliud pinguius ius dominij; Aut agitur de illis, quæ cadant sub detractionibus legalibus, & præsertim legitima, et tunc ab instanti mortis testatoris legis ministerio separata dicũtur à reliquo besse hæreditario defuncti, atque effecta propria hæredis grauati, ideoque eiusdem naturæ sunt ista bona, ac alia propria hæredis, neq; cadunt sub legatorũ hypotheca, quia non sunt bona defuncti, et consequenter motiuum, vel non sufficit, vel non est necessarium.

TERRACINEN.

PECVNIARIA

PRO

LAVRETO DE MAGISTRIS

CVM

PASQVALONIBVS.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Laureto.

De eadem materia hypothecæ bonorum hæredis resultantis ab obligatione camerali, et quando hæc hypotheca initium desumat in concursu creditorum ipsius hæredis; Et incidenter, àn, & quando creditores habentes hypothecatum fundum, excludantur per tertium possessorem, in fructibus eiusdem fundi.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De obligatione bonorum hæredis pro debito defuncti, quando intret, nec nè.*
3 *Hæres beneficiatus non est verus hæres, sed administrator hæreditatis.*
4 *Ex quo tempore incipiat obligatio hæredis in bonis proprijs.*
5 *Hypotheca tutoris, vel alterius administratoris incipit à die susceptæ administratoris.*
6 *Ita pariter hypotheca in bonis hæredis.*
7 *De materia* text. in l. cum à matre C. de rei vendic.
8 *Idem est hæredem esse non beneficiatum, vel beneficiatum, quando vires suppetant.*
9 *De praxi procedendi contra hæredem beneficiatum.*
10 *Qui declarat nil facit de nouo, sed quod factum sit aperit.*
11 *An, & quando hypotheca conditionalis retrotrahatur.*
12 *An hypotheca quæ contrahitur per hæredem pro debitis defuncti præiudicet creditoribus chirographarijs eiusdẽ hæredis.*
13 *Quando intret edictum* de his quæ in fraudem *&c.*
14 *An, & quando fructus rei hypothecatæ, percepti per tertium post rei alienationem cadant sub hypotheca &c.*

DISC. XXXVII.

1 DEfuncto de anno 1638. Io. Matthæo debitore Laureti in quodam censu, Petrus filius hæreditatem adiuit cum beneficio legis, & inuentarij, atque pro commodiori fructuum solutione dicti census, consuetum fuit eos excomputare cum pretio pasturę animalium Laureti creditoris, in tenuta, iure fideicommissi à Petro possessa; Cum autem Pasqualoni eiusdẽ Petri creditores, de anno 1650. curassent exequi, ac subhastari, nõ quidẽ tenutæ proprietatem vtpotè fideicõmisso subiectam, sed commoditatem, seù ius debitori cõpetens ad eius vitam, ipsis, vel alteri eos postea nominanti de-

liberatum, Laurentius autem, iuxta præcedentium annorum obseruantiam, animalia in dicta tenuta immisisset; Hinc dicti Pasqualoni illum pulsarunt coram A.C. pro solutione pasturæ, quæ vulgò sub *Fide* vocabulo explicari solet, per biennium, in quo ipsi iure dictæ deliberationis effecti fuerant domini, sed prodijt rei conuenti absolutoria.

In disputationibus autem desuper habitis duo erant puncti; Primò scilicèt anterioritatis, vel concursus inter actores creditores posteriores hæredis de anno 1650., & reum creditorem anteriorem defuncti de anno 1621., in bonis tamen non hæreditarijs, sed proprijs ipsius hæredis; Et secundò, posito quod reus in concursu esset anterior, àn eius hypotheca complecteretur fructus per ipsos actores iam perceptos ex dicta tenuta in pascuis, de quorum pretio erat quæstio.

Quatenus pertinet ad primum, decisio pendebat ab eo, àn creditori defuncti competeret hypotheca in bonis proprijs hæredis iuxta quæstionem, de qua *disc. præced.*, quoniam si non competeret (vt regulariter de iure non competit, quo-
2 ties cessat expressa eorum obligatio à defuncto facta, vel implicita contenta sub obligatione camerali) tũc plana erat anterioritas Actorũ habentiũ hypothecam expressam; Verùm quia in debito defuncti continebatur obligatio cameralis indefinitè adiecta, quæ, cessante restrictione insinuata *eodem disc. præced.*, continet absque dubio hypothecam bonorum hæredis, hinc proindè punctus erat in tempore, àn scilicèt, & quãdo hæc hypotheca inciperet, àn à die aditæ hæreditatis, vel potius à tempore, quo, hærede non benè reddente rationes, decretum fuerit solitũ *exequatur* contra personam, & bona propria.

In hoc autem, Scribentes pro actoribus deducebant eamdem conclusionem insinuatam *dicto disc. præced.*, cũ auctori-
3 tatibus ibi deductis, quod scilicèt hæres cum beneficio legis, & inuentarij, non est verus hæres, sed potius administrator hæreditatis, quæ habetur pro iacente, adeoùt, nulla obligatio, nullumque præiudicium causetur in persona, vel bonis proprijs, iuxtà litteralem dispositionem *text. in l. fin. S. si præfatam C. de iur. delibb.*

Mantic. decis. 326. cum alijs d. disc. præced. Et consequenter quod cum obligatio in persona, & bonis proprijs resultaret circa annum 1661., quando iuxta praxim
4 positam *per Salustium lib. 1. cap. 45.*, ac insinuatam *decis. 343. par. 10. rec. ante num. 20.*, & sæpius in sua materia *sub tit. de hæred.*, ob non benè redditas rationes de bonis hæreditarijs in inuentario contentis, decretum fuit *exequatur* in persona, & bonis proprijs, hinc proindè ex hoc tẽpore dicebant vt cadere deberent sub dicta hypotheca cõtracta per defunctum, ob omnimodam præseruationem, vel separationem eius bonorũ ab inuentario inductam non autem anteà.

Contrarium, scribens pro reo, omninò verius dicebam extra omne dubium, eumdemque sensum habuit Iudex, vt supra, ex duplici fundamento; Primò scilicèt, quod vbi etiam admittatur dicta
5 conclusio in suo casu vera, vt hæres beneficiatus, administratoris potiùs, quàm veri hæredis iure censendus veniat; Attamen, tàm in tutore, vel curatore, sed patre legitimo administratore bonorum filij, quam in quocumque alio, siuè legali, siuè voluntario administratore, certum iuris principium est, vt hypotheca legalis in administratoribus legalibus, vel conuentionalis in voluntarijs, non desumatur ex tempore, quo alienationes, vel alij actus malæ administrationis fiant, sed ex tempore quo administratio suscepta est, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Merlin. de pignor. lib. 3. tit. 1. quæst. 4.*, & habetur in sua materia *sub tit. de Tut. & Administrator.*; Et consequenter quemadmodum hæres adeundo simpliciter, & sine inuentario
6 hæreditatem, ex tunc quasi contrahere dicitur cum creditoribus hæreditarijs, eiusque bona iure debitoris in vim huius quasi contractus reincidunt in hypothecam à defuncto, explicitè, vel implicitè vt supra adiectam etiam in bonis hæredis, ità adeundo cum beneficio *l. & inuentarij*, ex tunc alium quasi contractum inire dicitur suscepti mandati, vel susceptæ administrationis, ideoque semper illud tempus attendendum est.

Et secundò clarius, quoniam, vt plu-
7 ries aduertitur in materia fideicommissaria, & in altera detractionum ad regulam *text. in l. cum à matre C. de rei vend.* & *l.*

& l. vindicantem ff. de euict., àn ſcilicèt & quando hæres, quamuis beneficiatus, ex perſona propria impugnare poſſit factum ſui auctoris, reuocãdo ſcilicèt alienationes bonorum cadentium ſub fideicommiſſo, vel feudo, ſeù emphyteuſi pacti, & prouidentiæ &c. cum ſimilibus; Receptum eſt dictum inuentarij beneficium non ſuffragari, quatenus vires hæreditariæ ſuppetant, ipſeque hæres de eis habeat in manibus, tàm verè, quàm æquipollenter, quia diſtraxerit, cum intra limites virium, ac pro rata bonorum, 8 quæ hæres obtinet, paria ſint inuentarium adeſſe, vel non adeſſe ex deductis *per Franch. & add. deciſ. 153. numer. 16. & ſeq. Buratt. deciſ. 154. & 395.*, vbi *add.*, *Rot. in Romana reſidui dotis 11. Decembris 1658. & 7. Iunij 1660. Cerro & ſæpius ſub tit. de hærede, & ſub tit. de fideic.*

Et conſequenter, quando ſeruata dicta praxi, decernitur *exequatur*, contra perſonam, & bona propria, non dicitur quod ex tunc fiat hæres de proprio obligatus ad debita defuncti, ſub quorum 9 hypothecis eius bona cadant, ſed eſt detegere, ſeù declarare id, quod iam inerat ab initio, & ex tempore ſequutæ aditionis, quod ſcilicèt pro hac rata beneficiũ inuentarij non eſſet operatiuum, cum dicta praxis, ità rationabiliter inducta ſit, nè alias hæres contra claram diſpoſitionem *text. in d. l. fin.*, de facto moleſtetur in perſona, & bonis proprijs, quamuis non habeat in manibus de hæreditarijs, ideoque Iudex de hoc debet certificari præuia monitione per dicta praxim inducta ex ijs, quæ habentur infra *in Romana augumenti Dotis diſcur.* .; Et ſic de plano intrat diſpoſitio *text. in l. adeo ff. de acquir. rerum dominio* frequen- 10 ter in omni fere materia inſinuata, quod qui declarat, non diſponit, neque aliquid de nouo facit, ſed ſolùm quid iam factũ ſit, ac inſit, aperit, ſeù detegit, iuxta exemplum ab eodem textu traditum excutientis grana à ſpicis.

Ac etiam dicebam intrare diſtinctionem, de qua *in l. Titius ff. quæ res pign. obl. poſ. l. 1. & l. qui balneum, & l. potior ff. qui pot. in pign. hab.* cum concordan. *ſub tit. de Dot. diſc. 78. & ſeq.*, ac etiam infra 11 *hoc eodem tit.*, inter conditionem merè voluntariam, vel neceſſariam, ſeù caſualem, ſuper eius retrotractione ad initiũ contractus, vel diſpoſitionis conditionalis, quoniam quando hæres cum beneficio inuentarij hæreditatem adit, adhùc quaſi contrahit cum creditoribus hæreditarijs, non tamen purè, & ſimpliciter, vt facit ille, qui ſine tali beneficio adit, ſed cõditionaliter, quatenus ſcilicèt redditis rationibus bonorum hæreditariorũ in inuentario cõtentorum, comperiatur habere in manibus, iſtaque conditio negatiua, quod non habeat, per quam eius quaſi contractus reſoluitur, dicitur implicita, & neceſſaria, cuius purificatio ex parte ipſius hæredis iuſtificanda eſt tanquam qualitas, qua mediante, & nõ aliàs, dictum beneficium ſibi ſuffragatur, et conſequenter vbi nõ docet, intrat retrotractio, ſeù veriùs detegitur obligatio iam ab initio contracta.

Solùmque in hoc propoſito, dubitandi ratio cadere videtur (quamuis adhùc occaſio non præbuerit id formiter diſputare), àn iſta hypotheca, quæ ex formula obligationis cameralis, ſiuè per ex- 12 preſſam defuncti obligationem, aut ea legalis, de qua *diſcur. præced.* imprimitur in bonis *hæredis* pro *debitis* defuncti, apta ſit præiudicare, eiuſdem hæredis creditoribus chirographarijs, ſeù aliàs ſolam perſonalem habentibus iam extantibus de tempore aditionis, adeoùt, creditores defuncti tanquam hypothecarij, in concurſu vincere debeant proprios creditores hæredis, tanquam chirographarios, quibus temporis beneficium nõ ſuffragatur; Vel potius intrare deberet illud idem beneficium ſeparationis bonorum, per quod iuxtà inſinuata pluries in præcedentibus, creditores defuncti, quamuis poſteriores, vel chirographarij tantùm, in eiuſdem defuncti bonis vincunt creditores hæredis quantumuis anteriores, hypothecarios, ac priuilegiatos.

Atque primo aſpectu ex rationis identitate, ſeù regula correlatiuorum, aut ex quadam naturali æquitate, pro iam extantibus creditoribus hæredis reſpondẽdum videtur, quaſi quod per hunc merè voluntarium actum aditionis hæreditatis, non potuerit, neque debuerit debitor, eius creditoribus præiudicare, eorumque conditionem facere deteriorem; Verùm in puncto iuris, eiuſque regulis attentis, contrarium videtur verius, quoniam, quan-

quando ille, qui iam contraxerat debita in actione personali, adhuc à lege per decoctionem non inhibitus, ac citra fraudem, & validè contrahit alia debita posteriora cum hypotheca, siuè tutelam, vel curam suscipit, vbi inuitus cogi non posset, tunc id agere dicitur voluntariè, et tamen dictis creditoribus præiudicat, eorumque conditionem deteriorem reddit; Sic à pari, cum nulla dignosci videatur differentiæ ratio, neque sint æquales termini beneficij separationis bonorum competentis creditoribus defuncti aduersus creditores hæredis ob longè diuersam rationem omnimodę diuersitatis personarum, ac patrimoniorũ, ac etiam quia creditoribus defuncti idonei imputari non potest, cur sibi non cõsuluerint de hypotheca, & non cogitauerint ad casum, vt idem eorum debitor contrahendo postmodum debita hypothecaria, posset eos supplantare, vt ad aliud propositum aduertitur *supra disc. 25. & 27.*; Vndè propterea creditoribus in actione personali aduersus tertiũ aliud remedium à lege tributum non est, nisi illud edicti *De his quæ in fraudem &c.*, pro quo necessaria est vera, & explicita
13 fraus, cuius particeps fuerit tertius, qui foueat causam onerosam, vel ea præsumpta, quæ à lege subintelligitur in contrahentibus cum decocto, vel decocturo, siuè altera præsumpta contra tertium fouentem causam lucratiuam iuxta deducta *sub tit. de Dote discur. 156. & alibi pluries*.

Quo verò ad alterum punctum, àn scilicèt reus cõuentus creditor anterior, concurrere possit cum actoribus, in fructibus, quos ipsi per dictam deliberationem effecti domini tenutæ, durante iure dicti Petri debitoris, iam perceperant; Scribentes pro eisdem actoribus, funda-
14 mentum constituebant in conclusione pluries in præcedentibus insinuata, deducta ex textu *in l. Paulus ff. de pign. cum concord.*, vt scilicèt fructus, qui percipiũtur ex re hypothecata de tempore, quo illa non erat amplius in dominio debitoris, quoties iam percepti sunt, atque ab eorum causa productiua separati, non cadant sub hypotheca, cui ipsa res, seù causa productiua affecta esset, nisi quatenus creditor hypothecam exerceat, dum adhuc sunt pendentes, cum tunc dicantur ipsius rei pars.

Verùm fallacia erat in applicatione ad casum, id enim rectè procederet in casu cõuerso, quod scilicèt Lauretus creditor anterior, in vim eius hypothecæ ageret contra possessorem, vel contrà posteriores ad dictos fructus iam separatos extantes, vel eorũ pretium, atq; tunc conclusio rectè procederet; Secùs autem, dũ anterior fructus prædictos iam perceperat, atque contra eum posterior, vel possessor agat pro vendicatione, seù solutione pretij, quoniam tunc creditor anterior rectè dicere potest, se percepisse fructus iure suo, ex re sibi hypothecata, ideoque excipiendo, sine dubio, posteriores, vel tertium possessorem repellere potest, idque dicebam in iure videri indubitatum, vt etiam Iudex agnouit, dando absolutoriam vt supra.

ROMANA

PECVNIARIA

PRO

IOSEPHO ET IO. BAPTISTA

DE SANITATE

CVM

COSMO ACCIAIOLO.

Casus disputatus coram Iudice S. Spiritus, incertus est exitus.

De eadem materia hypothecæ bonorum hæredis contentæ in obligatione camerali, àn capiat bona secundi, vel mediati hæredis, quia nempè sit hæredis, hæres.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An sub nomine hæredis veniat hæres hæredis.*
3 *Quando dicta quæstio intret, & in quibus casibus veniat etiam hæres hæredis.*
4 *In vsufructu reseruato etiam pro hærede intelligitur de primo tantùm.*
5 *Idem de onere fideicommissi.*
6 *De quæstione, àn mala fides defuncti afficiat hæredem, vt intelligatur de primo hærede.*
7 *Dispositio* text. in l. fœminæ *intelligitur de successione immediata.*
8 *Renunciatio successioni intelligitur de immediata.*
9 *De iure bona hæredis non veniunt sub obligatione, & quare veniant vbi adest obligatio cameralis.*
10 *De obligatione hæredis hæredis sine inuentario ad debita, & onera.*
11 *Habens pro se regulam, dicitur habere intentionem fundatam, donec probetur limitatio.*

DISC. XXXVIII.

PRæsuppositâ conclusione, de qua *in duobus discurs. præcedentibus*, vt bona hæredis sine inuentario, vel etiam cum eo, intra vires, cadant sub obligationibus, & contractibus initis per defunctũ cum obligatione camerali, cuius formula sub se obligationem quoque bonorum hæredis continet; In ista causa disputabatur corã Iudice Hospitalis S. Spiritus, in concursu creditorum defuncti cum creditoribus eius, qui erat hæres hæredis, Georgij debitoris, àn scilicèt istius bona ratione dictæ obligationis cameralis essent hypothecata, quo casu potiores fuissent partes Cosmi; E conuerso autem potiores illæ Iosephi, & Io. Baptistæ, ex quorum parte desuper consultus.

Respondi quod pro mea notitia, punctus erat peregrinus, adhùc formiter nõ disputatus in his præcisis terminis; Quãuis enim ad materiam *text. in l. qui liberti §. hæc verba ff. de vulg. &c.*, quæstio fuit inter Scribentes, àn sub nomine hæredis, veniat solùm primus, ac immediatus, vel etiam secundus, seù mediatus, et quãdo procedat vulgare axioma, quod hæres hæredis, testatoris est hæres &c. adhibendo distinctionẽ inter vocationẽ legis & vocationẽ hominis ex plenè collectis *per Fusar. qu. 343. num. 21. & 344. num. 9. Masull. ad Capyc. dec. 191. num. 1. Gratian. discept. 743. numer. 15. cum plur. seq apud quos cæteri, & sub tit. de hærede.*

Attamen isti percutiunt terminos generales super effectibus consecutiuè resultantibus à qualitate hæreditaria, potius ex dispositione iuris, siuè iuxtà eius 3 intentionem, non autem in exorbitantibus, & odiosis, in quibus, ob strictam ac rigorosam significationem de iure capiendam, regulariter verius videtur, vt sub nomine hæredis, non veniat nisi primus, ex generaliter firmatis *apud Fusar. vbi supra*; Atque ego ponderabam ea quæ ad materiam *text. in l. antiquitas C. de Vsuf.* habentur *in Tiburtina Castrorũ sub tit. de feud. disc. 62.*, quod si vsusfructus relinquatur etiã hæredi, cum id sit 4 contra naturam vsusfructus, qui importat seruitutem personalem, atque de iure terminari debet cum persona primi vsufructuarij, hinc proindè nè detur multiplicatio exorbitantiarum, intelligi debet de primo, nõ autẽ de vlteriori hærede; Ità pariter cum onus restitutionis importet seruitutem regulariter odiosam, si legatario iniunctũ est post eius mortẽ legatum restituere hæredi, vt intelligendum 5 sit de primo, non autem de secundo habetur *per Rot. apud Mantic. decis. 19.*

Atque in ea quæstione, àn mala fides defuncti influat etiam in hæredem, vbi etiam admittenda sit tanquam magis cõmunis, & recepta opinio affirmatiua in 6 primo hærede non tamen in secundo, ac mediato ex ijs, quæ habentur infra *in Bituntina disc. 131.*, quoniam esset multiplicare fictiones, quod in iure prohibitum est, vt generaliter in his terminis hæredis hæredis *ex Riminald. & alijs*, relatis de dicta propositione non multiplicandi fictiones, habetur *apud Masull. ad Capyc. dicta decis. 191., & dicta tit. de hærede*

Idemque habemus ad materiam *text. in l. fœminæ C. de 2. nup. cum concordan.*, 7 quod coniugi binubo grauato reseruare filijs primi patrimonij id, quod obuenit de substãtia primi coniugis ex successione

ne

ne filiorum,id intelligatur de immediata, nõautem de mediata iuxta magis cõmunem,& à Rota receptam opinionem, de qua *apud Martin. Andream decis. 74. Dunozett. decis.641.nu.5.*,& in sua materia *sub tit.de success.*

Prout etiam habemus in materia renunciationis,quę stricta,& exorbitans in iure reputatur,ideoque strictè intelligẽda,quod renuncians bonis,vel successioni paternæ, excluditur à successione immediata, non autem à mediata, succedendo fratri etiam in bonis,quæ in istum à patre obuenerunt, quoniam dicuntur effecta fraterna in sua materia *sub tit. de Renunciat. cum similibus*.

Applicando autem ad rem,certum est de iure, quod bona hæredis non veniunt 9 sub hypotheca contracta per defunctum, nisi expressè dicatur ex collectis *per Merlin.de pign. lib.2.quæst.15.num.1. & seq. Capyc.Latr.decis.24.num.6.& seq. ex professo Rot. decis.* 343. *par.* 12. *rec.*, & habetur *dictis duobus disc. præceden.*; Et consequenter ista hypotheca,quæ resultat ab obligatione camerali, cum naturaliter,ac de facto,verè non proueniat ab explicita voluntate defuncti, sed potius per fictionem,vel præsumptionem, quasi quod se obligando in forma cameræ facere voluerit totum id,quod in eius formula continetur,(quamuis inspecta naturali veritate, contrahentes nullam penitus dictæ formulæ notitiã habeãt), hinc proindè esset multiplicare, tàm fictiones, seù præsumptiones, quàm exorbitantias, dum ita est fingere dictã obligationem, seù hypothecã à iure exorbitantẽ, ac etiã inducere,quod subnomine hæredis veniat etiã ipsius hæredis hæres, qui licèt ad plures effectus pro hærede quoque habeatur,ex dicta propositione, quod hæres hæredis,testatoris est hæres, attamen certum est,quod id prouenit ex legis fictione, quodque fictè, ac impropriè, non autem naturaliter, ac verè est hæres primi, vt aduertunt *Cephal.& Riminald.* relati *per Masull. ad Capyc. dictæ decis.* 191.

Ponderando item,quod vbi huiusmodi fictionum pluralitatem admittere velimus, eadẽ erit ratio in secundo, ac tertio,& quarto,vel vlteriori hærede, ideoque esset dare processum in infinitũ contra iuris principia,vt etiã *d.tit.de hærede* aduertitur.

Quamuis enim, non suffragante inuentarij beneficio,secundus, vel vlterior hæres,ad debita,aliaque onera primi defuncti teneatur,ex relat. *per Grat.dicta discept.*743. *num.* 18.; Attamen id prouenit,quia debitum defuncti effectum est debitum proprium primi hæredis, cuius hæres ex eadem ratione tenetur ad omnia debita proprij auctoris ex quasi contractu resultante ab aditione, & tanquã repræsentans eius personam in vniuerso eius iure actiuo,& passiuo, nõ aliẽ exindè sequitur,quod ficta, seù præsũpta voluntas primi defuncti, deducta ex dicta formula obligationis cameralis,trahi debeat ad bona secundi,vel vlterioris hæredis, cum hic,vt dictum est, potius efficiatur debitor tanquã repræsentans personam sui auctoris immediati, licèt de consequenti resultet, quod repræsentet etiam illam auctoris mediati, sed potiùs fictè,ac impropriè,quã propriè,ac verè; Et ex his mihi probabilius videbatur, quod pro non comprehensione potius respondendum veniret.

Ponderando in idem sæpius dedu solitũ exioma,de quo *apud Barbos axiom.* 198. *Mantic.decis.*251.*num.*4. *& passim*, vt habenti pro se regulam iuris, sufficiat 11 illam allegare, vt eius intentio fundata dicatur, donec ille,qui dicit contrarium probet; Et consequenter cum *regula* sit vt bona hæredis non veniant sub hypotheca cõtracta per defunctũ,ac etiã altera regula, vt in dispositione homi præsertim circa odiosa, & exorbitantũ, sub nomine hæredis non veniat nisi pr mus,hinc proindè onus est dicẽtis,quo veniat etiam secundus,id probare,quod que nisi per alterã partem doceretur specialibus decisionibus, vel auctoritatibus id firmantibus, fundata remaneret huius partis intentio in dictis regulis Incertus autem est controuersiæ exitus.

ANCONITANA

ECVNIARIA, seù CONCVRSVS

PRO

MONASTERIO MONIALIVM S. BARTHOLOMÆI

CVM

VNIVERSITATE CREDITORVM RATIONIS BANCHARIÆ MANZONI.

Casus decisus per Rotam pro Monasterio.

In bonis depositarij, vel administratoris Ecclesię, vel Loci pij, competat hypotheca legalis; Et de differentia inter administratorem voluntarium, et necessarium.

SVMMARIVM.

De materia dotis Monialium.
Facti series.
Resolutiones causæ.
Pro deposito non competit hypotheca.
Creditores defuncti in ipsius bonis vincunt creditores hæredis.
Hypotheca legalis adinstar tutoris competit contra quemcumque legalem administratorem.
In specie contra œconomum, vel administratorem Ecclesiæ.
De differentia inter administratorem voluntarium, & necessarium.
Quod in hac specie esset administratio legalis.
An contra dolosum administratorem voluntarium competat hypotheca legalis.
Quando doctrinis in punctualibus deferendum non sit.

DISC. XXXIX.

CVM ex decretis generalibus S. Congregationis insinuatis *sub tit. de Dote disc.* 167. ad materiam dotis Monialium, non admittantur puellæ ad habitum monasticum pro nouitiatu peragendo, nisi facto depositio dotis in pecunia numerata penès tutam sacram ædem, vel penès idoneum campsorem, ab Episcopo deputandum, siue in subsidium, in arca sub pluribus clauibus in eodem Monasterio retinenda, vt loco citato aduertitur; Atque in huiusmodi decretorum exequutionem, Episcopus Anconitanus, pro huiusmodi depositis 2 istius Monasterij, deputasset bancum, seu rationem bancariam Manzoni senioris, communi iudicio nimium idonei reputati (qualis in effectu semper fuit); Casus autem præbuisset, vt efformata noua ratione per Manzonum iuniorem & Inuittum, in quam debita, & credita prioris rationis transfusa fuerunt, ista defeciisset, ac propterea formatus esset cõcursus; Hinc aliqui creditores expressam conuentionalem hypothecam habentes, quamuis posteriores, prætendebant excludere Monasterium creditorem ex causa huiusmodi depositorum, vtpotè in sola personali, alijque pariter solam personalem habentes, in eo quod supereesset, prætendebãt venire per æqualem concursum, seu contributum; Introductaque causa *in Rota coram Carpinea*, fauore Monasterij, vt censendus esset creditor hypothecarius, prodierunt re- 3 solutiones *sub diebus 3. Iunij 1665. & 19. Ianuarij 1666.*, quibus creditores acquieuerunt, neque causa vlteriorem progressum habuit.

Duo autem fuerunt huiusmodi resolutionum fundamenta, quæ mihi pro Monasterio scribenti (reflectendo etiam ad solam veritatem), solida, & probabilia videbantur; Primò scilicet, quod vbi etiam Monasterium iure priuati, ac non priuilegiati creditoris censendum esset, vnde propterea haberet solam actionem personalem, careret autem hypotheca legali, quam ego admittebam regulariter non competere pro depositi-

4 to, super quo adhibita distinctione regularis, et irregularis, intrat solum inspectio prioris legij inter plures creditores chirographarios, ex deductis supra *disc.* 25.; Attamen ex beneficio separationis bonorum in bonis *Manzoni* senioris spectantibus ad primam rationem bancham, vincere deberet concurrentes, qui erant creditores dictæ alterius rationis nouæ; Atque super hoc nulla fuit quæstio iuris, cum Scribentes pro creditoribus non controuerterent certam, ac absolutam conclusionem, vt in bonis in-
5 differentibus, creditores defuncti ex beneficio separationis bonorum, vincant creditores hęredis in ipsius defuncti bonis, sed ex facti circumstantijs prætendebatur, quod bona defuncti affecta quoque essent pro debitis istius nouæ rationis, quod tamen, benè firmatum fuit in facto non subsistere, ex deductis in vtraque huius causæ decisione.

Alterum erat fundamentum consistens in solo puncto iuris, super hypotheca legali, quam ego, promotor motiui dicebam huic Monasterio competere debere, eodem modo, quo de iure compet it pupillis, ac minoribus, vel etiam
6 fisco, seu Reipublicæ aduersùs tutores, et curatores, aliosque legales administratores, ex eadem ratione, de qua supra *disc.* 36., quod scilicet omnes, qui sub necessaria legali administratione viuũt, hoc legali præsidio, ex rationis identitate, iuuari debent, iuxta magistralem theoricam *Bart. in l. rempublicam, C. de iur. Reip. lib.* 10. *nu.* 2., vt in specie Ecclesiæ, vel Hospitalis *Merlin. de pign. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 2. *num.* 18. *& seq. & quæst.* 12. *num.* 13. *& 33. & Acost. de priuil. cred. reg.* 3. *ampliat.* 23. *nu.* 63. *& seq. & ampliat.* 1. *num.* 23., vbi infert ad administratores, vel curatores furiosi, prodigi, surdi, muti, et similium, cum alijs *per Amat. resol.* 57. *num.* 2.

Et in specie œconomi, seu administratoris Ecclesiæ, vel mensæ Episcopa-
7 lis, benè conciuis meus *Robert. Marant.* auctor speculi, seu praxis, *conf.* 87., vbi more fundati Doctoris distinguit inter administratores voluntarios, deputatos pro maiori commoditate, ab eis, qui possunt per seipsos bona propria administrare, ac necessarios, seu legales eorum,
8 qui ex naturæ, seu legis impedimento, administrare non possunt per seipsos, sed coguntur perneceſsè viuere sub alie-na administratione, vt primo casu rectè intret regula, quod admittenda non sit hypothecæ competentia, nisi in casibus in iure expressis; Ex ea clara ratione, quia sibi imputet ille, qui cũ posset per se ipsum eius bona administrare, id agere voluerit per procuratorem, seu alium negotiorum gestorem, quodque ita agendo, non benè sibi consuluerit de hypotheca conuentionali, quam absque legis auxilio, ex propria prouidentia, rectè obtinere poterat; Secus autem in altero casu, qui tunc iustum, ac rationabile sit, vt ius subueniat ex deductis *dicto disc.* 36.

Certum autem erat, quod ista erat administratio necessaria, non solùm ex eo, quod ageretur de Monasterio monialium, quæ non possunt per seipsas propria negotia tractare, sed perneceſsè
9 œconomorum & procuratorum administratione viuere coguntur, vnde propterea dicta conclusio generaliter et definitè locum habere debet; Sed tota in hac facti specie, quod neque eidem Monasterio imputari potest, cur deputando œconomos, vel procuratores, quorum deputatio ab ipso Monasterio pendat, sibi de conuentionali hypotheca nõ consuluerit, quoniam agebatur de actu necessario in executionem decretorum S. Congregationis; consequenter quod iste depositarius putandus veniret tanquam officialis, et administrator, potiùs publicus, quàm priuatus, ideòque duplex necessitas, duplexque ratio pro ista hypotheca legali concurrebat.

Deducebam vlteriùs more Aduocati eadem quæ insinuantur *supra disc.* 36. de hypotheca legali competente etiam
10 in bonis priuati, ac voluntarij procuratoris, vel negotiorum gestoris, qui in dolo versetur, occupando bona administrata ex auctoritate *Neguſ. de pignor. membr.* 4. 2. *par. num.* 164. *vers. Vigesimus secundus, Mantic. de tacit. lib.* 11. *tit.* 14. *num.* 5. *in fin., Merlin. de pignor. lib.* 2. *tit.* 3. *quæst.* 90., *et Gratian. discept.* 935. *n.* 14.

Verùm omninò neglectum fuit motiuum, et meritò, cum mihi quoque minùs fundatum videretur; Expendendo siquidem dictas auctoritates, *Mantic.* et *Merlin.* sunt simplices relatores *Neguſ.* qui

qui hoc asserit auctoritate *Bar. in l. fin. C. in quibus cauſ. pign. tacit. contrah.*, id non dicentis, vndè conſtat has auctoritates nulli fundamento innixas eſſe; *Gratian.* autem pariter de more ſimplex relator ſeu collector, procedit cum ſuſpecta auctoritate venali *Peregrini* conſulẽtis, qui curat id arguere à fure, in quo neq; in iure fundatum videtur; Sed quidquid ſit in eo caſu, non tamen admittenda videtur extenſio; Ideòque rectè intrant deducta per *Cyriac. contr. 50. nu. 3. & ſeqq.*, vt doctrinis punctualibus de-
11 ferri debeat, quatenus benè fundatæ ſint, non autem ſi, ex doctrinis, vel rationibus, quas adducunt, conſtet eas probabili iuridico fundamento innixas non eſſe; Inſulſum enim eſt dicere, quod procurator, vel negotiorum geſtor pecunias adminiſtratas in eius vſus conuertendo, et non reſtituendo, haberi debeat tanquam fur, quoniam aliàs nulla differentia eſſet inter priuatos voluntarios adminiſtratores, ac publicos & legales, ac etiam quia vbi depoſitum non eſt regulare, neque adminiſtrata pecunia retinetur tanquam ſpecies, ſed ad formam depoſiti irregularis, confunditur cum reliquo patrimonio, nil prohibet eius vſum, cum obligatione generis.

SENEN.

PRO

HORATIO AZZONE

CVM

HÆREDIBVS ARISTIDIS.

Reſponſum pro veritate.

An hypotheca ſeu actio hypothecaria extinguatur, eo ipſo, quod creditor ſuccedit debitori, etiam in præiudicium tertij ius habentis ſuper eo credito hypothecario anteriori; Vel potiùs reſultet ſimplex cõfuſio actionum ratione incompatibilitatis, quæ præiudicet ipſi adeunti, non autem tertio; Et incidenter, an debitor poſſit repudiare, vel nolle quærere in præiudicium creditorum id, quod defertur à ſtatuto, præſertim dotem maternam.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Creditor poteſt exercere omnia iura eius debitori competentia, & cum illis ſe tueri.*
3 *De Statuto Senenſi circa dotes mulierum, et num. 17.*
4 *Confuſio actionum per additionem hæreditatis non præiudicat creditoribus defuncti.*
5 *Hypothecæ ſuper nominibus debitorum reſoluuntur per ſolutionem, quam debitor faciat eius creditori, cui benè ſoluit.*
6 *Declaratur, vt procedat in vera ſolutione, idemque de ſoluente procuratori, vel adminiſtratori.*
7 *An debitor, cui ſuperuenit creditum, poſſit cum ſeipſo compenſare in præiudicium creditoris anterioris.*
8 *De ijs, quæ conceduntur actibus veris, denegantur tamen actibus fictis.*
9 *De valida extinctione cenſus fideicommiſſarij cum hærede grauato, et quando ſecus.*
10 *Procuratori, vel alteri adminiſtratori benè ſoluitur verè, ſed non fictè.*
11 *Eo ipſo, quod debitor ſuccedit creditori, vel è contrà, confunduntur actiones.*
12 *Filius nullum ius habet in bonis patris viuentis, etiam pro legitima.*
13 *Debitor poteſt nolle quærere, atque ita præiudicare creditoribus.*
14 *Declaratur concluſio, de qua num. 12. ſed vide num. 18.*
15 *Item declaratur concluſio, de qua nu. 13. vt non procedat in contractibus.*
16 *An procedat eadem concluſio in legitima.*
17 *De eodem Statuto Senenſi circa ius filiorum*

rum in dote, de quo num. 3.

18 *Quod aliud sit successionem esse necessariam, aliud verò vt requiratur agnitio.*

19 *De differentia inter legitimam, et ius necessariæ successionis in dote, vel fideicommisso.*

20 *Declaratur conclusio, de qua num. 15. circa ius ex contractu.*

21 *Donatio an sit contractus, et quando.*

22 *De eodem, vel consimili Statuto, de quo n. 3. & 17., et quod mulier viuens sit domina dotis.*

23 *Si mulier alienat, vel obligat vna cum filio vocato ad dotem, quid operetur iste consensus.*

24 *De eodem, de quo num. 22., vt mulier sit domina, et dantur similia.*

25 *De eodem statuto, et quod mulier sit vsufructuaria.*

26 *Quoad ipsum hæredem nil refert, an confusio actionum sequatur vno, vel altero modo.*

27 *Creditore succedente debitori, an confusio tollat actionem hypothecariam, affirmatiuè.*

28 *Quid in casu conuerso debitoris succedentis creditori, et quod secùs.*

29 *De rationibus differentiæ, & quod hærede succedēte reuocabiliter nō fiat cōfusio.*

30 *De alia ratione differentiæ super præsumpta, seù imaginaria solutione.*

31 *Ista imaginaria solutio inducta est fauore ipsius hæredis, si ei expediat.*

32 *De restitutione in integrum aduersùs aditam hæreditatem sine inuentario.*

33 *In dubio præsumitur potiùs debitum proprium quàm alienum.*

34 *Resolutio causæ.*

DISC. XL.

DEfūcto Io. Dominico debitore dotiū, Annæ vxoris, et Honoratæ nurus adhuc viuentium, Ioannes ex Marco Antonio filio prædefuncto nepos, eius hæreditatem simpliciter adiuit, deindèque effectus quoque est hæres Annæ auiæ, et Honoratæ matris; Cumque dictus Io. Dominicus de anno 1629, Mallio genero aliqua bona insolutum dedisset, cum obligationibus prædictorum Io. nepotis, Annæ vxoris, et Honoratæ nurus; Hęredes autē Aristidis fideiussoris eiusdem Io. Dominici in quodam censu ante dictum annum 1629 impositi, ad dicta bona, pro eorum idemnitate agerent contra Horatium Mallij hæredem, ac possessorem, iste verò exciperet ex persona prædictorum, Annæ, Honoratæ, & Ioannis, pro euictione obligatorum de creditis anterioribus vtriusque dotis vsque ab annis 1581, & 1603 respectiuè; Replicabant actores, quod cum dicta credita consolidata fuissent in Ioannē hærede Io. Dominici debitoris, illa ratione confusionis actionum extincta fuissent, ideòque non deberent ipsis creditoribus posterioribus præiudicare; Quare ex parte dicti Horatij rei conuenti consultus.

Pro eius bono iure probabilius respondendum esse censui, ex vero, ac recepto principio, quod creditor dicitur procurator sui debitoris, ideòque, præsertim excipiendo, ac pignoris tuendi causa, deducere potest iura, & credita anteriora eius debitori competentia ad repellendum creditores posteriores *ad tex. in l. si pignori ff. famil. ercisc. cum concord. apud Franch. decis. 345. num. 2. Rouit. dec. 29. num. 4. Capyc. Latr. consult. 16. nu. 14. Rot. decis. 30. num. 10. post Merlin. de pignor. & frequenter*; Et in specie vsus iurium dotalium, quando mulier non præstitit simplicem consensum importantem solùm remissionem hypothecæ, sed expressè se obligauit pro euictione bonorum à viro distractorum, habetur actum *sub tit. de dote in Tyburtina Saluiani decis. 85.*, atq; sæpissimè in centum, ac centum similibus casibus practicaui.

Quatenus verò pertinet ad dictum motiuum prætensæ extinctionis deductę ab actionum confusione, et super quo totus erat quæstionis punctus, (cum ea cessante, supra insinuata conclusio tanquam indubitata admitteretur); Attenta dispositione Statuti Senensis reseruantis mulieri quartam partem dotis ad liberam eius dispositionem, reliquas verò tres partes deferentis filijs, vel vlterioribus liberis superstitibus; Dixi, vt quoad dictam quartam partem, planum esset bonum ius rei, dictumque motiuum non obstaret, quoniam in hac parte, cum reus esset creditor Annæ & Honoratę defunctarum, confusio actionum, quæ resul-

tat

tat ab aditione hæreditatis, operatiua non est respectu creditorum defuncti,
4 quibus competit beneficium separationis bonorum, ob quod eorum ius remanet saluum etiam aduersùs alienationes, et hypothecas, cum non possit factum hæredis posteà adeuntis, siue casus, quod hæreditas creditoris deferatur ei, qui est debitor, præiudicare tertio, cui illud nomen debitoris affectum est.

Et quamuis in motiuis desuper transmissis procederetur cum generalitate
5 *text.in l. nomen debitoris, C.quæ res pign. obl.poss.*, vt scilicet debitor, à lege, vel ab homine non inhibitus, rectè soluat proprio creditori adhuc integro, suamque bonorum administrationem habenti, atque solutio extinguat debitum, resoluatque hypothecas super hoc nomine debitoris ipsius creditoris creditoribus quæsitas, ad communiter notata *in dicta l. nomen debitoris*, de quibus *Surd.cons.*43. *num.*1.*&* 2.*Conciol.alleg.*17. *& alleg.*51. *num.*9.*Salgad.in labyr.par.*2.*c.*28.*nu.*11. *cum seq.& par.*3.*cap.*1.*num.*129. *& sequ. Rot.apud Caualer. decis.*345. *num.*1.*&* 2. *& decis.*357.*nu.*29 *& seq.par.*9. *rec.add. ad Buratt.decis.*793.*& passim.*

Replicabam tamen id procedere, vbi agatur de vera, et effectiua solutione bona fide facta, cum tunc sufficiat solutum esse, proprio, ac directo creditori, cui cessante legis, vel hominis inhibitione, rectè solui potest, non obstante consequutiuo præiudicio resultante creditoribus ipsius creditoris, de quo soluens sollicitus esse non tenetur, quoties decoctio, vel eius imminentia ob legis inhibitionem, ac fraudem ab eadem lege præsumptam, id non impediat; Secùs tamen, vbi agatur de solutione ficta & intellectuali resultante à compensatione, vel confusione, quoniam quemadmodum creditor, vel prælatus, aut procurator, et quilibet alius similis potest recipere veram solutionem, sed in præiudicium eius creditorum, vel principalis non potest remittere debitum, seu alias acceptilare, vel facere nudam confessionem de recepto, ita pariter non potest compensare, seu alium actum fictum facere *ad not.in l.debitorem meum,& l.cui rectè ff.de nouation.l.quod stipulatus, ff.de solut., cum concordan.dec.*374.*p.*5.*rec.Buratt.& add.decis.*54., et habetur *alibi hoc eod.tit.*

Idque euidenter constat ex *ijs*, quæ pluries habentur *infra hoc eodem titulo* super quæstione, de qua *apud Franch. de-*
7 *cis.*53.*Capyc.Latr.& add.dec.*25.*cum alijs ibi deductis*, et latè *per Giurb.obseru.* 106., an debitor possit cum seipso compensare proprium debitum cum credito posteriori sibi superuento, in præiudicium creditorum anteriorum, quibus eius nomen iam hypothecatum erat, quoniam vna opinio tenet simpliciter negatiuam, iuxtà *d. decis.* 53. *Franch. & sequacium*; Altera verò iuxtà *dictam decis.*25.*Capyc. Latr.& sequacium*, quamuis teneat affirmatiuam, attamen eam recipit cum moderatione bonæ fidei, secùs autem ista cessante, ideòque multò minùs in præiudicium creditorum defuncti, iste actus fictus, qui ratione incompatibilitatis ex hæreditatis aditione resultat, operari potest, quamuis aditio simpliciter fieret, cum id præiudicet *ipsi* adeunti, non autem tertio.

Multaque in iure conceduntur actui vero, qui denegantur ficto, vt præsertim habetur ad materiam *Authent.res quæ,C.*
8 *communia de legatis*, quod per veram, et effectiuam solutionem dotis factam grauato descendenti à fideicommittente, præiudicatur fideicommisso super istius subsidiaria obligatione resultãte à dispositione *d.Auth.*, et tamen simplex confessio, vel acceptilatio, vel alia ficta solutio hunc effectum non producit, vt pluries in sua materia *sub tit. de dote* præsertim *disc.*145.

Ità pariter si debitor fideicommissariæ hæreditatis, ex causa census, vel alia, debitum verè, ac effectiuè soluat, seu cen-
9 sum extinguat cum hærede grauato, vel possessore fideicommissi, benè soluit, ac liberatur *vt infrà*, & in sua materia *sub titulo de cens.*, nisi lex in contractu adiecta, aliter disponat ex ibi deductis, et tamen solutio ficta hunc effectum operari non potest.

Vt etiam habemus in procuratore ad exigendum, vel alio negotiorum gestore, siue tutore aut administratore, &c.
10 quod eis benè soluitur, atq; debitor liberationem consequitur, et tamen non potest nouare, seu acceptilare, vel confiteri &c., *ex deductis d.dec.*374.*par.*5.*rec.*, *Buratt.,& add.decis.*54.*cum alijs*, de quibus habetur suprà; Vndè propterea quoad istas

tas quotas, casus pro meo iudicio videbatur omninò planus.

Difficultas autem residebat in tribus alijs partibus à Statuto delatis dicto Ioãni filio, ac nepoti respectiuè, quoniam cum de tempore, quo ipse per mortem matris, ac auiæ, creditor effectus est, iam esset earumdem dotium debitor tãquam hæres simpliciter dicti Io. Dominici aui ac debitoris, consequenter dicebant motiuantes, quod istud creditum nunquam stetit, neque cecidit sub hypotheca eius creditorum, dum in ipso instanti, quo creditum debitori defertur, ob in-
11 compatibilem cõcursum actionis, et passionis in eodem subiecto, inducitur confusio actionum, redolens quamdam instãtaneam, seu imaginariam solutionem, adeòut verificari non possit acquisitio, ac permanentia istius nominis debitoris in eius patrimonio, vndè propterea cadat sub hypothecis, quibus eius bona, & iura affecta sunt, ad regulam generalem *tex. in l. neque pignus, ff. de reg. iur. l. Stichum, §. aditio, ff. de solut. l. Vranius, & l. frater à fratre, ff. de cond. indeb. l. si debitori, C. de pact. cum concordan.*, de quibus antiquioribus relatis *Apont. cons. 8. lib. 1. & cõs. 143. n. 1. & 2. lib. 2. Merlin. de pign. lib. 5. quæst. 15. num. 1. Conciol. dicta alleg. 17. Giouagn. cons. 73. lib. 1. Rot. dec. 183. num. 10. post Cenc. de cens. & in alijs.*

Quatenus igitur pertinet ad hãc difficultatem; Pro ea euitanda duas constituebam inspectiones, quarum quælibet in proposito sufficiebat; Primò scilicet circa tempus, in quo hæc iura dotium matris, & auiæ dicto Ioanni obuenissent, an scilicet ab instanti natiuitatis, vel dissolutionis matrimonij, et sic antequam sequeretur aditio hæreditatis eius aui, per quam ipse effectus est huiusmodi dotium etiam debitor (cum esset hæres simpliciter absque inuentarij beneficio), vel potiùs obuenissent per mortẽ dictarum matris & auiæ, quando iam erat effectus debitor; Si enim verificaretur prima pars obuentionis ante qualitatem hæreditariam, tunc intrarent eadem, quæ habentur supra de quarta parte ipsarum mulierum, et consequenter, quod actionum confusio, quæ ab aditione resultat, apta non esset tollere ius quæsitum creditoribus vt suprà.

Et secundò, posito, quod verificaretur altera pars, vt scilicet dicto Ioanni creditum superueniisset de tẽpore mortis matris, vel auiæ respectiuè, et sic postquam ob dictam hæreditariam qualitatem iam effectus erat debitor, an ista confusio esset solùm apta impedire actiones personales, (vt ex hac parte prætẽdebatur), vel potiùs non remaneret in simplicis terminis huius confusionis, sed redoleret etiam speciem solutionis extinctiuæ cuiuscũq; actionis, etiam hypothecariæ, (vt erat prętensio Actorum, atque inclinabant iudices in motiuis, iuxtà stylum desuper editis), atq; in hoc secundo puncto verè & propriè tota quæstio circumferebatur.

Quatenus igitur pertinet ad primam; In eisdem motiuis, ad probandum quod attendendum esset tempus mortis matris, et auiæ, procedebatur cum regula, seu conclusione generali, de qua alijs re-
12 latis *Becc. cons. 34. nu. 17. lib. 1.* plenè *Ditograd. cons. 40. nu. 14. & seq. & cons. 41. nu. 62. & seq. lib. 2. Rota apud Mantic. de cis. 289. num. 1. & dec. 355. nu. 10. & per tot. par. 6. rec. & in alijs frequenter*, vt filius in bonis parentis adhuc viuentis nullum ius quæsitum habere dicatur, etiam ratione legitimæ, quoniam dari potest casus talis depauperationis parentis ante obitum, vt nihil pro legitima remaneat, neque ius filiorum, ob speratam legitimam, aptum est impedire parenti in vita liberam suorum bonorum administrationem, nisi in casu fraudulentæ dissipationis, ob quam imploran potest iudicis officium pro congrua prouisione.

Atque in idem ponderabatur altera conclusio deducta *tex ex. in l. qui autem, ff. quæ in fraud. cred.*, vt scilicet debitor, cui successiones, ac legata & fideicom-
13 missa, aliaque successionis iura delata sunt, possit nolle quærere in præiudicium creditorum, quibus proindè nullum ius, vel actio ad ea bona competit, quoniam vt ea cadant sub eorum hypotheca, opus est, vt priùs efficiantur de dominio, ac patrimonio debitoris, quod ante agnitionem non resultat, cum successionis, vel alterius iuris delatio, remaneat in terminis simplicis facultatis, qua ad exercitium non delata, nullum ius quæri dicitur, ex ijs, quæ antiquio-

ribus

ribus relatis habentur super ista conclusione *apud Franch.decis.101. Capyc.Latr. & add.decis.8.& 34,Prat.obser.15.& 16. Castill.lib.5.contr.c.112. Salgad.in labyr. par.2.c.14,& pluries infrà.*

Super hoc autem puncto,discurrendo dicebam,quod prœmissa rectè procedunt in ijs,quæ obueniant ex intestata successione,siue ex alia voluntaria dispositione
14 verè de futuro,non trahente causam de præterito, quæ præexisteret de tempore contractæ obligationis, quasi quod tunc vtraque conclusio procedat,secùs autem, vbi est ius necessarium, ac non successorium, neque hæreditarium, sed iure proprio , cum istud ius veniat sub hypotheca,ideòque non remissibile,Adinstar eorum, quæ ad materiam *text.in d.l.qui autem* habemus in iuribus competentibus
15 ex contractu , vt remitti non possint in præiudicium creditorum , iuxtà doctrinam *Bar.in l.1. §.non quærimus ,ff.si quis omiss.caus.testam.Peregr.de iur.fisci lib.6. tit.7.num.40.cum alijs per Capyc.Latr.decis.34.num.12.& 13. Rot. in Romana Patauij 3.Decembris 1646.coram Cerro.*

Atque in terminis legitimæ, quæ à lege perneceſsè delata est , & non pendet à voluntataria dispositione testantis, vel moriendo ab intestato se conformantis cum testamento legis,vt illa remitti, seu repudiari non possit in præiudicium creditorum , cæteris relatis firmant *Peregr.de fideic.art.3.nu.128.& seq.& cons. 71.num.3.lib.1. Menoch.cons.77. per tot.*
16 *Fab.de Anna cons.76.num.3.& 5.Fontan. de pact.claus.4.glos.9.par.5.nu.122.*, qui hanc dicit veriorē *Merlin.de legit. lib.3. tit.2.quæst.29.ex num.10.ad fin.* , atque in istam opinionem,quamuis nihil decidendo,sed relatis Doctoribus hinc indè, inclinare videtur *Rota in Anconitana bonorum 25.Februarij 1647.coram Bichio* , de quo habetur actum particulariter infra *disc.137.& seq.*

Quod autem hoc ius , competens filijs in dote materna ex Statuto Senensi , dicatur delatum ab initio,etiam viuente matre,quodque sit ius necessarium redo-
17 lens speciem legitimæ,imò aliquid magis , adeoùt mulier non possit de his tribus ex quatuor partibus inter filios inæqualiter disponere etiā pro constituenda dote filiabus,quodque vsufructuariæ potiùs assimiletur, in specie firmatur *apud Paul.de Castr.cons.441.lib.1. Soccin. cons. 48. in princ. cons.84. in fine , & cons.93. num.20. lib.1. Mart. Med.decis.48.nu.7. cum seq.* , qui omnes loquuntur de hoc statuto; Et conferunt ea quæ in terminis consimilium statutorum,vel consuetudinum deferentiū dotem filijs, in toto, vel in parte, habentur *sub tit. de Dote discur. 103. cum seq. vbi concordantes* .

Ista responsio , ità simpliciter sumpta, mihi parum tuta videbatur , quoniam Aliud est,vt ius futuræ successionis radicatum sit in causa de præterito, illudque sit necessariū , adeout ille,cui succeditur, non possit successionis ordinem peruer-
18 tere ; Aliud verò vt bona,quæ ex huiusmodi successione deferuntur, efficiantur de dominio eius,qui successurus est,quoniam potest non succedere ob præmorientiam naturalem,vel ciuilem,seù etiā, quatenus superstit , potest nolle agnoscere,dū (quidquid Scribentes variauerint) magis communis, & recepta opinio est , præsertim in Rota,& Curia, vt etiam in successione fideicommissaria procedat dicta regula *text. in l. qui autem*, vt firmatur *in Firmana fideicommissi de formonis 9. Iunij 1634. coram Panzirolo* , quæ in hac materia circumfertur tanquam magistralis sæpius in alijs canonizata , atque in terminis maioratuum hanc esse veriorē firmatur *apud Salgad.in labyr.p. 2.c.14.*, & habetur pluries infra præsertim *d.disc.137.& seq.* ; Et tamen potentius est hoc ius,quàm illud legitimæ,siue necessariæ successionis in dote , in qua DD. considerant solùm quoddam legitimæ augumentum ex deductis *dicto disc. 103. & seq. de Dote*; Et in specie huius Statuti patet ex deductis *apud Mart.ibi edic.vbi supra.*

Remanere siquidem pro filijs legitimam,pendet à mero casu , admixto etiā cum voluntate parentis , qui potest ita decedere bonis denudatis, vt nihil pro
19 legitima filiorum remaneat, et consequenter est ius merè de futuro , quod etiam quandoque in dote,seù lucris procedit ob facultatem disponendi inter viuos, vt *dicto discur.103. & seqq. de Dote*, Secus autem in successione fideicommissaria,quæ, excepta euentualitate caducationis ob præmorientiam,habet ius radi-

catum

catum in causa de præterito omninò exitura, cum grauatus nō possit bona alienare in vita, adeoùt inane reddere non valeat ius successorium, vt in legitima contingit.

Ea vero, quæ habemus in contractibus, rectè procedunt in illis actibus correspectiuis, in quibus ab initio, seù aliàs ex interuallo adsit coniunctio consensuū
20 vtriusque contrahentis, cum tunc dicatur quæsitum dominium vel ius, quod postea in præiudicium creditorum non potest non acquiri, quoniam in effectu esset potius transferre, vel remittere ius quæsitum, quam abstinere ab acquirendo, et in his terminis rectè procedit hæc conclusio, quæ malè intelligi solet in omnibus actibus inter viuos, puta in donatione facta absenti, quamuis cum iuramento, vel Notarij stipulatione, vel ex priuilegio infantiæ, seù aliàs perfecta, & irreuocabili, quoniam potest donatarius nolle acceptare, & sine quo actu, dominium in eum non transfertur, cum Aliud sit actum ita perfici, vt pœnitentiam excludat ex parte facientis, cuius respectu dicatur perfectus, ac irreuocabilis, Aliud verò ad effectum acquisitionis dominij, pro quo necessaria est acceptatio, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de Donat. pluries.*

Ideoq; nō improbabiliter *Faber & alij*, redarguūt pragmaticos explicātes dona-
21 tionē sub genere cōtractuū, cum potius impropriè, ac per modū abusiuum loquēdi, ità dicatur, pro explicando actum inter viuos, discretiuè ab illis per vltimam voluntatem, sed vt dictū est, impropriè, cum verè, & propriè contractus dicatur ille, qui perficitur ex coniunctione vtriusque consensus contrahentium; Solumque in donationibus iste terminus congruere videtur improprijs, & onerosis quæ, licèt in verbis, donationem redoleant, factis autem important magis contractum correspectiuum iuxta pluries deducta *dicto tit. de Donat.*

Adhùc tamen (etiam in sensu veritatis) credebam hæc iura dotalia affecta esse huic parti per dictam obligationem, tàm mulierum, quàm dicti Io. filij in dotibus successuri, adeoùt ea, quæ supra habentur de quarta parte remansa ad liberam dispositionem mulierum, in reliquis tribus, omninò pariformiter procederent; Siquidem huiusmodi dotium dominium, vel ius stare non potest in
22 aere, ac sine domino, sed per necessè dicendum est, vt de tempore huiusmodi contractæ obligationis, illud existeret, Vel penès ipsas mulieres respectiuè, Vel penès dictum Io. filium, ac neporem, ex iure statutario vocatum; Quomodocūque autem diceretur, semper erit, vt de tempore obligationis, ius iam quæsitum esset penès vnū, vel alterum debitorem, quodque propterea per futurum actum voluntarium creditori præiudicari non potuerit, quoniam ideo per veram ac effectiuam solutionem ei præiudicatur iuxta terminos *text. in dicta l. nomen debitoris*, quia ille dicitur actus necessarius, quem creditor, neque volens potest euitare à suo debitore volente se à debito eximere cum solutione.

Et consequenter, Aut dominium istarum dotium erat penès ipsas mulieres, et tunc rectè in eis creditori ius perfectè
23 quæsitum fuit stante consensu & obligatione dicti Ioannis ad earumdem dotiū necessariam successionem vocati, tanquā per speciem illius alienationis, quàm hæres fideicommisso grauatus faciat cum consensu substituti; Istique videntur veri, ac proprij termini, quod mulier donec viuit est vera domina, cum dominio tamen aliqualiter refrenato, iuxta euentualitatē, vt scilicèt quatenus filij supersint, perneceſsè illis relinquere teneatur, sed hoc interim verum dominium non tollit iuxta alias necessariæ succes-
24 sionis species, quas habemus in terminis *text. in Auth. hæres C. de 2. nup. cum concord.*, de quibus *sub tit. de Dot. disc.* 140. super proprietate lucrorum coniugalium filijs reseruanda; Siuè iuxtà alios terminos *text. in l. fœminæ C. de 2. nupt. cum concord.*, de quibus *sub tit. de succeß.* super reseruatione, quam parens binubus facere tenetur ad fauorem filiorum primi matrimonij; Et fortiùs in eo dominio, quod ex veriori, magisq; recepta sententia habere dicitur hæres fideicommisso grauatus, vel alter successiui fideicommissi possessor, vt pluries in sua materia *sub tit. de fideic. præsertim disc.* 55. *& in alijs*, *& sub tit. de feud. ad mater. Bullæ Baronum disc.* 89. *& in alijs.*

Et

Et nihilominus, vbi (licèt minus probabiliter), attento sensu verbali *Castr. dicto cons.441. lib.1. num.2. & 6.*, in terminis huius Statuti, mulier dicenda esset
25 in his tribus partibus simplex vsufructuaria, ità perneceſsè oportet dare in filijs ab instanti eorum natiuitatis proprietatem, et consequenter, semper idem resultat effectus, vt de tempore talis obligationis huiusmodi dotium ius quæsitum, ac de præsenti radicatum esset in vno, vel altero ex obligatis, quodque propterea alter contrahens istius iuris in genere fidem sequutus fuerit, atque sub eius clypeo contraxerit, aliàs non cõtracturus; Cum enim tunc tale ius perneceſsè existeret penès vnum ex obligatis, Alter verò haberet, vel ius neceſsariæ succeſsionis tanquam per speciem fideicommiſſi, vel ius vſusfructus, hinc meritò cõtrahens voluit habere vtrumq; obligatum, vnum scilicè tanquam dominũ, & alterum tanquam præstantem consensum pro eius iure.

Hinc proindè nulla subesse videbatur neceſsitas assumendi alteram inspectionem, àn scilicèt illa actionum confusio, quæ resultare dicitur per additionem hæreditatis ratione incompatibilitatis, dicatur facere operationem simplicis confusionis in actione personali tantum, non autem in hypothecaria, vel potius habeat vim solutionis, adeoùt hypothecariam quoque extinguat, dum ex præmiſſis, ob ius tertio iam quæsitum, ceſsabat neceſsitas istam quæstionem assumendi.

Verùm vbi de illa agendum esset, aduertebam ad id, quod adeo frequentèr, aliarum quæstionum occasione, aduertitur, vt ad tollenda æquiuoca, adeo de facili contingibilia, ob confusionẽ doctrinarum diuersos terminos percutientiũ, procedi debeat cum distinctione casuum siuè effectuum; Aut enim agitur quoad præiudicium ipsiusmet creditoris adeun-
26 tis hæreditatem debitoris, vel è conuerso, debitoris adeuntis hæreditatem creditoris, ac aliorum ab eo ex post causam habentium, et tunc inanis est quæstio, cum idem resultet effectus, idcoque nil referat actiones siuè personales siuè hypothecarias, vno, vel altero modo confundi, vt in specie aduertunt *Neuizan. cons.69. in fine vers. Præterea Franch. dec.80 num.7. in princ. Rot. decis.4. nu.35. par.5 rec.*

Aut verò agitur de præiudicio tertij, cui de tempore, quo actus additionis resultat, aliquod ius quæsitum sit, vndè propterea ratione iuris tertij inspicere referat, àn confusio, vno, vel altero modo sequatur, et tunc distinguendus est casus, in quo creditor hypothecarius proprio debitori succedat, ab altero è conuerso, in quo debitor succedat creditori; In primo siquidẽ casu creditoris succeden-
27 tis debitori, intrat celebre *cons. 198. Castr. lib.1.* super quæstione, àn confusio remaneat in simplicibus terminis confusionis tollentis solùm actionem personalem, vel potiùs habeat vim solutionis tollentis hypothecariã, et de isto casu agunt *Apont. cons.8. lib.1. Franch. decis.80. Sess. decis. 46. Merlin. de pign. lib.5. quæst.14. Marcian. iun. disp.95. ex num.1. ad 9. Conciol. alleg.17.*, vbi de isto casu, atque videtur intrare posse terminos fictæ solutionis dictum maiorem effectum operãtis; (Quod tamen formiter examinare non oportuit, dum non versabamur in casu); Ac etiam quia, tàm per Scribentes in contrarium, quàm etiam per motiuantes supponebatur, (& in hac parte benè) quod versaremur in secundo casu debitoris succedentis creditori, quod scilicèt Io., ob hæreditariam qualitatem, iam effectus debitor matris, & auiæ pro restitutione earum dotium, ità postmodũ eis succeſserit.

De isto autem secundo casu præciso debitoris succedentis creditori, indiuidualiter agitur *apud Afflict. decis. 237.*,
28 quod scilicèt filius fuerit patris hæres sine inuentario patris debitoris dotis, deindè verò effectus fuerit hæres matris creditricis, atque in proposito concursus creditorũ agit *Apont. dicto cons.143. vbi ex num.6. ad finem*, sequendo distinctionem *Napodan. in Consuet. si quis, vel si qua num. 236. canonizatam apud Afflict. dicta decis. 237. & Capyc. decis. 195.*, & concluditur intrare solùm confusionem operatiuam quoad actiones personales, non autem fictam solutionem, operatiuã etiam quoad hypothecarias; Idemque prius dixerat *idem Apont. d. cons.8. nu.9.*, vbi agit de casu conuerso, atque cum his pertransit *Merlin. de pign. dicta quæst.14. numer.14.*, et reuera hic est sensus *Ne-*

guſ. (ſi benè ponderetur) *de pign. primo membr. 5. par. num. 54. in quinto caſu*, vbi præſertim in fine adducit diſtinctionem, quod Aliud eſt conſiderare confuſionem, Aliud verò præſumptam ſolutionem, vt prima non tollat hypothecariam, ſicuti ſecunda.

Hanc autem veritatem conuinci dicebam, non ſolum per dictas auctoritates, abſquè contradicentibus, qui tunc in contrarium deducerentur, ſed quod clarius conuinceret etiam viua ratio non
29 habens reſpõſionem, quod ſcilicèt nunquam admittenda eſt ea ſolutio, quę apta ſit operari hunc effectum hypothecæ extinctiuum, quoties hæreditas, eiuſque bona ſunt penès hæredem reuocabiliter; Idque ſiuè reuocabilitas ſequi poſſit iure dominij, ac reſtitutionis iure fideicommiſſi, ſiuè iure hypothecæ iuxta verior em, ac receptam opinionem quam (reiecta opinione *Alex. & ſequacium*) ſequitur *idem Neguſ. num. 55.*, ac ſequuntur *Afflict. Apont. & alij vbi ſupra*, quoniam ipſa hæreditas eſt ius vniuerſale ſtans de per ſe, quod propter ius creditorum, vel intereſſe habentium in ea, remanet in ſuo eſſe penès hæredem ſuſpenſiuè, ſeù reuocabiliter, tanquam ſub ea adminiſtratione, de qua ſupra *diſcur. 36.*; Et conſequenter dari non poteſt illa omnimoda confuſio, quæ habeat vim, ſeù effectum ſolutionis omninò extinctiuæ.

Alia item differentiæ ratio inter primum, & ſecundum caſum deſumi videtur *ex Neguſ. dicto 1. membr. 5. par. num. 54. verſ. in hac tamen materia*, quod ſcilicèt,
30 vbi creditor ſuccedit debitori, tunc fingitur, quod hæreditas debitoris, antequã adeatur, ſoluerit ipſi creditori, ſiuè (vt alij dicunt), quod ipſe creditor antequam adeat, manu ſua ſibi ipſi, de bonis hæreditarijs ſoluat id, quod conſequi debet, vnde per ſolutionem extinguatur debitum, et ſic in hæreditate remanere dicatur illud minus, vt aduertitur per Rotam *deciſ. 198. num. 6. par. 7. rec.*; Iſta verò ratio non cadit in caſu conuerſo, quod ſcilicèt debitor obtinens hæreditatem creditoris, huic ſoluat de proprio, quoniam non adeſt creditor, cui ſolutum præſumatur, ideoque merito DD. hanc rationem in caſu conuerſo non conſiderant.

Concordare item videntur magis cõmuniter Scribentes *ex Bart. in l. ſiij qui pro emptore ff. de vſucap. & in l. Vranius ff. de fideiuſſ. cum concord. apud eumdem Neguſ. dicto num. 54. Merlin. dicta quæſt. 14. numer. 63. & ſeq.*, quod vbicumque
31 dicta imaginaria ſolutio damnoſa eſt ipſi hæredi adeunti, tunc ea non eſt præſumenda, cum ſit præſumptio pendens ab animo ipſius, regulanda ab eius vtilitate, vtpotè præſumptio inducta eius fauore, vt etiam firmatur *per Rot. dicta deciſ. 198. num. 8. & 9. par. 7. rec.*

Expediebat autem dicto Ioanni hæredi, vt iſta ficta, ſeù imaginaria ſolutio nõ ſequeretur, Tùm quia ſibi magis expediebat prius liberari à debito antiquiori, & iurato, ac vallato quarantigia, alijſque pactis executiuis, adimentibus multa beneficia cõpetentia pro ſimplici debito, non iurato, neque executiuo; Tùm etiam quia licèt adiens ſimplicitèr, ac ſine
32 inuentario alicuius hæreditatem, vtpotè priuatus beneficio inducto per ius nouiſſimum *in l. fin. C. de iur. delib.*, teneatur creditoribus, ac legatarijs inſolidum, attamen adhùc poteſt eſſe ſibi conſultum aduerſus damnum ex huiuſmodi inconſiderata aditione reſultans, ex beneficio reſtitutionis in integrum ex clauſula generali, *ſi qua mihi &c.* vt plenè & magiſtraliter firmatur *per Rotam deciſ. 82. par. 9. rec. vbi concordan.*, & *in ſua materia ſub tit. de hæred.*, ideoque ſibi expediebat, vt ſibi ipſi hoc debitum non eſſet ſolutum, ac propterea ceſſat illa imaginaria ſolutio à lege in dicto alio primo caſu præſumpta; Atque ceſſante ſolutione, adeoùt res reducatur ad ſolos terminos confuſionis, tunc planum eſt, actiones hypothecarias non eſſe ſublatas, ſed remanere in ſuo eſſe.

Alia etiam accedente concluſione, quod in dubio præſumitur potius debi-
33 tum proprium, quàm alienum diſſolui, ideoque cum debitum de tempore aditionis hæreditatis auiæ, & matris eſſet alienum, hoc eſt hæreditarium auí, cenſendum non eſt, quod ita iſtud diſſoluere voluerit, ac remanere obnoxius debito proprio iurato, & grauiori erga iſtum emptorem.

His tamen non obſtantibus, Rota Senen., in qua cauſa pendebat, contrarium
34 iudicauit, quodque reus his iuribus dotali-

talibus vtpotè extinctis tueri nõ posset, editaque decisione, mihi visum est non adesse probabilia fundamenta, quæ intellectum captiuarent, dum potius continere videbantur quasdam subtilitates, scholis, & academijs congruas; Talis est ingeniorum diuersitas, quam quotidiè experimur, ob quam, nõ amplius pro veritate, sed pro iudicio proprio responderi potest; Pendet tamen reuisio, et de hac materia imaginariæ solutionis plenè *sub tit. de hærede disc.* 28.

AVXIMANA

PRO

MARIA MAGDALENA, ET ALIIS DE ROMANIS

CVM

PAVLO BERNARDO, ET ALEXANDRO LVCVLO.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Maria Magdalena.

De eadem materia confusionis actionum per aditionem hæreditatis, ac etiam de administratione bonorũ debitoris facta per creditorem; ex quibus creditor posterior excludat anteriorem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De confusione actionum, vbi debitor succedit creditori, vel è contra.*
3 *Cohæres non opponit cohæredi eumdem defectum omissi inuentarij.*
4 *Confusio actionum, de qua num. 2. resultat pro sola virili.*
5 *Quid referat, an ille, qui adit hæreditatem sui debitoris, esset aliorum debitor ante aditionem, vel talis postea efficiatur.*
6 *Frater maior administrans bona fratris, tenetur reddere rationes.*
7 *Administrator non dicitur debitor, vel creditor ante redditas rationes.*
8 *Administrator præsumitur sibi satisfeciſſe ex bonis administratis.*
9 *Præsumpta satisfactio in Creditore adeũte hæreditatem debitoris, quãdo magis intret.*
10 *An, & quando contra administrantem rem communem cum minore competat iuramentum in litem.*
11 *Qualis dolus consideretur in adeunte hæreditatem sine beneficio .l., & inuentarij.*

DISC. XLI.

1 EX Philippo superstites fuerunt, Io. Baptista natu maior ex prima, Ioseph, ac Hieronymus minores ex secunda vxore; Atque Hieronymo ingresso Religionem, minori ætate adhùc durante, Ioseph vxorem duxit, ex qua susceptis, Maria Magdalena, & alijs filiabus, obijt minori ætate quoq; durante; Deindè verò ad aliquot annos obijt quoque Io. Baptista, qui ab initio communem hæreditatem paternam, aliaque bona administrauerat; Quare Paulus, & Alexander eius creditores, iudicium instituerunt contra dictas filias, earumque matrem ad bona obuenientia à præfato Philippo, iure crediti anterioris dotium maternarum dicti Io. Baptistæ, cuius ratione vincere prætendebant etiam vtrumque creditum dotale, tàm secundæ vxoris dicti Philippi, quàm vxoris Iosephi, & sic matris, & auiæ puellarum rearum conuentarum, procedendo cum conclusione de iure vera, quàm ego scribens in contrarium non impugnabam *disc. præced.*, & in alijs pluries insinuata, vt creditor dicatur procurator sui debitoris, ideoq; eius vice, ac nomine exercere valeat omnia iura illi competentia.

Cum autem causæ Patronus, antequã, iuxtà stylum, assumeretur Aduocatus, insisteret in motiuo confusionis actionum per aditionem hæreditatis Philippi patris,

teris,& debitoris iuxta primum casum dictum *discur. præced.*, creditoris scilicèt succedentis debitori, vndè non solum resultat simplex confusio actionum, sed etiam præsumpta, seù imaginaria solutio extinctiua etiam actionis hypothecariæ ex ibi allegatis. 2

Respondebant Scribentes pro actoribus (et benè) cum duabus conclusionibus de iure veris; Primò scilicèt quod defectus inuentarij obijcitur per creditores, & legatarios, ac fideicommissarios particulares, non autem per cohæredem, qui pariter inuentarium non confecit, ex mutua delictorum compensatione, siuè quod nemo opponit alteri defectū, quo ipsemet laborat, vt in specie cæteris relatis *apud Cacheran. decis. 147. num. 7., Barbos. de succes. tom. 2. lib. 11. tit. 9. numer. 9. & 10. Rota in Romana hæreditatis de Caualerijs 22. Maij 1630. coram Coccino Fulginaten. fideicommissi 4 Iunij 1658. Borlemont., & in sua materia sub tit. de hærede.* 3

Et secundo, quod confusio actionum, quæ resultat in creditore adeunte hæreditatem debitoris, absque inuentarij beneficio, vbi nō est vnicus hæres, sed alios habet cohæredes, procedit in sola virili, qua empta, non prohibetur à cohæredibus petere debitum pro eorum virili, cum in alijs partibus habeatur pro non hærede ad text. *in l. pro hæreditatis C. de hæreditar. action. cum concord. per Rot. dec. 23. & 296. par. 7. rec., decis. 66. par. 8.* latè *decis. 413. par. 9. & passim.* 4

Assumptus igitur ad rearum conuentarum defensionem, atque agnoscendo dictarum conclusionum veritatem, illas admittebam; Adhuc tamen (etiam in sensu veritatis) credebam dictos creditores iuste repellendos esse, potioresque fore partes rearum conuentarum excipientium de duplici credito dotali matris, & auiæ, ac etiam de iuribus eorum patris; Illud in primis statuendo, quod cum actores non essent creditores Io. Baptistæ creditoris anterioris dotis maternæ, de tempore, quo sequuta fuit aditio hæreditatis patris debitoris, non cadebat quæstio, de qua *disc. præced.*, an scilicèt ista confusio redoleat speciem veræ solutionis extinguentis debitum, etiam in præiudicium creditoris hypothecarij ipsius adeuntis, quoniam erant credita postmodum superuenta, quo casu certa conclusio est, vt omnes exceptiones, quæ obstant ipsi creditori, obstent etiam eius creditoribus isto casu venientibus ex iure, & persona eorum debitoris non autem iure proprio, vt venire dicuntur, quando erant iam creditores cum hypotheca antequā aditio sequeretur, quoniā siuè per fictam solutionem, siuè per simplicem confusionem resultantem ab aditione hæreditatis, semper firmum remanet, quod sub hypothecis contractis post aditionem tūc non præexistens creditum cadere non poterat, atq; istū casum percutiunt deducta *per Conciol. alleg. 17.*, super qua in alio casu, de quo *disc. præced.*, per Iudices (meo tamen iudicio malè) magnum constitutū fuit fundamentum, quoniam ibi agebatur de emptore volente se tueri cum iuribus dotalibus matris venditoris, qui de tempore venditionis iam effectus erat hæres patris debitoris, atque consumata erat confusio actionum iuxta præsentem casum omninò diuersum ab altero, de quo *dicto disc. præced.*, ideoque reflectendum est ad distinctionem casuum, ex quorum confusione tot æquiuoca resultant.

Hoc autem posito, vt scilicèt actores non haberent maius ius, quam eorum debitor si viueret, & ageret pro istius crediti præcipua detractione, plura obstabant id impedientia; Primò scilicèt quod, cum ipse frater maior administraret bona fratri minori communia, cuius iura reæ conuentæ duplici titulo, creditoris, & hæredis repræsentabant, hinc obstabat redditio rationum, ad quam ipse tenebatur, ex ijs, quæ in specialibus terminis fratris maioris administrantis bona fratris minoris alijs plenè collectis habentur *apud Michalor. de fratr. par. 3. cap. 4. num. 1. & 2.* 6

Atque, hoc posito, de consequenti resultare dicebam alteram veram, nimiumque frequentem conclusionem, de qua pluries *sub tit. de Tut. & Admin. post tit. de Alien. & Contr.*, vt administrator non possit dici debitor, vel creditor nisi prius redditis rationibus suæ administrationis. 7

Secundò in idem, ob alteram pariter veram, ac frequentem cōclusionem, quod tutor, vel alter administrator, qui esset creditor pupilli, vel eius, cuius bona ad- 8

mi-

miniſtrantur, præſumitur, vt ſibi ipſi ſatisfecerit ex deductis *deciſ.* 336. *numer.* 3. *par.* 6. *rec. deciſ.* 152. *num.* 7. & 8. *par.* 9. & pluries *in dicta ſua materia ſub tit. de Tut. & Admin.*

Vndè propterea benè intrare dicebã ea, quæ *diſcur. præceden.* habentur de præſumpta, ſeù imaginaria ſolutione, quæ conſideratur in creditore adeunte hæreditatem debitoris, quoniam in præſenti dicebam hanc præſumptionem intrare, nõ ſolùm ex ſimplici iuris fictione in abſtracto, ſed etiam ex probabili præſumptione in cõcreto, quod ſcilicèt ipſe frater maior, qui non confecto inuentario, neque libro, adminiſtrauerat paternam hæreditatem fratribus minoribus communem, inuenerit in eadem hæreditate pecuniam numeratam, gemmas, argentum, aurum, merces, & alia mobilia, ex quibus ſibi ipſi de proprio credito ſatisfecerit, vndè propterea eſt præſumptio, quæ non reſultat à ſola fictione, vel ſubtilitate legis, ſed etiam à facto veriſimili.

Adeoque contra maiorem adminiſtrantem rem communem cum minori, rigoroſè proceditur, vt *Plot. de in lit. iur.* §. 13. *num.* 5. relatus *Michelor. dicto cap.* 44. *num.* 4., credat locum eſſe iuramento in litem ratione doli præſumpti ob omiſſionẽ inuentarij, & libri; Et quamuis iſtud aſſumptum per me impugnetur *dicto tit. de Tut. & Admin. præſertim in Bonon. diſcur.* .; Attamen in eo caſu agebatur de pupillo, vel minore habente tutorem, vel curatorem, atque in eo contra quem, prætendebatur dictum iuramentum intrare, concurrebat alter titulus particularis adminiſtrationis cõtinuantis eodem modo, quo in vita patris ipſius pupilli, ideoque ita continuando, de culpa redargui non poterat; Secus autem in præſenti, dum adminiſtratio erat generalis, atque per eum, qui de iure erat habitualiter fratris minoris curator, vt ità diſtinguendo in dicta ſua materia aduertitur; Et nihilominus vbi etiam rigor iuramenti in litem non intraret, adhùc tamen verè congrueret eadem ratio, vt facilius dicta præſumptio admittenda eſſet.

Atque hinc reſultare quoque dicebã exceptionem doli, ſeù obligationis ad quanti intereſt minori viuenti ſub adminiſtratione fratris maioris, hæreditatem paternam aditam nõ eſſe iuxta communem vſum cum beneficio inuentarij, cum
11 ità rectè intraret ille dolus, qui in hærede hoc beneficiũ negligente per quemdam improprium loquendi modum conſideratur ſupra *diſc.* 36.; Ideoque non iure illius confuſionis, quæ ratione incompatibilitatis reſultat indefinitè ab aditione hæreditatis debitoris, ſed ex dictis alijs particularibus circumſtantijs, dicebam quod actores venientes ex perſona culpoſi adminiſtratoris, & cohæredis repellendi eſſent; Atque ità iudicatum fuit.

MACERATEN.

PRO

CREDITORIBVS OCTAVII COSTÆ.

Diſcurſus pro veritate, ac directione.

An creditores hæredis grauati, vel poſſeſſoris fideicommiſſi, actionem habeant ad bona fideicommiſſaria etiam poſt ceſſatum, vel reſolutum ius eorum debitoris, ac factum caſum reſtitutionis, ſi idem debitor obtinuerit à Principe facultatem alienandi aliqua bona cum derogatione fideicommiſſi, quoties talis facultas ad exercitium deducta non ſit.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*

2 *Facultas alienandi bona fideicommiſſo ſuppoſita non tribuit ius creditori-*

toribus eius, cui concessa est.

3 *An Bulla Baronum tribuat aliquod ius creditoribus.*

4 *Quando ille, cui concessa est dicta facultas, dicatur illa vti.*

5 *Quãdo consensus alicuius requiritur pro forma in executione gratiæ non sufficit ille, qui præcedẽter datus est.*

6 *An ex promissione de obtinendo dictam facultatem oriatur aliqua actio.*

7 *De promissione de faciendo quid operatur.*

8 *Et quæ actio vel effectus resultet ex alienatione earum rerum, quæ sine alterius assensu non sunt in commercio.*

9 *Quando iudicium pro veritate effarmari possit, necnẽ.*

DISC. XLII.

PRæsidentibus pro communi, pro vna parte Philippo, Benedicto, & Antonio fratribus, pro altera Laurentio, & pro altera Octauio de Costa patruis, antiquum fideicommissum ordinatum à Manente etiam de Costa, omnes concorditer, vt aliqua eorum respectiuè debita dissoluerent, in transactione inter eos super quibusdam controuersijs inita, conuenerunt obtinere à Papa facultatem alienandi quædam loca montium fideicommissaria, vt quadam parte pretij relicta, iuxta stylum pro multiplico fideicommissi reintegratorio, reliquũ in dicti æris alieni dissolutionem, erogaretur, vt de facto obtenta fuit; Sed prius quam exequutori præsentaretur, obijt Laurentius, paulò verò post obijt quoque Octauius absquè prole masculina, vndè propterea dictæ portiones in vim reciprocæ consolidatæ fuerunt cum tertia portione prædictorum Philippi, Benedicti, & Francisci; Octauius autem antequam decederet, curauit dictam gratiam per eius procuratorem præsentari coram Episcopo Maceraten. exequutore in litteris deputato; Ac etiam in codicillis, indicauit debita, quæ cum pretio dictorum locorum montium in prædictę gratiæ exequutionem extingui deberẽt; Cumque dicti fratres superstites, in quibus totum fideicommissum consolidatũ erat, immutato rerum statu, dicta gratia vti nollent, eo modo quo obtenta erat, pro extinguendis scilicèt debitis prædictorum Laurentij, & Octauij, dum eorum ius per mortem iam resolutum fuerat, vndè propterea fuisset exequi gratiam in tempore inhabili; Hinc ex parte creditorum dicti Octauij cõsultus fui, àn eis cõpeteret ius agendi pro eiusdem gratiæ executione, qua mediante, satisfactionem ex bonis distrahendis obtinere possent.

Respondi, regulam eis resistere, quod scilicèt huiusmodi licentiæ, seù facultates, ius non tribuant creditoribus, nisi postquam demandatæ fuerint exequutioni, qua mediante sequatur extractio, seù dismembratio bonorum à fideicommisso, istiusque obstaculo remoto, bona efficiantur libera, atq; de dominio debitoris, vndè propterea incidant in eorum hypothecas, cum possit idem, qui facultatem obtinuit, nolle illa vti, iuxta terminos *text. in l. qui autem ff. quæ in fraud. cred.*, de quibus habetur *disc. præced.*, & pluries in alijs infra.

Et in his specialibus terminis facultatis obtentæ à Principè, alienandi, vel obligandi bona fideicommissi, vel maioratus cum istius derogatione, *ex Molina, Mierez, & alijs* latè probat *Salgad. in labyr. par. 2. cap. 10. num. 65. & seq., & num. 88. & seq., & num. 107.*, vbi in specie consideratur casus, vt ille, qui facultatem obtinuit, morte præuentus illam ad exercitium deducere non potuerit.

Ad quod ponderabam etiam ea, quæ pluries habentur *sub tit. de feud. ad mater. Bullæ Baron.*, super eiusdem Bullæ operatione circa remotionem obstaculi fideicommissorum, aliorumque vinculorum, ad hoc vt ius quæratur creditoribus, vt scilicèt iuxtà opinionẽ, quæ mihi probabilior videtur, quamuis habitualiter adsit dicta facultas generalis, ex eadem Bulla resultans, actualiter tamen non operetur, nisi Congregatio manus apponat, atq; vincula soluat ex ibi pluries deductis.

Difficultas hæc rectè procedebat, quoad portionem Laurentij defuncti absque alia animi declaratione, dum poterat nolle vti, vt supra; Secus autem respectu Octauij, cum in isto dicta ratio cessaret, quoniam, tàm per exhibitionẽ gratiæ eius nomine factam per procuratorem

torem coram exequutore, quàm per dictam declarationem factam in codicillis, benè declarauit animum vtendi gratia, atque efficiendi bona libera, vt creditoribus satisfieret; Idque pro meo iudicio rectè procederet, vbi gratia aliam nõ contineret conditionem, quia nempè ad ipsius Octauij tantùm instantiam concessa, alterius assensum non desideraret; Verùm obstare nimium videbatur conditio adiecta super consensu per omnes vocatos, ac interessatos præstando, cum clausula *dummodò*, conditionem redolente; Quamuis enim supplicatio omnium nomine porrecta esset, atque ex concordia supra enunciata, alijsque adminiculis, præsertim contributione in expensis, dici posset, quod omnium consensus iam accederet, Attamen dum Papa, non obstante, quod supplicatio omnium nomine porrecta esset, adhùc dictum consensum ab omnibus præstandum desiderauit pro forma, signum est quod voluit nouam formalem, ac deliberatam præstationem dicti consensus coram executore, quoniam multa ita in forma extraiudiciali dicuntur aulico more, quæ vbi deueniuntur ad formalitatem actus, denegantur, ex ijs quæ in proposito præstationis consensus, conditionaliter, ac pro forma desiderati, vt non suppleatur per cõsensum præstitum à procuratore in vim mandati dati ad obtinendam gratiam habentur *in Vercellen. sub tit. de benef. disc.* 48.

Vnicum autem fundamentum, quod creditoribus assistere posse, mihi videbatur, erat illud resultans à prædicta concordia, per quam expresè conuentum
6 fuit, vt deberent omnes procurare dictã gratiam eiusque effectuationem, pro dicto fine assequendo; Id etenim non causabat solutionem vinculorum, ac libertatem bonorum, adeoùt caderent sub creditorũ hypothecis, eisque affecta remanerent, vndè propterea ius reale, vel rei persequutorium eis competere posset, sed benè causabat obligationem ad cogendũ promittentes actione personali ad adimplendum promissa, sin minus ad quanti interest, iuxtà ea, quæ habemus in promissione de donando, vel de vendendo, quod nõ est vera donatio, vel venditio, dominij, vel alterius iuris realis translatiua, sed benè producit actionem personalem contra promittentem, ad effectũ
7 eum cogendi, vt adimpleat præcisè id, quod promisit, vel saltèm quanti interest, quod sonat in idem ex deductis *decis.* 58. *par.* 6. *rec.*, *& sub tit. de Donat.* pluries in proposito promissionis de donando.

Ac etiam habetur in contractibus, quę fiunt super rebus differentibus in libero commercio non existentibus, absque alicuius assensu, vel alia solemnitate, puta
8 in feudis, & officijs, ac locis montium, alijsque prohibitis, quod si quis contrahat, atque se obliget obtinere assensum, id non præstat aliquod ius reale, vnde propterea, eadem bona, vel iura in contractum deducta, rectè in alterum transferuntur cũ assensu, Attamen contrahẽti competit actio personalis ad implemẽtum, vel ad quanti interest, vt pluries *sub tit. de feud.*, & sub altero *de Regal.*

Si autem hæc actio dicto Octauio cõpeteret, ità quoque competere dicebam eius creditoribus ex pluries in præcedẽtibus insinuata conclusione, quod creditor dicitur procurator sui debitoris, cuius vice, ac nomine, exercere potest omnes actiones, omniaque iura sibi competentia; Istudque remedium suppetere dicebam ab aliqua probabilitate nõ alienum, ad effectum saltèm obtinendi ali-
9 quam honestam concordiam, non tamen adhùc efformando certum, ac maturum iudicium, quod absque formali disputatione non de facili efformari potest in illis quæstionibus, quæ non habentur in iure, ac apud scribentes formiter discussæ, & decisæ, atque ità credo, quod hæc ansam præbuerint concordiæ.

ROMANA

CONVERSIONIS PRETII

PRO

N. MAYNO.

Responsum pro veritate.

An creditor ex duplici causa obtinens bona, vel pecunias debitoris, possit id referre ad causam posteriorem, seù minus priuilegiatam, in præiudicium creditoris intermedij, ità repellendi cum alia causa anteriori, vel potiori; Siue àn pro interesse fideiussoris, vel alterius interessati, cogi possit creditor ex duplici causa, solutionem referre ad causam posteriorem tanquam duriorem, pro ipsius fideiussoris, vel alterius indemnitate, ipso creditore volente eam referre in causam anteriorem.

SVMMARIVM.

1 *FActi series.*
2 *Solutio referenda est ad causam duriorem pro qua datus est fideiussor.*
3 *Omnes quæstiones circa relationem solutionis cessant, vbi accedit expressa declaratio.*
4 *Creditor non potest cogi recipere solutionem in causam posteriorem, atq; censetur facta in anteriorem.*
5 *Anterior dicitur illa, ex qua prius cogi potest.*
6 *De dispositione* text. in l. ob triginta, *de quo num.* 3.
7 *Non potest creditor anterior in præiudicium intermediorum referre solutionem in causam posteriorem ratione concursus.*
8 *Quando solutio ob diuersitatem negotiorum potius in posteriorem, quam in anteriorem referri debeat, vtpotè de eius effectibus.*
9 *Declaratur conclusio, de qua numer. 3. vt debitore declarante, in quam causam soluat, illa attendi debeat &c.*

DISC. XLIII.

TIberio existente Camerario debitore ex duplici causa, pro quarum posteriori Maynus fideiusserat, cum ad manus eiusdem Cameræ obuenissent pecunia retracta ex pretio aliquorum bonorum eiusdem Tiberij defuncti non soluendo, atque prætenderet eam referre in satisfactionem debiti antiquioris, dū pro altero sibi consultum erat aduersus dictum fideiussorem, iste prætendebat ex consilio aliquorum Causidicorum, vt dicta pecunia, potiùs referri deberet in posteriorem causam vtpotè duriorem, qualis dicitur illa, pro qua datus est fideiussor, ad quam proindè solutio prius referenda est ad regulam *text. in l. 4. ff. de solut. & ex doctrina Bart. Castr. & aliorum in l. si ex pluribus ff. eod. tit. de solut.* cum concordantibus *apud Grat. discept.* 224. *num.* 70. *Rota apud Caualer. decis.* 99. *num.* 3. *cum seq. Surd. decis.* 186. *add. ad Burat. decis.* 284. *& communiter.*

1 2

Et vlterius ijdem Causidici, à Mayno fideiussore consulti, dicebant quod quæstio tractata per Doctores *in l.* 2. *&* 3. *ff. de solut.* latè reassumpta *per Grat. dict. discept.* 224., vbi expendit ferè omnia ad hanc materiam pertinentia, & de qua pluries infra, percutit casum ambiguū, quando scilicèt solutio simpliciter facta esset, alio non expresso, vt tunc lex interprætando, siuè supplendo partium voluntatem, declaret in quam causam facta censeatur; Secus autem, vbi ipsius debitoris declaratio accedit, quoniam in claris & expressis, non intrant præsumptiones, & argumenta, vt litteraliter disponit *text. in l.* 1 *ff. de solut.*, *cum concord. apud Caualer. decis.* 165. *num.* 2. *&* 3. *Cels. decis.* 190. *num.* 9. *&* 206. *numer.* 6., *& sepissimè*. Quamuis enim ista declaratio non adesset ex parte principalis debitoris iam defuncti, aderat tamen ex parte eius legitimi hæredis, à quo, ex eodem consilio, ad hunc effectum idem fideiussor curauerat adiri hæreditatem cum beneficio inuentarij, ob quod nihil refert eam esse

3

mi-

minus idoneam, dum hæres tutus remanet ab omni molestia in persona, & bonis proprijs.

Cum autem Camerales id negarent, atque dictam pecuniam referre vellent credito anteriori, prouenienti ex eadem causa, ex qua etiam proueniebat posterius, administrationi scilicèt triremium, cum temporis ordine, ac diuersitate, hinc dictus Mayous me desuper consuluit, ad effectum dignoscendi, àn desuper à Cameralibus grauaretur, vt dicti Consulentes asserebant, vel quod eorum prætensione probabili existente, honestam concordiam pro minori eius damno oportunè procurare posset; Atque ego iuxta hanc secundam partem consului, vt scilicèt, eo quo posset meliori modo, se concordaret, vt sequutum fuit.

Motus ex regula *text. in l. ob triginta ff. de solut.*, vbi clarè deciditur, vt creditor petens satisfieri ex causa anteriori, non possit cogi recipere solutionem in causam posteriorem; Et generaliter, vt solutio in causam anteriorem potius quã posteriorem referri debeat *l. in his, & l. cum ex pluribus ff. de solut. cum concordan. per Gratian. disceptat. 224. Menoch. lib. 3. præsumpt. 136. nu. 10. & seqq. add. ad Buratt. decis. 541.*

Potissimè verò vbi vtriusque debiti solutionis dies iam cessit, cum tunc non intret ea difficultas, quæ cadit quando debiti posterioris cessit dies, quæ nõ cesserit pro anteriori, cum in hoc proposito anterioritas non desumatur ex tempore contractus, sed ex illo exercitij actionis, seù coactionis *ex deduct. per Ruin. consil. 136. num. 15. lib. 2. Rot. apud Merlin decis. 507. & 741. add. ad Buratt. vbi supra, Rota in Romana, seù Veliterna restitutionis in integrum 25. Iunij 1646. coram Bichio inter suas* iam impressas in dies edendas.

Et quamuis *in d. l. ob triginta* non agatur de duplici diuerso debito, vel diuersa causa, sed vbi est vnum & idem, pro cuius parte datus sit fideiussor, & pro altera non, quo casu intrat distinctio, àn solutio sequatur ex bonis proprijs ipsius debitoris, vel potius ex illis creditoris, vel eius, cuius bona administrantur, vt primo casu solutio referri debeat ad causam duriorem fauore fideiussoris pro eo liberãdo, secùs autem in secundo, in quo fideiussor præstitus dicitur pro summa residuali, in qua administrator remaneret debitor de proprio, vt in specie habetur *infra disc. 102.*; Attamen idẽ tex. clarè probat, quod cessante ista æqualitate, nõ teneatur creditor inuitus dimittere debitum secundum, pro quo datus est fideiussor, ex ea clara ratione, quod ideo creditor, pro primo debito de cautione sollicitus non fuit, quia iudicauit in bonis debitoris esse consultum, sollicitus tamen fuit pro secundo, quia de idoneitate dubitaret cum bona absorpta essent à primo, ideoque voluit ità sibi consulere; Ac etiam quia dum bona priori hypothecæ affecta erant, ita esset dare, quod fideiussor obtineret liberationem ex bonis ipsius creditoris magis, quàm ex illis debitoris, siuè intraret ratio circuitus, quod creditor priores hypothecas super eisdẽ bonis exercere posset.

Et consequenter ex eadem ratione, neque volens posset creditor ex duplici causa, *in* præiudicium alterius creditoris
7 intermedij, solutionem referre ad posteriorem, ad effectum experiendi creditũ anterius in alijs bonis in præiudicium dicti intermedij, ratione circuitus, quod scilicèt intermedius possit eidem obijcere, quod habet in manibus pecunias ab eo auocabiles, iuxta illam circuitus exceptionem, de qua *Otthob. decis. 235. numer. 15. & seq.*, & aduertitur pluries supra, ac infra *hoc eod. tit.*

Tunc autem solutio, tàm pro, quàm respectiuè contra creditorem, ad causam posteriorem, neglecta anteriori, referẽda esset, quando ea proueniat ex eadem cau-
8 sa posteriori, pro qua fideiussor præstitus est, vel alter interessatus existat iuxta casum adeo acriter disputarum *in Firmana pecuniaria decis. 592. & 612 par. 5. rec.*, *& in eadem 14. Iunij 1647. & 3. Iunij 1650. coram Bichio*, quod scilicèt deputatus administrationi Annonæ pro vno anno, alterius anni sequentis nouam administrationem susceperat, præstitis fideiussoribus à prima administratione diuersis, vndè propterea, ipso principali effecto non soluendo, quæstio erat, àn ea, quæ ad manus Ciuitatis creditricis obuenerant ex pretio frumenti secundi anni, seù administrationis, referri deberent ad debitum antiquius anni præcedentis, atque inuoluta quæstio pendebat potius ex facto, àn scilicèt frumentum pertine-

set ad vnam, vel alteram administrationem; Posito enim quod pro certo cõstaret pertinere ad secundam, rectè dicebãt fideiussores istius secundæ, vt ad eam solutio referenda esset, cum ita reputaretur duplex homo, administrans duplex diuersum negotium, ideoque effectus vnius referri non debent ad solutionem debiti alieni; Eodem modo quo habetur *hoc eodem tit.* de potioritate creditoris socialis posterioris, in effectibus tamen ipsius negotij socialis aduersus creditores anteriores priuatos cuiuslibet ex ipsis socijs, ita pariter, & ex eadem ratione idem dicendum est circa solutionem ad vnam, vel alteram causam referendam.

Neque subsistere dicebam ea, quæ supra habentur de declaratione debitoris soluentis, quoniam id rectè procedit, vbi debitor, tàm naturaliter, quàm ciuiliter viuit, suorumq; bonorum liberam habet administrationem, atque in statu bonæ fidei, citra fraudem, vel collusionem soluit in causam expressam ab ipso creditore non impugnatam; Secus autem vbi res est in fieri, & creditor recusat; Siue vbi creditore etiam volente, se opponit alter interessatus, atque solutio nõ fiat ab ipso debitore, qui tàm naturaliter, quàm ciuiliter viuat, sed eo naturaliter mortuo, ab hærede, vel ciuiliter per decoctionem, ab administratore, vel iudice, postquam bona posita sunt sub concursu, cum tunc non detur locus huiusmodi declarationibus, & gratificationibus ex plenè deductis, cæteris relatis *per Salgad. in labyr. par. 1. cap. 16. numer. 64. cum seq.*, & pluries in alijs *hoc titulo* occasione auocationis, vel cautionis præstandæ &c.

VITERBIEN

PECVNIARIA

PRO

ORFINIS

CVM

ALEXANDRO DARDO,

Casus disputatus coram A.C.,

De eadem materia, àn scilicèt creditor ex duplici causa, solutiones sibi à debitore factas, in vnam potius quàm in aliam referre possit, vel respectiuè teneatur, in præiudicium vel respectiuè pro indemnitate tertij, puta alterius creditoris, vel fideiussoris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Non potest debitor in præiudicium fideiussoris, vel creditorum declarare ex interuallo, in quam causam soluerit.*

3 *Declaratur, quando procedat conclusio, vt solutio referri debeat in causam antiquiorem, vel duriorem.*

4 *Quomodo decidenda sit quæstio, in quam causam solutio referatur.*

5 *De alia declaratione conclusionis, de qua num 2.*

6 *Confessio adminiculata præiudicat tertio.*

7 *Declarationi donatoris est deferendum.*

8 *De alio casu controuersiæ super eodem articulo, de quo num. 2. & 3.*

9 *De exactoribus piorum locorum, ad quid teneantur.*

10 *Solutio non potest referri ad causam indebitam, si adest debita.*

11 *Solutiones censentur factæ per administratorem, vel exactorem de pecunijs exactis, vel administratis.*

DISC. XLIV.

LAurentius Zagrettus, initio anni 1652. ab Orsinis Dohanerijs patrimonij deputatus fuit exactor responsionum debitarum per Communitates, atque pro eo fideiussit Alexander; Anno verò sequenti, vel ab eisdē Dohanerijs, vel à Camera, idem Laurentius deputatus fuit exactor quorumcumque effectuum, ad ipsam Cameram, eosdemque Dohanerios spectantium ratione dictæ Dohanæ, atque pro eo fideiussit Bartolomæus; Cum autem ex vtraque causa remansisset debitor in aliquibus summis, atque pro ea, pro qua supponebatur residualis ex causa primæ deputationis, ipso minus idoneo existente, dicti Orsini coram A. C. pulsarent Alexandrum fideiussorem; Ille prætendere cæpit solutiones à dicto Laurentio factas referēdas prius esse in primam causam, totumq; residuū referri debere ad secundam, quodque propterea ipse fideiussor, ità liberatus remaneret, innixus regulæ, de qua *discur. præced.*, vt solutiones referri debeant ad causam antiquiorem.

Idque adeo verùm, vt quamuis inter debitorem, & creditorem ex interuallo fieret expressa declaratio, quod solutiones potius in vnam, quàm in alterā causam factæ sint, adhuc id attendendum non sit in præiudicium fideiussoris, vel alterius interessati iuxtà doctrinā *Bart. in l. ex duobus num. 32. ff. de duob. reis*, quā cæteri sequuntur, vt *apud Ronchegall. de duobus reis in eadem l. ex duobus nu. 71. & seq. Rota Ian. decis. 65. numer. 5. & 6. Rota Romana decis. 69. num. 2. par. 3. rec.* & alij; Ex ea clara, & conuincenti ratione, quod cum per solutionem ex dispositione legis, ità supplentis, vel interprætantis voluntatem partium, iam extinctū sit debitum, et consequenter sit liberatus fideiussor, siuè liberata sint bona debitoris ab hypothecis anterioribus, vndè propterea quæsitum sit ius alijs creditoribus intermedijs, non potest factum debitoris præiudicare tertio, eique tollere ius quæsitum.

Scribens ego pro actoribus, admittebam dictam conclusionem, vtpotè verā; Negabam tamen eius applicationem ad casum, quoniam dicta regula de referendo solutiones in causam antiquiorem, 3 vt aduertitur *disc. præced.*, rectè procedit, quando partibus non declarantibus, solutio simpliciter fiat, de bonis tamen, ac pecunijs ipsius debitoris, affectis debito, ac hypothecæ anteriori, vel respectiuè duriori, iuxta facti qualitatem; Secus autem vbi agatur de debitis ex diuersa administratione resultantibus, atque cōstet, quod solutiones respectiuè factæ sint ex pecunijs vnius, vel alterius negotij, seù administrationis, quoniam tunc, licèt tàm in debitore, quàm in creditore concurreret identitas personarum materialium, attamen de iure intrat pluralitas, seù diuersitas personarum formaliū, adeoùt plures, ac diuersi reputentur debitores, & creditores respectiuè, pro diuersitate administrationum, seù negotiationum, et consequenter, illæ solutiones, quæ factæ sunt ex effectibus vnius negotij, seù administrationis, referri non possunt ad debitum ex diuersa causa, quamuis anterius, vel durius, quoniam esset dare inconueniens, vt debitum vnius extingueretur cum pecunia alterius, iuxta casum, de quo *disc. præceden.*, & de quo *decis. 592. & 612. par. 5. rec. cum alijs eodem disc. præced.* deductis, & præsertim iuxta *decis. 1. Lucen. Magonij*; Et hic erat casus, quod scilicèt effectus peruenti ad debitorem ex causa secundæ administrationis nullatenus referri poterant ad primum debitum.

Hinc proindè, tàm in ista causa, quàm in plerisque alijs sub eodem articulo, seù 4 quæstione cadentibus, præsertim *in Romana Cambij* pro Petro Marchesio cum Antonio Rapacciolo, eiusque creditoribus, & *in Romana Pecuniaria* pro Confraternitate Crucifixi cum Iouita Poma, & in alijs, dicere consueui, quod ista quæstio verè non est iuris, sed nudi facti, ex istius qualitate, & circumstantijs decidenda, àn scilicèt constet in facto, quod solutiones, ex vna ratione, seù administratione magis, quàm ex altera proueniant, atque ex hoc pendebat inuolutio in adeo acriter disputata *Firmana*, de qua *dicta decisione 592. & 612. par. 5. & in alijs in eadem causa coram Bichio*, quoniam posito facto, iuris theorica remanet plana.

Atque circa declarationem ab ipso debitore etiam ex intervallo factam, advertebam, quod dicta conclusio super huiusmodi declaratione non attendenda, rectè procedit, quando agatur de nuda confessione, quæ regulariter in prohibitis non attenditur; Secus autem vbi, pro facti qualitate, sufficientia accedunt adminicula reddentia casum dubium, adeoût nuda iuris præsumptio, quæ ex dicta regula resultat, si non omninò sublata, saltèm nimium offuscata remaneat, quoniam tunc, declarationi ità adminiculatæ deferendum est, ex regulâ, de qua præsertim plenè *sub tit. de Dot. disc. generali* 159., & in alijs particularibus pluries, occasione dotis confessatæ, vt confessio adminiculata præiudicet etiam tertio; Quod extenditur etiã ad Prælatum præiudicantem Ecclesiæ, ac tutorem præiudicantem pupillo, cum similibus, quia præcludi non debet via recognoscendi veritatem, ac bonã fidem, atque iuris præsumptio nedum per expressam probationem, sed etiam per fortiores præsumptiones tolli potest.

Siue ex altera conclusione, de qua *sub tit. de Donat.*, ac alibi pluries, quod donatori, vel alteri contrahenti, cui interdicta est facultas reuocandi, seù aliàs præiudicandi, conceditur potestas declarandi, eiusque declarationibus deferendũ est, quoties casus sit dubius, adeoût rectè congruant termini declarationis, vel interpretationis, itaque sit verisimilis, & benè adminiculata, vndè propterea sufficienter tollatur suspicio affectationis, vel collusionis.

Præsertim autem *in dicta Romana*, pro Confraternitate Crucifixi; Cum Iouita fideiussit pro Constantino eiusdem Confraternitatis exactore pro tempore futuro, ob iam terminatam fideiussionem de præterito, ad certum tempus determinatum præstitam, atque post hanc secundam cautionem, dictus exactor plures pecuniarum summas Camerario soluisset, hinc prætendebat fideiussor pulsatus coram Iudice particulari dictæ Cõfraternitatis pro debito residuali huius vltimæ administrationis, vt dictæ solutiones in eius causam essent referendæ, dum ità factis calculis exactionis, in nihilo debitor remanebat; Verùm scribens ego pro Confraternitate, etiam cum sensu veritatis, dicebam cõtrarium respondendum esse, (atque ita iudicatum fuit), quoniam licèt dictus administrator non teneret libros, seù computa distincta, ex quibus probari posset dicta diuersitas, cuius explicitæ probationes in facto non de facili haberi poterant; Attamen id conuincebatur ex circumstantia, quod de tempore solutionum, adhùc sequutæ non erant exactiones effectuum cadentium sub secunda, seù noua administratione, et consequenter dictus exactor non erat debitor, cum eius debitum proueniat ab exactione, sub cuius præsupposito, vel conditione obligatio contracta censetur, & non alias, iuxta ea, quæ punctualiter cæteris relatis in huiusmodi piorum locorum exactoribus firmantur *per Rotam coram Royas decis.* 189.; Ideoque dum de tempore solutionis non erat debitor ex causa noua, sed benè ex antiqua, solutio ad causam debitam, non autem ad indebitam referenda erat ex deductis *per Rot. apud Merlin. decis.* 507. & 741. *cum alijs per Add. ad Buratt. decis.* 541; Potissimè stante dicti exactoris paupertate, adeoût cum hoc ministerio viueret, cum tunc intret præsumptio, quod solutiones factæ non sint de proprio in causam futuræ exactionis faciendæ, sed potius de pecunijs iam exactis, & administratis ad not. *per Bart. & alios in l. Nesennius ff. de neg. gest. Rot. decis.* 547. *num.* 16. *par.* 5. *rec.*

ROMANA

SALVIANI

PRO

GVARNERIO CAVALLERINO

CVM N.

Casus disputatus coram A. C. seù Prælato deputato.

De eadem materia solutionis referendæ magis in vnam, quàm in alteram causam; Et àn creditor, & debitor, ex causa erroris retractare possint solutionem factam in vnam causam, illamque referre in alteram, in præiudicium tertij.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Vbi causa solutionis exprimatur, de alio non est quærendum.*
3 *Neque contrarium ex interuallo declarari potest.*
4 *Errantis nulla est voluntas.*
5 *Probatio perfecta excludit contrariam possibilitatem.*
6 *Qui in se accollauit aliquos creditores, potest dimittere anteriores eis.*
7 *De alio casu super quæstione, in quam causam solutio debeat referri.*
8 *Quomodo ista quæstio decidenda sit, & quod attendi debeat verisimilitudo.*

DISC. XLV.

CVM Marinus, emptione facta cuiusdam prædij hæreditatis Monaldi, in causam pretij in se accollasset diuersa debita, præsertim partitam scutorū trium millē debitam per Angelinum Guarnerio, post aliquod interuallum huic soluit quamdam summam in duplicem causam, in qua se debitorem præsuppoluit, vnam scilicèt prædictam scutorum trium mille debitorum ab Angelino, & alteram scutorum 700. debitorū per dictam hæreditatem, adeò ut facta repartitione, summa soluta cederet in causam huius secundi debiti pro rata scutorum 359.; Agnoscens autem Marinus deindè erroneè dictam assertionem feciſſe, cum esset solùm debitor ex causa dictæ accollationis primæ, non autem posterioris partitæ, hinc citato dicto Guarnerio, obtinuit à Iudice declarari integram summam solutam ad primum debitum scutorum trium mille referendam esse; Quare Guarnerius pro recuperatione dicti alterius debiti scutorum 700., iudicium in Saluiano instituit ad quædam bona hæreditaria contra tertium possessorem, excipientem de extinctione debiti pro dicta rata scutorum 359., quoniam cum debitor in actu soluendi, creditore non contradicente, sed potiùs approbante, declarasset
2 soluere in vtramque causam, vndè propterea intrabat proportio, seù repartitio, ita cessabat quæstio deducta ex *text. in l. 1. cum plur. ff. de solut.*, in quam scilicèt causam ex pluribus solutio referri debeat, cum ea cadat in dubio, nō autem vbi causa expressa est, quoniam tunc, vbi agatur de debitore habili, cui libera administratio interdicta non sit, non intrat distinctio causæ anterioris, vel durioris, sed attenditur causa expressa, vt litteraliter disponitur *in dicta l. 1. ff. de solut. Roman. cons. 94. num 2. cum concordan per Rouit. cons. 65 lib. 2 Gregor. decis. 366. num. 3. Rota coram Celso in Romana Pecuniaria 5. Iulij 1655. & 17. Iunij 1658. inter suas decis. 206. num. 6. & 264. num. 11.*, & in alijs frequenter, cum sit principium absolutum.

Hoc autem posito, deducebatur altera conclusio, de qua *disc. præced.*, vt subsequens declaratio, siue retractatio inter
3 debitorem, & creditorem, quamuis concorditer facta, præiudicare non possit tertio, cui per effectum extinctiuum à solutione consumatum, ius quæsitum est, neque debiti iam extincti reuiuiscentia dari potest, ex regula, quod à priuatione ad habitum nō datur regressus iuxtà auctoritates *eodem disc. præced.* allegatis.

Desuper autem ex parte Guarnerij consultus; Respondi idem, quod *in eod. disc. præced.* aduertitur, quæstionem scilicèt

licèt esse potiùs facti quàm iuris, et anteuerà probaretur erroneum præsuppositum à dicto Marino soluente factum, quod ipse in vim accollationis esset debitor ex vtraque causa; Vbi enim ita res se haberet, admittebam veritatem exceptionis, secùs autem in casu conuerso cum tunc intret regula, quod errantis nulla
4 est voluntas, *ad text. in l. nihil commune ff. de reg. iur. vbi Dec.* aduertit, quod ista regula nullam patitur limitationem, illaque plenè exornatur *per Rotam decis. 44. num. 3. & seq. par. 11. rec.*

Quamuis autem ex lectura instrumenti accollationis constaret, quod Marinus in causam pretij rei emptæ, primam, non autem alteram partitam verè in se accollasset, Adhùc tamen dicebatur ex parte Rei conuenti (& benè) adesse contrariam possibilitatem, quæ sufficit ad tollendam probationem erroris in dubio non præsumendi, ideòque indigentis probatione concludenti, quæ adesse non dicitur
5 contraria possibilitate militante ex collectis *per Barbos. axiom. 191. c. 2. Rot. apud Cels. decis. 161. num. 3.* & passim, quoniam cum ista secunda partita scutorum 700 esset anterior alijs debitis accollatis, ità rectè potuit emptor pro maiori eius cautela, neglectis debitis posterioribus, quamuis expresè accollatis, soluere an-
6 teriora iuxtà *dec. 291. Millin. & dec. 511. Gregor. & in alijs pluries*, ideòq; ad hanc facti circumstantiam, quæstio restringebatur, neque iudicium dari poterat isto facto non elucidato.

In proposito autem huius quæstionis, in quam scilicet causam ex pluribus ab eodem debitore debitis solutio simpliciter facta referenda sit, *in Romana locationis venæ ferri inter Principem Ludouisium*
7 *& Rinuccinos*, de qua habetur actum *sub tit. de Regalib. disc. 117. & sub tit. de vsur. disc. 4.*, ac etiam *sub tit. de camb. disc. 24.*, inter plures quæstiones, seu articulos in ea cadentes, fuit iste, an quædam solutiones simpliciter factæ, referri potiùs deberent in causam ibi enunciati cambij pro impediendo cursum vsurarum, seu cambiorum, vel potiùs in quasdam partitas, quæ postea in fide per simplices epistolas sub promissione promptę restitutionis absque aliqua conuentione vsurarum mutuatę fuerant; Et quamuis omnes regulæ suaderent relationem ad causam cambij, vtpotè antiquiorem, ac vsurariam, & cũ obligatione camerali, al ijsq; pactis executiuis, ideòque dupliciter duriorem; Attamen Rota, seu tres Auditores Arbitri, contrarium iudicarunt sequẽdo firmata *apud Gratian. discept. 224. num. 16 & discept. 105. num. 15.*, vt scilicet, vbi facti circumstantiæ suadeant, quod ex legibus congruentiæ, seu aliàs verisimiliter in causam leuiorem, ac moderniorem solutio fieri potuerit, tunc regulæ generales non attenduntur; Atq; mihi licèt scribenti in contrarium, resolutio placuit, & probabilis visa est; In dies etenim experimur, quod si habeatur pecunia mutua pro aliqua vrgenti indigentia in solo verbo, cum promissione promptæ restitutionis, quinimò etiam si eius fides habeatur inter nobiles, vel ciuiles ex causa ludi, solutio deinde sequuta, in istam causam potiùs, quàm in quascumq; precedentes, quamuis antiquiores, ac duriores cum formalibus contractibus, atq; vsurarum conuentionibus & pactis executiuis, fieri solet, ita suadente lege conuenientiæ, quæ frequentiùs magis stringere solet, quam illa cuiuscumque stricti, ac rigorosi contractus; Ideòque in huiusmodi quæstionibus, vtpotè, vt dictum est, potiùs facti &
8 voluntatis, quàm iuris, ex facti qualitate, et circumstantijs decidèdis, potissimum spectanda est verisimilitudo *ex deductis per Gratian. dicta discept. 224. nu. 95. Buratt. & add. dec 284. vbi concord.*, et consequenter certa, & determinata regula cuicumq; casui applicabilis desuper tradi non potest.

ROMANA SEV ALBANEN. PECVNIARIA PRO MARCHIONE NVNEZ CVM ANGELA SORBINA & alijs.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Marchione.

An, & quando in præiudicium creditoris anterioris, posterior compenset cum seipso creditum sibi superuentum cum eius proprio debito, quod anteriori affectum erat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione an fiat compẽsatio cum seipso, referuntur opiniones hinc indè.*
3 *Compensato non datur cum credito, quod de tempore obligationis præexistebat.*
4 *Neque vbi debitum est iuratum.*
5 *Liquidi ad illiquidum non datur compensatio.*
6 *Quod verior opinio sit pro compensatione in quæstione, de qua num. 2.*
7 *Quod ista sit quæstio facti, & quomodò decidenda sit cum distinctione.*
8 *In censu non datur compensatio, & de ratione.*
9 *Quando debitum, & creditum proueniunt ex eadem causa de plano intrat compensatio.*
10 *An debitum ex vno titulo compensentur cum credito ex titulo diuerso.*
11 *Qualis sit propriè casus quæstionis, de qua num. 2.*
12 *Quod isto casu regula sit pro compensatione.*
13 *Distinguitur potestas, & voluntas.*
14 *De quæstione an compensatio fiat ipso iure, vel ope exceptionis.*
15 *Quando intret ipso iure.*
16 *Quod declaratio esse debeat tempore habili.*
17 *De ratione ob quam reflectendum est ad distinctionem.*
18 *De casu, in quo ille, qui vult compensare, esset prius creditor, & postea debitor & de differentia cum casu conuerso.*
19 *Quod ista quæstio regulanda sit ab altera auocationis pecuniæ.*
20 & 21 *De conclusioae, de qua num. 4.*
22 *De conclusione, de qua num. 5.*
23 *De circumstantijs excludentibus compensationem.*
24 *Quomodò quæstio decidenda sit.*
25 *De causa exitu, & ratione resolutionis.*

DISC. XLVI.

1 CVM Io. Baptista Sabainus faber murarius, siue fabrorum præfectus, vt vulgò dicitur, *Capomastro*, esset debitor Marchionis Nunez ex cõtractu cambij cum eo initi in scutis bis mille in sorte, idemque Marchio construere vellet, (vt de facto construxit) conspicuam domum, hinc eumdem Io. Baptistam conduxit super dicti ædificij præfectura, seu constructione, plures cum eo faciendo conuentiones, tam circa murorum, & fabricæ, quàm aliorum cementorum pretium, cum promissione subministrandi pecunias in dies ad id necessarias, ad proportionem qualitatis, ac perfectionis operis, vt de facto pro notabili eiusdem ædificij parte iam constructa, sequutum fuit, soluendo pecunias ad computum, ad effectum (vt fieri solet) solidandi in fine operis iam completi; Cumque eodem opere adhuc incompleto, dictus Ioannes Baptista, ære alieno pressus, fugam arripuisset, atque aliqui creditores, præsertim Angela nurus, eiusque filij iam canonizati anteriores ex causa cuiusdam donationis per Rotam in duabus decisionibus editis *in Romana seù Albanen. dotis* 1. *Iulij* 1665. & 22. *Martij* 1666. *corã Bourlemont*, stante obligatione camerali contenta in vtroque contractu respectiuè, iudicium executiuum coram A. C. institui-

tuissent, contra dictum Marchionem, tanquam debitorem debitoris pro summa scutorum mille circiter, in quibus ex iudicio peritorum, facta æstimatione operis, apparebat eum remanere debitorem præfati Io. Baptistę, aduersus hanc petitionem reus conuentus excipiebat de compẽsatione cum dicto maiori eius credito ex causa cambij scutorum bis mille, ac fructuum seu cambiorum; Quia verò istud creditum erat posterius, hinc proindè actores replicabant, quod huiusmodi compensatio in eorum præiudiciũ re non integra, et postquam communis debitoris decoctio detecta erat, allegari nõ poterat, vndè propterea assumpta fuit quæstio, antiquioribus fortè ignota, seu non adeò per eos disputata, sicuti per modernos, et resoluta vt infrà in fine.

In disputationibus igitur desuper habitis per Scribentes hinc indè, magnus fiebat cumulus auctoritatum, pro vna, vel altera opinione stantium, ita pro consueta pragmaticorum insipidura elaborando circa numerum, quæ scilicet opinio esset magis communis.

Pro exclusione siquidem compensationis, contra creditorem posteriorem, cum debito cum seipso, vt fieri non posset in præiudicium anteriorum, deducebatur auctoritas *Franch. decis.* 53, quæ reputatur in materia magistralis, et quasi scaturigo huius opinionis, quàm sequuntur plures, relati *per Giurb. obs.* 106. *nu.* 4. *cum seq. add. ad Franch. vbi suprà, & Salgad. in labyr. part.* 2. *cap.* 28, qui hanc sequi videtur; Et è conuersò deducebatur *decisio* 25. *Capyc. Latr.*, quæ reputari solet magistra diuersæ opinionis, vbi in specie reprobatur, seu declaratur *d. dec.* 53. *Franch.*, et sequuntur alij relati *per Giurbam dicta obs.* 106. *num.* 8. *cum seq., & per add. ad Franch. & Capyc. Latr.*, atq; hanc sequuta est Rota pluries præsertim *decis.* 183. *& 409. par.* 9. *rec., & apud Otthobon. decis.* 55. *repetit. post Merlin. de pign. decis.* 107. præsertim verò *dicta dec.* 183., quæ in Curia reputari solet magistralis, vt aduertitur *disc. seq.*; ideòque ego & cæteri pro reo conuento scribentes, dicebamus, quod ab hac posteriori opinione maiori calculo recepta, atque per Rotam canonizata, recedendum non erat.

Replicabant verò Scribentes in contrarium, quod vbi etiam dicta opinio regulariter tenenda esset, adhùc tamen in hac facti specie, ista compensatio cadere non poterat ex tribus limitationibus, quarum quælibet sufficeret, multò magis eis simul iunctis.

Primò scilicèt, quod debitum proueniens ex causa ædificij contractum fuit de tempore, quo iam præexistebat dictum creditum ex causa cambiorum, 3 ideòque dicebant intrare conclusionem, vt non detur compensatio cum credito iam præexistenti, et cognito, quoniam ille, qui iam creditor erat, se constituendo debitorem sui debitoris, declarasse censetur animum non compensandi, atque huic iuri renunciasse, vt declarando sensum, *Bart. in l. amplius, §. peto, ff. rem rat. haberi, ex Tindar.*, et alijs relatis firmant *Afflict. decis.* 381. *Capyc. decis.* 167. & alij *apud Otthobon. decis.* 118. *num. fin. & dec.* 332. *num.* 24. *par.* 10. *rec.*

Secundò in idem, & fortiùs, quoniam hoc posterius debitum contractum fuerat cum iuramento, quo accedente, ma- 4 gis de plano intrat exclusio compensationis, præsertim cum credito præexistente de tempore iuratæ obligationis ad *text. in cap. ad nostram de iur. iur. cum concord.*, de quibus *Afflict. decis.* 163. *n.* 2. *& 3. Capyc. dicta decis.* 167. *num.* 4. *Galles. de oblig. cam. quæst.* 18. *nu.* 9, ibique *Zach. in addit. num.* 18. *Rota apud Duran. decis.* 404. *num.* 11. *add. ad Buratt. dec.* 717. *nu.* 7 *& in alijs.*

Et tertiò ex regula, quod liquidi ad illiquidum non datur compensatio, quoniam incertum erat, quisnam pro tempore 5 esset debitor, vel creditor, an scilicèt conductor, vel locator operarum, dũ solutiones fiebãt ad computum, creditũ autẽ operarũ pẽdebat à futura ædificij mensuratione, ac cementorum numeratione, seu etiam à mensura respectiuè ad formam capitulationis; Et consequenter dicebant Scribentes pro actoribus, dari nõ potuisse re integra, et in statu bonæ fidei aliquam compensationem cũ seipso in causam dicti alterius diuersi crediti, cum antequàm occasione istius iudicij fierent calculi, ac mensuræ respectiuè, conductor operarum incertus esset, an remaneret potiùs debitor, quàm creditor, ideòque dari non poterat animus compensandi, in eo, quia nesciebat debere.

Quam-

Quamuis autem dictæ exceptiones, seu limitationes in meo sensu non inferent difficultatem, (quam tamen inferebat altera circumstantia compensationis exclusiua, de qua infrà, per Scribentes in contrarium non deducta, et quæ verè me torquebat); Ac etiam posterior opinio magis probabilis videretur, ex eadem æquitatiua ratione commercij, ex qua receptum est denegari creditoribus anterioribus auocationem pecuniæ bona fide solutæ, et consumptæ, seu commixtæ à posterioribus, adeòut, cessante mala fide, seu circumstantia limitante, dicta posterior opinio *Capyc.Latr.* pro regula recipienda videatur.

Attamen in ista quæstione, quam famigeratam dicit *Prat.obs.*26. *num.*8., occasione illam pluries, ac pluries disputandi, comperij, quod malè nostri, adeò se inuoluant, eamque intricatam reputent, quoniam reuerà ea videtur potiùs facti, quàm iuris, totaq; vis disputationis consistit magis in applicatione ad singulos casus pro eorum particularibus circumstantijs; Ideòque semper erroneum censui, regulam generalem desuper statuere, siue auctoritates, ac decisiones vnum casum percutientes, cuicumq; alteri applicare, iuxtà ineptum pragmaticum abusum, ex quo tot æquiuoca resultant, sed quod procedendum sit cum distinctione, cum qua omnia de plano conciliari videntur.

Quare casus distinguendo; Primus est; *vbi creditum*, ac debitum respectiuè de iure non sunt compensabilia ex parte creditoris tantùm, nisi etiam debitoris declaratio accedat, putà in debito ex causa census, quod ex parte creditoris in sorte est irrepetibile absque voluntate debitoris, ac etiam ex parte istius, quamuis quandocumque redimibile, attamen neque simpliciter est tale, quoties cessaret consensus creditoris, quo inuito exigit disdictam iuxtà formam Pianæ constitutionis, de qua in sua materia *sub tit.de cens.*; Tunc etenim si debitori quantitatis superueniat creditum ex causa census, vel è conuersò, debitori ex causa census, superueniat creditum quantitatis, multò verò fortiùs si vtrumque debitum, & creditum respectiuè sit ex eadem causa census, planum est non intrare compensationem ipso iure, absque alia animi declaratione, quoniam non est compensabile illud debitum ad cuius solutionem debitor, vel respectiuè creditor inuitus cogi non potest, saltim certa forma non seruata, cum compensatio aliud non sit, nisi ficta solutio, fictio autem plus operari non possit quàm veritas, vt aduertitur *infrà in Maceraten.disc.*48., ideòque auctoritates hos terminos percutientes, veniunt segregandæ tanquam extraneæ.

Alter est casus magis oppositus, vbi tam debitum, quã creditum proueniunt ex eadem causa, seu statione, adeòut sint
9 inuicem connexa; Et tunc, licèt DD. istos compensationis terminos adhibeant, attamen est impropria loquutio, quoniam verè, et propriè non est compensare debitum cum credito superuento, sed potiùs dicitur calculus dati, & accepti, atq; ità detegere, quod non remaneat debitor, vt benè cæteris relatis aduertunt *Munoz de ratiocin. cap.*10. & 13. *Galeot. lib.*1. *contr.*41. *num.*8. & 9. *lib.*2. & *contr.* 62. *num.*12. *Capyc.Latr.dicta dec.*25. *num.* 23. & *consult.*73. *num.*27. & 28. *Rot.dec.* 231. *num.*28. *par.*9. *rec.*

Tertius casus est, vbi non solùm concurrit diuersitas causæ inter debitum, & creditum, sed etiam diuersitas persona-
10 rum formalium in eadem persona materiali, putà quia ipsi debitori ex causa propria, et priuata, superueniat creditum iure fideicommissi, vel maioratus, seu feudi, aut beneficij, siue ex titulo hæreditario alterius cum beneficio *l. & inuentarij*, cum similibus, vel è conuersò ipse creditor ex persona propria efficiatur debitor ex dicta alia persona, & de isto casu agitur *disc.seq.*

Quartus est ille, qui verè & propriè cadit sub quæstione, de qua agitur *apud Franch.dicta decis.*53. & *Capyc.Latr.dec.* 25., ac alios respectiuè vtriusque sequa-
11 ces vt suprà, quod scilicèt data vnitate personæ, illi, qui iam est debitor, superueniat ex interuallo creditum contra eius creditorem, an possit cum seipso compensare in præiudicium creditorum anteriorum cum hypotheca, cui eius nomen, seu debitum iam affectum est; Atq; isto casu, de stricto iure, negatiua verior videtur, quoniam, licèt debitori integrũ sit in statu bonæ fidei, et antequam accedat inhibitio legis, vel hominis, soluere debitum proprio creditori, quoniam

sufficit distrasisse cum eo, cum quo contractum est, atque facta solutione, omnes hypothecæ alijs quæsitæ resoluantur ad terminos *text. in l. nomen, C. quæ res pign. oblig. poss.*; Attamen id intelligitur, vbi accedat solutio vera, per effectiuam restitutionem quantitatis, vel generis, quod erat in obligatione, non autem per solutionem fictam, seu intellectualem, ex ijs, quæ habentur suprà *in Senen. discurs.* 40.

Verùm (vt suprà insinuatum est) ex eadem æquitatiua ratione commercij, et nè mundus litibus inuoluatur, ob quam
12 in foro magis receptum est, denegari anterioribus auocationem pecuniæ bona fide consumptæ & solutæ posteriori, quamuis de stricto iure secùs dicendum esset, ità pari ratione, pro regula (cessantibus circumstantijs eius limitationem inducentibus), recipienda videtur magis benigna opinio pro compensatione, iuxtà secundam opinionem, de qua *apud Capyc. Latr. dec.* 25. magis communi calculo receptam, atq; à Rota etiam probatam in suprà allegatis decisionibus præsertim *dicta decis.* 183. *par.* 9. *recen.*, quæ vt dictum est, circumfertur tanquam magistralis.

Adhuc tamen duplex desuper cadit inspectio, Vna scilicèt potestatis tantum, quando certa adsit compensandi voluntas, atq; circa istam verè & propriè versa-
13 tur dicta quæstio, vt scilicèt posita voluntate, agatur solùm de potestate, pro cuius competentia regulariter respondendum videtur vt suprà; Et altera voluntatis, quæ pariter duplicem habet inspectionem, Vnam scilicèt facti, an cessante probatione explicita, et certa, adsit necnè sufficiens probatio præsumptiua, seu adminiculatiua, quàm non dubitatur sufficere, et ista dicitur quæstio potiùs facti, quàm iuris, certam determinationem non de facili recipiens, quando scilicèt præsumptiones, et adminicula sint sufficientia necnè, quod pendet ex facti circumstantijs, prudenti arbitrio pensandis ex facti qualitate, ob quam, in vno casu, aliqua adminicula sufficientia reputentur, in altero verò, eadem, ac maiora secùs, iuxtà ea, quæ in omni materia circa præsumptam, seu adminiculatiuam probationem habentur.

Quæstio verò iuris est, an cessante huiusmodi voluntatis extrinseca probatione expressa, vel adminiculatiua, vt suprà, ea de iure præsumatur, adeòut compensatio (vt nostri dicunt dicunt), fieri dicatur ipso iure, seu iuris ministerio absque
14 alia declaratione, Vel potiùs fiat ope exceptionis, mediante oppositione, seu declaratione animi; Ista que est vna ex inuolutis Modernorum quæstionibus; Aliquibus opinantibus iuxtà primam partem, vt compensatio fiat ipso iure; Alijs verò opinantibus contrarium, vt requiratur oppositio, ex cuius tempore fiat compensatio, vt de vtraque opinione patet ex deductis pro vtraque opinione per *Rot. decis.* 183., & 409. *p.* 9. *recent.*

Posterior autem pro exclusione compensationis absque oppositione, in puncto iuris verior, magisq; communis ri-
15 detur, ideòq; statuenda est pro regula, limitanda tamen; Primò, vbi agatur de debito vsurario, ad effectum impediendi cursum vsurarum; Et secundò, vbi ita suadeat æquitas, quod creditori non remaneret aliàs consultum ob debitoris insufficientiam, vt de vtraque limitatione habetur præsertim *dicta dec.* 183., & 409. *par.* 9. *recent.* & *in alijs pluries*, vt alibi *hoc eod. tit.* non semel aduertitur.

Et de consequenti, retenta dicta secunda opinione, vt necessaria sit oppositio seu animi declaratio, intrat limitatio, seu moderatio, quæ à plerisque traditur dic-
16 tæ regulæ compensationi fauorabili, vt scilicèt eadem declaratio sequatur tempore habili, atque in statu bonæ fidei, vt infrà in sequenti casu aduertitur.

Nullus autem ex huiusmodi quatuor casibus congruebat præsenti controuersiæ, cadenti sub alio diuerso casu, de quo
17 proximè infrà; Insinuabantur tamen hęc opportunè, ac citrà euagationem, ad distinguendum doctrinas, quæ iuxtà consuetum vitium in confuso consarcinari solent, vt ità ostenderetur, quod omnes doctrinæ, quæ istos quatuor casus percutiebant, ob diuersas rationes respectiuè, extraneæ dici poterant casu controuersiæ, ideòque merebantur poni ad partes.

Quintus demùm est huius controuersiæ casus præcisus, vbi ille, qui est creditor, deindè efficiatur ex diuersa causa sui debitoris debitor, eadem tamèn personæ
18 vnitate retenta, adeòut non intret ratio discretionis, seu diuersitatis personarum

for-

formalium in vna materiali, et consequentèr non intrent difficultates, de quibus *dict. sequen.*; Et tunc magis de facili recipienda venit secunda opinio compensationi fauorabilis prò regula, ob minorem difficultatem desuper cadentem; Siquidem in proximè præcedenti casu oppositio, in quò ille, qui iam est debitor, efficiatur sui *creditoris creditor*, intrat ratio, cui potissimùm innituntur *Franch. dicta decis.* 53. *& sequaces*, quod scilicèt eius nomen iam cecidit sub anteriorum creditorũ hypothecis, quibus affectũ est, ideò non dissoluibile, nisi per verã, ac effectiuam solutionem, non autem fictam; *Ista etenim* ratio non intrat in præsenti, quoniam, siuè ob voluntatem expressam, vel adminiculatiuam, siuè ob eamdem, iuxtà aliam opinionem, à lege præsumptam vt suprà, nomen debitoris nunquam fuit sub anteriorum creditorum hypothecis, cum præexistens creditum eius, qui deindè ex diuersa causa efficitur sui debitoris debitor, istud debitum ipso iure suffocet, ac impediat, nè efficiatur de patrimonio debitoris, tanquam per speciem oppositionis principio acquisitionis, et consequentèr nunquam stetisse dicitur sub anteriorum hypothecis, iuxta distinctionem, de qua suprà *dict. disc.* 40. inter casum, quò debitor succedat creditori, vel è conuersò creditor succedat debitori, vt vna specie confusionis ab altera differat ex ibi deductis, quæ ad rem facere videntur, prò distinctione vnius *casus ab altero*; Ideòque cum in isto casu verlaremur, quod scilicèt reus esset priùs creditor ex causa cambij, quàm debitor ex causa alterius contractus super ædificio vt suprà, ità dicebam, quod eidem magis assisteret regula, quoniam si illa procedit in casu præcedenti, in quò dicta maior dubitandi ratio intrat, multò magis in isto.

Quia verò, tam in vno, quàm in altero, opus est, vt id sequatur re integra, atque tempore habili, priusquàm scilicet per mortem ciuilem, vel naturalem, impedimentum resultet, Hinc proindè in vtroque, maior inspectio cadere solet, super congrua applicatione, seu extremorum habilitate, et an ea voluntas, quæ declarata, vel à lege subintellecta, compensationem producit, superueniat tempore habili, super quò procedendum in omnibus videtur cum *ijsdem* distinctionibus, ac terminis, quos habemus infra pluries, ad materiam auocationis pecuniæ per anteriorem faciendæ à posteriori, cui soluta est; Eò enim ipso, quod damus auocabilitatem pecuniæ licèt consumptæ, vel confusæ, quia nempè, ratione malæ fidei, seu aliàs, habenda sit prò extanti, ipséque solutionis actus prò non facto, tunc pernecesse dare oportet etiam impedimentum huius compensationis, quæ dicitur ficta solutio, nè aliàs maioris esset operationis fictum, quàm verum.

Posita igitur regula fauore Rei allegantis compẽsationem, & quam regulam primus iudex, qui maiorem habebat difficultatem, ac etiam Scribentes in contrarium admittebant; Pũctus erat in limitationibus suprà insinuatis, in quibus insistebatur, quas tamèn, non subsistere dicebam; Quatenus enim pertinet ad primam & secundam, quod scilicèt ille, qui iam erat creditor cum iuramento se constituerit debitorem sui debitoris, vndè propterea censeatur renunciasse iuri compensandi vt suprà; Vltrà ponderationem, quod non adesset formale iuramentum explicitũ tactis scripturis præstitum, quod propriè causat verum, ac formalem periurij reatum, cuius ratione intrat dispositio *text. in cap. debitores, & cap. ad nostram de iur. iur. cum ibi notat.*, dum agebatur solùm de iuramento implicito, seu virtuali, deducto ex formula obligationis cameralis contentę in apoca priuata super dicto ædificio cõfecta.

Aduertebam, quod conclusio procedit, quando ille, qui est alicuius creditor, se constituit sui debitoris debitorem certum, ac liquidum, in summa, vel quãtitate tunc compensabili, si compensandi animum habuisset, vndè propterea resultat, quod ità declarare dicatur animũ non compensandi; Et in his terminis loquuntur *Afflict. Capyc. & alij, de quibus suprà*; Id autem in hac facti specie non intrabat, quoniam Marchio reus conuentus, qui prędicti artificis creditor erat, non constituit se debitorem in aliqua summa certa, et determinata, sed quia futurum ædificium erat insigne, valoris scutorum 50. m. & vltrà, hinc proinde oportebat ità se constituere debitorem subministrandi in dies, et tempora pe-

cunijs, pro oportunitate operum, & cæmentorum, quod tamen nõ excludit animum compensandi, siuè paulatim, ac insensibiliter retinendi, & excomputandi proprium creditum; Idque (iuxta satis, verisimilem sensum) fuisse videtur causa, vt Marchio volens ædificium construere, potius istius, quàm alterius artificis opera vteretur, vt ità scilicèt haberet occasionem se commodè reintegrandi de proprio credito à debitore, à quo non de facili vnica vice illud exigere potuisset, vt communis vsus comprobat, ideoque magna præsumptio huic cõpensandi voluntati assistere videbatur, ratione verisimilitudinis, quæ in coniecturalibus, & adminiculatiuis principatum obtinet.

Eademque ratione resultabat responsio ad tertium limitationem deductam ex illiquiditate, seù incertitudine, quoniã eo ipso quod opus construebatur, credi-
23 tum artificis in substantia erat certum, quamuis ante mensurationem, nobis pro humani intellectus imbecillitate esset ignotum, Vndè propterea, certificatio, quæ post decoctionem, mediante mensuratione, sequuta erat, aliud non continebat, nisi detegere id, quod iam inerat iuxta optimum *text. in l. adeo ff. de acqu. rer. domin.*, ac pluries insinuatum exemplum ibi traditũ excutientis grana à spicis, et consequenter intrat retrotractio, vt in specie aduertitur *dicta decis.* 409. *num.* 29 *par.* 9. *rec.*

Difficultas autem non leuis apud me erat, per Scribentes in contrarium non tacta, aliqualiter tamen habita in mente
23 primi iudicis, (qui tamen non benè eam explicabat), quod scilicèt, Reus conuentus erat negotiator, atque suum creditum, quod habebat cum artifice erat fructiferum sub cambijs, ideoque sibi expediebat illud retinere viuum, vt ita esset fructiferum, atque cambia currerent, quod sequi non potuisset, si illud fuisset paulatim, atq; in dies cõpensabile, ideoque illa præsumptio quam benignior opinio fauore compensare volentis admittere solet ad impediendũ præsertim cursum vsurarum, siuè quod aliàs consultum nõ remaneret iuxta *dictas decis.* 183. & 409. *par.* 9. *rec.* cum ibi deductis, potiùs retorquebatur.

Fortiùs verò ex alia facti circumstantia, quod idem Reus conuentus negotiator tenebat libros benè distinctos mercantili super cambijs, alijsque negotijs, ac etiam tenebat librum particularem dati, & accepti huius ædificij, et tamen in hoc libro particulari nihil adnotatum reperiebatur inter partitas dati, seù eius crediti, ex causa huius debiti artificis; Et è conuerso in altero libro, in quo adnotatum erat creditum ex causa cambij cum ipsorum cambiorum cursu, nihil è cõspectu, siuè vt dicitur *di contro* adnotatum erat ad creditum artificis ex dicta alia causa, vndè propterea cessabat ea circumstantia, in qua potissimum fundamentum constituitur *in dicta decis.* 183. *par.* 9. *rec.*, atque illa simplex iuris præsumptio, quæ iuxta magis benignam opinionem pro compensante, vt supra, admittitur, ità suffocata remanebat à contraria probatione, vel fortiori præsumptione.

Atque hinc liquet, quod ista sit quæstio facti potiùs, quàm iuris, decidenda, pro singulorum casuum qualitate, &cir-
24 cumstantijs, bonam, vel malam fidem redolentibus, quodque leguleica ineptia sit, illam tractare in abstracto, immorãdo, cum eo Legistarum labore, qui per aliarum scientiarum professores meritò improbus dicitur, in numerica maiori, vel minori assistentia doctrinarum, & decisionum, non reflectendo ad dictas distinctiones omninò necessarias.

Donec autem cum præmissis, ac in solo puncto iuris disputatum, fuit primus Iudex magnã habebat difficultatem; Et tamen mutato, corã successore, Marchio ad dictam difficultatem remouendam, et aliorum Scribentium consilio aliquos in-
24 duxit testes ad probandum, quod ab initio conuentionis de hoc actum esset, vt debitũ ità in dies compensaretur, quodque id fuerit causa potissima conducendi potiùs istum artificem, quàm alterum, istaque probatio nimium verisimilis videbatur, atque ob hanc probationem prodijt sententia absolutoria, & sic magis ex facto, quàm ex iure.

ROMANA PECVNIARIA SEV COMPENSATIONIS PRO SEBASTIANO ANTINORO CVM MARCHIONE PAVLO DE BVBALO.

Casus disputatus in Camera, & resolutus pro Paulo.

De eadem materia compensationis cum se ipso, àn intret in præiudicium creditoris anterioris, quando creditum, & debitum competunt, non solum ex diuersa causa, sed etiam ex diuerso iure, siuè ex diuersa persona, ob concursum plurium personarum formalium, in vna materiali.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quæ ex vsu mercatorum, vel suadente æquitate, intret compensatio cũ seipso in præiudicium tertij.*
3 *Quod decisiones punctuales nimium attendantur, non reflectendo ad applicationem.*
4 *De pluralitate personarum formalium in vna materiali.*
5 *Pro credito alieno non datur compensatio cum debito proprio, & è contra.*
6 *Quod non compensetur debitum proprium cum credito fideicommissi, vel maioratus ab eodem possessi.*
7 *De debito proprio non compensando cum credito hæreditario, & è contra.*
8 *Siue cum credito, vel debito sociali.*
9 *Vt id procedat pro solo iure, vel interesse tertij interessati in fideicom-*
misso, vel societate.
10 *An creditor habens in manibus pecuniam debitoris sub titulo depositi, teneatur eam cum seipso compensare.*
11 *Feudum, vel fideicommissum, seù hæreditas fingitur homo mutus, & surdus, possessor autem, minister, & operarius.*
12 *De eadem conclusione, de qua num. 6.*
13 *Non datur compensatio re non integra.*
14 *Ex quibus excludatur voluntas compensandi cum seipso.*
15, 16, & 17 *Quando obstet potestas id agendi &c.*

DISC. XLVII.

1 MArchio Paulus de Bubalo possessor illius primogenituræ, de qua habetur actum *sub tit. de fideicom. disc.* 25., habens onus a testatore adiectum inuestiendi, ac multiplicandi medietatem fructuum, tàm pro negotijs proprijs, quã pro hoc multiplico, vtebatur bãco cuiusdam priuati campsoris, cum duplici tamen distincto computo, vno scilicèt proprio, ac priuato, qui vulgò inter negotiatores dicitur *computus currens*, et altero pro dicta primogenitura, seù multiplico, qui dicitur *computus separatus*, vulgò *conto à parte*; Cum autem dicto campsore defecto, Sebastianus hæres Scarlati creditoris hypothecarij cum obligatione camerali directè ageret contra dictum Paulum tanquam debitorem debitoris pro ea summa, in qua nomine proprio in eius computo currenti remanebat debitor campsoris; Excipiebat reus conuentus de compensatione cũ eo, in quo erat creditor in altero computo separato primogenitũræ; Et introducta per appellationem à Thesaurario causa in Camera coram *Palutio sub die* 30. *Ianuarij* 1653. pro cõpensatione ad fauorem Pauli prodijt resolutio, neque causa, quod sciam, vlteriorem progressum habuit, ob subsequutam Sebastiani mortem.

Resolutionis vnicum fundamentum fuit decisio Rotæ *in Romana Pecuniaria* 11. *Maij* 1643. *coram Verospio*, cuius copia tũc data fuit hodie impress. *inter recen. decis.* 183. *par.* 9. insinuata *disc. præced.*, in qua firmatur, quod ex mercatorum

rum vſu, ſeù æquitate, vbi aliàs conſul-
2 tum non remaneret, admittenda ſit com-
penſatio ipſo iure, quamuis nulla op-
poſitio, vel declaratio accedat; Atque
ſtante deplorabili abuſu pragmatico, ac
immorandi mordicùs in doctrinis, præ-
ſertim verò, vbi agitur de deciſionibus
3 punctualibus, omnia, quæ ex hac par-
te deducebantur circa diuerſitatem
caſus, ac defectum applicationis, reputa-
ta fuerunt ratiocinia, & ſubtilitates Ad-
uocatorum.

Mihi ergo pro actore ſcribenti, tunc
iuniori, atq; circa profeſſionis initia, re-
flectendo etiã ad ſolam veritatem, reſolu-
tio non placuit ex defectu applicationis
eorum, quæ firmantur in dicta deciſione;
Illa ſiquidem, (vt ex eius contextu patet)
4 procedit in caſu, de quo agitur *diſc. præ-
ced.*, quando ſcilicèt debitum, & creditũ,
proueniunt quidem ex diuerſa cauſa, ſed
pertinent ad eamdem perſonam, quę ma-
terialiter, ac formaliter ſit vnica; Secùs
autem, vbi in eadẽ perſona materiali in-
tret reduplicatio diuerſarum perſonarũ
formalium pro diuerſitate iurium, ſeù
reſpectuum, vt in præſenti concurre-
bat, quoniam vt aduertitur *ſub tit. de
feud. diſc.* 23. & 89. ac pluries *ſub tit. de
fideicom.*, ac etiam ſub altero *de cambijs
diſc.* 1. & *ſeq.*, & *hoc eodem tit. ſupra diſc.*
36. & *ſeqq.*, ac færé in omni materia, poſ-
ſeſſor feudi, ſeù maioratus, vel primoge-
nituræ, ſeù fideicommiſſi, ac etiam hæres
beneficiatus, quãuis materialiter ſit vnus
& idem, ac etiam commodum vtriuſque
patrimonij, priuati ſcilicèt indifferentis,
& feudalis, vel fideicommiſſarij, ſeù hæ-
reditarij, ſit quoque proprium, adeoùt in
ſenſu naturali, ac de facto ſit vna eadem-
que perſona; Nihilominus, ex diſpoſi-
tione, ſeù ratione iuris, pro effectuum
diuerſitate, reputatur diuerſus homo, cũ
verificatione incompatibilis concurſus
actionis, ac paſſionis in eodem ſubiecto,
dum idem poteſt eſſe ſui ipſius debitor,
& creditor, emptor & venditor, mãdans,
& mandatarius &c.

Conſequenter, quemadmodum ex de-
bito alieno ad creditum proprium, vel
5 è conuerſo, iuris regula eſt, compenſatio-
nem non admitti ad *text. in l. in rem ſuam
ff. de compenſ. l. eius C. eodem vtrobique
ſcriben.* de quibus *Medic. de compenſ. par.
1. quæſt. 1. num. 1. Giurb. ad conſuet. cap. 9.
gloſ. 9. numer. 8. cum ſeq. Rota apud Greg.
deciſ. 366. num. 2. apud Merlin. deciſ. 783.
num. 3. & frequenter*; Ita dicendum eſt
vbi quamuis creditum, & debitũ ſit eiuſ-
dem perſonæ materialis, attamen formà-
liter eſt duplex, ac diuerſa; Vt in terminis
punctualibus debiti proprij non compẽ-
6 ſabilis, cum credito maioratus ab eodem
poſſeſſi, firmant *Valenz. conſ. 157. nu. 78.
cum ſeq. Fontanell. deciſ. 465. num. 21. in
fine* plenè *Salgad. in labyr. par. 2. cap. 7.
num. 31. & cap. 22. num. 97. cum ſeq.*

Et generaliter de debito proprio non
compenſando cum credito hæreditario,
7 vel è contra (vbi tamen agatur de hærede
cum beneficio inuentarij) cæteris relatis
*Graſſ. de except. cap. 16. numer. 54. Gratian.
diſcept. 948. nnmer. 2. Gait. de cred. cap. 4.
quæſit. 4. num. 359. Altogr. conſ. 59. nu. 29.
& ſeq. lib. 1. & infra diſc. 63.*; Et de de-
bito proprio non compenſabili cum
credito ſociali; Siuè de illo vnius ne-
gotij, vel patrimonij cum altero diuerſi
8 negotij, ſeù patrimonij, & è cõtra, quam-
uis vtrumque ab eodem homine exerce-
tur *Caſtr. conſ. 285. numer. 3. lib. 1. Magon.
deciſ. Lucen. 1. per tot. cum concordan. apud
Gratian. vbi ſupra add. ad Greg. dicta dec.
366. Salgad. par. 1. cap. 9. num. 64.* & latius
*par. 3. cap. 6. §. vnico num. 14. cum ſeq. Rot.
deciſ. 592. num. 16. & deciſ. 612. num. 10.
par. 5. rec. deciſ. 47. numer. 11. poſt Mer-
lin. de Pign. cum alijs infra diſcur. 62.*,
et conferunt, quæ habentur ſupra de
diuerſitate patrimoniorum, ſeù ne-
gotiorum, ac potioritate ſuper patrimo-
nio vnius, vel negotio quamuis poſterio-
rum, vel chirographariorum aduerſus
anteriores, vel hypothecarios diuerſi pa-
trimonij, vel negotij, tanquam per ſpe-
ciem ſeparationis bonorum, ob cuius be-
neficiũ (ex pluries inſinuatis) creditores
defuncti, vincunt creditores hæredis,
quantumuis anteriores, ac priuilegiatos
cum ſimilibus.

Non negabantur hæc per ſcribentes
pro Reo conuento, vtpotè de iure vera,
9 ſed dicebant ea procedere, quando acce-
deret intereſſe, vel mixtura tertij, cum
tunc rectè impediatur dicta compenſa-
tio, ſeù confuſio; Secùs autem vbi, ceſſan-
te dicta mixtura, vtriuſque negotijs, vel
ſtationis commodum, vel incommodum
ſit eiuſdem, quoniam tunc, licèt de iuris
ſtricta cenſura, fingatur dicta diuerſitas,

atta-

attamen quãdo ratione impediendi cursum vsurarum, vel ratione æquitatis ob cessantem reintegrationem, admittitur compensatio ipso iure, iuxta firmata *dicta decis. 183. & 409. par. 9. rec. cum alijs in simili dis. præced.*, tunc ista intellectualis distinctio non attenditur.

Ad quod probandum deducebant firmata per *Rota in Romana computorum* 23. *Martij* 1618. *coram Coccino*, cum qua, post præsentem disputationem, processum fuit, *in Romana cambiorum*, de qua *sub titulo de camb. discur.* 2., quod scilicèt si campsor qui fecit cedulam banchariam cum consuera facul-
10 tate ponendi sub cambijs principalem, cum quo in vim cedulæ aliquam summã soluere cogitur, habeat in eius banco eiusdem principalis pecuniam depositam in computo separato, atque vt vulgò dicitur, *à conto corrente*, adeoùt reputetur negotiũ omninò diuersum, cũ tũc ea pecunia dicatur stare potiùs iure depositi iuxta ea quæ habentur *supra discur.* 25.; Attamen ex quadam æquitate, quæ vrgere videtur contra volentem exigere vsuras, dum naturaliter, ac de facto habet æquiualentiam debitoris in manibus ad eius liberum vsum, liberamque dispositionem, firmatur intrare debere compensationem ipso iure; Atque hunc dicebant esse casum, quoniam si non intrabat ratio impediendi cursum vsurarum, intrabat tamen altera ratio æquitatis, quod scilicèt aliàs, denegata compensa-
tione, consultum non remaneret ob deficientiam debitoris, iuxta firmata *dicta decis.* 183.

Verùm aduertebam, quod admissa etiam dicta distinctione, adhùc fallacia adesse videbatur in applicatione, quoniam in hæreditate adita cum beneficio
11 inuẽtarij, siue in maioratu, vel fideicommisso, ex rationis identitate, rectè intrat assumptum feudistarum, de quo in sua materia *sub tit. de feudis*, quod scilicèt feudum dicitur homo surdus, & mutus, aliaque membra impedita habens, qui operatur, ac audit, loquitur, & agit per organum feudatarij, tanquam eius ministri, seù administratoris; Et cuius iure cõsiderandum quoq; esse hæredem beneficiatum, adeoùt hæreditas consideretur persona, seù corpus stans de per se, habetur *supra dis.* 36.; Et consequenter adest mixtura iuris tertij cũ omninoda diuersitate personarũ, quoniam persona hæreditatis, vel fideicommissi, seù maioratus, vtpotè viuens sub administratione assimilatur pupillo viuenti sub tutore, vel Ecclesiæ viuenti sub Prælato, ideoque est diuersa ab altera persona possessoris, qui in hoc consideratur, tãquam administrator, ac propterea, quemadmodum creditum pupilli compensabile non est cum debito tutoris, & è contra, sic à pari.

Vndè propterea considerabam, quod si rerum euentus fuisset in oppositum, vt scilicèt non defecisset campsor, sed obijs-
12 set ipse Marchio Paulus non soluendo, debitor campsoris in computo priuato currenti, successor autem primogenituræ peteret à campsore summam, in qua ipsa primogenitura in eius computo separato creditrix erat, ex causa depositi remanentis ad effectum inuestiendi, & multiplicandi, non potuisset ipse campsor huiusmodi compensationem allegare, vt in specie aduertitur *per Valenz. Salgad. & alios vbi supra*, ità in præsenti casu cõuerso, cum eadem sit in omnibus ratio.

Quamuis enim per Scribentes in contrarium responderetur, (atque responsio plausum habuerit), quod id inductum sit in gratiam, ac fauorem primogenituræ, vel successoris in ea, quasi quod campsor
13 allegaret compensationem re non integra, postquam grauatus iam per mortem annichilatus est, suumque ius, quod in fideicommisso, vel in primogenitura habet, est omninò resolutũ; Attamen verè ista erat omninò insulsa responsio discursu indigna, quoniam debitor, & creditor sunt correlatiui, neque iudicium efformandum est ab euentualitate, ideoque illa omni penitus iuridico fundamento destituta videbatur.

Vnica difficultas, quæ desuper cadere re videbatur, consistebat in eo quod,
14 pecunia proueniens ex dicta medietatè fructuum posita ad creditum primogenituræ in computo separato ad effectum inuestiendi, non habebat vinculum præcisum inuestimenti, adeoùt quoquo ipse Paulus primogenituræ possessor, quæ depositorat, posset eam liberè [illegible] ei liberè solui posset, iuxta ea quæ in terminis fructuum locorum [illegible] destinatorum pro multiplico, [illegible]

bentur *sub tit. de Regal. disc.* 23., sed cantabat ad dispositionem eiusdē Marchionis, cui liberè solui potuisset, absquè necessitate habendi sollicitudinem de inuestimento, cum difficultas cadat, quando depositum habet annexum dictum vinculum; Et consequenter cum compensatio dicatur ficta solutio, eiusque speciem habeat, quemadmodū potuit liberè solui, ità potuit compensari, quamuis hoc ratiocinium per Scribentes in contrariū non deduceretur, vt potè contentos dicta punctuali decisione, qua cōcurrente aliud curari non solet.

Pro huiusmodi difficultate soluenda, (quādo excitata fuisset), reflectebam ad
25 ea quæ habentur *disc. præced.*, quod scilicèt ad huiusmodi compensationem inducendam requiruntur copulatiuè, potestas, & voluntas, quodque dicta consideratio, àn creditum primogenituræ contineret præcisum vinculum inuestimenti, vel potiùs effet quoad liberam dispositionem possessoris, percuteret primam partem potestatis, vt volentibus campsore, & ipso Marchione facere compensationem, seù contrapositionem partitarū, id rectè fieri potuisset, atque non intrarent difficultates, de quibus *dicto disc. 23. de Regal.*, non tamen exindè inferri poterat ad voluntatem, quoniam licèt ista ex magis benigna opinione, quàm sequuta est *Rota in dictis decis. 183. & 409. par. 9. rec., & apud Otthob. decis. 55.* & in alijs, præsumatur quando ità exigat æquitas impediendi cursum vsurarum, vel damni irreparabilis; Attamen vt aduerti-
26 tur *disc. præceden.*, ista dicitur simplex præsumptio, quæ per contrariam probationem, nedum expressam, sed etiam præsumptam efficaciorem tollitur, vbi scilicèt ex ipsismet libris, & partitis campsoris excluditur animus compensandi, quia nempè continuetur in diuersitate computorum, atque negligatur illa compensatio, seù imaginaria solutio, quæ inter mercatores ex eorū vsu ponderato *dicta decis. 183. par. 9. rec.*, habet vim solutionis veræ, mediante scilicèt contrapositione partitarum è conspectu, seù vt dicitur *di contro*, qua contrapositione concurrente, vel ad summum, quamuis ea deficiente, non concurrente alio actu positiuo in contrarium, dicta æquitas tolerabilis est, secus autem vbi copulatiuè concurrunt, actus negatiuus non faciendi contrapositionem, & actus positiuus continuandi computorum diuersitatem, atque retinendi, (vt vulgò dicitur inter negotiatores), partitas debiti, & crediti viuas, seù accensas.

Clarius verò in hac facti specie, quod completo vno anno, in cuius fine fit bilancium, seù peræquatio, atque residuales
17 summæ debiti, vel crediti respectiuæ à libris veteribus transportantur in libros nouos anni nouī, vt aduertitur *infra disc. 68.*, quamuis in computo priuato, seù currenti dictus Marchio remaneret debitor, & è cōuerso creditor in cōputo separat primogenituræ, non tamen facta fuit compensatio, seù cōtra positio, sed in nouis libris, seù partitis anni noui, ipse Marchio in computo proprio creatus fuit debitor, & in alio computo primogenituræ creatus creditor in summis residualibus respectiuè debiti, & crediti, et consequenter clarè remanebat probatus animus non compensandi, quodque vbi adesset potestas, non tamen aderat voluntas, quæ copulatiuè requiritur, tempore habili explicata, non autem tempore inhabili post detectam debitoris decoctionem.

MACERATEN.

CENSVS

PRO

LVCRETIA DE VNGIS

CVM

CRESCIMBENIS.

Casus disputatus coram Thesaurario, credo resolutus pro Lucretia.

De eadem materia compensationis

non

non faciendæ cum se ipso in præiudicium creditoris, postquam debitoris decoctio superuenit; Et potissimè vbi creditum cum quo allegatur compensatio, non sit purum quantitatis, sed proueniat ex causa census.

SVMMARIVM.

Facti series.

De conclusione, an debitor possit compensare cum se ipso in præiudicium creditorum.

Cessio non potest reportari per debitorem, ideoque resoluitur in quietantiam.

Quod magis expediat se tueri cum solutione, & extinctione, quam cum compensatione.

Quæstio compensationis procedit cum præsuppositio bonæ fidei, & non aliàs.

Compensatio est ficta solutio, ideoque non potest plus operari quàm vera.

Solutio non potest fieri creditori decocto, & facta non liberat.

Pecunia soluta per decoctum, vel decoctorum est semper auocabilis.

Idem de pecunia soluta per hæredem, vel administratorem hæreditatis debitoris.

Nota differentia inter cessionem, quæ per Cameram fiat, vbi agat de lucro, vel damno.

Creditores non possunt in aliorum præiudicium remittere, sed bona fide concordare.

Compensatio non intrat in sorte ex causa census, & de ratione in creditore.

Idem de eodem etiam in debitore.

Quando debitor ob interesse tertij non possit liberè redimere censum.

DISC. XLVIII.

Mortuo Alexandro aliàs diuite in statu latitationis, ac sequestri omnium bonorum, facti per Cameram creditricem in notabili summa pro Thesauria Marchiæ, Crescimbeni eiusdem Alexandri debitores ex causa cuiusdam census Cameralibus ignoti, suppressis nominibus per N. & N., vt in occultis, ac ignotis fieri solet, se componere curarũt pro modica summa vix ad debiti medietatem ascendente, reportata cessione iurium talium qualium, iuxta formulam in spolijs clericorum, vel fructibus beneficiorum, aliorumque ignotorum iurium Cameralium seruari solitam; Habita verò huius debiti notitia per Lucretiam Alexãdri nurum, & creditricem anteriorẽ ex causa dotis, dictos Crescimbenos pulsauit tanquam debitores debitoris; Cumque ipsi exciperent de extinctione debiti mediante compensatione facta cum se ipsis, ita effectis debitoribus, atque assumpta desuper disputatione coram Thesaurario; Per causæ Patronos, hincindè assumpta fuit quæstio, de qua *duobus disc. proximè præced.*, àn scilicèt debitor, cui superuenit creditum, 2 possit compensare cum se ipso in præiudicium creditorum anteriorum, faciendo hinc indè magnum cumulum allegationum transcriptarũ *ex Giurb. obs.* 106. *& adden. ad Franch. decis.* 53. *& Capyc. Latr. decis.* 25. *& ex supra insinuatis decis. Rotæ* 183. *&* 409. *par.* 9. *rec.*, *& apud Otthob. decis.* 55. *repetit. decis.* 107. *post Merlin. de pign. in quibus de materia.*

Assumptus autem ex parte Lucretiæ actricis ad scribendum in iure super hoc articulo; Dicebam, huiusmodi quæstionem extraneam videri à casu controuersiæ, quoniam cum Camera non contenta sequestro bonorum Alexandri, ex decreto Thesaurarij, & chirographo Pontificio, viuente etiam debitore, ac etiam continuando post mortem, assumpsisset ius exigendi nomina debitorum sui debitoris, etiam cum facultate quietãdi, adeoùt ipsius Alexandri personam ad hunc effectum in omnibus repræsentaret, hinc proindè, potiùs intrare videbantur termini liberationis, & quietantiæ, mediante solutione in parte, ac remissione in alia parte, ob incompatibilitatem, vt debitor soluendo creditori proprium debitum, ab eo reportare posset cessionem translatiuam, vndè propterea si 3 cessio de facto reportetur, illa resoluitur inquietantiam, quamuis solutio fieret à tertio ex pretio bonorũ debitoris, nisi ex pacto adiecto ab initio in gratiam ipsius

fius tertij, pro casu euictionis, vel molestiarum, verificabilis remaneat terminus cessionis translatiuæ ex deductis *apud Gregor. & Add. decis. 68. & 73. Buratt. & Add. decis. 420.*, *Franch. decis. 55.*, & est conclusio frequenter *hoc eodem tit. in præcedentibus, ac sequentibus* insinuata; Ideoque cum in hac facti specie non adesset mixtura tertij, cuius respectu incompatibilitas saluari posset, ita videbatur, quod actus redoleret magis extinctionem debiti per solutionem, ac remissionem.

Hinc proindè, (vt frequenter contingit) manifesta ineptitia videbatur illa scribentium pro reis concentis, in assumendo dictã quæstionem cõpensationis, quæ præsupponit cõpatibilem præexistẽtiam, ac durationem debiti, & crediti ex 4 diuersis causis, dũ ita magis expediebat seueri cum terminis extinctionis mediãte solutione ad regulam *text. in l. nomen C. quæ res pign. obl. poss.*, vt scilicèt facta solutione, debitor consequatur liberationem, atque hypotheeæ super eo contractæ resoluantur, cum semper magis proficuus sit actus verus, quàm fictus, & sic potiùs solutio, quàm compensatio; Rectè siquidẽ intrat argumentũ à cõpensatione ad solutionem, quod scilicèt potest compensari ergo etiam solui, non autem è conuerso, potest solui, ergo compensari, quoniam vt in præceden., ac in sequen. pluries aduertitur, multi dantur casus in iure, in quibus vera solutio liberat debitorem, quem tamen non liberat ficta, siuè intellectualis.

Verùm scribẽdo super quæstione iam assumpta (etiam in sensu veritatis) dicebam, compensationem in hac facti specie nullatenus prætendi posse, ideoque de plano intrare opinionem, de qua *apud Franch. decis. 53. & sequaces duobus disc. præced. insinuatos*, ex duplici fundamento; Primò scilicèt ex illo malæ fidei, & secundò ex altero quod ageretur de debito ex causa census, in quo non intrat illa compensatio ipso iure, siuè per solam declarationem animi debitoris compensare volentis, sicuti intrat in puro, ac liquido debito quantitatis, potissimè in hac facti specie ob aliquas particulares circumstantias vt infra.

Quatenus enim pertinet ad primum, obseruabam quod licèt in ista moderna quæstione, opinionum diuersitas habeatur dictis *præceden. discurs.* insinuata. 5 Attamen ea procedit cum præsupposito bonæ fidei, ac integritatis creditoris effecti debitoris, adeòut illi solui potuisset cum effectu extinctiuo proprij debiti, ac etiam ab eodem recipi potuisset perfectè, ac irretractabiliter solutio proprij crediti, absque eo quod intraret auocatio pecuniæ consumptæ, vel confusæ, iuxta *decis. 190. Affl. cum aliis*, de quibus *infra pluries ad materiam auocationis.*

Vt enim in præcedentibus aduertitur, aliud nõ est compensatio, nisi com- 6 plicatio duplicis solutionis respectiue ad instar illius complicationis pluriumactuum, quæ habetur in nouatione, formali delegatione, quod scilicèt fingitur quod debitor, qui sui creditoris creditor effectus est, illi soluerit proprium debitum, ita mediante solutione extinctum, deindeque vnico contextu, dimissus creditor, eidem debitori tanquam creditori ex diuersa causa, eamdem pecuniam soluerit in extinctionem sui crediti, ita & taliter, quod ab isto secundo creditore ita dimisso, non possent creditores anteriores auocare pecuniam per hunc secundum occultum actum lutam; Vbi etenim, vel vterque expressus solutionis, ac respectiuè ptionis, vel saltèm eorum alter, adsuffragaretur, tunc extra controuest, vt neque suffragari possit compensatio, vt admittitur *apud Capyc. Lacta decis. 25.*, vbi declaratur, quod casu recipienda est *dicta decis. 53. ibi*, atque cum hoc sensu procedunt nes sequaces huius opinionis comptioni fauorabilis, ex irrefragabili ne, quod plus operari non potest quam veritas.

Nil etenim referret, quod solutio pensare volentis (vbi vera fuisset suffragaretur, eumque liberaret, si cti qualitate, pecunia quam postea sus creditor eidem dimittenti solucausam proprij debiti, esset ab eo anteriores auocabilis, multò magis copulatiuè concurrit vterque defectàm circa solutionem, quæ decoctobitori ob legis inhibitionem fieri potest, vndè propterea non intrat positio *text. in dicta l. nomen C. pign. obl. poss.*

Vel interet auocabilitas pecuniæ ſolutæ per decoctum, vel decocturum iuxta *deciſ. 1074. Seraph. num. 4. & deciſ. 338. Peniæ cum alijs collectis per Adden. ad deciſ. 9. num. 45. & ſeq. par. 9. rec., & in alijs hoc eod. tit.*

Clarius verò in hac facti ſpecie, quod mala fides recipientis ſolutionem, ac propterea ſubiecti auocationi, non ſolùm reſultabat à malo ſtatu, & decoctione debitoris, ſed etiam ab eius morte, adeoùt quamuis ipſe viuens eſſet idoneus, attamen eo defuncto creditores ſolutionem recipientes ab hærede præſertim beneficiato, exempti non ſunt ab auocatione, eiſque non ſuffragatur illa æquitas, ob quam ratione cõmercij poſita bona fide denegatur auocatio, vt aduertitur *infra deciſ. 53. & 54.*, vbi de differentia ſolutionis factæ ab ipſo debitore viuente, & de facta per hæredem.

Augebatur etiam mala fides ex modo tento in reportando huiuſmodi compoſitionem, practicari ſolitam in illis iuribus cameralibus, in quibus Camera cõtendat magis de lucro captando, quàm de damno vitando, ſeù de acquirendo, vel non acquirendo, non autem de amittendo quæſita, vt contingit in ſpolijs, vel confiſcationibus, alijſque fiſcalibus obuentionibus, non autem in hac facti ſpecie, quoniam ob concurſum aliorum creditorum, fiſcus tenebatur integram ſummam, etiam pro parte remiſſa, ſeù condonata, accepto ferre, cum non poſſit creditor quamuis anterior, & potior remittere debitoribus communis debitoris partem debiti, ſed ſolùm id concedatur ex iuſta cauſa, & bona fide, maiorĩ parti creditorum, cui minor ſtare tenetur, vbi actus fiat pro vtilitate, ac bona adminiſtratione patrimonij defecti debitoris ex deductis *per Affl. & Add. dec. 188. Franch. dec. 82.*, vbi *Add.*, latè *Graſſ. de except. cap. 32. Salgad. in labyrint. par. 2. cap. 2. numer. 73. Rouit. prag. 1. de ceſſ. bonorum*, apud quos de materia, quàm particulariter, & ex profeſſo tractare, adhùc occaſio non dedit, ideoque maturum iudicium deſuper efformari non potuit.

Et potiſſimè quia Theſaurarius, admittendo huiuſmodi compoſitionem, malè adſcripſerat pecuniam ex eius cauſa receptam in computum ſpoliorum, vndè ex pluribus infectio actus remanebat clara, etiam vbi reorum defenſores aduertiſſent ad dictam meliorem viam allegandi extinctionem, mediante ſolutione, quoniam quidquid eſſet de ſumma verè, ac effectiuè ſoluta, attamen quoad aliam cõdonatam, abſolutum remanebat, vt *in* prę*iudiciũ* creditoris anterioris *id* ſuffragari non poſſet.

Vbi verò his omnibus ceſſantibus, poſitaque bona fide, recipienda eſſet opinio compenſationi fauorabilis *iuxta deciſ. 25. Capyc. Latr., & deciſ. 183. Rotæ par. 9. rec.*; Adhùc tamen in hac facti 12 ſpecie dicebam, quod iſta opinio practicabilis non eſſet, niſi pro rata fructuum decurſorum, in quibus creditum dici poterat liquidum, & compenſabile, non autem pro ſorte principali cenſus, quæ non dicitur debita, et conſequenter non intrat compenſatio, cum potius reputetur ſpecies connumerari ſolita inter ſtabilia, adeoùt ſuper ea imponi poſſit alter cenſus tanquam ſuper re ſtabili, ac veniat ſub prohibitione, vel alia diſpoſitione bonorum ſtabiliũ ex generaliter deductis *ſub tit. de Alienat. diſcur. 1. & in alijs*, ac etiam in ſua materia *ſub tit. de cenſ.*; Et in ſpecialibus terminis compenſationis non dandæ in ſorte principali cenſus *Roderic. de ann. redd. lib. 2. quæſt. 18. numer. 9. cum ſeqq. Cenc. de cenſ. quæſt. 88. num. 2. Rot. deciſ. 29. numer. 13. par. 9. rec. apud Royas deciſ. 125. num. 15.*, & pluries *in dicta ſua materia ſub tit. de Cenſ.*

Et quamuis Scribentes in contrarium replicarent, præmiſſa procedere in creditore, cuius reſpectu ſors dicitur 13 demortua, & perpetuo irrepetibilis, ſecus autem in debitore, qui in cenſibus, præſertim impoſitis poſt Bullam Pij V. habet libertatem redimendi quãdocumque; Attamen reſponſio non ſuffragabatur, quoniam iſta facultas redimendi non eſt libera, ſed habet certam formam denunciationis faciendæ creditori per duos menſes antea, quibus durantibus, cenſus eſt viuus, tàm pro curſu fructuum, quàm ad omnes alios effectus, et conſequenter iſta forma non ſeruata, dici non poterat debitum compenſabile.

Licèt enim reiecta contraria ſententia volentium, vt extinctio cenſus exi-

gat actum omninò retrosimilem cum ea forma pecuniæ numeratæ, quæ ad præscriptum dictæ Bullæ requiritur in creatione, verius sit, vt quomodocumque fieri valeat, etiam per compensationem, vel acceptilationem, seu per aliam speciem distractus, vt in sua materia *sub titulo de Cens.*; Attamen intelligitur vtroque contrahente ità volente, non autem altero inuito, vel ignaro, cum tunc oporteat seruare formam dictæ, ac depositi, vt in Bulla præscribitur, atqi in dicta sua materia aduertitur.

Fortius verò, vbi subsisteret facti præsuppositum, quod iste census non esset liber, sed vinculatus fauore tertij, putà successorum in fideicommisso, vel fauore emptoris pro euictione, cum similibus, adeoùt actus expressus redemptionis sequi non posset non seruata certa forma, per quam consultum sit tertio, iuxtà firmata *per Rotam in Bomana fructuum census 22. Iunij 1646. Cerro, Gratian. discept. 45. Cenc. dens. quæstione 59. numer. 35. & sequentibus, Giurb. dec. 79. numer. 45. & sequent.* cum alijs in dicta sua materia *sub tit. de Cens.*, quoniam tunc multò minus intrat compensatio, imò neque imputatio indebiti, quamuis aliàs ipso ipso iure in odium, vel præiudicium creditoris intraret, vt insinuatur etiam in dicta sua materia *sub tit. de Censibus*; Atque iuxta præmissa, credo quod fuerit resolutum.

IANVEN.

SEV

NEAPOLITANA

PECVNIARIA

PRO

MARCHIONE VRITANO, ET IO. BAPTISTA IMPERIALI

CVM

HÆREDIBVS MARIÆ IMPERIALIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia compensationis faciendæ cum seipso in præiudicium creditoris anterioris; Et quando tracta per nundinas dicitur acceptata, & soluta sibi ipsi nomine proprio, vel tanquam procuratori debitoris.

Et incidenter de inualido contractu facto per tutorem, emendo, vel recipiendo cessionem nominis debitoris non idonei, vel suspecti.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *De Statuto Ianuensi super compensatione cum seipso, & num. 6.*

3 *De diuersitate personarum in eadem persona materiali.*

4 *Non datur compensatio debiti proprij cum alieno.*

5 *Ad effectum compensationis, creditum debet superuenire tempore habili.*

6 *De Statuto Ianuen., de quo numer. 2., & quid operetur.*

7 *Tutor non potest pecuniam pupillarem exponere negotiationibus.*

8 *Debitor ex causa census compensat solùm fructus.*

9 *Census vitalitius non est redimibilis, & non habet debitum sortis, & de ratione,*

vione,& quid de compensatione sortis census perpetui.

10 *De eodem Statuto Ianuæ.*

11 *De eadem reduplicatione personarum, de qua num.* 3.

12 *An partitæ librorum possint distornari, & quando.*

13, & 14 *De scartafacijs nundinarum, quando probent, & alterari non possint.*

15 *Non potest quis uti libro in parte, & in parte non.*

16 *De alio casu controuersiæ.*

17 *De quibus contractibus gestis à tutore pupillus teneatur.*

18 *Quando acquisitio iurium cum se ipso per tutorem pro pupillo subsistat, necne.*

19 *Quod non sit deferendum auctoritati Cõsulentium, & de ratione &c.*

DISC. IL.

CVM Michael Imperialis Marchio Vritanus in pupillari ætate, sub tutela, seù baliatu Marchionissæ matris, & Io. Baptistæ patrui existendo, esset debitor Andreæ patrui magni in annuo cẽsu vitalitio scutorum bis mille, & in altero perpetuo scutorũ 700. pro sorte 10. m., dictus autem Andreas esset particeps rationis campsoriæ cantantis sub nomine Franchi Spinolæ, & Dauid Imperialis eius filij,& fororij,respectiuè,mandatum eis dedit ad exigendas quascumque pecunias sibi debitas, aliasque sub cambijs, seù aliàs suscipiendas; Cumque dictus Io. Baptista esset creditor dictæ rationis in scutis circiter 20. m. tractam fecit eisdem Dauid,& Francho,vt soluerent procuratori dicti Andreæ scut. 15. m.,dicti autem Dauid,& Francus,quibus tracta directa fuit, acceptis litteris,nulla facta protestatione de stylo fieri solita, in eorum memoriali, seù scartafaccio hanc partitam adnotarunt,cum quadam interlineatione,quæ pro stylo negotiantium,ac nundinarum,acceptationem, ac implementum importare solet; In eiusdem verò partitæ marginæ (incertum est,de quo tempore) adiectum reperitur verbum *vana*; Dicto autem Andrea ad aliquod tempus defecto,cum Maria eius vxor,& creditrix pro dotibus,cõtra prefatum Marchionem ageret tanquam debitorem debitoris ex causa dictorum censuum,Reus autem exciperet de compensatione cum credito ex dicta tracta superueniente,vtpotè sibi per Io. Baptistam cesso, hinc introducta lite coram Arbitris, ac etiam in Sac. Consilio Neapolitano, desuper pro veritate (communicatis pluribus responsis, seù informationibus, hinc indè editis) consultus fui ex parte dicti Marchionis, ac Io. Baptistæ, pro eius iure adhærentis.

Quamuis autem, pro eo stylo, dictæ informationes,voluminosos penè tractatus continerent,tàm super quæstione in præcedenti discursu insinuata,àn debitor effectus sui creditoris creditor, compensare possit cum seipso in præiudicium creditoris anterioris; Quam etiam super puncto, àn dicta partita habita pro soluta mediante dicta interlineatione, distornari potuisset in præiudicium tertij,cui ius quæsitum erat, cum illo verbo *vana*, adiecto in margine, contrarium denotante.

Attamen stricte ad punctum præcisum pro Curiæ stylo, Respondi probabilitatem pro meo sensu assistere Mariæ creditrici contra requirentes, quodque superfluus esset tantus labor super huiusmodi quæstionibus adhibitus, ac etiam 2 super intelligentia,& operatione Statuti Ianuensis *lib.* 4. *cap.* 14. super concessione compensationis ipso iure, etiam cum debito in diem adhuc nõ cessam,subducto interesse medij temporis.

Duas siquidem personas diuersas dictus Marchio Vritanus repræsentabat, Vnam scilicèt propriam debitoris dicti Andreæ; Et alteram cessionarij prædicti Io. Baptistæ patrui, & tutoris; Attenta prima persona,nulla ex his quæstionibus cadebat, quoniam punctus implementi tractæ, & àn illa cederet, nec nè in causam Andreæ,irretractabiliter,adeoùt nõ 3 potuerit distornari cum dicto verbo *vana*, non percutiebat personam, vel interesse ipsius Marchionis considerati iuxtà primã personam supradistinctam,sed ius ac interesse Io. Baptistæ cedentis, cuius personam ratione cessionis postea reportatæ de tempore (vt supponebatur) non habili,repræsentabat; Et consequenter, extranea remanebat dicta quæstio compensationis cum seipso ob creditum contra

tra

tra proprium creditorem superuentum, quoniam attento tempore nundinarum, vel alio proximo, in quo dictus Andreas in statu valido reputabatur, dicto Marchioni debitori non superuenerat creditum, cum illud spectaret ad Io. Baptistam patruũ, ideoque de plano intrabat conclusio, de qua supra *disc.* 47., quod nõ intrat compensatio debiti proprij cum credito alieno.

Et quamuis istud creditum deindè effectum esset proprium, mediante cessione, Attamen supponebatur istam superueniſſe tempore inhabili, ac in statu malæ fidei, postquàm scilicèt dictus Andreas iam defecerat, vel nimiùm suspectus, ac defectioni proximus reputabatur, quò casu, in sensu omnium, quamuis inter se discrepantium, receptum est, cõpensationem non intrare, vt *disc. præced.* aduertitur.

Hinc proindè dicebam, non suffragari dictam Statutum Ianuen., in quò Scribentes prõ dicto Marchione magnum fundamentum constituebant, quoniam illud duos proficuos effectus operari potest, vtrà iuris communis dispositionẽ; Primò scilicèt inducendo compensationem ipso iure, non expectata oppositione, seu animi declaratione, quæ iuxtà vnã opinionem de iure communi requiritur ex deductis suprà *disc.* 46.; Et secundò remouẽdo etiam alterum dubium, quod de iure communi militat, an intret compensatio cum credito in diem adhùc nõ cessam, ad cuius solutionem debitor vrgeri non poterat; Istæ autem operationes, ex quibus hoc ius municipale, vtile, ac operatiuum remanet, intelligẽdæ veniunt præsuppositis terminis habilibus, vt scilicèt cõpẽsatio fiat, vbi sit debitor, et creditor respectiuè, siuè sit adhùc integer, ac habilis ad faciendam veram solutionem auocationi non subiectam; Secùs autem, vbi accedat legis inhibitio, adeòut neq; vera solutio perfectè, ac irreuocabiliter fieri potuerit, cum tùnc impossibile sit dare fictioni maiorem operationem, quã faceret veritas, vt in præcedentibus aduertitur; Ideòque concludebam, decisionem quæstionis pendere à puncto, potiùs facti, quàm iuris, an scilicèt cessio, ob quam debitor effectus fuit sui creditoris creditor, superueniſſet re integra, necnè.

Quamuis enim Scribentes prò hac parte in eo insisterent, quod cum dictus Io. Baptista esset Marchionis debitoris tutor, ità dici poterat, quod ab initio tractæ, idem Marchio euasisset creditor, quasi quod in eius causam id sequutũ sit, ipseque tutor de pecunijs pupilli administratis se reintegrauerit, Attamen id non benè iustificabatur, sed potiùs facti circumstantiæ contrarium suadebant, eo quia actualis administratio tutelæ esset apud Marchionissam mãtrem.

Resistẽte etiã præsũptione iuris, vt tutor non possit pecuniam pupillarem negotiationibus exponere ex deductis *apud Sperell. decis.* 90. *num.* 8. *cum seq.*, vbi tam de iure communi, quàm de statutario dicte Ciuitatis, et *apud Hodiern. contr.* 22. *n.* 28. *& seq.* apud quos concordantes.

Et nihilominùs, vbi etiam dictum creditum subsisteret, illudq; re integra, atq; in statu bonæ fidei, in præfatum Marchionem debitorem superueniſſet, adhùc tamèn, compensationem (quæ facilius vt suprà in hac ciuitate intrat, ob dictum Statutum, quod dirimit difficultates de iure communi militantes), intrare posse dicebam prò sola rata fructuum decursorum antè superuenientiam crediti, vel etiam posteà, antè sequutam mortem ciuilem dicti Andreæ, ex qua legis inhibitio resultauit, nõ autèm cum sorte principali, & successiuè cum fructibus postea decursis, cum istud non esset debitum compensabile.

Distinctè siquidem examinando dictas duas causas debẽdi, ex duplici censu, vitalitio, & perpetuo; Quatenùs pertinet ad primum, vt habetur in sua materia *sub tit. de censibus*, ac etiam *sub tit. de Regal. disc.* 35., in censu vitalitio non datur sors repetibilis, non solùm ex parte creditoris, qui ab inuito debitore repetere non potest iuxtà naturam census perpetui, sed neque ex parte debitoris, cui non conceditur illa redimendi facultas, quæ in censu perpetuo competit, et consequentèr termini compensationis nullatenùs cadere possunt.

Multò verò magis, regulando voluntatem à potestate, quoniam vbi etiam dicta redimendi facultas competeret, adhùc tamèn per tutores id fieri non poterat, nec debebat, malumque consilium prò pupillo fuisset, ob ætatem dicti Andreæ

dreæ redimere in fenectute cenſum vitalitium, cuius fructus diù ſoluti fuerant, cum huiuſmodi fructus verè non ſint fructus, ſed potiùs diminuta reſtitutio ſortis diſtributa in plures annos ſub incerta alea, longioris vel breuioris temporis, vt locis ciratis aduertitur.

Quò verò ad alterum cenſum perpetuum, deducebam eadem, quæ circa excluſionem compenſationis cum ſorte principali habentur *diſc. proximè præc.*; 10 Neq; in hoc alicuius operationis eſſe credebam dictum Statutum Ianuenſ. intelligendũ, dũ iſtud eſt præſuppoſitis terminis habilibus, quod ſcilicèt debitum quantitatis, vel generis eſſet de ſui natura compenſabile, ſolùmque obſtaret impedimentum diei adhùc non ceſſæ, per quã impediretur exercitium, nõ autẽ, vbi impedita eſt ſubſtãtia actionis prò ſolutione libera obtinẽda; et ſic quod Statuti operatio circa duo verſari dicatur; Primò ſcilicèt inducendi præſumptionem animi compenſandi abſque alia declaratione, vndè propterea illa reſultare dicatur ipſo iure potiùs quàm ope exceptionis, contrà regulam ex magis communi opinione receptam, aliquibus caſibus limitari ſolitam *vt dicto diſc. 46.*; Et ſecundò, vt fiat compenſatio etiam debiti adhùc non maturati, cum ſubductione intereſſe medij temporis; Ideòque cum Statutum in his benè operatiuum remaneat, iuxtà recepta axiomata, quæ in hac ſtatutaria materia habemus, admittenda non eſt multiplicatio exorbitantiarum, ſeù correctionum iuris.

Deducebam hæc ad exuberantiam, admiſſo etiam præſuppoſito, quod dictus Io. Baptiſta, de cuius ceſſis iuribus Marchi debitor excipiebat, aliàs creditor negotij ſocialis Franchi, & Dauidis, effectus fuiſſet creditor dicti Andreæ in vim tractæ, vt ſequutum fuiſſet, quandò idem Franchus & Dauid, quibus directa erat, verè illam acceptaſſent, atq; prò impleta adnotaſſent, quoniam ſtante illa formalium perſonarum multiplicitate, quæ pro diuerſitate reſpectuum paſſim datur in iure in eadem perſona materia- 11 li, præſertim in iſta materia cambiatoria & in iſtis negotiationibus ex pluries inſinuatis *hoc eodem tit.* & ſub altero *de cambijs*, ac alibi, cum dicti Franchus & Dauid debitores, eſſent etiam mandatarij Andreæ ad exigendum, ac etiam eius nomine accipiendum mutuò pecunias, ità benè occultabantur duo actus, vnus ſcilicèt ſolutionis factæ ab eis tanquam debitoribus, et alter mutui, vel receptionis debiti reſpectiuè ab eiſdem tanquam procuratoribus, ac mandatarijs dicti Andreæ.

Verùm difficultas erat in facto, ex quò ius, ſeù hic effectus de iure reſultat, quod ſcilicèt non conſtaret de acceptatione, ac implemento dictæ tractæ complicante dictum duplicem actum occultum, quoniam licèt interlineatio partitæ in memoriali, ſeù ſcartafacio de ſui natura prò ſtylo negotiantium, ac nundinarum, redoleat implementum, atque de iure verum ſit, vt actus iam ſequutus, ac perfectus, quò mediante ius tertio quæſitum ſit, in iſtius præiudicium retractari non poſſit; Vndè propterea habemus 12 receptam propoſitionem, quod partitæ in libris deſcriptæ amplius diſtornari non poſſunt niſi concurrentibus tribus requiſitis, de quibus *apud Farinac. conſil. 18. num. 4. lib. 1.*, et firmat *Rota apud Buratt. deciſ. 85. num. 11.*; Attamen id procedit data perfectione actus contenti in libro formiter tento, vndè per deſcriptionem partitæ in eo, ius tertio quæſitum ſit, atq; conſtet, quod retractatio fiat ex interuallo; Secùs autem, vbi agitur de 13 huiuſmodi memorialibus, ſeù ſcartafacijs, quoniã in eis, illis nũdinis durãtibus, integrũ eſt prò libito caſſare, ac diſtornare, cum non ſint libri formales, ſed memorialia de iure non probantia, neque contrà ipſum ſcribentem, vt in ſpecie de ſcartafacijs nunditarum plenè *Menoch. conſ. 296.*, à quo totum deſumpſit *Genua de ſcript. priuat. tit. de ſcartaf. Rot. Rom. dec. 558. num. 2 p. 2. rec. Rot. Ianuen. deciſ. 1.*

Et quamuis habeamus, quod huiuſmodi ſcartafacijs nundinarum, plena fides adhibẽda ſit; Attamen id procedit poſt iam completas nũdinas, quando in eo 14 ſtatu per clauſuram nundinarum recepiſſe dicuntur quamdam perfectionem non alterabilem, ſecùs autem ipſis nundinis durantibus, vt ità diſtinguendo *Turr. de camb. diſp. 2. queſt. 1. num. 16. & 17. & queſt. 17. num. 14.*, *Rot. deciſ. 198. p. 11. rec. n. 1. & ſeqq.* vbi concordantes

Ideòq; punctus erat potiùs facti, quàm

iuris,

iuris, ac scilicet illud verbum *vana*, in margine adiectum, quod distornationem, seu retractationem importat, adiectum esset adhùc durantibus nundinis, vel eis completis, cuius iustificationis onus incumbebat huic parti, cui resistebat regula, vt non posset vti dicto libro, seù scartafacio in parte, sed deberet vti in totum prout iacet, nisi doceret de alteratione ex interuallo, vt *apud Mantic. decis. 363. num. 8. decis. 388. nu. 1. p. 2. rec., decis. 359. num. 5. & seq. p. 9. & pluries infrà.*

In proposito autem eiusdem compensationis faciendæ per debitorem cum seipso, in præiudicium creditoris anterioris; Cum ad plures annos post datum hoc Responsum, initum fuisset alterum huius Curiæ Aduocatum & me compromissum inter dictum Marchionem Vritanum, ac Federicum, et Carolum eius aliàs *tutores* & patruos iuxtà seriem, de qua *sub tit. de feud. in append. discurs. 108.*; Inter quamplura controuersiæ capita fuit illud, quod Carolus creditor dicti Andreæ cessit dictæ Marchionissę matri & *tutrici* creditum scutorum 2478. auri prò summa æquualẽti, quàm idem Carolus manu sua sibi ipsi soluerat; Vndè propterea, cum ex eisdem rationibus, de quibus suprà, Marchioni denegata esset etiam huius partitæ compensatio cum censibus ab eo præfato Andreæ debitis, Hinc petebat à Carolo restitutionem dictæ summæ ex pecunijs tùnc pupilli in eum obuentæ, atque in dictam causam retentæ; Laudauimus autẽ locum esse restitutioni, quoniam de receptione pecuniæ non dubitabatur, ideòque non constito de iusto titulo retinendi, intrabat condictio sinè causa, quam Scribentes prò Carolo non negabant, sed dicebant adesse dictam causam cessionis, quam insufficientem reputauimus.

Contractus enim gestus cum pupillo, vel eius tutore sinè iusta causa necessitatis, vel vtilitatis, alijsque solemnitatibus, eatenùs est obligatorius, quatenùs intret æquitatiua actio de in rem verso, siue absurdum locupletationis cum aliena iactura, aliàs resultantis *ad text. in l. 1. §. 1. ff. de reb. cred. l. ad resoluendam, C. de præd. minor. cum concord. sub tit. de alien. & contract.*, tam occasione Ecclesiæ, quã pupilli, vel alterius prohibiti, cuius respectu copulatiuè desideratur solemnitas & causa, neque vna sine altera sufficit ex ibi deductis, et est iuris principium certum; Ideòque cum huiusmodi cessio nullam produxerit pupillo vtilitatem, quinimò potiùs damnum euidens, ob diuturnam, nimiumq; dispendiosam litem, quam *in Tribunalibus Neapolis*, & Iuuenæ, et coram *Arbitris* substinere oportuit super hoc puncto compensationis rationabiliter non admissæ, prçsertim in ista partita, in qua maiores circumstantię concurrebant, malam fidem redolentes, quàm in alio credito cesso per Federicum vt suprà.

Considerando potissimè, quod tùnc fortè substineri potuisset ista cessio, quando pro summa prædicta Carolus cessisset integrum creditum à dicto Andrea prætensum scutorum auri circiter 6. m., quasi quod tùnc fuisset emere in certam aleam, quæ se habere potuisset ad lucrum, et damnum; Quod tamẽ neq; tutoribus facere concessum est ob generalem rationem, cui innixa est prohibitio exponendi pecunias pupillares mercimonijs, ac negotiationibus; Sed emere pecunia numerata pro tantumdem, atq; vt vulgò dicitur ad centum pro centum nomen debitoris illiquidum, ac litigiosum cum ipsomet debitore super ipsius debiti substantia, ac etiam adeò suspectum, et periculosum, id continet manifestam fatuitatem, redolentem non solùm culpam leuem, sed etiam latam, imò speciem doli, adeòut videretur casus incapax rationis dubitandi; Et tamẽ (non dico partes succumbentes in quibuscunq; punctis etiam claris semper excusabiles, cum proprium interesse fascinet intellectum, ac faciat, vt nigrum videatur album) sed defensores, mechanico seruili more pecuniæ inseruientes, declamare solebant in Rota, (vbi causa introducta fuit per appellationem), iniustitiam manifestam laudi, etiam in hoc puncto, multa desuper deducendo; Atq; hinc dignoscitur, quãtũ deferendum sit auctoritati Consulentium, quorum dicta in effectu sunt idem, quod continent informationes Aduocatorum, ad clientis, et causæ opportunitatem, cõductitio meo scribentium, ideòque declamantium existentiam solis meridiani in media nocte.

RO-

ROMANA

PECVNIARIA

PRO

ONTE PIETATIS

CVM

PHILIPPO DE ASTE.

ius disputatus coram Iudice Montis, & pro eo resolutus.

eadem materia compensationis um seipso, non admittendæ in- præiudicium creditoris anterioris, ratione malæ fidei, vel etiam ex riuilegio ipsi creditori competenti, ratione publicæ administrationis, seu communicationis privilegiorum fisci.

SVMMARIVM.

Facti series.

De declaratione facienda pro compensatione re integra.

Post mortem debitoris non intrat compensatio.

Intrat compensatio, vbi creditum superueniat re integra, & bona fide.

Quando dicatur adesse bona fides.

Cessio affectata non prodest.

Pecunia, quam creditor soluit, sibi ipsi, est auocabilis.

Ob pecuniam datam per ministrum banci actio acquiritur banco.

Est compatibilis hæc actio cum alia actione contrà ministrum.

Mons Pietatis Vrbis habet priuilegia fisci.

1 *De priuilegio fisci super auocatione pecuniæ remissiuè.*

2 *De priuilegio pupilli, vel Ecclesiæ, vt pretium succedat loco rei, et è contrà remissiuè.*

DISC. L.

1 DEfuncto Octauio, regulatore, seù primo ministro bāci *Montis pietatis* Vrbis, cū in dispunctione rationum repertus esset debitor in summa notabili; E conuersò autem esset creditor plurium personarum, potissimè ex causa eiusdem administrationis, vt frequenter contingit, quia nempè, vt gratificaretur ijs, quibus multoties negari non potest, mādauerit Capserio, vt impleret ordines eorum, qui pecuniam in tanta summa in banco non habebant; Hinc eiusdem Montis Administratores pulsare cœperunt pro reiutegratione dictos debitores, inter quos erat Philippus, qui hoc intermedio tempore, curauerat obtinere cessionem iurium ab aliquibus eiusdem Octauij creditoribus, proindèque excipiendo allegabat compensationem cum seipso, potissimè quia ex consilio eius Sapientum, *illicò* post superuentum creditum, declarauerat in actis antequam pulsaretur, se velle compensare; Vndè propterea dicebant Scribentes pro eo, ità tolli eam difficultatem, quæ ponderari solet per DD. de ista quæstione agentes, de quibus *disc. præcedenti*, quando scilicèt declaratio voluntatis compensandi, non fiat re *in*tegra, et antequam creditor anterior eum conueniat.

2 Scribens ego pro Monte (etiã cū sensu veritatis, qualem quoque iudex agnouit) dicebam, quod vbi admittenda esset pro regula opinio compensare volenti magis fauorabilis, in præcedentibus pluries deducta, quoties creditum superueniisset re integra, atq; suppositis terminis habilibus, adhùc tamen ex concordi sensu eorumdem, qui istam opinionem tenent, illa in hac facti specie non intrabat ex tribus fundamentis, quorum quodlibet abundabat, multò magis eis simul iunctis; Primò scilicèt, quod id sequutum esset post mortem debitoris, eius hæreditate iacēte, quo casu vt aduertitur pluries *hoc eod. tit.* ad materiã auocationis pecuniæ iã solutæ, non intrat illa æquitatiua commercij ratio, cui innixa est ma-

3

gis recepta opinio, quæ denegat auocationem pecuniæ à debitore in statu valido, bona fide solutæ, cum non adesset, qui veram solutionem legitimè facere posset, ideòque neque ficta intrare poterat, vt in præcedentibus.

Secundò quia tunc in debitore, cui contra proprium creditorem supernenit creditum, admittenda videtur compensatio, iuxta magis æquã opinionem, quoties in statu valido creditũ superueniat, 4 et quando id bona fide sequatur, secùs autem ista cessante, vt cõcorditer admittunt omnes eamdem opinionem tenẽtes, ita conciliantes opiniones diuersas, vt præsertim patet ex deductis *apud Cappyc. Latr. & Add. dec. 25. cum alijs per Giurb. obser. 186.*

Tunc autem bona fides adesse videtur, quando, retentis terminis existentiæ debitoris in statu valido, ac habili ad faciendam veram solutionem, creditum 5 casualiter obuenisset, puta ex successione, vel alio sincero titulo, qui affectationis vitio non laboret; Secùs autem, vbi agitur de voluntarijs cessionibus, studiosè, ac affectate procuratis, cum hæc affectatio malam fidem arguat iuxta distinctionem, de qua infra *disc. 60.*, & *sub tit. de Tut. & Adm. discur. 12.*, in proposito cessionis obtentæ per tutorem contra pupillum, seù administratorem contra eum, 6 cuius bona administrantur, cum similibus; Si enim, vt habetur infra, ad dictã materiam auocationis pecuniæ solutæ, & consumptæ, seù commistę, eatenus dicta æquitatiua opinio admittitur, quatenus 7 solutio fiat à debitore, secùs autem vbi fiat cum se ipso, & manu sua, ita fortiùs in hoc actu ficto idem dicendum erat, dum solutionem manu sua, & à se ipso in statu malæ fidei, iste creditor affectauerat.

Tertiò fortius, quod debitum, cum quo reus conuentus compensationem facere prætendebat, non proueniebat ex 8 causa priuata, & propria ipsius Octauij, sed ex dicta causa administrationis banci, mandando impleri ordines, vel mandata, quamuis mandantium pecuniæ in banco non adessent; Ità etenim huiusmodi mandantes, efficiuntur veri, ac directi debitores banci, cum quo contrahere dicuntur, dirigendo ordines, qui sub spe futuri depositi, vel reportationis pecuniæ, eorum fidem sequitur, vt *infra* 68., et consequenter debitum cum vi compensari non potest cum credito superuento contra aliũ; Eodem modo obijci non posset pupillo compensa cum credito superuento contra tutorem cum similibus.

Quamuis enim pro huiusmodi ordinibus malè impletis, pecunia in banco non extante, dictus Octauius administrator declaratus esset ipsius banci; 9 tamen id prouenit ex dispositione, ratione *text. in l. 1. & tot. tit. de Magistr. conuen.*; Siue ad instar obligationis tutoris, qui pecunias pupillares (nomine men pupilli) mutuet, cum similibus, et ratione officij malè administrati, tanquã contra legalem fideiussorem eorum, quibus præter suæ administrationis legem creditum est; Non tamen exindè cessat obligatio, quàm ipsi dirigentes ordines banco, cum eo contraxerunt, quoniam stant benè simul, vt competat actio directa mandati, vel mutui, contra eos, qui ordines dederunt, atque pecunias receperunt, & competat etiam actio contra administratorẽ, qui minus cautè, atq; contra legem suæ administrationis mandatum impleuit, ac pecunias minus cautè soluit.

Et vlterius, cum ageretur de bonis piæ domus, cui ex Apostolicis indul- 10 communicata fuerunt omnia fisci privilegia, dupliciter aduertebam huiusmodi prætensam compensationem non intrare; Primò scilicet ob priuilegium quod fisco competit auocandi à posterioribus, quinimò etiã ab anterioribus eam pecuniam, quam constet esse ipsius fisci, seù ex eius Fiscalibus effectibus obuentam, quoties id innotescat creditori, qui solutionem recepit, adeoùt excusari nõ valeat, quod bona fide crediderit esse pecuniam propriam ipsius debitoris soluentis, vndè propterea cum eadem bo- 11 na fide consumpserit, ex ijs, quæ in materia huius priuilegij fiscalis *per text. in l. pecunia Cod. de priuil. fisci*, habentur cæteris relatis *apud Thesaur. iunior. lib. 2. quæst. for. 16. de Marin. resolut. 71. numer. 5. lib. 1. apud quos concordantes.*

Et secundò, vt rectè cadere valeant ea, quæ habentur supra *disc. 35.*, in mate- 12 ria pretij succedentis loco rei, vel è con-

tra,

tra, fauore Eccleſię, vel pupilli, aliorumq; priuilegiatorũ, ſub aliena legali adminiſtratione viuentium; Ea enim ex rationis identitate, ac à ſimili, rectè congruere videbantur; Ideoque plura concurrebant, ex quibus omninò improbabilis erat hæc prætenſio compenſandi cum ſeipſo in præiudicium creditoris anterioris; Atque ità iudicatum fuit fauore Montis.

ROMANA

SEV

ENETA CAMBIORVM

PRO

NVNTIATO BALDOCCIO

CVM

TASCHIS.

Caſus diſputatus coram Theſaurario, reſolutus pro Nuntiato.

n in præiudicium creditorum illius, qui faciat tractam alteri, poſſit iſte, qui eam recuſauit, deindè illam implere ad commodum ſui ipſius, vnde reſultet damnum facientis tractam, vel creditorum, ſeù certij.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Scribens litteras tenetur erga eum, cui ſcripſit, ac mandatum dedit.*
3 *Inter negotiatores, ordines, & litteræ, ſeù pagellæ habent vim pecuniæ numeratæ.*
4 *Scribens tenetur, quamuis ille, in cuius gratiam ſcriptum eſt, eſſet in malo ſtatu.*
5 *Mandatarius decoctus obligat mandantem validum.*
6 *Quomodo dicatur perfici conſenſus inter abſentes.*
7 *Quando contrahens cum mandatario, qui ſtatum mutauit, malè contrahat, atq; mandans non obligetur.*
8 *De eodem, vt qui recuſauit implere litteras, non poſſit id facere ex interuallo.*

DISC. LI.

NVntiatus in Vrbe negotiator, in gratiam Ciampelli, per licteras cambij, mandauit Taſchæ negotiatori Veneto Ciampelli creditori, vt ſibi ipſi ſolueret ducatos 3. m., de quibus ab ipſo mandante ſe reualeret; Taſcha verò, recuſando acceptare litteras, (iuxta ſtylum negotiãtium) proteſtatiouem fecit, quod cum nõ haberet in manibus effectus ſcribentis, nolebat eas implere; Ad aliquos verò dies, exorta ſuſpicione decoctionis Ciampelli de facto ſubſequutæ, eaſdem litteras impleuit, atque iuxta ſtylum, de ſumma in eis contenta, dedit creditum dicto Ciãpello debitori, atq; è conſpectu debiti, & per contrapoſitionem, creauit in libris debitorem Nunciatũ; Deindeque ipſe, vel eius hæredes, ſeù ceſſionarij, Nuntiatum pulſarunt coram Theſaurario pro ſolutione dictæ ſummæ cũ actione executiua mandati, quæ competit mãdatario implenti litteras contra ſcribentem, ſeù mandantem ex deductis generaliter *per Rot. deciſ. 157. num. 3. & ſeq. par. 12. rec.*, & in ſpecie *Roech. de mand., ſeù complem. not 33. poſt 1. vol. conſ. Rot. apud Seraph. deciſ. 562.*

Non negabam ego ſcribens pro Reo conuento veritatem dictæ concluſionis in caſu ſuo, & quãdo factum aſſiſtat, quia nempè vnus negotiator, vt alterum ſubſtineret, nè à fide apud negotiatores deficeret, mandatum daret alteri negotiatori, vt impleret tractam cum ſe ipſo ad commodum eius debitoris; Cum enim inter negotiatores huiuſmodi ordines, ſeù litteræ æquipolleant pecuniæ numeratæ

ratæ ex deductis *per Rouit. conſ. 65. nu. 3. lib. 2. Otthob. deciſ. 55. num. 1. repetit. poſt Merlin. de pign. deciſ. 107.* & habetur alibi *hac eadem tit.*; Hinc proindè, cum ea fictione, quæ in iure datur in caſu nouationis, vel delegationis, fingitur quod ſcribens mutuet pecuniam illi debitori, qui eam ſoluat proprio creditori eumque ita liberãti; Creditor autem eandem accepiam pecuniã credat dicto primo mutuatori litteras ſcribenti, quoties ille, cui mãdatum datur, ſeù litteræ diriguntur, prõmptè, ac ſincerè tractam acceptet, & impleat.

Tali enim caſu admittebam, quod ſibi cõpetat dicta actio mãdati, ſiuè impliciti mutui contra mãdantem, ſeu trahentem, 4 quamuis ille, in cuius gratiam ſit tracta, nunc eſſet in malo ſtatu, quoniam ſibi ipſi imputet mandans, cur pro ſuſpecto, vel decocturo ſcripſerit, eiuſque fidem ſecutus ſit; Eo modo quo diceretur de fideiubente, ſeù aliàs ſe obligante pro decocturo, vel ſuſpecto, quoniam frequentius, fideiuſſiones, ſiuè huiuſmodi tractæ, quæ ſpeciem fideiuſſionis habent, fiunt pro illis, quorum fides, ac idoneitas creditori ſuſpecta eſt, quoties ex facti qualitate dici non poſſit, vt dolo, cuius ipſe creditor particeps fuerit, fideiuſſor, vel ſcribens ad id inductus fuerit, iuxta ea 5 quæ de emente, ſeù aliàs cõtrahente, tanquam alterius mandatario, vt obliget mandantem, quamuis ipſe eſſet decoctus, vel decocturus, quia mandans ſibi ipſi imputare debet cur minus idoneo mandatũ dederit, quoties ex parte emptoris, ſeù alterius contrahentis nõ adſit dolus, vel colluſio, habentur deducta *in Anconitana Saluum ſub tit. de Regal. diſc. 115.*

Secus autem in hac facti ſpecie, quod creditor noluit tertij ſcribentis nouatiuam obligationem ſuſcipere, minuſq; primum debitorem liberare, cum expreſſa declaratione, quod ſcribentis fidem ſequi nollet; Tunc enim (etiam in ſenſu veritatis) dicebam non poſſe ex interuallo, ac poſt mutatum rerum ſtatum, id agi; Quoniam recuſato expreſsè mandato, nullus dici poteſt ſequutus contractus, qui inter abſentes ſequi dicitur per coniunctionem conſenſuum, vbi ſcilicèt 6 ille, cui litteræ diriguntur, eas acceptat, iuxtè firmata *per Rotam deciſ. 395. nu. 2. par. 5. rec.*, ac habetur *plaries hoc tit.*, & *ſub tit. de Camb.*, ideoque conſenſu non ſequuto, quinimò expreſsè declarato diſſenſu, ac animo non contrahendi, ita ille contractus habetur, ac ſi nunquam initiatus eſſet, ipſumque mandatum habetur pro non præſtito, et conſequenter eo actu reſoluto, ſeù euaneſcente, ad effectum, vt nouus contractus ſequi valeat, requiritur nouus conſenſus mandãtis, coniungendus cum illo mandatarij, qui ſolus non ſufficit.

In idem quoque benè conferrè obſeruabam ea, quæ habentur *dicto diſc. 115. ſub tit. de Regal.*, cuius caſus erat, quod 7 cum negotiator Ciuitatis Barij, tranſmiſſiſſet certam ſalis quantitatem alteri negotiatori Ciuitatis Anconæ eius correſponſali, cum mandato vendendi, atque aſſumpto tractatu venditionis cum altero negotiatore, ob diſcordiam in pretio, ille reſolutus fuiſſet, donec certioraretur mandans; Attamen imminente decoctione mandatarij, ille tertius, qui eamdem recuſauerat, emptionem perfecit, fingendo ſolutionem pretij, vt ita ſe ipſum, vel eius ſocium reimburſaret de eo, quod ipſe mandatarius debebat, ideoque merito pro mandante deciſum fuit, quoniam licèt vera ſit dicta concluſio, vt ad terti non pertineat inquirere de ſtatu mandatarij, dum non iſtius, ſed mandantis ſi ſequitur, vnde ſibi imputet mandans cur non benè inquiſierit ſtatum eius, a mandatum dedit; Attamen id ceſſa quando ex parte contrahentis cum huiuſmodi mandatario, dolus, vel mala fides concurrat, in ſupplantationem mandantis, qui mandatum dedit in ſtatu valido, ex ibi deductis; Et hic in præſenti erat caſus, quoniam de tempore factæ tractæ Taſcha noluit ſequi fidem Nuntiati mãdantis, ſeù ſcribentis, quia ſibi magis expedire credidit habere primũ quã hunc ſecundũ debitorem, poſtmodũ verò immutato rerum ſtatu, id facere affectauit, quod integrum non erat; Quemadmodum enim caſus præbuit defectionem Ciampelli primi debitoris, dediſſet illam Nuntiati facientis tractam, vtique idem Taſcha actionem integram habuiſſet cõtra Ciampellum eius debitorem, atque dictæ decoctionis damnũ non ſenſiſſet, ita dicendum eſt in caſu conuerſo, ex regula *ſecundum naturam &c.*

Altera etiam ponderatione accedente,

te, ob quam pro meo iudicio omnis difficultas cessabat, quod nisi scribens, per dictam protestationem certificatus fuisset, de recusata acceptatione mandati, sed è conuerso cum solitis litteris certioratorijs inter negotiatores, sciuisset implementum, curasset se reintegrare à Ciampello, in cuius gratiam mandatum dederat, suæque indemnitati consulere, vt ex facti circũstantijs deducebatur, vt ità sequi potuisset; Meritò autem neglexit, dum ità sciuit, quod litteræ non fuerant impletæ, sed potiùs recusatæ, et consequenter nulla poterat suppetere congrua ratio ob quam, facti imprudentis, vel culposi ipsius actoris, reus innocens pœnas luere deberet, ideoque cum iustitiæ fundamẽto absolutoria prodijt, cui credo, quod actores acquieuerint, dũ (quod sciam) causa vlteriorem progressum non habuit.

ROMANA AVOCATIONIS PECVNIARVM PRO GREGORIO ET ALIIS DE COSTIS CVM BENEDICTO MAFFEO.

Casus disputatus in Camera, & decisus pro Costis.

An, & quando creditori anteriori cõperat auocatio pecuniæ solutæ creditori posteriori, quamuis consumptæ, vel commixtæ; Et quatenus auocatio competat contra plures posteriores, quibus solutum est, àn anterior teneatur seruare ordinem, atque excutere vltimos, Vel potiùs in eius electione sit pulsare intermedios, qui cũ vltimis eamdem auocationem exerceant.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De punctis causæ.*
3 *De æquitate regulariter auocatio pecuniæ consumptæ non datur.*
4 *Et quando detur, requiritur excussio, ac intelligitur in subsidium.*
5 *Secus vbi data est cautio, quia tunc non intrat subsidium.*
6 *Potissimè stante clausula* ad omne mandatum.
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 3. quãdo procedat.*
8 *Administrator patrimonij positi sub concursu, non soluit liberè.*
9 *Aliàs tenetur de proprio, ac etiam intrat auocatio.*
10 *Eo ipso, quod recipitur solutio de bonis decocti, dicitur adesse mala fides.*
11 *Hæres beneficiatus tenetur solutiones facere cũ cautione alias malè soluit, & tenetur de proprio.*
12 *Et si liberè soluit adhùc competit auocatio.*
13 *De eodem, vt creditores recipientes solutionem ab hærede, dicantur in mala fide.*
14 *Conclusio, de qua num. 3. non intrat, quando omnium creditorum fuit æqualis diligentia.*
15 *Neque vbi creditor soluit sibi ipsi.*
16 *Vel si solutum est ab hærede.*
17 *De voto* Robusterij, *et àn in auocatione debeant prius excuti posteriores.*
18 *Qualis ordo in hoc seruari debeat.*
19 *Quando auocatio competit ex cautione, intrat iudicium executiuum.*
20 *Secus vbi ex dispositione iuris, nam tunc in iudicio ordinario agendum est.*

DISC.

DISC. LII.

1 DEfecta ratione bancharia Bonanni, & sociorum, cū supponeretur, quod huiusmodi deficientia proueniret potiùs, à negligentia exigendi proprios debitores, adeoùt facta peræquatione, seù bilancio debiti, & crediti, ipsa ratio potiùs idonea remaneret, hinc per chirographum pontificium, demandata fuit huius rationis, vel patrimonij administratio Bonifacio Lilio, ad effectum, vt executiuè, atquè vt dicitur, manu Regia, exigerētur effectus, cum quibus dimitterentur creditores, cū ordinibus subscribendis à Thesaurario, vel eius Auditore, & ab ipsismet debitoribus, vt de facto in magna parte sequutū fuit, sed malè, quia neglectæ fuerunt solitæ cautiones de restituendo anterioribus, & potioribus, vel de contribuendo cum æqualibus; Cum autem inter dimissos creditores fuerint Gregorius, & alij de Costis, contra istos, Abbas Benedictus Maffeus creditor anterior pro auocatione iudicium instituit in Camera, cui per Signaturam Gratiæ causa vniuersalis huiusmodi concursus commissa fuerat; Assumptaque desuper disputatione, prodijt resolutio Reis conuentis fauorabilis, in alia repropositione etiam cōfirmata, vndè credo quod actor acquieuerit, siue quod eius actiones direxerit contra eos, qui dictam cautionem præstiterant, quorum respectu non intrabant difficultates in hac facti specie cadentes, stante quod istis libera solutio facta erat.

In his autem disputationibus, tres fuerunt puncti; Primò super existentia crediti actoris, cum Rei conuenti illud impugnarent; 2 Secundo posita iustificatione crediti anterioris, àn intraret nec nè auocatio pecuniæ liberè solutæ, dum posteriores, quibus solutio facta erat, allegabant eam fuisse bona fide esse consumptam, stante præsertim notabili temporis interuallo; Et tertio, posito quod auocatio competeret, àn actor teneretur pulsare, & excutere vltimos creditores, quos Rei conuenti tanquam intermedij indicabant ad tollendum circuitum.

Primus punctus, (qui fortè fuit potissima causa resolutionum, ob crediti turbiditatem), consistebat in nudo facto, nullamque iuris inspectionē habebat, ideoque pro cōmendabili Curiæ stylo, nullæ fuerunt partes Aduocatorum, sed certarunt inter se causæ Patroni.

Quatenus verò pertinet ad secundum, Scribens pro reis conuentis, deducebam conclusionem hodie in foro passim receptam, quæ dicitur originata *ex dec.* 190. *Afflict.*, vt scilicèt, quidquid de stricto iuris rigore, ac in sensu antiquiorum, in 3 disputatiua ratione, dici valeat fauore creditorum anteriorum cōtra posteriores, super auocatione pecuniæ per debitorem solutæ, quamuis de præsenti non extantis, saltèm condictione ex lege; Attamen ex quadam æquitate fundata in ratione commercij, & communis vsus, quoties agatur de pecunia, quæ verè non extet, vel quod ratione cautionis de restituendo, aut ratione malæ fidei habenda sit pro extante, ideoq; dici valeat bona fide consumpta, etiam per illam remotam, ac impropriam consumptionem, quæ resultet à commixtione, seù confusione cum reliquo patrimonio, adeoùt non detur eius identifica existentia, non competat auocatio prædicta, ex ijs quæ cæteris relatis firmant *Surd. cons.* 528. *num.* 16., 29. & 30. *Gatt. de cred. cap.* 4. *quæst.* 11. *ex num.* 1296. *Merlin. de pign. lib.* 4. *quæst.* 29. *Thes. quæst. foren.* 16. *lib.* 2. *Fontanell. de pact. claus.* 5. *glos.* 8. *par.* 6. *num.* 27. & *seq.* & *par.* 7. *num.* 58. *cum seq. de Marin. resolut.* 71. *lib.* 1., vbi plenè *Rodoer. in addit.* cum alijs *per Salgad. in labyr. par.* 1. *cap.* 10. *Rota decis.* 595. *num.* 1. *par.* 2. *rec.*

Et secundo deducebam alteram conclusionem, pariter veram ac receptam, quod cum etiam in casibus, in quibus, vel ratione malæ fidei, vel propter priuile- 4 gium creditoris anterioris, vel potioris auocare volentis, regula in præcedenti conclusione statuta, limitanda veniat, adeoùt præfata auocatio intret, adhuc tamen intelligitur in subsidium, factaque excussione principalis debitoris, & non aliàs ex deductis *per Fontanell. de pact. dicta claus.* 5. *gl.* 8. *par.* 7. *numer.* 67. & *seq. Thes. quæst.* 16. *num.* 3. *lib.* 2. *Castill. tom.* 4. *contr. cap.* 61. *ex num.* 78. & *tom.* 5. *cap.* 78. *Vers. Stephanus verò Gratianus.*

Illa

Illa etenim pura, & simplex auocatio, quæ absque hac excussione, etiam in processu executino frequenter practicatur, præsertim in Congregatione Baronum, procedit, vbi ea petatur in vim cautionis, vel obligationis de restituendo prioribus, vel potioribus, & contribuendo cũ
5 æqualibus, ac ad omne mandatum &c., tunc etenim, vt cæteris relatis habetur *apud Franch. decis. 75. numer. 9. & 635. num. 3.* plenè *Salgad. in labyr. par. 1. cap. 10. numer. 68. cum seq.* & plenius *par. 2. cap. 6. Rota coram Celso decis. 206. num. 1. & 2.*, & aduertitur etiam supra *disc. 2. & in alijs*, pecunia dicitur verè extare, perindè, ac si nunquam soluta esset, sed perseueraret sub Iudicis administratione, adeoùt solutio facta redoleat speciem
6 depositi, seù prouisionalis consignationis precariæ, potissimè stante dicta clausula *ad omne mandatum*, per quam sublata remanet quæcumque difficultas desuper cadere solita, proindèque non intrat ea necessitas excussionis, quæ concurrit in casu auocationis condictione ex lege, vt potè ex remedio subsidiario; Et consequenter, cum in hac facti specie, dicta cautio, vel respectiuè obligatio præstita non esset, sed pecunia liberè soluta, neque doceretur de aliqua mala fide, quæ in dubio non præsumitur, ita dicebam quod versabamur in casu dictarum conclusionum.

Reflectendo autem ad veritatem, credebam probabiliter applicari secundam conclusionem non factæ excussionis, ex cuius defectu, ac etiam ex turbiditate crediti actoris, probabiles credidi resolutiones; Accedente etiam altera circumstantia, de qua in sequenti puncto; Sed quatenus pertinet ad primã; Quamuis posita bona fide cum suis requisitis, illa vera sit, saltèm ex recepto vsu vt supra; Attamen difficultas magna consistebat in applicatione; Procedit etenim vbi debitor in bono statu constitutus, suorumque bonorum liberam habens administrationem, debitum soluit, aliàs legitimum, adeoùt nulla concurrat fraus, vel collusio, cum tunc ratio commercij aliàs impediendi, ità probabiliter exigat, quodque alias esset mundum litibus inuoluere; Secus autem vbi dicta ratio cesset, quia nempè solutio dictam rationem non habeat, vt in præsenti rectè dici poterat, quoniam licèt solutiones factæ essent cum ordinibus subscriptis ab ipsismet debitoribus principalibus, attamen verè, & propriè factæ erant per administratorem vt supra huic iam defectæ rationi deputatum, sub maiori etiã administratione Thesaurarij, qui in Curia est consuetus Iudex concursuum, qui fiant in bonis, & patrimonio exercentiũ bancũ, seù publicam artem campsoriam, adeoùt subscriptio ipsorum debitorum, desiderata videretur potiùs pro Iudicis, ac administratoris informatione, ad effectum sciendi, quinam essent creditores, & qui non; Et consequenter, administrator non habens liberam bonorum, ac pecuniarũ dispositionem, non potuit, negligẽdo cautionem præstari debitam, ac solitam, tàm de iure, quàm fortiùs in
8 Vrbe ex Constitutionibus *Pij IV.* & *Pauli V.* super Reformatione Tribunalium, supplantare alios creditores, ex ijs quæ plenè cæteris relatis habentur *apud Salgad. in labyr. par. 1. cap. 13. nu. 7. cum seq. & num. 51. & cap. 14. num. 8.*

Et quamuis replicaretur, vt id percuteret malam administrationem, ob quam creditoribus anterioribus actio cõpetat ad quanti interest contra ipsum administratorem ex deductis *apud Salgad. vbi supra*; Attamen id non tollit malam fi-
9 dem in ipsis creditoribus posterioribus, in quibus illa induci dicitur, eo ipso, quod sciunt debitori interdictam esse liberam bonorũ suorum administrationẽ, ac dispositionem, quodq; bona posita sint sub concursu, ac sub administratione Iudicis, vel alterius, quamuis iste negli-
10 gat eius officium benè exercere, dictamque cautionẽ exigere, quoniam eo ipso, quod solutio recipitur de bonis decocti, siuè ab eodẽ, siuè à Iudice, vel ab administratore, intrat auocatio, vt *apud Seraph. decis. 1074. num. 4. Penia decis. 262. cum alijs per Add. ad decis. 9. ex nu. 45. par. 3. rec. Gait. de credit. cap 4. qu. 11. nu. 1321. Rota in Romana pretij officiorum 27. Nouembris 1658. §. fin. & 1. Decẽbris 1659. Beuilaqua*, quarũ prima est *dec. 395. par. 12. recen.*

Idque à simili probari dicebam ex ijs, quæ habemus in hæreditate debitoris defuncti, administrata per hæredem beneficiatum, qui stante beneficio inuentarij, eum præseruante ab omni damno

in

in bonis proprijs, reputatur potius legalis administrator, quàm verus hæres ex
11 deductis supra *discur. 56. & in alijs*, quoniam vbi non agatur de hæreditate notoriè opulenta, in qua nulla suspicio cadere possit insufficientiæ, quæ inopinatò, ac præter probabilem spem detegatur, ipse præfatur obligatione exigendi à creditoribus per eum diminendis, dictâ cautione de restituendo, atq; aliàs liberè soluendo, dicitur malè gerere partes administratoris, ideoque tenetur de proprio ad iteratam solutionem, neque in hoc inuentarij beneficium ei suffragatur iuxta doctrinam *glos. & Bart. in l. fin. S. & si præfatam Cod. de iur. delib.* quam sequuntur *Castren. Salyc. & alij relati per Gratian. discept. 632. nu. 1. & seq. Franch. decis. 272. num. 6. Rota decis. 211. num. 1. par. 10. rec.*, vbi aliæ referuntur, & habetur etiam in sua materia *sub tit. de Hærede*; Et quidem rationabiliter, nè aliàs in facultate hæredum repositum sit colludere cum posterioribus, ac supplantare anteriores, quibus præsertim absentibus, quando mors debitoris contingit, nimiùm de facili fraus fieri posset, vt etiã aduertitur *disc. seq.*

Verùm quamuis hæc actio competat contra hæredem, non per hoc tamen deneganda est contra ipsum creditorem
12 posteriorem auocatio ratione malæ fidei, quoniam eo ipso quod scit, solutionem sibi fieri non ab ipso principali debitore liberam dispositionem, ac administrationem habente, scire debuit, vel potuit, quod administrator malè se gereret, ipseque fuisset obligatus præstare cautionem de communi stylo præstari solitam.

Accedente etiam clara dispositione *sext. in dicta l. fin. Cod. de iure delib.*, vbi duo disponuntur; Primò scilicèt vt ementes bona ab hærede beneficiato reddan-
13 tur tuti, vt aduertitur etiam *discur. seq.*; Et secundo vt hæres bona fide vt supra soluens primò venientibus, reddatur tutus à molestijs in persona, & bonis proprijs, remanente iure alijs creditoribus anterioribus, vel potioribus, seù æqualibus, agendi contra ipsos creditores dimissos, quos propterea impossibile est dicere vnquam in bona fide, cuius ratione eis congruat ratio, cui innixa est æquitas denegans auocationem pecuniæ bona fide consumptæ.

Adeo enim dicta ratio attendenda est, quod vbi etiam agatur de ipsomet debitore in valido statu existente, liberamque suorum bonorũ dispositionem,
14 ac administrationem habente, qui solutionem faciat, adhùc tamen conclusio non intrat, quando æqualis fuerit omnium creditorum diligentia apud debitorem, qui per gratificationem vni potiùs, quàm alteri soluerit ex deductis per *Merlin. de pign. dicta l. 4. quæst. 29. num. 29. Fontanell. dicta par. 7. num. 29. Seraph. decis. 1074. num. 3. Buratt. decis. 687. nu. 2.* & passim apud allegatos; Siue vbi solu-
15 tio facta non sit per ipsum debitorem, qui proprium debitum dimittat, sed ipsemet creditor manu sua sibi ipsi soluerit, vt benè *Capyc. Latr. decis. 24. numer. 24. Rota decis. 516. numer. 4. par. 4 recen.*

Multò igitur magis, vbi naturaliter, vel ciuiliter mortuo debitore, id sequatur per hæredem, vel administratorem
16 quamuis esset hæres sine beneficio inuentarij, minus idoneus, adeòut creditoribus non dimissis consultum esse non valeat in eiusdem hæredis bonis proprijs, quæ cessante inuentarij beneficio quoque affecta sunt.

Demum quoad tertium punctum, Scribens pro Reis conuentis creditoribus intermedijs, deducebam votum *Ro-*
17 *busterij* in Curia circumferri solitum, vt creditor anterior etiam in casu, quo auocatio competat, debeat seruare ordinem, ac molestare vltimos, qui indicantur, non autem intermedios ad tollendum circuitum; Quamuis enim replicaretur, quod dictum votum *Robusterij* non videatur receptum ob contrariam praxim Congregationis Baronum, aliorumque Tribunalium, quod scilicèt in electione creditoris anterioris positum est pulsare sibi placitos, ac benè visos creditores posteriores, quibus rectè consultum esse potest, pulsando alios, quos credunt eis posteriores esse, quod in puncto iuris esse probabilius firmatur cæteris relatis *per Salgad. in labyr. par. 3. cap. 14. à num. 10.*, vbi ex professo disputat quæstionem ad partes, et aduertitur etiam in alijs locis insinuatis suprà.

Ideoque aduertitur ad prudentem huius opinionis moderationem, quam Ca-

ria

ia practicat, præsertim verò Congrega-
o Baronum, quod scilicèt decernit
mandata ad fauorem anteriorum con-
rà posteriores actoribus benè visos, sed
ifti contemporaneè pulsant alios po-
eriores, certos, & liquidos, superfederi
blet in expeditione, seù executione con-
rà intermedios, ac demandari contra
ltimos, à quibus anteriores reintegren-
ur, ità euitãdo circuitum, atq; cum æqui-
atiuo temperamento, effugiendo pra-
im dictæ magis rigorosæ opinionis,
quamuis in puncto iuris verioris; Quod
benè contingit, quando iudex est ocula-
us, secùs autem, vbi damnabiliter se-
quitur fidem Notariorum huic circulo
rincipaliter studentium.

Adhùc tamen dicebam id recipien-
um esse in casu, quo sit practicabilis
rocessus summarius, et executiuus, atq;
necessaria non sit excussio, vt contingit,
bi vt suprà præstita sit cautio, vel facta
bligatio de restituendo, cuius vigore
ocus est dicto processui summario, et
xecutiuo, vt *apud Cels. dicta decis.* 206.
um. 1., vbi concordantes; Secùs autem,
bi agatur de illa auocatione, quæ ratio-
e malæ fidei, seù aliàs vt suprà ex sola
isposition iuris, absque dicta expressa
bligati ne competat in iudicio ordi-
ario, et cum necessitate excussionis,
uoniam ea ratio, ob quam desideratur
xcussio ipsius debitoris, videtur etiam
adere aliam excussionem aliorum po-
teriorum; Clariùs verò in hac facti spe-
ie, quia plures ex vltimis receperant pe-
cuniam cum dicta cautione, ob quam
promptè in processu summario, et exe-
cutiuo poterant conueniri, ideòque spe-
cies iniquitatis, vel æmulationis videba-
tur, quod istorum creditorum interme-
diorum molestiæ continuarent, atque in
hoc sensu, seù cum ista distinctione, rectè
attendendum venit dictum votum *Ro-
busterij* compatibiliter cum opinione, de
qua *apud Salgad.*, vbi suprà.

ROMANA

CAVTIONIS

PRO

CLEMENTIA MVTINA DE CECCHINIS

CVM

CREDITORIBVS HÆREDITATIS CARDINALIS CECCHINI.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Clementia.

An, & quando creditores, præsertim hæreditarij teneantur recipere pecuniam sibi debitam, cum cautione de restituendo; Et quatenùs teneantur, eamque præstare non possint, quomodò consultum sit; Ac etiam, an ob huiusmodi vinculum actionem habeant contrà debitorem ad quanti interest pecuniam solui liberam, et de effectibus ex huiusmodi cautione resultantibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De reformatione Tribunalium Vrbis cogente creditores præstare cautionem.*
3 *De iure creditor ad id non tenetur.*
4 *Quod pro ista conclusione sit distinguendum.*
5 *Vbi agitur de debitore decocto, est præstanda.*
6 *Idem vbi debitore defuncto, si hæres soluit.*
7 *De ratione, vbi soluit hæres.*
8 *De eodem, et quod etiam sine cautione datur auocatio contrà recipientes ab hærede.*
9 *Quare hoc non obstante expediat dictam cautionem præstari.*
10 *De obligatione hæredis exigendi dictam cautionem.*
11 *Quando emens ab hærede beneficiato, non sit tutus.*

12 *De eodem.*
13 *Ideòque expedit exigere cautionem.*
14 *Præstanda est cautio in liberatione pretij rei venditæ iudicialì auctoritate.*
15 *Non est præstanda, si venditio sit voluntaria.*
16 *Neque in casu, quo possessor velit repellere creditorem cum iure offerendi.*
17 *De praxi Vrbis liberandi bona vendita, et onera transferendi in pretium ex gratia particulari.*
18 *Non est exorbitans ista gratia, vbi creditores non habent ius in bonis.*
19 *Vel vbi de bonis debitoris nõ idonei agitur*
20 *Idem vbi de venditione facta per hæredem.*
21 *Vel si ipsi creditores elegerunt viam, per quam oportet accipere pretium vinculatum.*
22 *Quando dicatur exorbitans.*
23 *De praxi inuestiendi pretium in loca montium, vbi non possit dari cautio.*
24 *De alio casu, et an cautio præstita fauore vnius, suffragetur alijs.*
25 *De clausula,* et ad omne mandatum, *vel æquipollenti, eiusque operatione.*
26 *An debitor teneatur supplere creditori id, quod interest pecuniam esse liberè solutam.*
27 *De eadem materia, et quando creditor agat ad libertatem pecuniæ, vel solùm ad cautionem indemnitatis.*

DISC. LIII.

FRequens in plerisque causis occasio dedit disputare in diuersis Tribunalibus, præsertim verò in illo A.C., de hac materia cautionis præstandæ per creditores de restituendo acceptam pecuniam prioribus, vel potioribus, seù contribuẽdo cum æqualibus, et ad omne mandatum &c.; Potissimum verò id contigit occasione istius causæ; Cum enim obijsset qualificatus Cardinalis Cecchinus, scripta hærede Clementia prędefuncti fratris vxore, quæ adita hæreditate cum beneficio inuentarij, istoque confecto, comperijt hæreditatem aliqua æris alieni mole grauatam esse (quod præfati Cardinalis nimiam integritatem comprobauit, dum in diuturno exercitio plurium munerum, ex quibus magna lucra reportari potuissent, obijt pauper) vt eosdem creditores dimitteret, vendidit Francisco de Aste genero quoddam casale hæreditarium pro pretio scutorum 80.m. circiter, adiecta per emptorem solita cautela deponendi pretium in Sacro Monte pietatis, ad effectum illud liberandi creditoribus, cautionem præstare debebat bus primariò de restituendo ipsi empt ri in casu euictionis & molestiarum, cundariò verò creditoribus anteriorib & potioribus, seu contribuendo cu æqualibus, ac ad omne mandatum &c Cumque Clementia hæres præuijs re ctiuè disdictis censuum, seù cambiora aliorumque contractuum, interpella creditores ad accipiendum pecuniam, sin minus ad videndum mandari c deponi, ipsi autem recusarent recipe cum dicta cautione, prætendentes pe niam liberam; Hinc, præuia commissi ne Sanctissimi super vnione omniu causarum coram A.C., seù vno ex L cumtenentibus, assumpta fuit disput tio super hoc puncto obligationis pr stand dictam cautionem, quæ affirma uè pro hærede, ac emptore determi ta fuit, absque vlteriori progressu, h creditores acquieuerunt.

In disputationibus autem desuper bitis, plerique, etiam seniores, ac pr ordinis Aduocati, pro diuersis respe uè creditoribus scribentes, opinabant 2 pro consueto pragmatico more, vt di ponente Constitutione Pauli V. edit per reformatione Tribunalium, vt in casu formati concursus defecti debito ris, creditores huiusmodi cautionem præstare debeant, ità ad istum casum restrictum esset, vt eo excepto huius modi obligatio non intraret, nequ trahenda esset ad alios casus, in quibus procedendum est cum regula generali 3 de qua cæteri relatis *Arias de Mesa lib. 1. var. cap. 16. num. 27. cum seq. Merlin. de pign. lib. 4. quæst. 34. num. 97. cum seq.* plenè *Rot. decis. 118. par. 10. rec. repetit. post. Post. de subhast. decis. 210. & inter illas Bichij decis. 321. & apud Roias decis. 458. num. 6. cum seq. & in alijs*, quod scilicet creditor non tenetur inuitus huiusmodi cautionem præstare, atque sibi debitam pecuniam ità vinculatam recipere, cum vinculum notabiliter minuat de valore, et consequenter videatur contrà ius natu-

tu-

turale, vel gentium, vt qui *credidit* centum, tantumdem recepturus, cogatur recipere quinquaginta, vel sexaginta &c.; Vndè propterea exagerabant, quod hæc esset noua opinio excitata per me, solùm scribentem pro hærede, ac pro emptore illi adhærente.

Pro huiusmodi obiecto tollendo, ac etiam vt responderetur pluribus auctoritatibus, quę pro Scribentium varietate cum aliqua confusione, pro consueta moderna ineptia, *in* magna copia cumulabantur, ità cum hoc improbo labore, eruditionem ostentando, vt etiam *in* pleriſq; alijs consimilibus controuersijs facere oportuit; Dicebam reflectendum esse ad casuum distinctionem, hodie in omnibus ferè huius facultatis quæstionibus necessariam, ad effectum tollendi æquiuoca, atq; segregandi triticum à palea.

Primus igitur casus est, vbi agatur de formali concursu in bonis, ac patrimonio debitoris iam defecti, et tùnc planum est dictam cautionem præstandam esse, vt ijdem scribentes *in* contrarium admittebant, non solùm in Curia, alijsq; Tribunalibus status Ecclesiastici ex dictis Apostolicis Constitutionibus, sed etiã de iure communi ex dispositione, vel ratione *text.in l.si procuratori, §.fin.ff. de tribut. act.* & plenè cæteris relatis comprobat *Salgad.in labyr.par.2.cap.6.nu.1. cum seq.*; Idque vbique in praxi receptum esse, *præsertim* in Tribunalibus Regni Neapolitani testatur etiam *de Marin. in add.ad Reuerter.decis.82.in princ.*; Ex ea clara ratione, quod cum creditores concurrentes teneantur de iure se probare omnibus alijs anteriores, vel potiores, istaque probatio videatur impossibilis, cum consistat *in* negatiua non coarctabili, hinc proindè, loco dictæ probationis, per modernos adinuentus est iste modus cautionis, desumptus à doctrina *gl.& Bart.in l.fin.C.de iur.delib.* insinuata *disc.præced.* super cautione, quam hæres beneficiatus, non solùm potest, sed tenetur à creditoribus hæreditarijs exigere, vt aduertunt suprà allegati, & alij communiter, præsertim *Ann.alleg.78.num.1. Galeot.lib.2.contr.38.n.38. & 39.Franch. decis.200.num.5. & decis.272.nu.9.*; Vbi aduertitur, quod hodie non liberantur, seù non soluuntur pecuniæ nisi cum ista cautione, neque dictę auctoritates, et decisiones *in* obiectum allegatæ istum casum percutiunt.

Alter est casus præcisus præsentis cõtrouersiæ, vbi scilicèt, cessante formali decoctione, ac formalitate concursus, iuxtà casum præcedentem, agatur de
6 bitore defuncto, cuius hæres cum beneficio inuentarij ad terminos *tex.in l.fin. C.de iur.delib.* bona hæreditaria vendat, vt creditores dimittat; Et in hoc idem seruandum esse ex eadem dispositione, vel ratione iuris communis, vel ex dicta recepta doctrina *gl. & Bart. in eadem l. fin.*, in specie aduertunt *Valasch. consult. 52.nu.38.& Franch.dicta dec.272.nu.9.*, qui testantur de vsu communi, de quo etiam testatur *de Marin. ad Reuerter.dicta decis.82.in principio*, atque de isto neque agunt dictæ auctoritates in contrarium adductæ, cum percutiant diuersos casus vt infrà, præsertim *dicta decis.118. par.10.rec.* pluries alibi repetita, quæ *in* Curia super libertate pecuniarum soluendarum circumferri solet tanquam magistralis.

Et meritò quidem ità omninò practicare oportet, ob multas fraudes, et inconuenientia, quæ aliàs resultarent in
7 supplãtationem creditorum absentium, vel non habentium notitiam mortis debitoris; Siquidem stante introductione beneficij inuentarij, iuxtà claram dispositionem *tex.in d.l.fin.de iure delib.*, ille, qui emit ab hærede beneficiato tanquàm tali, tutus redditur à quibuscumque hypothecis, et creditorum molestijs, ac etiam ipse hæres beneficiatus, qui dimittat creditores primò venientes, tutus quoque redditur à quibuscumq; molestijs in persona, & bonis proprijs, vndè propterea creditoribus anterioribus absentibus, vel ignaris, seù pupillis, vel aliàs sub aliena administratione de necessitate viuentibus, atque administratorum negligentiæ frequenter subiectis, consulum non remaneret, neque contrà hæredem, neque contrà bona vendita, dum textus prædictus vtrumque emptorem scilicèt, et hæredem tutum reddit, quod esset maximum absurdum ab omni ratione alienum.

Istam rationem Scribentes in contrarium retorquebant ad probandum, quod iniusta esset, tam hæredis, quàm emptoris

toris oppositio, siue dictæ cautionis sollicitudo, dum eis ità consultum remanebat,admittendo conclusionem *disc. præc.* insinuatam, quod ex dispositione eiusdem textus, creditoribus anterioribus, vel potioribus postea venientibus detur actio auocationis,contrà posteriores dimissos, non excusabiles ex motiuo consumptionis bona fide, cum ista non intret ex latiùs deductis *dicto discur. præced.*, ideòque dicebant iam de iure consultum remanere, idque primo aspectu apud Iudicem magnam faciebat impressionem.

8

Verùm istud erat nimium leue fundamentum, quoniam licèt in puncto iuris vera sit dicta conclusio,super competentia auocationis, quodque creditores defuncti dimissi per hæredem præsertim beneficiatum, qui legalis administratoris partes facere dicitur,non possunt dicere se bona fide consumpsisse,dum sciebant, vel scire debebant ad id teneri, non obstante allegata ignorantia iuris,

9

quæ non excusat; Attamen ista dispositio iuris frequenter inanis remanere solet, ob ipsorum dimissorũ creditorum inopiam,siue ob impossibilem, vel duriorem coactionem, vt præsertim in exteris, qui in alienis Principatibus viuunt,vel bona habent, contingit,ideòque oportet cum huiusmodi cautionis remedio aliorum creditorum indemnitati occurrere.

Et vlteriùs aduertebam, vt neque subsisteret dictum assumptum, quod tam emptor, quàm hæres à molestijs tuti essent; Quamuis enim litteraliter,ità per dictum textum disponatur; Attamen id plures recipit limitationes, & præser-

10

tim quoad hæredem,vt quoties pluſquã magna bona fides iustæ opinationis magnæ idoneitatis hæreditatis nõ excuset, negligendo huiusmodi vbique vsitatam cautelam, dicatur in culpa, atque teneatur creditoribus ad quanti interest solutiones liberas factas non esse ex deductis *discur. præceden.*, & *sub tit. de Hærede disc.* 25.

Et quoad emptorem,adhùc ille omninõ tutus non remanet; Tùm quia securitas resultans ex *dicta l. fin.* percutit cre-

11

ditores hæreditarios ipsius defuncti, nõ autem creditores tertij, à quo bona sic affecta transierint in ipsum defunctum, in cuius hæreditate remanserunt, vel alios tertios vindicantes iure dominij, puta ex causa fideicommissi, vel similis deductis *per Valasch. dicta consult.* 52. *num.* 40. *Cancer. par.* 3. *var. cap.* 2. *numer.* 155. *Franch. decis.* 531. *num.* 14. & 15. & *communiter.*

Tùm etiam quia respectu quoque creditorum hæreditariorum defuncti,iuxta vnam opinionem,quæ probabilior videtur, deductam *ex Corn. in eodem* §. & *præfatam*,& alijs de quibus *apud Franch. dicta decis.* 272. *num.* 8., & *decis.* 298. *num.* 9., & *Baldass. de Tomas. de Inuen. cap.* 4. *nu.* 127., datur regressus ad bona distracta, in casu scilicèt subsidij, & quando aliàs creditoribus anterioribus consultum esse non possit contra alia bona hæreditaria, vel contra personam,ac bona hæredis, quamuis beneficiati, ità male agentis.

12

Quamuis enim *Cancer. dicto c.* 2. *n.* 151. dicat huiusmodi limitationem sibi non placere; Attamen huiusmodi dissentiæ nullam assignat congruam rationem, vel auctoritatem,eaque probabilis videtur, Tùm ex eadem ratione supra insinuata,quod ità de facili fraudibus,& collusionibus cum creditoribus posterioribus magis diligentibus, aditus aperiri posset in supplantationem anteriorum absentium, vel sub aliena administratione vt supra viuentium; Tùm etiam quia stante isto communi vsu, seù cautela omnes emptores bonorũ defuncti adhiberi solita, à culpa,& à collusionis suspicione vacare non dicitur emptor, qui huiusmodi cautelam negligit, ideoque sibi imputet; Et nihilominus aduertebam sufficere, vt hic esset punctus iuris dubius habens opiniones hinc indè, vt propterea emptor non debeat se huic periculo ex onere.

Idemque respondebam ijs, quæ circa cautelam hæredis soluentis creditoribus primo venientibus, minus probabiliter

13

habentur deducta *apud Ganauer. dec.* 8., quoniam si vni Iudici ea placere possunt, alteri tamen, iuxta quotidianam praxim ex ingeniorũ varietate resultantem, possunt displicere, et consequenter non debet hæres, vel emptor huic periculo se supponere.

Tertius casus est vbi, cessante morte naturali, vel ciuili debitoris, ad instantiam ipsius creditoris, iudiciali auctori-

tate

14 tate venduntur bona debitoris, licitator autem, iuxta communem praxim offerat pecuniam deponendã, ac non liberandam, niſi cum idonea cautione de reſtituendo primario ſibi in caſu euictionis, & moleſtiarum, et ſecundario anterioribus, & potioribus &c.; Et iſto pariter caſu, creditores dictam cautionem euitare non poſſunt, ex eadem ratione impracticabilis probationis eorum anterioritatis, & potioritatis, vt aduertunt *Anna, Gaieota, Franch., de Marin. & alij vbi ſupra*, & expreſsè admittit *Rota dicta deciſ. 118. par. 10. rec. repetita inter illas Bichij dec. 321.*; Remanente ſolùm quæſtione inter ipſum, & principalem debitorẽ, vel fideiuſſores, ſeù correos ſuper ſuppletione eius, quod intereſt dictã cautionem præſtitam eſſe, vt infra.

Quartus eſt caſus voluntariæ venditionis factæ per debitorẽ tertio emptori, vel ſecundo creditori, qui pretium of-
5 ferat creditoribus anterioribus cum dicto vinculo cautionis, et tunc rectè procedit regula, de qua *Arias de Meſa dicto cap. 16. lib. 1., & Merlin. de pign. lib. 4. quæſtione 34. numer. 97. & alij in dicta deciſ. 118. par. 10. rec. aliàs 321. Bichij*, quod creditor non tenetur huiuſmodi oblationem recipere.

Quintus eſt, vbi creditor ex interdicto ſaluiani, vel hypothecaria, ſeù alio remedio reali, vel rei perſequutorio, petat poſſeſſionem bonorum debitoris, qui ex *beneficio* iuris offerendi, creditorem dimittere velit ſub dicta lege, vel condi-
16 tione cautionis, et tunc pariter intrat dicta regula, vt creditor ad id nõ teneatur, ſed rectè dicere poteſt velle ſua iura experiri ſuper ipſis bonis, vel eorum fructibus, & hic eſt proprius, ac præciſus caſus, de quo agitur *in dicta deciſ. 118. par. 10. rec., ſeù 321. Bichij, & dicta deciſ. 458. coram Royas* cum ſimilibus, multoque magis, vbi ipſemet debitor creditorem dimittere velit, cum tunc nulla cadat ratio dubitandi.

In dicto autem quarto caſu voluntariæ venditionis, in Vrbe frequens praxis docet, vt in gratiam emere volentiũ
17 caſtra, vel caſalia, aliaque conſpicua bona, concedi ſoleant chirographa Pontificia, per quæ, ad inſtar Bullæ Baronum, diſponitur, vt creditores pretium recipientes, teneantur dictam cautionem præſtare, ſin minus pecuniam inueſtire in loca montium cum hoc vinculo; Quamuis autẽ ignaro vulgo id aliquod ſcandalum præbere ſoleat, quaſi quod in gratiam eorum, qui aliena bona emere volunt, atq; pro eis aſſecurandis, lædatur ius gentium, vel naturæ, vt creditores minus debito recipere cogatur; Attamen, vt aduertitur ſuper hac eadem praxi *ſub tit. de feud. ad materiam dictæ Bullæ Baronum*, quando benè reflectatur ad caſus, & circumſtantias, in quibus id practicari ſolet, comperietur, quod vt plurimùm iſtud ſcandalum eſt effectus ignorantiæ.

Quatuor enim caſus in hoc propoſito diſtinguendi ſunt; Primus eſt vbi agitur de venditione rerum, quæ aliàs per debitorem vendi non poſſent, neque
18 eius creditores ad illa ius haberent, quia nempè, fideicommiſſi, vel inueſtituræ ad fauorem aliorum, vinculum habeant, cui derogetur iuxta caſum, de quo *ſupra diſc. 29.*; Et tunc creditoribus, quibus aliàs in bonis proprijs, & liberis debitoris, conſultum non eſſet, potius fit gratia, quàm præiudicium, dũ aliàs moriente debitore, ſeù ex alia cauſa eius iure reſoluto, nihil obtinerent; Et conſequenter conqueri non poſſunt de gratia qualificata, quam Princeps poterat non facere, quoties, vt dictum eſt, ipſis creditoribus non remaneret benè conſultũ ſuper alijs bonis liberis, ac proprijs ipſius debitoris, ſiuè perſonam cogendo, liberam ſatisfactionem obtinere poſſent, atque hoc non obſtante, quamuis inuiti, pretium ita vinculatũ recipere cogerentur, tunc etenim eſſet exorbitantia, rationabiliter dicti ſcandali productiua, quod tamen fieri non ſolet, quia re vera non debet.

Alter caſus eſt, vbi agatur de illa voluntaria venditione bonorum liberorum debitoris, quæ ſpeciem neceſſariæ, ſeù
19 iudicialis haberet, quia nempè adeo ære alieno preſſus eſſet, vt pro omnibus creditoribus dimittendis, oporteat bona iudicialiter vendi, neque per anteriores impediri poſſent poſteriores id petentes ex ſupra inſinuatis; Et tunc ſi reperta occaſione voluntariæ, & conuentionalis venditionis, quæ iuxta frequentiorem praxim, ipſi venditori, eiuſque creditoribus magis proficua eſſe ſolet

quàm

quàm iudicialis & subhasta, atque Pontifex per speciem communicationis facultatis Baronum, pro honestate debitoris, & nè ille declaretur decoctus cum formali concursu iudiciali, liberet rem vendendam ab hypothecis, & vinculis, eaque transferat in pretium cum dicta cautione soluendum, tunc pariter id nullam continet exorbitantiam, neque præiudicium creditorum, qui (vt supra aduertitur) cogerentur in casu concursus, ac iudicialis venditionis idem facere, vndè propterea est cũ hac forma tollere circuitus iudiciales, qui maiores expẽsas, maioraque præiudicia parere solent, atque in ordine ad cautelam emptoris facere id, quod præsertim apud Hispanos ex legibus, vel stylis receptum est, ac per DD. Italos frequentius laudatur super huiusmodi emptorum securitate, ex qua effectus proficui ipsismet creditoribus resultare solent, ideoque est demãdare in forma extraiudiciali id quod aliàs, iudicialiter faciendum esset, ex deductis *disc. sequen.*

Tertius casus est, vbi ageretur de venditione facienda per hæredem beneficiatum, vel alterum administratorem, et tunc *in omnibus procedit idem*, quod in casu proximè præcedẽti, quod scilicèt, ita in forma extraiudiciali demandatur, id, quod aliàs in forma iudiciali euitari non posset.

Quartus demum est casus, in quo agatur de venditione voluntaria rei liberæ debitoris, aliàs idoneæ, adeoùt creditoribus nolentibus satisfieri in pretio habente hoc vinculum, rectè consultum esse possit, obtinendo liberam satisfactionem ex mobilibus, vel fructibus aliorum bonorum, siuè mediante personali coactione &c., et tunc si creditores elegerunt viam iudicialem executionis, & subhastationis, quæ ità ad faciendum cõditionem meliorem præueniatur iuxta ponderationes, de quibus *apud Buratt. decis.* 401. & 485., & aduertitur *dicto tit. de feud. ad mater. Ball. Baron.*, sibi imputent, eisque pateat via, quam elegerunt, vt præsertim habetur *dicto tit. de feud. discur.* 99.; Quoueròad eos, qui hanc viam non elegerunt, neque satisfactionem ex huiusmodi pretio curant, si ad id inuiti cogendi essent, tunc id scandulum non improbabiliter contineret; Verùm in praxi nullus, vel nimium rarus est huiusmodi casus, cum frequentius id contingat in præcedentibus, quos tamen ignarus vulgus non distinguit, sed ignorando quid dicat, obloquitur.

Praxis autem demandandi inuestimentum in loca montium loco cautionis, vbi hæc idonea præstari non possit, non solùm viget in Vrbe & Statu Eccle. siastico, sed etiam in alijs Principatibus, vt de praxi Tribunalium Regni Neapolitani testatur *de Marin. ad Reuerter. dicta decis.* 82.; Illaque est rationabilis, atque potiùs in gratiam ipsorum creditorum, nè aliàs cogantur habere pecuniam otiosam in bancho depositatam; Desumptaque est ista praxis ex altera quam iuditiosè moderni, temperantes leguleiã rigorem antiquiorum, introduxerunt in vsufructuario bonorum, quæ vsu consumuntur, seù pecuniarum, vbi idonea cautio præstari non valeat, quoniam antiquitùs legatum remanebat inane, rationabilius autem moderni introduxerunt hoc temperamentum, de quo *sub tit. de seruit. ad mater. vsusfr.*

Item in hoc proposito recipiendi pecuniam vinculatam cum ista cautione; In vna *Viterbien. Pecuniaria* pro Baldo Corrado, & consortibus, cum Vincentio Ferretto, disputata coram A.C., ac etiam deindè in plerisque alijs, disputatum fuit, àn dicta cautio, seù obligatio de inuestiendo, concepta solùm ad fauorem emptoris bonorum in casu euictionis, & molestiarum, siuè nominatim ad fauorem alicuius creditoris, suffragaretur alijs creditoribus anterioribus, qui dictæ obligationis vigore in iudicio executiuo auocationem experiri possent, ista-que inspectio in dicto casu percutiebat magis ordinem iudicij, quam substantiæ, quoniam stante vtraque naturali, & ciuili morte debitoris, non dubitabatur, quod esset locus auocationi, ex dispositione iuris, in cuius tamen casu oportet, vt præcedat excussio in iudicio ordinario; Adhùc tamen pro exercitio dictæ obligationis iudicatum fuit, et merito ex duplici probabili ratione; Primò scilicèt ex illa circuitus, quod creditores anteriores molestare possent emptorem, qui ità in vim dictæ obligationis ad eius fauorem conceptæ, iudicium executiuũ exercere posset.

Et

Et secundò clariùs ob clausulam *ad omne mandatum &c.*, quæ nè aliàs otiosa remaneat, aliquid plus operari debet, nõ solùm circa faciliorem executionem,
25 sed etiam ad euitandum discussionem pro verificatione subsidij, siuè circa ordinem inter creditores, vt ponderatur *apud Seraph. decis.* 1396. *num.* 2., talisque est recepta praxis, per quam euitantur omnes litium circuitus, ac subterfugia habentium pecuniam in manibus, ex ea clara ratione ponderata supra *hoc eodem discur.*, ac etiam in alijs, & per *Salgad. in labyr. par.* 1. *cap.* 10. *num.* 69. *cum sequ. & par.* 2. *cap.* 6. *num.* 9. *cum sequen.*, quòd scilicèt ità per huiusmodi clausulam *ad omne mandatum &c.*, vel æquipollentem in alijs Tribunalibus practicatam, puta *sine præiudicio &c.*, vel *saluo iure &c.*, ista non est vera solutio, sed prouisionalis, ac precaria consignatio facta per Iudicem, tanquam per speciem depositi, ideoque per dispositionem, vel rationem *text. in l. si quis conductionis C. locat.*, quam receptissimum est locum habere in omni materia, & casu, in quo quis rem ab alio accipiat, non potest creditor impugnare factum Iudicis sui auctoris, neque inquirere subtiliter, cur ità mandet, vnde propterea fori declinatoria, neque admitti solet iuxta deducta *sub tit. de Iurisdict. discur.* 94., atque ità cessat quæstio, quam etiam aliquando disputaui, àn cautio præstita fauore vnius suffragetur *alijs*, cùm ità Iudex præcipere valeat afportationem pecuniæ ad se ipsum, vt eam liberet alijs anterioribus.

Solet autem ista cautio parere quæstiones inter creditores, ità dimissos, ac debitorem, super suppletione eius, quod
26 huiusmodi vinculum minuit de illo valore intrinseco, quem habet pecunia libera, iuxta casum, de quo *sub tit. de Camb. disc.* 1 & 2., ac in decisionibus in ea causa editis, àn scilicèt creditor actionem habeat contra debitorem petendi liberationem vinculi, vel actionem quanti minoris &c., aut saltèm cautionem indemnitatis; Et quamuis regula sit affirmatiua ex deductis *apud Franch. decis.* 200. *de Marin. ad Reuerter. dicta dec.* 82. *& alios*, Attamen in Curia, cessante pacto speciali, de quo habetur actum *dicto tit. de feud. d. disc.* 99., nullus, vel nimium rarus est huiusmodi quæstionum casus, cum id cõtingat, vel ex Bulla Baronum, seù Pontificijs chirographis, ideoque ex facto Principis; Vel vbi ob insufficientiam debitoris, id prouenial ex dispositione iuris, ratione concursus; Inoleuit tamen praxis (me forsan auctore), quando contrahuntur debita, id adijcere ex pacto speciali, cui quandoque derogatum quoque vidimus, vt *dicto disc.* 99. *sub tit. de feud. & infra disc.* 139.

Vbi verò, vel ex dispositione iuris, vel ex pacto competat creditori actio prædicta, tunc distinguendus est ca-
27 sus, in quo creditor habuerit pecuniam numeratam effectiuam cum dicta cautione, ab altero, in quo loco cautionis recipiat loca montium, vel similia assignamenta vinculata, iuxta casum, de quo agitur *dicto discur.* 1. & 2. *de cambijs*, & in decisionibus in ea causa editis; Isto enim secundo casu, rectè intrat actio exercibilis de præsenti ad supplendum illam summam, quam vinculum minuit, quoniam ità creditor recepisse dicitur illud minus, vt loco proximè citato practicatum fuit; In altero autem intrant, quæ habentur *apud Franch. dicta decis.* 200., *& per Marin. in add. ad Reuerter. dicta decisione* 82., vt sufficiat debitori præstare cautionem indemnitatis, siuè subrogare alium idoneum fideiussorem loco illius, qui præstitus est, ac instet eximi ab obligatione pro facti qualitate, quando partiũ conuentio aliud non suadeat.

ROMANA

SALVIANI, seù DOMVS

PRO

HORATIO MAZZVCCHELLO ET CONSORTIBVS

CVM

PIERITIIS.

Casus disputatus coram A. C., resolutus vt infrà.

De eadem materia, quando scilicèt creditores cogantur recipere pecuniam vinculatam; Et àn bona debitoris, de iudicis mandato vendita ad instantiam creditorum, transeant libera in emptorem, adeoùt super eis exerceri non valeant actiones, vel remedia, quæ ratione hypothecæ competunt.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Creditor non tenetur recipere pecuniam vinculatam.*
3 *De abusu circa doctrinas, earumque applicationem &c.*
4 *Vt procedi debeat cum distinctione casuum.*
5 *Qualis sit casus, in quo procedat regula, de qua num. 2.*
6 *Item in casu iuris offerendi, & quod pecunia vinculata valeat minus.*
7 *De iure offerendi, vt totum offerri debeat, etiam si res tanti non valeat.*
8 *Secus fauore meliorantis, cui sufficit offerre rei valorem.*
9 *An emens sub hasta reddatur tutus à creditoribus, & num. 16.*
10 *An sit tutus à iure offerendi.*
11 *An creditor coactus recipere pecuniam vinculatam, agat contra debitorem ad quanti interest.*
12 *Quod creditor, ad cuius instantiam res venditur sub hasta, teneatur recipere pecuniam cum cautione, & vinculo, & de ratione.*
13 *Idem in casu recipientis pretium rei venditæ ab hærede beneficiato.*
14 *Vbi adest concursus creditorum, tenetur creditor ad idem in Vrbe ex Constitutionibus Apostolicis.*
15 *Idem de iure communi, & de ratione.*
16 *De eadem conclusione, de qua num. 9.*
17 *Quando creditori non obstet subhastatio bonorum facta ad instantiam aliorum creditorum.*
18 *Stante dicta Constitutione, nõ datur casus solutionis liberæ.*
19, 20, 21 *De eodem, & de rationibus dictæ propositionis.*
22 *Quando non sit permittenda noua subhastatio bonorum debitoris ad instantiam creditoris anterioris, quamuis aliàs id competeret.*

DISC. LIV.

1 DEfuncto Bartholomeo Griffono, cum eius hæreditas, vtpotè minus idonea, non haberet adeuntem, hinc ad instantiam creditorum in aliquo notabili numero, deputato per A. C. curatore eidem hæreditati iacenti, processum fuit ad subhastationem bonorum, præsertim domus deliberatæ Hieronymo Sciarræ pro pretio scutorum 4300., quæ pro consueto stylo depositata in Monte pietatis, per Iudicem distributa fuerunt creditoribus cum solita cautione restituẽdi prioribus & potioribus &c.; Cumque tractu temporis, contrà Lucretiam dicti Heronymi filiam & hæredem, sicut contra Horatium, & consortes ab eadem, emptionis titulo causam habentes, fratres de Pieritijs creditores, omnibus dimissis anteriores præfati Griffonij ex causa census, pro fructibus decursis in summa notabili scutorum 1500. & vltrà, coram eodem A. C. iudicium in interdicto Saluiani instituissent; Rei verò, & possessores, pulsando posteriores in vim dictæ cautionis de restituendo obtinuissent pecuniam vtsuprà distributam, in parte adæquante dictum debitum fructuum, deponi in Monte pietatis, eamque actoribus obtuliſſent, sub eadem ta-

men

men cautione de euictione, ac de restituendo &c.

Recusabant actores, freti conclusione, de qua cæteris relatis habetur *apud Duran. decis. 421. num. 10. cum seqq., & apud Royas decis. 458. num. 6. & 7. & decis. 118. num. 14. & 16. par. 10. recent. repetit. inter illas Bichij decis. 321., & post Zacch. de obligat. cam. decis. 274., & apud Posth. de subhast. decis. 210.*, in quibus concordantes, quod scilicèt creditor non tenetur recipere pecuniam vinculatam, sed debet habere liberam, vt pluries etiam aduertitur in alijs *hoc eodem titulo, et sub altero de feudis ad materiam Bullæ Baronum.*

Ideoque in dictis decisionibus præcisè firmatur, quod ad hoc vt possessor bonorum hypothecatorum, in hoc iudicio saluiani conuentus, illud effugere valeat, offerre tenetur pecuniam liberam, non autem vinculatam cum dicta cautione, neque aliàs auditur; Dictæque decisiones tanquam punctuales induxerunt Iudicem ad pronunciandum, me tunc in causa non scribente, sed posteà assumpto occasione agendi de concessione exequutionis contra intermedios emptores, qui tamen perstitit in decretis.

In disputationibus autem desuper habitis, dicebam id, quod pro deplorabili huius facultatis miseria frequenter (nunquam tamen superfluè, vel inutiliter, sed semper oportunè) repetere, ac declamare oportet, super æquiuoco, seù fallacia circa applicationem conclusionum, quæ in suis casibus veræ sunt, incongruè tamen applicantur; Adeoùt in hoc modico spatio, ex quo alij mei labores editi sunt, (nescio àn magis cum risu, quàm cum planctu) viderim tanquam punctuales allegari, ac admitti aliquàs meas doctrinas super casibus, vel effectibus, nec quidem à me cogitatis.

Quare ad huiusmodi æquiuoca tollenda, ac elucidandam veritatem, dicebam reflectendum esse ad plurium diuersorũ casuũ distinctionem, in omnibus forensibus quæstionibus hodiè ferè necessariã, ità segregando doctrinas, nè percutientes vnum casum, alteri incongruè applicentur, ità (si possibile est) curando eam pestem, quã moderni insipidi Collectores in hac facultate induxerunt, cũ inepta congerie doctrinarum, & allegationum, non distinguendo paleam à tritico.

Primus igitur casus est, vbi nullo dato casu mortis naturalis, vel ciuilis debitoris, contingat, vt eius creditores hypothecarij in hoc interdicto saluiani, vel altero remedio rei persequutorio agant
5 contra tertium possessorem bonorum hypothecatorum, causam habentem ab ipso debitore iure priuatæ, & cõuentionalis venditionis, vel alterius translationis, vndè possessor ex beneficio iuris offerẽdi, quod cuicumq; possessori etiam ex causa pignoris competit, actores repellere velit, eis offerendo creditum; Istoque casu rectè procedit dicta cõclusio, vt iste possessor teneatur offerre pecuniam liberam, neque teneantur creditores recipere vinculatam cum dicta obligatione, vel cautione, atque hic est proprius, ac præcisus casus, de quo loquũtur mox allegatæ decisiones, aliæque auctoritates in eis deductæ, vt habetur etiã *disc. præced.*

Alter casus est, vbi creditore anterio-
6 re possidente pignus, vel bona hypothecata, creditores posteriores exercere velint ius offerendi, quod eis lex tribuit aduersùs creditorem anteriorem possidentem bona debitoris iure pignoris, vel etiam iure priuatæ, seù conuentionalis dationis in solutum, iuxta ea quæ ad hãc mat. iuris offerẽdi habẽtur *sub tit. de emp. & vend. d.* 31; Et tunc in omnibus procedunt eædem rationes, & auctoritates, de quibus in casu præcedenti, vt creditor anterior non teneatur recipere, nisi pecuniam liberam, ex pluries in præcedentibus, ac etiam *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum discur. 99., & sub tit. de Cambijs disc. 1. & 2.*, ex insinuata ratione, quod vinculum hoc minuit de valore, ideoque ità non diceretur offerri creditori totum creditum.

Adeòq; totũ offerendũ est, vt quamuis bona, quę possidẽtur, iuxtà casũ præcedẽtem tanti non valeant, non per hoc ad-
7 mittitur possessor ad offerendum valorem, seù æstimationem, sed vel debet totum creditum offerre, vel rem dimittere *Franch. decis. 38. num. 1. & ibi de Luca in addit. Cyriac. contr. 594. num. 5. & 6. Merlin. de pign. lib. 4. quæst. 81. num. 4. & seq.* & frequenter; Nisi bona in statu bonæ
8 fidei melioraſſet, quoniam tùnc istud est

meliorantis peculiare priuilegium, vt admittatur ad offerendum antiquum valorem rei non melioratæ, *Franch. Cyriac.*, & *Merlin.* vbi suprà *Rota coram Dunozetto decis. 259. num. 2. cum alio sub tit. de legit. & detraction. dis. 35*; Ad quod conferre dicebam ad casum, de quo suprà *in Romana domus dis. 24.*

Tertius casus est, vbi ad instantiam ipsius *creditoris*, iudicialiter exequantur, ac subhastentur bona debitoris, qui 9 naturaliter, vel ciuiliter mortuus dici non valeat; Licitator autem offerat pro pretio pecuniam vinculatam sub cautione restituendi primariò sibi in casu euictionis, secundariò autem anterioribus, vel potioribus iuxtà communem frequentiorem casum; Et tùnc plures cadunt quæstiones, Primò scilicèt, an iste licitator seu emptor, *in ipsa re empta* tutus reddatur ab hypothecis anterioribus, quarum experimentum transfundatur in pretium; Atque verior est negatiua, nisi aliàs speciali iure cautum sit; Putà in Curia, quando venditio fiat auctoritate Congregationis Baronum, siuè quod accedat chyrographum Pontificũ iuxtà auctoritates, de quibus infrà.

Secundò, an contrà eumdem licitatorem competat creditoribus posterio- 10 ribus ius offerendi; Atque verior est negatiua, nisi nullitas actus, vel ratio textus *in l. & qui sub imagine, C. de distract. pignor.* aliter non suadeat ex deductis *sub titulo de emptione & venditione dis.* 31.; Tertia est quæstio, an posito, vt creditor recusare non valeat receptionem pretij cum dicto vinculo, habeat actionem contrà debitorem pro in- 11 demnitate, vel ad quanti interest dictum vinculum non adesse iuxtà *dec. 200. Vinc. Franch. cum alijs dis. præcedenti, & sub tit. de feud. ad mat. bull. Baron. dis. 99. & infra d. 139*; Et quarta demum ad rem nostrã quæstio est, an creditor, ad cuius instantiam facta est licitatio, teneatur recipere pretium ità vinculatum, atque cautionem præstare; Et verior ac recepta est affirmatiua, vt habetur *apud Arias* 12 *de Mesa lib. 1. var. cap. 17. nu. 32. Galeot. lib. 2. controu. 38. in fine, Rota dicta decis. 118. num. 20. & seqq. p. 10 rec. repetit. in pluribus locis vt supra*, atque docet praxis quotidiana; Ex ea clara ratione, quod creditor, ad cuius instantiam pignus prætorium venditur, non tenetur quidem pignoris euictionem præstare, *vt tot. tit. Cod. creditor. euict. pignor. &c.*, benè tamen tenetur se probare omnibus anteriorem ad textum *in l si procuratori, § fin. ff. de tributor. action. cum concordantibus per Galeot. vbi supra, Salust. Tiber. in prax. lib. 1. cap. 43. num. 15.*; Quia verò ista probatio est impracticabilis ob impossibilitatem probandi negatiuam, vndè propterea plura resultarent inconuenientia; Vel scilicèt, quod nunquam reperirentur oblatores, vel quià, si reperirentur cum dicto vinculo probationis anterioritatis, ob istius impossibilitatem, pecunia perpetuò inutiliter depositata remaneret, atque non resultaret finis, vel effectus, ob quem ad subhastationem processum est; Vel demùm, quod oporteret vendere bona viliissimo pretio, cuius notabilem diminutionem causat ista circumstantia deficientis cautelæ euictionis, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de empt. & vend.*, vndè propterea multæ fraudes & colluſiones commutti possent; Hinc prudenter per modernos, loco dictæ probationis, subrogata est dicta cautio, quam creditor recusare non potest, sibi remanente actione indemnitatis, vel ad quanti interest contrà debitorem vt suprà; Taliſque est praxis ferè omnium Tribunalium Europæ, in quibus cum ratione, vel dispositione iuris communis viuitur, vt apud allegatos, et *per Marin. in addit. ad Reuertit. dec. 82 in princ.*

Quartus casus est, vbi agatur de venditione, quam hæres beneficiatus facit de bonis hæreditarijs; Et tùnc emptor 13 quoad hypothecas defuncti tutus redditur, neque stante ista cautela, ad ipsum pertinere deberet adijcere vinculum in pretio, super quo solũ ius remanet creditoribus iuxtà dispositionem text. *in l fin. §. & si præfatam, C. de iur. deliber.*; Adhùc tamen, iuxtà frequentiorem praxim, necessitas dictæ cautionis in creditoribus intrat ex deductis *dis. præcedenti*; Vel quià prudenter adijciatur per ipsum emptorem pro ijs casibus, in quibus priuilegium dicti textus non suffragetur; Vel quià sit cautela, de qua sit sollicitus ipse hæres beneficiatus ex ratione, de qua *eodem discursu præcedenti*; Ideòque creditor dictam cautionem recusare non po-

potest, quidquid sit, (hæreditate idonea existente, vel etiam non idonea), an in præiudicium posteriorum, vel chyrographariorum competat dicta actio indemnitatis, vel ad quanti interest &c.

Quintus demùm (ad rem) casus est, vbi debitore defecto, eius patrimonium ponitur sub concursu creditorum, ac iudicis administratione; Et tùnc in Curia est casus indubitatus, vt creditores teneantur huiusmodi cautionem præstare ob expressam dispositionem *Constitutionis Pauli V. super reformat. Tribunal. in Bullar.* inter illas dicti Pontificis *Constitutione* 71. registrata etiam *apud Fenzon. ad statuta*, & *apud Ridolphin. in praxi*.

Verùm etiam in puncto iuris communis, siuè ex communi recepta praxi, omninò verius est, vt eadem cautio recusari non possit ex prædictis rationibus; Primò scilicèt, quod aliàs emptores non inuenirentur; Secundò, quod non inuenirentur nisi pro longè minori pretio in præiudicium creditorum; Et tertiò propter obligationem creditoribus incumbentem faciendi dictam probationem impossibilem; Ac etiam ex dispositione, vel ratione textus *in dicta l. fin. §. & si præfatam, C. de iur. delib.*, quod scilicèt hæres beneficiatus non est verus hæres, sed potiùs legalis administrator, ideòque posita legali administratione, dicta obligatio intret; Multò igitur magis *vbi*, defecto debitore, bona ponantur sub magis formali administratione iudicis, cum tùnc intret dispositio, vel ratio *d. textus in l. procuratoris, §. fin. ff. de tributor. act.*, vt cæteris relatis habetur *apud Arias de Mesa dicta resolut. 17. lib. 1. num. 30. & 31.*, et tanquam absolutum supponitur *dicta decis. 118. num. 15. par. 10. rec. alias dec. 321. Bichij*, taliſq; est generalis inconcussa praxis.

Solùmque intrat quæstio, de qua principaliter in hac facti specie actum fuit, 16 an emptor reddatur tutus ab hypothecis creditorum anteriorum, qui in hoc concursu non interuenerunt, neque pro venditione instetterunt, ideòque dicere valeant se velle in iudicio saluiani, vel altero eorum hypothecam experiri, vt liberam satisfactionem ex fructibus obtineant, istaq; erat actorum prætensio, ex auctoritatibus deductis suprà in primo casu; Et tùnc intrant distinctiones, de quibus post *Fontanell. & Carleual.*, ac alios habetur *apud Salgad. in labyrint. par. 1. cap. 8. & par. 3. cap. 10. nu. 7. cum seqq. & Oleam de cess. iur. tit. 4. quæst. 2. num. 27. & 28.*, an scilicèt anteriores fuerint specialiter citati, vel etiam generaliter per edicta in huiusmodi concursibus apponi solita, vt eis præiudicatum remaneat in exercitiò hypothecæ super ipsis bonis, remanente eorum iure in auocatione pretij à posterioribus, quoniam sibi imputent, cur comparere neglexerint, atque satisfactionem obtinere, cum aliàs hæc iudicialis administratio sequi non posset; Secùs autem dicta speciali, vel generali citatione non accedente, cum tùnc dicta ratio non intret; Et consequentèr, cum in hac facti specie neutra ex dictis citationibus accessisset, atque *inscijs* actoribus, ad instantiam posteriorum dicta venditio facta esset, hinc proindè dicebant scribentes pro actoribus, vt salua remaneret hypotheca exercibilis in ipsis bonis contrà emptorem.

Admittebam ego dictam distinctionem pro meo iudicio probabilem ad alios effectus, non autem ad istum necessitatis præstandi dictam cautionem, vbi 17 scilicèt venditio pro minori pretio facta esset cum præiudicio creditorum anteriorum non vocatorum, quorum propterea interest eorum hypothecas exercere, ad effectum, vt denuò bona cum eorum diligentijs pro maiori pretio, seù cum melioribus conditionibus vendantur; Siuè vbi (vt in præsenti in facto verificabatur) quod cautiones à posterioribus præstitæ, non essent idoneæ, vnde propterea de facto anterioribus non esset consultum super auocatione pretij; Tùnc enim rectè intrat eorum hypothecæ exercitium pro nona venditione, ad effectum obtinendi pretium, semper tamen cum dicta cautione, quæ nullatenùs euitari potest, cum dato concursu formali, non detur casus obtentionis pecuniæ liberæ.

Non potest enim anterior dicere (vt dicere potest in primo casu suprà exem- 18 plificato) se velle exercere hypothecam in saluiano, ad effectum sibi liberè satisfaciendi cum fructibus, quoniam per posteriores cogi potest ad vendendum,

eo quia irrationabile est, vt bona defecti debitoris posita sub concursu, stare debeant ignendita, & subiecta peremptionis, vel deteriorationis periculo in damnum aliorum creditorum; Potissimè vbi sunt parum fructifera, vt frequenter contingit in palatijs, et in villis ad oblectamentum, ac similibus, vnde propterea ad creditor in pignore prætorio non teneatur nisi ad perceptos nō autē ad percipiēdos, ex deductis infrà *d. 133 & seq.*, ità posset creditor anterior, pro modica summa, bona magni valoris retinere, atq; de facto ea sibi appropriare ad communē traditionem *DD. in l. à Diuo Pio, §. quod si vis, ff de execut. rei iudicatæ.*

Ac etiam, quià pro ipsismet fructibus percipiendis, vtpotè sine dubio auo-19 cationi subiectis, posset iudex, imò deberet dictam cautionem exigere, vt ità consultum remaneat ignotis anterioribus posteà venientibus; Eò enim ipso, quod bona posita sunt sub formali concursu, ac iudicis administratione, totum, quod percipitur, percipiendum est à manu ipsius iudicis, qui tanquam optimus administrator soluere non potest, neq; debet, nisi ijs, qui se probent vt suprà omnibus anteriores, vel potiores, et loco cuius impossibilis probationis cautio succedit.

Effectus enim præcipuus obtinendi liberam solutionem, consistit in euitando auocationem pecuniæ bona fide con-20 sumptæ, vel commistæ iuxtà conclusionem, quæ ex æquitate, ac ratione commercij recepta est ad magistralem *decis. 190. Afflicti cum alijs*, de quibus *disc. 52.* ad hanc materiam auocationis; Ista verò conclusio (posito concursu creditorum in patrimonio debitoris defecti) omninò impracticabilis est, quoniam inter alias limitationes, quibus illa subiacet, duæ in proposito intrant; Primò scilicèt, vbi creditor sibi ipsi, ac manu sua solutionem obtinet de bonis debitoris ex deductis *per Cappy. Latr. decis. 24. num. 24. Rota decis. 516. num. 4. p. 4. rec.*; Et secundò, vbi agitur de debitore decocto, vel decocturo, cum tùnc quamuis ipsemet debitor breui manu pecuniam creditori dictæ qualitatis conscio soluisset, dicta conclusio non suffragetur, sed auocationi locus fiat iuxtà *decis. 1074.*

21 *Seraph. decis. 338. Penia cum concordant. per add. ad dec. 9. n. 47. p. 3. rec.* & aduertatur in alijs hoc eodem titulo; Idem q; vbi per manus hæredis eadem solutio sequeretur *vt disc. præc.*; Adeout verè & propriè dicta æquitatiua conclusio, solum intret in ea solutione, quæ pro commercij libertate bona fide fiat per debitorem integrum habentem liberam eius bonorum administrationem; Et consequenter data debitoris morte naturali, vel ciuili, multoque magis vtraque (vt in præsenti contingebat), dari non potest casus, vt creditor ideò recuset præstare cautionem, quià obtinere possit solutionem liberam cum exemptione ab onere restitutionis, seù auocationis.

Hinc proindè (applicando ad rem) vbi cessant dicta inconuenientia superiùs enunciata, Vel scilicèt collusiuæ, parumque diligentis venditionis bonorum pro inferiori pretio, Aut quod minus 22 idoneæ cautiones acceptæ sint, adeout nouum exercitium hypothecarum non posset probabiliter meliorem effectum producere, sed potiùs esset se exponere periculo effectus deterioris, quod scilicèt in noua venditione non reperiretur idem pretium, pro quo venditio iam facta est, tùnc esset circuitus merè inanis ac potiùs malignus in præiudicium posteriorum, ac emptoris per iudicem non permittendus ex iuris regulis huiusmodi inanes, ac potiùs præiudiciales circumprohibentibus; Ideoque reflectendo ad veritatem, in hac facti specie aduertendum totum punctum esse super cautionum idoneitate, adeout prompta esset auocatio à posterioribus illius quantitatis, quæ adæquaret debitum actorum; Hoc enim posito euitare non poterant vinculum, neque eorum intererat, an ex noua venditione maius pretium sperari posset, necnè, cum de hoc inquirere pertineret ad creditores posteriores, qui alias detecti remanerent, ità namque dicebam videri germanam huius materiæ veritatem; Verùm non profuerunt, dum perstitum fuit in decretis, licèt ex alijs motiuis facti causa duret.

ROMANA

PECVNIARIA

DE COMITIBVS

PRO

DVCISSA & alijs de COMITIBVS

CVM

DVCE AQVÆSPARTÆ.

Casus decisus per Rotam pro Duce.

An, & quando creditor creditoris, actionem habeat contrà debitorem mediatum, non obstante solutione facta proprio creditori immediato; Et quid vbi accedit accollatio, an ea non obstante, proprio creditori soluere possit, ac liberationem obtineat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Soluens proprio creditori benè soluit quãuis non sit dominus rei mutuatæ.*
4 *An benè extinguatur census cum procuratore, cum quo creatus est.*
5 *De eadem conclusione, de qua nu. 3. etiam si eius nomẽ sit affectum creditoribus.*
6 *Duo promittens, si vnum implet, non satisfacit obligationi.*
7 *Quod copulatiua resoluatur in alternatiuam, & è contrà.*
8 *Per stipulationem Notarij acquiritur tertio etiam ante acceptationem ius irreuocabile.*
9 *Accollans in se debitum habetur, ac si directè illud contraxisset.*
10 *Recipiens pecuniam ab alio, vt debita extinguat, an dicatur accipere mutuum.*
11 *De eodem, & quid importet.*
12 *Quando duo promissa dicantur compatibilia, vel incompatibilia.*
13 *Quando semel soluens non liberetur, & denuò teneatur.*
14 *Quod accollans debitum non possit soluere ei, cum quo contraxit.*
15 *Vbi etiam solutio vera liberaret, attamen facta non sufficit.*

DISC. LV.

CVM Dux Camillus, & Horatius fratres de Comitibus, obtinuissent à Sixto
1 V. erectionem montis in locis 500. pro eorum debitis extinguendis, deputato Philippo in Vrbe campsore, eiusdem montis depositario, emit iste dicta 500. loca pro pretio scutorum 50 m., quæ se constituit tenere in depositum in eius banco, ad effectum extinguendi intrà duos menses debita, assumendo in se onus extinctionis, cum obligatione releuandi dictos venditores indẽnes à quocumque præiudicio aliàs resultante; Philippus autẽ dedit Federico Duci Aquæspartæ scuta 8200., cum assertione, quod essent de prædictis scutis 50. m. depositatis, Ideòque Federicus subintrans in locum Philippi, promisit intrà certum terminum extinguere tot census specificatos, cum obligatione releuandi indemnes, tam dictum Philippum, quàm præfatos de Comitibus; Cum autem Federicus obligationem adimpleuisset pro sola summa scutorũ 2200., reliqua verò 600. restituisset, reportata quietantia, eidem Philippo postmodùm defecto, vidè propterea prælatus Dux Camillus pro extinctione censuum pro dicta rata scutorum 600 nõ extinctorum, illos vna cum fructibus, cum notabili damno, extinguere coactus fuit; Hinc proindè, eo defuncto, Ducissa vxor, ac filiæ tanquam creditrices, ac hæredes respectiuè, iudicium instituerunt coram A.C. contrà Federici successorem, obtentoq; mandato, atq; commissa per Signaturam causa appellationis *in Rota coram Bourlemont*, cum clausula *Si quid exequendum*, datoq; du-
2 bio ex rescripti ventre resultante, An mandatum esset exequendum *sub diebus 1. Aprilis 1661. & 23. Ianuarij 1662.* negatiuæ prodierunt resolutiones, in alia instantia confirmatæ *sub die 14. Martij 1664. coram Ninot*, atq; in hoc statu causa silet.

In his autem disputationibus, punctus erat, An Dux Federicus, qui dictos cen-

sus

sus in se accollauerat, cum obligatione eos extinguendi, ac releuandi indemnes, tam Philippum datorem pecuniæ, quàm dictos fratres de Comitibus debitores, potuisset, necnè restituere pecuniam Philippo, à quo receperat, negligendo extinctionem.

In hoc autem dicebant Scribentes pro successore Federici Reo conuento, quod dictus contractus aliud non importaret, nisi mutuum, quod Philippus fecerat Federico, cum promissione facta eidem Philippo acceptam pecuniam erogandi in prædictorum censuum extinctionem, vndè propterea, quando mutuatarius in eam causam pecuniam erogasset, benè egisset, atque liberationem reportasset, sed non per hoc prohibitus erat restituere mutuum ipsi mutuatori, cui dictus onus personaliter incumbebat, deducendo in id conclusionem à Rota in proposito receptam, quod sufficit debitori soluere illi, qui sibi credidit, et quem in eius creditorē agnouit, quoniā rectè distrahi potest cum eo, cum quo contractum est nomine proprio, quamuis iste contraxisset cum pecunia aliena, seù alteri affecta, cuius liberam administrationem non haberet, putà, quià esset intrusus, vel filiusfamilias, siuè administrator, aut aliàs non dominus, *ad theor. Bart. in l. quod seruus, ff. de solut. & l. eum qui, §. quid ibi num 2. ff. de verbor. oblig. Alex. in l. filius sub num. 1. C. de pact. vbi Azor. nu. 6. cum alijs per Surd. cons. 43. num. 2., Salgad. in labyr. par. 1. cap. 27. num. 84. cum seqq. & in causæ decisionibus.*

Atque ad idem conferre quoque obseruabam ea, quæ habentur deducta *sub titulo de censibus*, super puncto, an debitor, qui censum imposuit cum procuratore, vel negotiorum gestore absentis, rectè cum eodem extinctionem eiusdem census faciat, quoniam ibi difficultas constituebatur in eo, quod ille contraxisset proprio nomine, atque promissio debitoris directa esset ad principalem creditorem, cuius fauore census creatus fuerat; In præsenti autem, promissio soluendi, ac extinguendi, personaliter facta erat ipsi Philippo, qui pecuniam dederat tanquam propriam, ac nomine proprio obligationem receperat; Ideòque sufficit soluere proprio creditori, ac distrahere cum eo, cum quo contractum est, non curato consequutiuo, seù accessorio præiudicio, quod alteri resultat ex ijs, quæ ad materiam *text. in l. nomen, C. quæ res pign. obligat. poss.*, habentur pluries in præcedentibus super conclusione, quod soluens proprio creditori, quoties non accedat expressa inhibitio hominis, nempè iudicis ità mandantis, vel inhibitio legis, quæ à decoctione resultare dicitur, benè soluit, quamuis sciat suum creditorem esse debitis implicitum, quoniam id curare non tenetur.

Cumque ex parte actorum diceretur, quod promissio facta per Federicum ad fauorem Philippi non esset de sola solutione, sed etiam de extinctione cum copulatiua *Et*, vtrumq; actum coniungente, ideòque iuxtà copulatorum naturam nō sufficit vnum adimplere, quoniā plura copulatiuè promittens, vnum adimplendo, non dicitur propriæ obligationi satisfeciſſe, sed remanet in alijs debitor *ad text. in l. si quis ita stipulatus, ff. de verb. oblig. vbi communiter Scribentes*, cum in principium certum, quod per Scribentes in contrarium non negabatur.

Respondebant (atque decisiones responsionem admittunt) vt id rectè procedat, quando vtrumq; copulatum compatibiliter adimpleri potest; Secùs autem, vbi incompatibilitas, vel absurdum accedat, quoniam tunc copulatiua reſolui tur in alternatiuam, atq; sufficit vnum ex alternatis adimplere; Cum nouum non sit in iure, vt copulatiua resoluatur in alternatiuam, et è conuersò alternatiua in copulatiuam iuxtà subiectam materiam, vt præsertim habetur pluries *sub tit. de fideicommissis* & alibi, cum alijs in causæ decisionibus, in quibus ponderatur incompatibilitas vtriusque actus, quod scilicèt pecunia mutuata restitui deberet ipsi Philippo mutuatori, atque copulatiuè erogaretur in extinctionem censuum, pro qua opportebat per actum retrosimilem illam restituere creditoribus, vndè propterea esset dare absurdum, quod eiusdem debiti duplicata solutio facienda esset; Atq; in prima decisione durum, ac iniustum dicitur, vt facta semel restitutione eius, quod acceptum est, denuò restitutio fieri debeat.

Econuersò ego, & alij pro actoribus scribentes dicebamus, quod cum Federi-

cus

cus in se accollasset dictos census, eorumque extinctionem, atq; expressè promisisset releuare indemnes dictos de Comitibus principales debitores, quorum depositatam pecuniam Philippus ei dare professus fuerat, ità ipsis quamuis absẽtibus, ius irrauocabile quæsitum fuerat, stante stipulatione Notarij explicita pro eis absentibus, acetiam altera stipulatione implicita, quæ ineſt in obligatione camerali, vt vltrà generalem *theor. Bart. & sequac. in l. quoties, C. de donat. quæ sub mod.*, de qua cæteris relatis *apud Rouit. decis. 89. Merlin. contr. 89. lib. 1. Rot. post Zacch. de oblig. camer. dec. 189. repetit. dec. 40. par. 9. recen.* & pluries *sub tit. de donat.*

In specie accollationis debiti cum stipulatione Notarij ad fauorem creditoris absentis, vt in istius præiudicium non possit, qui debitum accollauit, illud extinguere cum suo creditore, eo quia fingitur, ac si ille, qui accollationem fecit, directè, ac immediatè contraxisset cum creditore accollato, cæteris relatis firmatur *per Rot. apud Cenc. de cens. decis. 172. numer. 6. & apud Bichium decis. 33. & decis. 339. repetit. decis. 138. par. 10. recent. num. 11.*, ac in alijs *per Cenc. quæst. 73. nu. 16.*; Fortiùs verò, quia post sequutam huiusmodi accollationem, Philippus quamuis absente Federico, curauit vt dicti fratres de Comitibus dicto actui consensum præstarent, vndè propterea ita sequuta dicebatur acceptatio dictæ promissionis.

Neque præmissa subsistere videbantur, præsertim assumptum, seù præsuppositum, quod ageretur de simplici mutuo, quod nomine proprio, ac de propria pecunia Philippus feciſſet Federico; Id etenim pro meo iudicio videbatur clarum æquiuocum, quoniam Philippus pecuniæ dator, expressè protestatus fuerat dare illam pecuniam tanquam depositatam in eius banco per dictos fratres de Comitibus ad dictum effectum; Quamuis enim ex natura depositi irregularis, dominiũ pecuniæ esset ipsius depositarij, non autem deponentium; Attamen dicta expressio attendenda veniebat pro declaratione voluntatis, et quo nomine ipse eam dicto Federico daret.

Et clariùs, quia idem Federicus eam recipere professus est, non tanquam simplex mutuum mutuatori restituendum, sed tanquam pretium censuum ab eo extinguendorum, quorum commodum, et incommodum omnimodum ex tunc in se assumpserat, adeòut potiùs videretur emptio, et venditio respectiuè dicti oneris, quod translatum in Federicum accollantem, tanquam emptorem, eius commodo & incommodo cedere deberet, eodem modo, quo conuentum fuerat, vt cederet ipsi Philippo, adeòut si casus dediſſet fundorum censitorum peremptionem, ob quam iuxtà naturam contractus censualis factus esset locus ipsorum censuum lucro ad fauorem debitoris, istud lucrum ante huiusmodi accollationem fuisset Philippi, non autem dictorum fratrum de Comitibus, dum ipse eos in se omninò accollauerat, et succeſſiuè pro hac rata fuisset ipsius Federici, qui expressè subintrauerat in Philippi locum, Ideòque nullatenùs intrare videbantur ea, quę de mutuo in decisionibus dicuntur, vtpotè à casu quæstionis extranea, adeò vt conclusiones essent in suis casibus veræ, sed malè ad istum applicatæ.

Ad motiuum verò incompatibilitatis, ad quod causæ punctus restringi videbatur; Respondebam, quod pariter defectus erat in applicatione, cum reuerà dicta incompatibilitas pro meo iudicio adesse non videretur; Quamuis enim promissio extinguendi, ipsi Philippo facta, seù directa esset, attamen id sequutum fuit, quià ipsius Philippi principaliter quoque intererat dictam extinctionem fieri, dum eius generale onus pro integra summa in se assumpserat, ideòque rectè possunt simul stare, vt ipsi promissio facta esset, ea tamen adimpleretur in ipsam causam extinctionis, in quam ea facta erat, non autem in diuersam.

Ac etiam, quia cum ex frequentiori vsu pecuniæ restituendæ creditori censuario post factam disdictam ad formam Constitutionis Pij V., deponi soleant in publico banco, vt aduertitur pluries in sua materia *sub tit. de censib.*, hinc eadem promissio ad id quoque referri potest, scilicèt ad effectum, vt Philippus magis certus de extinctione redderetur, voluerit depositum, ac respectiuè extinctio-

tionem fieri in eius banco, sed ad dictum effectum non autem liberè restituendo pecuniam tanquam per speciem restitutionis mutui, ideoque data compatibilitate, intrabat de plano virtus, vel operatio copulatiuæ, vt vtrumq; copulatum impleri debeat, atque vnum non sufficiat.

Ad alterum autem motiuum absurdi resultantis à duplicata eiusdem debiti solutione, facilis erat responsio, quod scilicèt in iure nouum non est, vt qui semel
13 malè soluit, denuò soluere teneatur, vt de hærede malè soluente sine debita cautione habetur *dict. præcedenti*, et de censu malè extincto habetur *d. tit. de cēss. b. d. 23. cū duob. seqq.* et de alijs casibus *dict. seq.*, cū similibus, dum paria sunt non facere, ac malè facere, ideoque punctus erat, an benè pecunia liberè soluta esset dicto Philippo, necnè, dum rectè vtraque obligatio impleri poterat, soluendo scilicèt in banco ipsius Philippi præuia disdicta, et interpellatione creditorum pro extinctione, ideoque resolutiones non captiuarunt intellectum, cum non videretur, quomodò responderi posset obligationi, quam Dux Federicus expresse fecit assumendi in se totale onus dictorum censuum, atque ex tùnc releuandi indemnes tam Philippum, quàm præfatos de Comitibus principales debitores.

In proposito autem accollantis in se aliqua debita venditoris, seù eius creditoris, pluries agi contigit de dicta con-
14 clusione, quod scilicèt, vbi accedit iuramentum, vel stipulatio Notarij explicita, vel etiã implicita sub obligatione camerali, fortiùs verò, vbi vtrumque, acquiritur accollato quamuis absenti, etiam antè acceptationẽ, ius irreuocabile, adeòut non possit ille, qui accollationem fecit soluere venditori, seù priori creditori in præiudicium eius, qui accollatus est, quoties aliud non suadeant facti circumstantiæ, ex quibus potiùs, quàm ex dispositione iuris alias dictum fuit in huius causæ decisionibus.

Et nihilominùs, vbi etiam daretur casus, quod accollatione non obstante, debitor, qui eam fecit, priori creditori soluere posset, atque ità liberationem consequi, adhùc tamen intelligendum venit,
15 vbi vera, et effectiua solutio accedat, secùs autem, vbi solùm confessata, et per simplicẽ quietantiã verbalẽ, cũ ista neq; sufficiat in casu, quo agatur de debitore cesso, qui verè, sed nõ fictè soluere potest cedẽti, quoties nõ accedãt requisita *text. in l. 3. C. de nouat.* ex ijs, quę cęteris relatis habentur *apud Gait. de cred. cap. 2. lit. 3. ex nu. 471. & Salgad. in labyr. par. 1. cap. 27. num. 63.*; Magna enim differentia est inter veram, et fictam, seù confessatam solutionem, quoniam in plerisq; casibus vera liberat, confessata verò non, vt habemus in tutore, Prælato, procuratore, hærede grauato, et similibus, ac etiam in ipsomet creditore in præiudicium eius creditorum ad terminos *text. in dict. nomen, C. quæ res pign. obl. poss.*, quia si non potest remittere, ergo neque confiteri.

BONONIEN.

DILATIONIS

PRO

CREDITORIBVS CAROLI CATALANI

CVM N.

Casus disputatus coram A. C. incertus est exitus.

De eadem materia, an creditor agere possit contra debitorem sui debitoris, non obstante solutione facta, siuè dilatione debitori concessa per immediatum creditorem.

Et de validitate pacti, vt deficiente debitore à solutione alicuius paghæ, vel alterius implementi, cesset dilatio sibi concessa, siuè aliud præiudicium resultet.

SVM-

SVMMARIVM.

Facti series.
Pœna conuentionalis non exigitur vltrà interesse.
An valeat pactum, vt cessante debitore à solutione pagbæ, cesset dilatio.
De pacto commissorio, an valeat.
De eadem conclusione, de qua num. 3.
De reductione pensionis sub pacto soluendi præcisè statuto tempore.
Quando cessatio dilationis non importet pœnam.
De cambijs limitatis sub pacto, vt eis non solutis sint currentia.
De differentia, an pactum sit pœnale, vel conditionale.
Non datur purgatio moræ in pacto resolutiuo.
De pacto rescissorio in censu.
Debitor non potest dare dilationem eius debitori in præiudicium creditorum.
Debitor soluit creditori in præiudicium creditorum, sed non obtinet gratuitã liberationem.
De statuto fori Mercatorum Bononiæ.

DISC. LVI.

SEquuta morte Caroli probati negotiatoris, cuius hæreditatem fortè mala administratio domesticorum defectam reddidit; Cum in libris negotij reperti esset N. eius scripturalis debitor quiusdam summæ, ad cuius solutionem per creditores pulsabatur, non negabat ipse debitum, sed excipiebat de longa dilatione 30 annorum per eumdem Carolum sibi concessa, diuisis paghis minutatim singulis annis, sub conditione tamen, vt eo deficiente soluere statutis temporibus quãlibet pagam, dilatio cessare deberet; Quare introducta per appellationem causa coram A.C., tres erant puncti; Primò scilicèt, àn constaret de dictæ dilationis concessione; Secundò quatenus constaret, àn purificata esset dicta conditio resolutiua ob non factas pagas statutis terminis; Et tertiò àn posito, quod dicta dilatio non cessaret, potuissent creditores, ea non obstante dictum debitorem sui debitoris cogere ad solutionem.

Primus punctus consistebat in nudo facto, vndè propterea causæ Patroni inter se certabant, àn probatio, quæ per testes facta erat, benè cõcluderet, nec nè; Quatenus verò pertinet ad secundũ, Scribentes pro debitore dicebant, quod dictum pactum adimens debitori dilationem, esset pęuale vtpotè tollens ius quæsitum, et consequenter, quod attendendũ non esset ex æquitate canonica, per quam
2 receptum est, vt pœna conuentionalis non exigatur vltrà id, quod interest ex adductis *per Afflict. decis. 135. & Rot. decis. 170. num. 4. par. 11. rec.*; Et in specie huius pacti, quod ex dicta ratione nõ subsistat, plenè *Leotard. de vsur. quæst. 38. per tot.*

Scribens Ego pro creditoribus dicebam, quod vbi etiam dictũ pactum adiectum esset super dilatione, quæ ab initio contracti debiti cõcessa sit, adhùc tamen
3 verius est, pactum valere, vt reiecta distinctione, àn agatur de dilatione concessa ab initio, vel ex interuallo verius firmatur *apud Barz. decis. 16. numer. 17.*, atque nullã habere videtur probabilem dubitandi rationem, quoties exindè non resultet aliqua vsurarum fraus, vt occasione pacti commissorij, seù aliàs pœnalis aduertitur
4 *sub tit. de vsur. discur. 8.*, cum prohibitio pœnæ conuentionalis ex hac ratione principaliter emanet, nè aliàs vsuris fraus fiat, atque sub hoc colore, seù pallio pœnæ, fœneratores à suffocatis debitoribus vsuras extorqueant ex deductis in dicta sua materia; Ideoque vbi ista ratio cessat, atque creditor poterat ab initio dilationem non concedere, intrat eadem ratio, de qua infrà in alia parte distinctionis, quod dilatio concessa fuerit ex interuallo.

Verùm non opportuit formiter examinare veritatem dictæ primæ partis distinctionis, quandò scilicèt pactum adi-
5 mat dilationem ab initio concessam, cum in hac facti specie versaremur in secunda parte debiti ab initio puri, pro quo creditor ex interuallo pro eius benevolentia dilationem debitori concesserat; Tunc enim recepta est huius pacti validitas, vt benè *Cagnol. in l. si quis maior num. 59. C. de transact.* & alij plenè deducti *per Barz. dicta decis. 16. num. 1. cum seqq. Roc. cons. 90. num. 12. tom. 2.*, et sup-

ponitur tanquam certum *per Rotã apud Buratt.dec.531.*, occasione agendi de pa-
6 cto in Curia frequenter adijci solito super aliqua diminutione pensionis, quæ titulari fiat à pensionario sub pacto, seu conditione punctualis solutionis statutis tẽporibus, & non aliàs.

Isto etenim casu nulla cadit ratio dubitandi, neque fraus vsuris fieri dicitur, quoniã debitor in tempore non soluens, vel non adimplens, aliquam non incurrit
7 pœnam, sed solum non consequitur gratiosam dilationem, vel debiti diminutionem, sub hac conditione resolutiua sibi concessam tanquã ex deficiente voluntate concedentis, qui citrà iniuriam poterat non concedere iuxtà terminos generales *textus in l.1.& 2. Cod.de donat. quæ sub mod.*, de quibus in sua materia *sub tit. de donationibus*; Et magis ad rem iuxta terminos *textus in l. pecuniæ ff. de vsur.*, de cuius dispositione pluries agitur *sub tit.de Cambijs* præsertim *discur.6.*, occasione agendi de cambijs limitatis sub pa-
8 cto, vt debitore deficiente à solutione illorum statutis terminis, teneri debeat ad cambia currentia, quoniam non est incursus pœnæ, sed subtractio lucri, ac resolutio donationis, quam de illo pluri creditor sub ista conditione facere voluit.

Ideoque magna differentia est inter incursum pœnæ, quæ tunc adesse dicitur, quandò proprium patrimonium diminuitur, atquè ius quæsitum amittitur, et nõ assequutionem lucri iuxtà distinctio-
9 nem, de qua cæteris relatis plenè *sub tit. de testament. discur.73.*, occasione agendi, An, & quando conditiones restringentes libertatẽ matrimonij validæ sint, nec nè, ac etiam *sub tit. de fideicommiss. disc. 154.*, vbi de distinctione inter dispositiones conditionales, & pœnales, & alibi pluries *præsertim sub tit. de matrimonio in diuersor. Ecclesiastic.*

Hinc proindè quamuis in materia emphyteotica ad euitandam pœnalem caducitatem ob nõ solutionem canonis,
10 vel aliud implementum ex eadem æquitate canonica vbique recepta, quinimò iuxtà vnam opinionem etiam ex sensu iuris ciuilis, detur moræ purgatio ex deductis in dicta sua materia *sub tit.de Emphyteusi*, attamen illa non intrat in pactis resolutiuis adimentibus id, quod pacisceus poterat non concedere; Cum tunc actus resoluatur non in pœnam ex deficiente voluntate cõcedendi, ex quæ cæteris relatis habentur *apud G... discept.786.in fine, Gregor.decis.559.n. 6., Buratt.& Add.decis.528.& 896.n. 211. apud Posth. de subhast. decis.203. n. 19.& 20.par.6.rec.* & frequenter.

Et quamuis Scribentes in contrarium deducerent ea, quæ habemus de prohibitis pactis rescissorijs in materia cẽsus in sua materia *sub tit. de Censib.*; Ad-
11 men aduertebam id continere clam æquiuocum ex defectu applicationis. In censu etenim sors principalis de natura est demortua, & irrepetibilis, dè propterea pactum inducit formam pœnam priuationis eius, quod non gratiosa concessione creditoris, sed iure debitori competit; Ac etiam ob ità de facili fraus fieri potest vsuris, liando mutuum ad libitum creditoris petibile sub nomine census, et conseqter termini sunt omninò dispares.

Demum quoad tertium punctum, scilicèt dicti pacti resolutiui casus fa... non esset, adhùc tamen dicebam, (et
12 in sensu veritatis), quod integrum creditoribus pulsare hunc debitorem, obstante dicta dilatione ex interper immediatum creditorem concquodque ad hunc effectum rectè inrer supra enunciata distinctio inter... tionem conuentionalem ab initio teram gratiosam concessam ex intervallo; Cum enim hic vsque ab anno 16... esset debitor purus, dilatio autem mera beneuolentia dicti Caroli concfuisset de anno 1659., hinc resultabat fectus potestatis, quoniam cum istud men debitoris purum, iam affectum creditoribus, non potuit debitor illudeorum præiudicium remittere, vel diminuere, cum iuxtà terminos *text. in l. autem ff. quæ in fraud.credit.*, concedat debitori facultas non acquirendi, non autem remittendi, vel minuendi ius quæsitum, ex ijs quæ habentur *apud Carp... Latr.decis.34.numer.12., Salgad.in labyr. par.1.cap.12.nu.19 & par.2.cap.12.nu. 22. cum seqq.* & infra ad materiam dicti textus *in l.qui autem disc.137.& seq.*

Scribentes pro reo conuento insiste-
13 bant in conclusione pluries in præcedentibus insinuata ad materiam *textus in l.nomen Cod.quæ res pign.oblig.poss.* quod scili-

scilicèt quamuis nomen debitoris cadat sub hypotheca ad fauorem creditorum ipsius creditoris; Attamen, cessante inhibitione hominis, vel legis, non prohibetur creditor recipere solutionem, qua mediante hypothecæ desuper contractæ resoluuntur; Verùm pariter intrabat idem defectus applicationis quodq; termini non essent æquales, quoniam vt alibi pluries aduertitur, id rectè procedit, vbi agatur de solutione vera, & effectiua, cum tunc dicatur actus necessarius, quem creditor recusare non potest, neque debita per ipsum contracta restringere possunt debitoris facultatem soluẽdi proprium debitum, atque ab eo se liberandi; Secùs autem vbi agitur de huiusmodi voluntarijs remissionibus, vel diminutionibus, quinimò etiam vbi de verbali quietantia, vel solutione confessata, cum debitori non concedatur per actum voluntarium, tollere, vel minuere ius quęsitum creditoribus hypothecarijs, eodem modo, quo alienare non potest bona, quorum persequutio creditoribus competit etiam contra tertios.

Clariùs verò, ac extrà omnem rationem dubitandi, stante statuto fori mercatorum huius Ciuitatis Bononiæ, per 4 quod omnes actus gesti per defectum negotiatorem habentur ac si facti essent à decocturo; Vndè propterea omnium creditorum iuxta hoc spacium contrahẽtium æqualis est conditio, non curata prærogatiua hypothecæ, vel temporis, ex ijs, quæ ad materiam huius statuti habentur *supra discur.* 10., et consequenter eo minus huius dilationis concessio attendenda erat, vtpotè sequuta intrà dictum terminum; Atquè iuxtà præmissa, credo quod iudicatum fuerit, quamuis pro certo non sciam.

ROMANA MERCEDIS PRO CREDITORIBVS MVTII GVIDOTTI CVM DVCE CÆSARINO.

Casus decisus per Rotam pro Duce.

An, & quando creditor agat contra debitorem ad solutionem debiti, non obstante remissione, vel condonatione, ex defectu implementi; Et àn aduersus istud detur purgatio moræ, vel restitutio in integrum, siuè suppletio eius, quod interest tantùm.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Ad incursum caducitatis requiritur culpa positiua.*
4 *Procurator non potest committendo facere incidere in pœnam.*
5 *In contractibus nominatis non implemẽtum, non causat resolutionem.*
6 *Et quando idem sit in innominatis.*
7 *Quælibet causa excusat.*
8 *An id, quod soluitur Notarijs pro instrumentis, & actis, importet mercedem laboris, vel debitum iurisdictionale.*
9 *Donatarius non adimplens conditionem, vel modum cadit à commodo donationis.*
10 *Non potest quis obtinere lucrum ex contractu, quem non adimplet.*
11 *Reus est in exceptione actor.*
12 *Laudatur resolutio, & quæ sit eius congrua ratio.*
13 *Data resolutione contractus non restituuntur fructus decursi.*

14 *De eodem, & de contrauentione in fideicommissis, vel donationibus.*

DISC. LVII.

Nita fuit conuentio inter Ducem Iulianum, & Mutium Notarium A. C., vt ille, istius officio vti deberet in litibus, & causis, alijsque negotijs; Et è conuerso iste tradere deberet gratis instrumenta, & alia acta; Cum autem Duce absente, eius ministri aliquas causas tractauerint, aliaque negotia peregerint per acta aliorum Notariorum, in ipso Tribunali, hinc Mutio defecto, ex eius persona creditores, iudicium in eodem Tribunali instituerunt contra Ducem pro mercede, ac emolumẽtis instrumentorum, aliorumque actorum, dicta conuentione non obstante, ob eius inobseruantiam, atque mandatum obtinuerunt in summa scutorum 1500. circiter; Commissa verò per Signaturam Iustitiæ causa appellationis *in Rota coram Borlemont*, cum clausula *si quid exequendum*, datoque ad formam rescripti dubio, an mandatum sit exequendum sub die 3. *Iulij* 1666. negatiua prodijt resolutio, neque quod sciam, causa vlteriorẽ progressum habuit.

In hac disputatione habita in Rota; Scribentes pro reo conuento (quibus Rota adhæsit), duo potissimum deducebant fundamenta; Primò scilicèt, quod cum ex hoc non adimplemento, seù contrauentione resultaret pœna amissionis dictæ remissionis emolumentorum, requiritur dolus, vel culpa, à quibus excusabilis Dux videbatur ratione absentiæ, ac ignorantiæ ex deductis *per Crauett. cons.* 204. *num.* 25. *Cephal. cons.* 24. *numer.* 14. *lib.* 1. *Paitell. exped.* 7. *in addit. numer.* 38.; Deducẽdo in idem propositionem, quod factum procuratoris, vel alterius ministri, vbi præsertim consistit in committendo, non præiudicat principali, neque illum incidere facit in pœnas, cũ mandatum, quantumuis generale non censeatur datum ad delinquendum, ac faciendũ illicita ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *per Rot. decis.* 257. *num.* 2. *par.* 2. *rec. decis.* 293. *nu.* 4. *& seq. par.* 6. *cum alijs per Add. ad decis.* 1. *num.* 49. *par.* 8.

Et secundò quod, iuxtà opinionem, quam constanter tenet Rota, & Curia, in contractibus nominatis, ob non implementum non intrat resolutio, sed solùm actio ad interesse, nisi de diuersa voluntate constet, quod implementum deberet esse præcisum, & conuentum tanquam causa finalis, sine qua non *Greg. & Add. decis.* 130. *cum alijs per Adden. ad Buratt. decis.* 640. *num.* 26. *cum seqq.*, insistendo quod ageretur de contractu locationis, & conductionis.

Atque vbi dicendus esset contractus innominatus, do, vt des, vel dò vt facias, in quo regula est in contrarium; Attamen secus est, vbi accedat stipulatio Notarij cum verbo *promisit*, cum tunc etiam contractus innominatus assumat naturã nominati iuxta doctrinam *Bart. in l.* 2. *numer.* 11. *C. de condit. ob caus. Castrens. in rubr. de verb. oblig. numer.* 6., *Cor. cin. decis.* 329. *numer.* 3.; Atque cum his generalibus propositionibus proceditur in decisione desuper ædita, quæ potissimum fundamentum constituere videtur in præsuppositio, quod ageretur de materia pœnali, quodque cõtrauentio importaret caducitatem, à qua recepta propositio est, vt quælibet probabilis causa excusetur, vt aduertitur in omni ferè materia, præsertim verò *sub tit. de emphyt.*, *& sub altero de fideicommiss.*

Scribens ego pro Actoribus, non negabam veritatem dictarum propositionum in casu suo; Dicebam tamen fallaciam esse in applicatione, præsertim verò circa dictum præsuppositum, quod ageretur de pœnali caducitate, cuius cõtrarium mihi omninò veriùs videbatur, quoniam de iure pro instrumentis, aliisque actis debita sunt emolumenta, non tanquam merx, vel salarium nudi operis, vt in eadem decisione præsupponi videtur, sed tanquam emolumentum iurisdictionale, debitum ratione officij, cum nõ ageretur de Notario simpliciter creato à Principe, vel altero ad id facultatem habente, qui ad partium electionem conficiat instrumenta, (quo casu intrat solùm ratio mercedis ratione laboris, sed ageretur de Notario actuario ratione officij iuxtà illas officiorum species, de quibus in huiusmodi Notarijs habetur *sub tit. de*

Re-

Regalib. discur. 21. ; Vndè propterea dicuntur emolumẽta, quæ pro maiori parte, iuxtà taxas, potiùs Principi officium concedenti pro notabili pretio, solui dicuntur.

Et consequenter huiusmodi gratuitũ pactum correspectiuè ad vsum officij pro emolumentis & vtilitatibus, quæ consequutiuè ab instrumentis, & actis resultare solent, continere dicitur quamdam donationem sub modo, de sui naturâ resoluendam ob non implementum iuxtà terminos *textus in l. 1. & 2. C. de donat., quæ sub mod. & in l. fin. C. de reuoc. donat. cum concord.*, de quibus pluries in sua materia *sub tit. de donat.* præsertim *disc.* 12., 18. & 19., ac etiam *sub tit. de Cambijs disc.* 6., & *disc. præced.*

Ideoque ista non dicitur pœna, qualis propriè est illa, quæ causat damnum in bonis proprijs, ac diminutionem proprij patrimonij, sed potiùs est subtractio emolumenti, & lucri iuxta terminos *tex. in l. pecuniæ 9. de vsur.*, vt aduertitur supra *dicto disc. præced.*; Siuè quod intrarent termini *textus in l. Iulianus §. offerri ff. de act. empt., & in l. cum proponas 2. C. de pact.* vtrobique Scribentes, de quibus *apud Royas decis. 64. num. 6. decis. 542. num. 1. & 2 par. 4. rec. tom. 3.* ibique latè *Add. num. 23. cum seqq.*, vt scilicèt volens vti contractu, atque ex eo emolumentum capere, tenetur docere ex parte sua de implemento, sine quo lucrum reportare non potest.

Istique mihi videbantur veri, ac proprij termini istius causæ, non autem alij, de quibus supra; Siquidem Notarius, vel ex eius persona agentes, non indigebant isto contractu pro fundanda eorũ actione, dum ea de iure fundata erat in taxa contenta in Constitutione Pauli V. super reformatione Tribunalium; Ideoque eo ipso, quod docebatur de traditione instrumentorum, & confectione actorum, 11 absque alia conuentione, vel extrinseca probatione, fundata erat eorum intentio; Dicta verò conuentio deducebatur per Reum tanquam fundamentum suæ exceptionis, in qua dicitur Actor, & cõsequenter sibi incumbit onus probandi implementum tanquam purificationem conditionis, sub qua, & non aliàs dicta remissio, seù cõdonatio facta erat, adeoùt nil commune haberent dicti termini caducitatis, seù alij resolutionis contractus, qui verè extranei erant à casu, ità simpliciter sumpti.

Quamuis autem de stricto iure, probabilius ità respõdendum videretur pro Actoribus, et de consequenti resolutio parùm probabilis remaneret; Attamen, quia non impugnabatur refectio eius, quod intererat, negotia alibi, quàm in eo officio tractata esse; Actorũ autem prætensio consistebat magis in omnimoda resolutione conuentionis ab initio, ideoque debita essent etiam emolumenta temporis decursi, in quo implementum sequutũ erat; Hinc proindè (stante præ- 12 sertim probabili ignorantia principalis ob eius absentiam), in hac parte resolutio non improbabilis visa est, non quidem ex dictis rationibus, sed ex alijs; Primò scilicèt, quod ista esset conuentio correspectiua in singulos annos distributa, vtpotè pro stylo, ad vtriusque contrahentis libitum reuocabilis, et cõsequenter, quod in singulis annis, vel temporibus, in quibus implementum hincindè sequutum fuit, eadem conuentio perfectum effectũ iam sortita sit, quæ ex consequenti contrauentione in subsequenti tempore non esset resolubilis, quoad effectum iam consumatum.

Et secundo quia retentis etiam terminis *textus in dicta l. 1. & 2. C. de donat., quæ sub mod., & in l. fin. Cod. de reuocand. donat.*, resolutio intrat circa ipsa bona, vel iura, nè ex tempore contrauentionis 13 commodum, vel emolumentum amplius obtineat donatarius, qui emolumẽto per contrauentionem reddidit se indignum, non autem, vt intret retrotractio pro restitutione fructuum temporis decursi, quos sufficit esse perceptos in statu bonæ fidei, vel non malæ ex plenè deductis *decis. 3. par. 7. rec. Buratt. & Add. dec.* 184. *Gregor. & Add. decis.* 74. *& passim*.

Ac habemus in materia fideicommissaria, quod licèt ob contrauentionem præcepti testatoris, vel non implementũ eius voluntatis, possessor fideicommissi, vel maioratus, siuè per viam pœnalis caducitatis, siuè per alteram conditionis, 14 cadat à iure suo, atquè fiat locus substituto, non tamen exindè intrat obligatio restitutionis fructuum iam perceptorũ, & consumptorum de tempore implemẽti; Quamuis enim iuxtà opinionem *Pa-*

risij

Fisq; cons. 19. *lib.* 1. *& sequacium*, intret omnimoda retrotractio ad initium cum restitutione fructuum medij temporis; Attamen, vel ista opinio indefinitè magis communiter reiecta est, vel attendenda venit, vbi contrauentio proueniat ex tali dolo, vel malitia, vt arguat voluntatem nõ adimplendi ab initio, atque redoleat malam fidem, in cuius continuato statu fructus percepti fuerint, vt in dicta sua materia aduertitur; Et consequenter quod absentia, & ignorantia principalis in proposito rectè suffragarentur pro huiusmodi dolo, & culpa excludendis ad impediendam retrotractionem, quæ in effectu induceret restitutionem fructuũ iam perceptorum, & consumptorum; Potissimè quia durante tempore adimpleméti, Notarius habuit emolumentum solutionem per æquipollens, in actis scilicèt, ac instrumentis in eius officio confectis, vndè propterea resolutio conuentionis cum retractatione ad initium erat impossibilis, cum opportuisset illam dare hinc indè retractandó scripturas, & acta, quod practicabile non erat iuxta ea, quę praxis docet retentis eijsdem terminis *textus in l.* 1. *&* 2. *C. de donat. quæ sub mod.*, quod si donatarius pro tempore decurso donationem obseruauit, atque donator alimenta, vel aliquam præstationem accepit, non intrat retractatio, hinc indè pro dicto tempore decurso, sed solùm in futurũ; Ideoque placuit resolutio, sed non placuit ratio.

ROMANA

SVPPLEMENTI LEGITIMÆ

PRO

CAROLO FERRINO

CVM

BELLARMINIS.

Casus decisus per Rotam pro Bellarminis, pendet reuisio.

An, & quando creditor cogat debitorem ad solutionem, non obstante, quod ille soluerit alteri de mandato Iudicis, vel alterius superioris; Et quando id excuset soluentem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quando soluens alteri quam vero creditori excusetur, et de requisitis.*
4 *An debeat expectare coactionem effectuam.*
5 *Declaratur quando propriè desiderentur requisita, de quibus num.* 3.
6 *Etiam vbi concurrant requisita, debitor non excusatur, si erat morosus.*
7 *Declaratur.*
8 *An soluens præsumpto procuratori, vel iustè opinato ministro liberetur.*
9 *De eodem.*
10 *De soluente hæredi, vel Prælato bona fide putatiuo.*
11 *Quid vbi cum hac bona fide accedat præceptum Iudicis.*
12 *Ignorantia iuris dubij assimilatur ignorantiæ facti, & causat bonam fidem.*
13 *Etiam in casibus, in quibus soluens alteri quam verò creditori excusatur, intelligitur de solutione effectiua, & vera &c.*
14 *Quodque seruetur forma contenta in mãdato Iudicis.*

DISC.

DISC. LVIII.

IN quæstione habita in
1 ista causa super puncto le-
gitimæ, àn scilicèt in ea
filia fœmina faceret nu-
merum, ac etiam partem,
& ad cuius fauorem, dis-
putata inter Carolum hæredem vniuer-
salem, & Iacyntum filium primi matri-
monij communis matris, in qua prodijt
decisio *impress. post Michalor. de Fratr.*
decis 60., & de qua causa habetur *sub tit.*
de detractionibus disc. 3., postquam inter
dictos Carolū, & Iacyntum inita est con-
cordia; Veronica fœmina, seù ex eius per-
sona, Bellarmini filij, eius portionem à dic-
to hærede petierunt, non obstante solu-
tione facta dicto germano fratri, atque
post obtentam sententiam ab A.C., intro-
ducta causa *in Rota coràm Albergato sub die*
23. *Iunij* 1670., prodijt resolutio eisdem
Actoribus fauorabilis, cuius resisio pen-
det, atque in calce post vltimum discur-
sum adnotabitur quid sequatur.

In his autem disputationibus, duo fue-
runt puncti; Primò scilicèt idem supra
insinuatus, àn fœmina stante statuto ex-
clusiuo faceret, non solùm numerum, sed
etiam partem ad eius fauorem; Et secū-
do quatenus pro fœmina iudicandum
esset, àn hæres excusetur ab eius debito
integrè soluto fratri, cōtra quem eadem
fœmina se dirigere habeat pro contri-
butione portionis; De primo autem
actum est *dicto tit. de detract. disc.* 4.

Quatenus autem pertinet ad secun-
dum; Scribentes pro Actoribus (quibus
adheret decisio) procedebant cum regu-
la, de qua *apud Dec. conf.* 407. *Afflict. decis.*
150. *Rota Ianuen. decis* 33. *num.* 6. *cum*
seqq. Rot. apud Pœniam decis. 1062., *apud*
Seraph. decis. 1019. *cum alijs per Grass. de*
except. cap. 25. *num.* 62. *& seqq. Staiban.*
resolut. 19. *ex num.* 22. *& resolut.* 26. *num.*
1. *& per tot. Prat. obseruat.* 5. *&* 6., vt
scilicèt soluens alteri, quàm verò credito-
ri, non excusetur, etiamsi soluat de man-
dato Iudicis, nisi concurrat omnimoda
bona fides, iustaque credulitas, quod ille,
cui solutum est, publicè, & palàm ab om-
nibus reputetur creditor; Siuè quatenus
coacta solutio sequatur, nisi soluens om-
nes diligentias adhibeat denunciando
vero creditori, vt impedimenta remo-
ueat, siuè replicando Iudici, ac se defen-
dendo vsque ad limites præcisę coactio-
nis; Cadente solùm quæstione, àn eam
debeat expectare effectiuam, seù consu-
4 matam, vel potiùs sufficiat eam esse im-
minentem; Itaque posterior opinio,
cessāte suspscione fraudis, vel collusionis
magis probabilis, ac recepta videtur,
quoniam coactè facere dicitur ille, cui
coactio iam imminet, vt habemus fre-
quens in obligationibus mulieris pro ex-
carcerando viro, quoniam idem est, vbi
relaxato mandato imminet carceratio
cum similibus.

Scribens Ego pro Carolo Reo conuē-
to, contra quem scripseram in prima cō-
trouersia ad fauorem Iacynti, (etiam cum
sensu veritatis) dicebam quod vbi Acto-
ribus ex persona matris debitum esset
petitum supplementum, adhùc tamen
cum ageretur de debito quantitatis, non
autem de quotitatiua portione bonorū,
dum debitor soluerat integram legitim ā
fratri, non voluntariè, sed de mandato
plurium Iudicum, nempè A.C., & Rotæ
ac Signaturæ, ità omninò excusandus
esset, ac si liberationem reportasset.

Ad tollenda verò æquiuoca, quorum
incursum probabat confusio auctori-
tatum, cum quibus procedebatur, diuer-
sos terminos percutientium; Aduertebā
reflectendum esse ad plurium casuum
distinctionem, quæ in omnibus ferè quę-
stionibus forensibus hodiè necessaria est,
& sine qua, vt plurimum æquiuocorū in-
cursus resultat.

Primus igitur casus est, de quo pro-
priè agitur in supra allegatis decisionibus,
& auctoritatibus, vbi scilicèt sciēter
5 soluitur alteri, quàm vero creditori iam
cognito iuxtà casum, de quo agit *Dec. di-*
cto conf. 407., quod scilicèt debitor Prin-
cipis Plumbini ex causa venæ acceptæ
soluisset Duci Valentino dicti status Plū-
bini inuasori iuxtà seriem, de qua habe-
tur *sub tit. de feudis discur.* 54.; Siuè iuxtà
casum, de quo agitur *apud Afflict. decis.*
150., quæ in hac materia est celebris, &
magistralis, quod scilicèt debitores Regis
Alphonsi II. de Aragonia soluerant mi-
nistris Caroli VIII. Regis Francorum,
cum similibus; Et de isto casu agitur in
supra allegatis decisionibus *Rotæ Roma-*
næ, ac Rotæ Ianuen. cum alijs relatis *per*

Stai-

Stalbanum, & *Pratum vbi supra*, et tunc solùm mandatum Iudicis nõ sufficit, nisi dicta alia requisita accedant.

Quinimò consideratur quoque, àn debitor, de tempore, quo soluere coactus fuit, esset inexcusabiliter morosus, adeoùt & in culpa dici valeat quarè antequam cõtingeret tyrannicæ, seù aliàs iniustæ coactionis casus, non soluit debitum, cum tunc iste tanquam casus fortuitus cedere debeat in damnũ debitoris morosi, quoniam si ipse debito tempore, vt tenebatur, soluisset, non euenisset casus, atquè in hac materia rigorosè in dubio procedendum videtur, ob fraudes & collusiones, quæ desuper committi solent; Licèt probabilius videatur quæstio facti potiùs, quàm iuris, prudenti Iudicis arbitrio regulanda, ex eiusdem facti circumstantijs, & præsertim pro qualitate morę, & àn attenta natura debiti, seù consuetudine loci, ea dicenda sit culposa, vel excusatione digna, necnè; Proùt, àn coactio effectiua, vel imminens redoleat, necnè suspicionem collusionis, cum alijs circumstantijs pro facti qualitate ponderandis.

Alter casus est, vbi soluatur alteri, quã verò creditori, sed istius nomine, & tanquam eius procuratori, seù negotiorum gestori; Et tunc attenditur, àn in asserto procuratore, vel negotiorum gestore concurrat probabilis, quamuis non exquisita, & rigorosa mandati probatio, puta quia creditor solitus esset eius opera vti in exigendo eius credita, & multò magis, si esset coniunctus, vel domesticus iuxtà ea, quæ habentur *apud Dunozett. decis.* 786., vbi de solutione facta filio iustè opinato procuratori patris ex pluribus adminiculis, eo præsertim, quod ipsius opera vti solitus esset.

Verùm, et super hoc, certa, & determinata regula constitui non potest, sed tãquam in quæstione pariter facti potiùs, quàm iuris, decisio pro Iudicis prudenti arbitrio in singulis casibus pendet ex facti circumstantijs, bonam, vel respectiuè malam fidem redolentibus, nimiumque circumspectè procedendum est, nè ità detur aditus debitoribus colludendi cum filijs, vel coniunctis, seù familiaribus creditoris; Et è contrà nè detur aditus creditoribus duplicatam exactionem debiti, ità faciendi mediantibus illis personis, quibus iustè credi debuit.

Tertius est casus, vbi incerta sit persona creditoris, quia nempè non sit ille, cum quo debitum contractum est, sed hæres, vel successor in Prælatura, seù feudo, aut maioratu, vel dignitate &c.; Siuè (vt in præsenti) quod sciantur, quinam sint filij defuncti parentis, cuius hęres teneatur legitimam soluere, sed dubiũ sit, ob disparitatem sexus, vel ex alia causa, àn integra legitima debeatur illi tantùm, cui solutum est; Siuè quia soluatur hæredi putatiuo ab intestato, cum adesset verus hæres ex testamento, aut Prælato, vel possessori putatiuo, cum similibus; Et tunc rectè intrat conclusio, vt soluens creditori bonæ fidei putatiuo, rectè soluat, atque liberationem consequatur, remanente actione vero creditori repetendi ab eo, cui solutum est, et ijs, quæ cæteris relatis plenè habentur *apud Casanat. cons.* 9. *num.* 30. *cum seqq.*, *Graff. de except. dicto cap.* 25. *num.* 91. & *seqq.*, *Salgad. in labyr. par.* 1. *cap.* 27. *num.* 111. *cum seqq.* & *par.* 2. *cap.* 9. *numer.* 34. *cum seqq.* ex celebri *cons.* 35. *Aretin. num.* 2. Atquè isto casu rectè intrat dictus rigor in huius causæ decisione ponderatus, si per omnimoda bona fide, quodque publicè, & palam ille, cui solutum est, reputaretur hæres, vel prælatus, aut feudatarius, siuè possessor maioratus &c.; Et si hoc non sufficit sola priuata opinatio ipsius soluentis, cum aliàs de facili aditus fraudibus, & collusionibus aperiri posset.

Quartus demum est casus, vbi probabiliter incertum, ac dubium sit, quisnam esset creditor (vt pariter in præsenti) atquè non solùm accedat iusta credulitas, quod esset ille, cui solutum est, sed etiam accedat Iudicis mandatum, vndè propterea Iudicialis coactio non sit in terminis primi casus, in quo debitor certò sciat, vt solutio eius, quod debetur Titio, demandetur Sempronio; Et tunc mihi videbatur casus extrà omnem controuersiam fauore debitoris soluentis, cum nulla penitùs dubitandi ratio desuper militare videretur; Vndè propterea magnam mihi inferebat admirationem, vt hoc motiuum nõ admitteretur, dum ex facti circumstantijs omnis fraudis, vel collusionis suspicio aberat, quoniam inter Carolum, & Iacyntum acer-

rima

rima lis habita fuerat, tàm coram A.C., quàm in Rota, & Signatura ex deductis *dicto discur. 4. de detractionibus*, ideoque hæres verè coactus soluit in optima fide.

Stante siquidem clara statutaria dispositione excludente fœminas propter masculos, regula assistebat masculo, cui solutum est, atque limitatio, quæ ob mixturam casus prætendebatur; Vel non subsistit (*vt probabilius videtur*); Vel est de apicibus, nimiumque dubia etiam apud peritos I.C., ex deductis in dicta sua sede;

2 Et consequenter, vbi etiam voluntariè dicta solutio facta esset, adhùc videretur debitor omninò excusabilis, tanquam soluens creditori bonæ fidei putatiuo, ex regula, quod ignorantià iuris valdè dubij assimilatur iustæ ignorantiæ facti, & excusat, *vt apud Mantic. decis. 78. nu. 7. cum seqq. Cauler. decis 81 num. 2. & 141. num. 4. decis 559. num. 5 & seqq. par. 5 recent. & frequenter*; Multò verò magis accedente facto plurium Iudicũ, & Tribunalium, præuia magna lite, ac discussione, ac etiam accedente eiusdẽ fœminæ silentio, & acquiescentia, acceptando quoddã particulare legatum, vndè magis soluentis bona fides confirmata fuit.

Prætẽdebant Actores hæc omnia tollere cum facto, quod scilicèt non constaret de solutione integræ legitimæ facta masculo, vt etiam in decisione aduertitur, sed de hoc nullæ erant Aduocatorũ partes.

Præmissa verò circa excusationem debitoris soluentis alteri, quàm verò creditori, eatenùs procedunt, quatenùs ve-

3 ra, & effectiua solutio accedat, non autem confessata tantùm, *vt apud Afflict. dicta decis. 150. num. 28. & 35 cum seqq. Grass. de except. cap. 25. numer. 75. Cyriac. contr. 252. num. 45. Staiban. dicta resol. 19. num. fin.*; Proùt neque Iudicis præceptũ excusaret, vbi eius forma non seruaretur

4 iuxtà casũ, de quo *Staiban. dicta resol. 19. num. 28.*, quod scilicèt Iudex mandauerat deponi, debitor autem soluerat liberè, cum similibus ponderãdis pro qualitate facti, cuius verè potiùs, quàm iuris sunt istæ quæstiones.

ROMANA

MVLTIPLICI

PRO

CREDITORIBVS MALATESTÆ BALLEONI

CVM

TYBERIO CEVLO.

Casus disputatus in Congregatione Baronum, & resolutus pro Credioribus.

De eadem materia, An scilicèt, & quando creditores agere possint contrà debitorem sui debitoris, nõ obstante solutione facta proprio, ac immediato creditori; Et quando dilatio concessa debitori non debeat attendi in præiudicium creditorum, vel cesset ob solutiones statutis terminis non factas.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Restituens sortem census nõ seruata forma instrumenti, malè soluit, atque adhùc remanet debitor.*

3 *Atque vbi dicta forma præscripta est, neque fructus imputantur in sortem.*

4 *De obligatione debitoris non soluentis id, quod est multiplicandum, vt teneatur ad quanti interest multiplicum esse factum.*

5 *De eodem, & quod non obstet ratio anatocismi.*

6 *De depositarijs montium malè soluẽtibus fructus destinatos multiplico.*

7 *Conclusio, de qua num. 4. & 5. procedit, vbi onus iniunctum est ipsi debitori, secus autem si creditori.*

8 *Ille, in cuius gratiam inuestimentum iniunctum est, potest ei renunciare.*

9 *Soluenti hæredi grauato benè soluit.*

10 *Inhibito facta ad instantiam vnius, non suffragatur alteri.*

11 *Quomodo procedi debeat in demandando multiplicum pro reintegratione fideicommissi.*

DISC. LIX.

VEndidit Franciscus Ceulus casale fideicommissarium Principi Burghesio cum derogatione fideicommissi, sub consueta formula relinquendi partem pretij inuestiendi in census, vel loca montium pro multiplico, vsque ad integrum valorem pro reintegratione fideicommissi; Cum autem ex parte pretij creatus fuisset census cum Balleono sub lege, vt fructus ad formam chyrographi Pontificij solui deberent dicto Francisco, ad effectum inuestiendi pro multiplico, factaque per debitorem solutione, inuestimentum prædictum neglectũ esset; Hinc Tyberius in fideicommisso successor, debitoris hæreditate sub concursu creditorum in Congregatione Baronum existente instetit pro reiterata solutione fructuum, eorumdemque, fructuum fructibus ad formam multiplici perindè, ac si solutiones iam factæ, sequutæ non essent. 1

Fundabant Scribentes pro Actore ipsius prætẽtionem super solutionibus malè factis, in ijs, quæ habentur firmata per Rotam *in Romana fructuum census 22. Iunij 1646. coram Cerro*, & in alijs enunciatur *sub tit. de Censibus discur. 23.*, quod scilicèt debitor census, qui soluit spreta lege contenta in instrumento super solutione, tam sortis, quàm fructuum, non liberè, sed vinculatè ad effectum reinuestiendi pro iure & interesse aliorum vocatorum, vel tertij, habeatur pro non soluente perindè, ac si actus non esset, sequutus, ideoque ad reiteratam solutionem teneretur. 2

Idquè adeò verùm, vt quamuis ex aliquo casu, puta ob incapacitatem fundi creditori cognitam, seù aliàs, fructus census non essent debiti, adeoùt soluti, de iure in præiudicium creditoris imputandi essent in sortem principalem, adhùc tamen, vbi ipsa sors vinculata est fauore tertij, pro cuius indemnitate restitui nõ potest, nisi ad effectum noui inuestimenti cum consensu, vel scientia tertij interessati, dicta imputatio non intrat, sed integrum est debitori reperere fructus malè solutos ab eo, cui soluit, vt *in Romana saluiani 20. Martij, & 19 Iunij 1651. coram Verospio, quarum secunda est decis. 175. num. 7. par. 11. rec.* 3

Hoc autem posito, inferebant ad supletionem eius, quod intererat multiplicum factum non esse, et sic etiam ad fructus fructuum, cum ea superfætatione, quæ in multiplico intrat; Quamuis enim ista superfætatio fructuum aliorum fructuum, quæ sub anathocysmi vocabulo explicari solet, iuxtà opinionem in Curia receptissimam, indefinitè damnata sit, siuè agatur de simplici interesse, siuè de fructibus censuum, reprobata distinctione, quam præfertim DD. vtriusque Siciliæ, ac alij adhibent inter fructus censuum, ac simplex interesse ex ijs, quæ habentur *sub dicto tit. de Censib. disc. 2. & in alijs.* 4

Attamen, vt ibidem pluries aduertitur, id cessat, quãdò incumbit dicta obligatio multiplicandi; Quoniam tunc debentur fructus fructuũ, dictaque superfætatio intrat, non in ratione fructuum, siuè vsurarum redolentium lucrosas accessiones per debitorem creditori soluẽdas, sed in ratione damnorũ, & interesse, ob destinationem fructuum multiplici iuxtà firmata in specie *in Romana multiplici decis. 85. par. 4. rec. tom. 2. & decis. 668. eadem par. 4. tom. 3. & in eadem; Nouembris 1635. coram Pirouano, & 18. Martij 1654. corã Meltio, & aduertitur disc. 14. de cens.* 5

Scribens Ego pro dicta hæreditate, seù creditoribus eam tuentibus, non negabam vtriusque conclusionis veritatem in casu suo; Atque quoad primam super indebita solutione fructuum, qui multiplico destinati sunt, obseruabam ea, quæ in hoc proposito habentur plenè deducta *sub tit. de Regal. discur. 23.*, vbi de depositarijs montium malè soluentium liberè fructus multiplico destinatos; Dicebam tamen fallaciam esse in applicatione circa primam conclusionem, quæ corruente, de consequenti corruebat etiã secunda; Illa siquidem procedit, quandò in instrumento census imposita est lex prohibitiua debitoris, nè soluat aliàs, quã iuxtà formam ibi præscriptam, quæ frequentiùs concipi solet, vt pecunia depo- 6

ni

ni debeat in sacra æde, vel alio publico banco, cum vinculo, quod solui non possit, nisi ad effectum inuestiendi pro iure, & cautela tertij, iuxtà casum, de quo *in dicta Romana fructuum census coram Cerro, & in alijs locis supra allegatis*; Siuè vbi id incumberet ratione officij iuxtà opinionem pro meo sensu probabiliorem ex deductis *dicto discur. 23. de Regalibus*; Aut vbi ipse met debitor in se assumpsisset onus, & curam multiplici, quoniam tunc teneretur, potiùs ratione mandati ad quantum interest istud impletum non esse, quàm ratione debiti, et sic potiùs ob non factum, quàm ob non datum, vt pluries in sua materia *sub tit. de vsuris*, atquè in his vltimis terminis oneris, & curæ multiplici à debitore susceptj, loquuntur supra allegatæ decisiones *in Romana multiplici*.

Secùs autem vbi præmissa cessant, atque debitor se obligauit soluere ipsi creditori, cui tale onus iniunctum sit; Tunc etenim debitor non tenetur de hoc esse sollicitus, sed ei sufficit soluere creditori, cui solutionem promisit, & cuius fidem Pontifex, vel Partes approbasse dicuntur, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Greg. decis. 511.* ibique *Add. Buratt. & Adden. decisione 2. & 793. decis. 681. par. 1. rec.*, & admittitur *in Bonon. fideicommissi de Rubeis 30. Maij 1646. & 5. Aprilis 1647 corã Corrado impress. decis. 41. & 363. par. 10. res.*, quæ reputantur in materia magistrales super hac distinctione, àn modus soluendi cum vinculo inuestimenti adiectus esset pro forma adimplẽda à parte anteà, vel in ipso actu, adeoùt constet, quod qui derogationem concessit, vel inuestimento pro eius iure, & interesse consensum præstitit, noluerit sequi fidem creditoris, vel è conuersò id iniunctum sit ipsi creditori, cuius fides in hoc probata sit.

Quinimò vbi etiam inuestimenti vinculum in ipso instrumento adiectum sit; Constet autem id sequutum esse pro cautela ipsius soluere debentis, vt frequenter contingit in emptoribus, ità pacisce ntibus de solutione pretij pro cautela euictionis, siuè in promittentibus dotem in quantitate, cum similibus, tunc cum quilibet possit proprio fauori renunciare, iuumque ius negligere, si liberè soluit, non exindè per creditores eius, cui solutum est, ad aliud conueniri potest, nisi, vt dictum est, ex facti qualitate constet, vt id nõ pro sua tantùm, sed pro tertij quoque interessati cautela, ità conuentum sit, vt cæteris relatis habetur *in Romana saluiani 23. Ianuarij 1643. coram Dunozetto inter suas decisione 699. in Camerinen. dotis Ecclesiæ 22. Iunij 1650. coram Meltio, & in alijs*, cum cessante dicta circumstantia, vt scilicèt id mandatum sit pro forma pro iure tertij, nulla adsit ratio dubitandi, cessante inhibitione hominis, siuè illa legis, quæ à decoctione resultat.

Idq; verùm, licèt debitori innotescat, quod creditor fideicõmisso, seù aliàs inuestimenti onere sit grauatus, quoniam
9 vbi onus non est sibi iniunctum, non tenetur de hoc esse sollicitus; Vndè propterea vera, & recepta conclusio est, quod debitor fideicommissariæ hæreditatis, cessante dicta lege adiecta pro forma, rectè soluit hæredi grauato, siuè censum cum eo extinguit absque onere sollicitudinis super inuestimento, dummodò vera, & effectiua solutio cum bona fide, ac citrà fraudem, seù collusionem accedat, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Cenc. de cens. quæst. 109. numer. 58. & seq. Salgad. in labyr. par. 1. cap. 27. num. 39. & seq. Rota coram Celso decis. 116. num. 15., in Camerinen. dotis Ecclesiæ 9. Maij 1653. corã Meltio, & in Romana census 15. Iunij 1654. coram Bichio inter suas decis. 610.*

Insistebant Scribentes pro Actore in quadam inhibitione, quæ debitori facta fuerat de anno 1613. ad instantiam Burghesij emptoris casalis, pro eius iure, & interesse, nè fructus liberè soluerentur, sed cum vinculo, ad effectum inuestiendi pro multiplico, ideoque ità dicebant omnem difficultatem cessare; Facilis tamen fuit solutio, tàm in facto, quam in iure; In facto scilicèt, quoniã ex eius circumstantijs constabat à dicta inhibitione recessum fuisse; Et in iure, quoniam de hoc objcere solum potest ille,
10 ad cuius instantiam facta est inhibitio, vel sequestrum, non autem tertius, ex ea ratione, quod ille, ad cuius instantiam id sequutum est, potuit etiam oretenus prohibitionem remittere, ex ijs, quæ habentur *apud Mastrill. decis. 126. Salgad. in labyr. par. 2. cap. 5. num. 35. & seqq.*, & cõ ferunt, quæ habentur *apud Surd. dec. 301.*

num. 1. cum seqq., & in decisionibus supra allegatis, ad probandum, quod debitor, in cuius gratiam, seu cautelam ex pacto ab initio conuentum est de inuestimento, illud negligere potest, suoque iuri cedere, quoniam totus punctus est, an vinculum iniunctū fuerit debitori pro forma præcisa, in gratiam tertij interessati, qua circumstantia cessante, intrat de plano conclusio, de qua *supra disc. 52.*, & in alijs pluries, quod debitori sufficit soluere proprio creditori, atque distrahere cum eo, cum quo contraxit; Et iuxtà præmissa per Congregationem Baronū decisum fuit, concedendo hæreditati absolutoriam; Ideoque in huiusmodi de-
11 rogationibus magis circumspectè procedendum esset in præscribendo formā, per quam sequi possint huiusmodi multiplica, quæ frequenter eludi solent, quoties ipsi grauato facultas liberè exigendi tribuatur ex deductis *dicto discur. 23. de Regalibus.*

Et quid vbi iura superuenerint ex procurata, & voluntaria cessione; Et incidenter de aliquibus ad materiam *textus in l. per diuersas, & l. ab Anastasio C. mandat.*

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De materia iudicij possessorij retinendæ, & de quo in eo quæratur.*
4 *De vulneratione processus executiui per sententiā absolutoriam, vt non præiudicet iudicio possessorio.*
5 *Dictum iudicium intentari potest in quacumque instantia etiam post tres conformes, vel rem iudicatam.*
6 *Creditum liquidum, & exequutiuum non retardatur per exceptiones turbidas.*
7 *An detur compensatio crediti experibilis in iudicio ordinario cum debito executiuo.*
8 *Etiam vbi nō intrat compensatio de æquitate admittitur retentio.*
9 *De dispositione* text. in l. per diuersas, & l. ab Anastasio.
10 *De limitationibus fauore Rei, & possessoris, siuè vbi de credito liquido.*
11 *De ratione dictarum legum.*
12 *Declaratur limitatio fauore Rei, & possessoris.*
13 *Nemo potest proprio auctori quæstionem refricare.*
14 *De alio casu controuersiæ ad eamdem materiam, de qua num. 9.*
15 *An cessio facta clerico dicatur facta in potentiorem &c.*

NEAPOLITANA

SEV

TRANEN. PECVNIARIA

PRO

FRANCISCO GALIBERTO

CVM

MONTE DE ROBERTIS.

Casus decisus per Rotam pro Monte.

DISC. LX.

An creditor agat contra debitorem, non obstante, quod huic superuenerint iura contrà ipsum creditorem; quorum ratione opponat de compensatione, vel retentione;

1 EMit Franciscus ab Octauio bona, habita fide de pretio, sub conuentione fructuum recompensatiuorū solutione pendente, atque sequuta Octauij morte, Franciscus, vt ab huiusmodi debito se liberaret, curauit obtinere cessionem aliquorum iurium contra eiusdem Octauij hæreditatem, summam debitam absorbentium, soluta modica summa pro huiusmodi cessione obtinenda, vnde conuentus à Monte Familiæ Robertorū

dicti

dicti Octauij hærede, ex compensationis, vel retentionis beneficio, de dictis iuribus excipiendo, se tuebatur; Introductaque per appellationem causa coram A.C. prodijt sententia Francisci Rei conuenti absolutoria; Commissa verò per appellationem causa *in Rota coram Meltio*, ex parte Actoris, suspenso petitorio, obtentum fuit subscribi dubium in possessorio retinēdæ, seù manutētionis in possessione exigendi dictos fructus, super quo dubio pro Actore responsum fuit *sub diebus* 9. *Decembris* 1650. *&* 6. *Februarij* 1651.; Deindèque assumpta disputatione petitorij, seù negotij principalis, fauore eiusdem Actoris prodierūt aliæ duæ resolutiones *sub diebus* 27. *Ianuarij*, *&* 23. *Maij* 1653. *coram eodem*, cum subsequuto effectu, dum ob mortem Francisci causa vlteriorem progressum non habuit.

Duæ autem fuerunt diuersæ disputationes super diuersis dubijs, vt supra; Prima scilicèt in possessorio; Et secunda in petitorio; In prima, modicæ fuerunt Aduocatorum partes, quoniam hodie nimis planæ, receptæq; sunt propositiones, quod in hoc iudicio non quæritur de iustitia, vel iniustitia possessionis, neque attenduntur exceptiones respicientes merita causæ, quæ reseruantur ad petitorium, potissimè vbi non agitur de possessione turbida, sed clara, neque est possessio, quę dependentiam habeat à negotio principali, siue sit aliàs restricta ad certam causam, seù titulum, de cuius infectione constet, iuxtà distinctiones, & casus, de quibus in proposito huius interdicti possessorij retinendæ in sua materia *sub titulo de Iudic.*; Vndè propterea solæ quæstiones esse videntur facti super ipsius possessionis probatione, quæ, an, & quando sit legitima, vel sufficiens, habetur pariter *eodem tit. de Iudic.*; Potissimè verò in hac facti specie, quod agebatur de possessione titulata, ipseque titulus nullum habebat vitium, nullamque intrinsecam exceptionē, cum illa, quæ vt suprà deducebatur, esset extrinseca, Ac propterea, quamuis ego, et cæteri pro Reo conuento scribentes, cū regulis & propositionibus generalibus adornatū more Aduocatorum, plura deduceremus, Attamen ab initio, et antequam hæc disputatio assumeretur, liberè in congressu ipsimet principali præsenti (pro genio nimium litigioso, atque monitione non obstante disputationum aleam experiri volēti) diximus causam in omnibus, etiam in petitorio esse periculosam; In hoc verò puncto possessorij esse opus desperatum.

Prudens verò consilium fuit Scribentium pro actore, in hac vlteriori instan-
4 tia, quamuis adesset instrumentum publicum cum pactis exequutiuis in actione personali, assumere hoc iudicium possessorium, ob vulnerationem viæ exequutiuæ resultantem à sententia absolutoria lata in præcedenti instantia cum modico fundamento in Tribunali A.C., et de cuius vulnerationis materia habetur infrà *hoc eod. tit.*, ac etiam *dicto tit. de Iudic.*, *&* *in praxi Curiæ ibidem annexa*, vbi propterea aduertitur, vt cautè in sententijs absolutorijs ob istud graue præiudicium procedi debeat; Ideòque in hoc præ cæteris nimium proficuum, et priuilegiatum reputatur istud possessorium, quod in quacumque instantiam
5 etiam post vnam, vel duas sententias contrarias in petitorio, quinimò etiam post tres, vel post rem iudicatam exequi non cœptam, sed in grada restitutionis in integrum commissam, illud intentari potest, vt paritèr in dicta sua materia *sub tit. de Iudic.*, ac alibi insinuatur, præsertim *sub tit. de pensionib.*, et sub altero *de censib. & annuis præstationib.*, in quibus frequentiùs de his agi solet.

Quoueròad alteram partem, seù disputationem petitorij, duo fuerunt puncti; Primò scilicèt, an iura, quorum cessionem debitor reportauerat, essēt certa, et liquida, vel potiùs turbida, et illiquida, vt iuxtà secundā partē per Rotā etiā probabiliter reputata fuerūt ex circūstātijs facti, cuius potiùs, quàm iuris quæstio fuit; Ideòque intrabat conclusio, quod liquidi ad illiquidum non admittitur compen-
6 satio, neque exequutio debiti certi, et liquidi, per turbidas, et illiquidas prætensiones retardanda est *Merlin. de pign. lib. 5. quæst. 6. num. 16. Duran. decis. 235. num. 5. Gregor. & add. decis. 220. in fine.*

Et quamuis pro Reo Scribentes diceremus, quod ad effectum compensationis opus non est, vt debitum superuentum, cum quo de compensatione excipitur, sit exequutiuum, vt est creditum, quoniam debitum exequutiuum

com-

7 compensabile est cum credito, quamuis non munito pactis exequatiuis, sed in iudicio ordinario experibili ex plenè firmatis *coràm Bichio per Rot.dec.*23; Attamen conclusio quãuis in suo casu vera, nõ erat applicabilis ad rem, cum difficultas non consisteret in natura, seù qualitate debiti & crediti respectiuè, et an vnũ esset exequatiuum, alterum verò ordinarium, sed consistebat in illiquiditate.

Vbi enim creditum debitori superuentum, de cuius compensatione opponitur, est certum, & liquidum, tùnc licèt de stricto iure compensatio non intret,
8 putà ratione iuramenti cum præexistentia de tempore contracti debiti, vt pluries in præcedentibus aduertitur; Attamen de æquitate fundata in ratione inanis circuitus, admitti soleat retentio, *Cyriac. contr.* 224. *num.* 9. *& contr.* 441. *num.* 18. *Buratt. decis.* 277. *num.* 4. *& dicta decis.*23 *coram Bichio*; Multò verò magis, vbi altera æquitatis ratio ex facti qualitate intret ex deductis *per Greg. decis.*342. *num.*3. *&* 4. *Zacch. de oblig. cam. quæst.*18. *nu.*23. *& seq.*, et aduertitur præsertim *in Tudertina salis sub tit. de Regal. disc.*106.

Alter autem punctus iuris, super quo inter Aduocatos magis certatum fuit, erat ille, an quatenùs dicta iura cessa, essent certa, et liquida, adeòut compensationi, vel saltim æquitatiuæ retentioni locus esse deberet, intrarent, necnè termini *textus in l. per diuersis, & l. ab Anastasio*, *C. mandat.*, vt scilicèt reportatæ
9 cessione pro minori summa, quàm debitum importet, posset cessionarius repelli cum oblatione, vel respectiuè excomputatione summæ solutæ tantùm, vt in eisdem iuribus litteraliter disponitur, quãuis dicatur, quod reliquum donetur, vt regularitèr admittitur per omnes, de quibus infrà.

Aduersùs huiusmodi replicationem actoris, ego, et cæteri Scribẽtes pro Reo, deducebamus duas veras, ac receptas li-
10 mitationes huic regulæ, seù conclusioni dari solitas ad rem applicabiles; Primò scilicèt, vbi ageretur de debito claro, et certo, Et secundò, vbi etiam in casu turbidarum, ac litigiosarum prætensionum cessio reportaretur à possessore & Reo se tuendi gratia, atque ita repellendi actorem, vt de vtraque limitatione *Gabr. conf.*67. *lib.*1. *num.*7. latè aliorum cumulatores *Giurb. decis.*117. *num.*4. *cum seqq. & Olea de cess. iur. tit.*6. *quæst.* 10. *Apon. te conf.*67. *lib.*1. *Rot. decis.*126. *post Cen. de censib. decis.*274. *par.*3. *rec.*, *& in alijs frequenter.*

Ideoquè dicebamus, quod vbi dubitari posset de applicatione primæ limitationis, cum ob diuturnitatem temporis, aliasque circumstantias, verè iura cessa, essent turbida, et illiquida, adhùc tamen ineuitabilis esset altera limitatio, quod ageretur de Reo, et possessore, iura cessa deducente excipiendo, ac se defendendo.

Quamuis autem limitatio vera, & recepta sit; Attamen reflectendo ad veritatem ab initio vt suprà ipsi principali in-
11 sinuatam, fallacia clara erat in applicatione, ideoquè iustæ, ac probabiles visa sunt resolutiones; Siquidem dictarum limitationum ratio, est illa, eadem cessantis rationis, cui dictorum iurium dispositio innixa est, ad coercendos scilicèt volũtarios litium redemptores, qui cuiustas veteres reuoluendo, ità pro modico pretio, iura turbida, et litigiosa de facili acquirendo, aliena captare, ac lites suscitare studeant; Hæc autem ratio non intrat, vbi agitur de iuribus certis, et liquidis, cum tùnc nulla iniuria fiat debitori, vel possessori, contrà quem experienda sunt, an eorum experimentum fiat per cedentem, vel cessionarium, cui sua interfit, vt quis ex industria, vel affectione donationem in parte reportet; Idemque etiam in turbidis, & illiquidis quoad possessorem ità curantem molestantes repellere, atque in sua possessione se tueri.

Verùm quatenùs ad hanc secundam limitationem pertinet, ea procedit, vbi
12 agatur de possessore cum legitimo titulo, vel saltim bonæ fidei putatiuo, qui de eius aliàs iusta, et pacifica possessione, a superuentis, et non speratis molestijs cogeret se tueri, adeòut assistat æquitas, et non intret dicta ratio regulæ, seù principalis conclusionis; Secùs autem, vbi agitur de possessore vitioso, qui ad se conseruendum in vitiosa, et intrusiua possessione, affectet iura contrà eius auctorem, qui nisi eidem bona cõcessisset, esset eorum dominus, ac legitimus possessor,

cum

cum tùnc iste de facto reus, ac possessor, de iure tamen pro actore potiùs in hoc proposito habendus veniat, vt benè in huius causæ decisionibus aduertitur; Incongruum siquidem esset, atque inconuenies, vt intrusus, vel spoliator, siuè attentator, ità possessor dicendus esset dicta æquitate dignus, vel qui proprium auctorem ità supplantare studet cum dare fidei violatione.

Et hic erat casus, quoniam cessionarius bona obtinuerat à venditore sub pretij fide, qua violata, seù non adimpleta, iure intrusi, vel spoliatoris habendus videbatur, ità fraudulenter aliena bona captando, atq; proprio auctori quæstionem refricando, quod in iure damnatum est *per text. in l. si quis conductionis, C. locat.*, cuius dispositionem, vel rationem locum habere in omni materia, omnique casu, in quo quis rem ab alio obtineat, eamque in auctorem agnoscat, est hodiè receptissima propositio, super qua multa de more cumulant *Adden. ad decis. 420. n. 4. rec. tom. 2. ex num. 50.*, et nimium frequenter insinuatur in omnibus ferè consulis, seù materijs.

Ità enim latissima via fraudibus, ac malorum bonorum vsurpationi aperitur, quoniam curaret quilibet sub titulo emptionis bona obtinere, habita fide de pretio, deindèq; cõtrà venditorem antiquatas prætensiones inquirere, earumque cessionem reportare contrà omnem rationem, vndè intrare quoque videntur illa, quæ hoc eodem titulo, et sub altero *de curatoribus, & administratoribus*, ac alibi habentur de voluntarijs cessionibus non reportandis per tutorem, vel administratorem contrà pupillum, aut alterum sub administratione viuentem.

In proposito autem huiusmodi regulæ, seù conclusionis deductæ ex dispositione dictorum iurium *in l. per diuersas, & l. ab Anastasio*, vt pluries disputandi occasio dedit prætertim in vna *Romana* inter Ducem Bonellum, & Ducem Sfortiam, ac in alijs, aduertere consueui, erroneum esse, eamdem conclusionem ità mordicùs, ac ad litteram attendere, cum intelligenda veniret discretè pro facti qualitate, habita ratione periculi, cui cessionarius se exponit in huiusmodi incertæ aleæ acquisitione, amittẽdi summam solutam, ac expensas faciendas, nec non alicuius præmij eius laboris, et diligentiæ pro huiusmodi cessione reportanda ad mensuram bonæ, vel malæ fidei pro facti qualitate, et circumstantijs, ex quibus prudenti arbitrio ista materia regulanda est, vt præsertim cæteris relatis aduertitur *per Rotam dec. 44. par. 11. rec. num. 9. & 11.*

Præsertim verò habẽda est ratio qualitatis debitoris, contra quem iura acquiruntur, non solùm ratione maioris, vel minoris idoneitatis, sed etiam qualitatis, ob quam creditor cogatur diminutam debiti satisfactionem recipere, putà quià sit Baro, vndè recipere oporteat per viam Congregationis Baronum pecuniã vinculatam minùs valentem, seù quod aliàs idem vinculum recusari non possit iuxtà casus, de quibus suprà *disc. 53. & seq.*

Ac etiam in casu, quamuis voluntariæ cessionis, ponderanda venit qualitas cedentis, ac illa eius, contrà quem fit cessio, quià nempè sit potens, ac oppressor creditoris, qui cogatur alteri potenti eius iura cedere cum similibus pro facti qualitate.

In huius causæ decisionibus admissa quoque fuit altera huius cessionis nullitas per Scribentes in contrarium ex eo deducta, quod ageretur de cessione facta in potentiorem, qualis ratione clericatus diceretur Frãciscus, *ex deductis per Natt. consil. 47. num 39. & cons. 131. n. 11. Rolan. consil. 380. nu. 27. lib. 2. cum alijs per Bellett disquis. cler. tit. de disciplin. cler. §. 21. num. 26., & in decisionibus.*

Verùm id continere videbatur vnam de solitis Legistarum ineptijs, in decisionibus deductam, potiùs ex inaduertentia extensoris, vel eius amanuensis, quàm ex sensu Rotæ, Tùm quia qualitas clericatus causat solùm potentiam, quandò per eam efficiatur deterior conditio alterius iuxtà ponderationes, de quibus præsertim *in Placentina sub titulo de emphyteusi*, ac etiam occasione alterius qualitatis, ex qua potentia resultet, vt plenè aduertitur *in Bonon. transactionis coram Merlin inter suas decis. 799. & in eadẽ corã Verospio dec. 173. & 228. par. 7. rec.*; Tùm etiam, quia non mutabatur persona debitoris, dum idem erat debitor, et cessionarius, eademque qualitas clericatus aderat de tempore con-

contracti debiti; Ac etiam, quia cedens erat Ecclesia, nempè Monasterium Monialium; Ea verò, quæ deducit *Bellett. vbi suprà*, percutiunt terminos diuersos, vbi scilicèt clericus cessiones procuraret ad industriam, et negotiationem, ob istam clericis prohibitam, quod nihil facit ad rem, ideòque in decisionum extensione maior circumspectio desideranda videtur, pro ipsius Tribunalis maiestate.

ROMANA PECVNIARIA SEV SALARII PRO IOSEPHO MARTELLINO CVM COMITIBVS DE ANGVILARIA.

Casus decisus per Rotam pro Iosepho.

An creditor impediatur exigere creditum certum, & liquidum pro debito illiquido pendente à redditione rationum administrationis, adeoùt intret compensatio, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De salario Causidicorum remissiuè.*
4 *Administrator præsumitur satisfactus ex bonis administratis.*
5 *De conclusione, vt liquidi ad illiquidum non detur compensatio, quando pro cedat.*
6 *Administrator non potest dici debitor, nec creditor ante redditas rationes.*
7 *An dispositio* text. in l. vnica §. exactio C. de rei vxor, *contineat quid spe ciale.*
8 *Et quando* eiusdem l. dispositio limi tetur.
9 *Quod istæ quæstiones decidendæ sint p facti qualitate.*
10 *De materia Bullæ Archiuij moderatoria Bullæ Baronum remissiuè.*

DISC. LXI.

1 CVM Franciscus, prob causarum Patronus, oc sione patrocinij præst soliti Comiti de Angi laria, eiusque fratri, eorum absentiam, æcon micam administrationem effectui a uorum, & passiuorum aliquo notabi tempore quoque habuisset; Omnibus d functis, Ioseph eius filius, iudicium mo tuit contra dicti Comitis filios, & he des pro salario vtriusque seruitij, & troducta causa in Rota *coram Ve sub die* 13. *Iunij* 1663. prodijt reso
2 salarium deberi pro toto tempore se tij, reseruato vt videretur de oppo redditione rationum; Repropositu rò causa *sub die* 24. *Martij* 1664. ob torum scissuram editus fuit discu quandoque practicari solitus, ac rea pta disputatione *sub die* 3. *Iunij* 166 prodijt resolutio præcedentis rela toria, diuidendo scilicèt salaria, vt in pro administratione æconomica, ob ret exceptio redditionis rationum, autem in altero ex causa patrocinij.

In his autem disputationibus de pr bus actum fuit, & præsertim circa
3 rium ex causa patrocinij, an deberet cum de illius conuentione nõ constar siuè an præsumeretur solutum, vel qu modò taxandum esset, & de his agitu sua sede *sub tit. de Iudic. in prax. sec lat. Cur.*, occasione agendi de Aduoca & Procuratoribus.

Quatenùs verò, (præsuppositò vtr que salarij debito) pertinet ad punctu an eius assecutioni obstaret dicta ex ptio redditionis rationum; Mihi pro sepho

no actore scribenti, probabilis, bene-
fundata visa fuit vltima resolutio re-
matoria distinguens diuersas salarij
cies; Illud etenim ex causa œconomi-
administrationis rectè denegatum
fuit; Tum ex præsumptione, quod admi-
nistrator habens in manibus pecunias
incipalis, sibi ipsi satisfecerit, ex ijs,
circa hanc præsumptionem in tuto-
vel alio administratore habentur *sub*
tit. de Tut. & Curat. disc. 10.

Tùm etiam quia conclusio de non ad-
mittendo cõpensationem crediti liqui-
di cum debito illiquido, quale dicitur il-
lud, quod pendet à redditione rationum,
quarum dispunctionem incertũ est,
ad ministrator, debitor, vel creditor sit
turus, procedit vbi agatur de cõpen-
one crediti, & debiti ex diuersis cau-
secùs autem vbi vtrumque proueniat
eadem causa, eademque ratione, vel
ministratione; *Tunc etenim*, quam-
DD. pro quodam loquendi vsu adhi-
nt compensationis terminum, atta-
n verè est impropria loquutio, cum
mpensatio propriè cadat, vbi agatur
debito, & credito ex diuersis causis, ex
quæ pluries in præcedentibus haben-
super ista compensationis materia;
ùs autem vbi prouenit ex eadem cau-
vt supra, tunc etenim dicitur po-
calculus dati, & accepti, seù con-
positio circa idem negotium, vt ità
distinguendo, antiquioribus relatis *Mu-*
noz. de ratiocin. cap. 10. *& cap.* 13. *Galeot.*
lib. 1. *controu.* 41. *numer.* 8. *&* 9., *& lib.* 2.
controu. 62. *nu.* 12. *Capyc. Latr. consult.* 73.
num. 27. *&* 28. *& decis.* 25. *nu.* 22. *Rot. dec.*
231. *num.* 28. *par.* 9. *rec.*

Quoueró ad alteram salarij speciem
ex diuersa causa, regula est, compensatio-
nem non intrare, ex certa iuris propositi-
one insinuata *discursu præcedenti*, &
alibi pluries, quod liquidi ad illiquidum
non datur compensatio, cum ex pluries
insinuatis, administrator ex causa admi-
nistrationis, non possit dici, nequè debi-
tor, nequè creditor, donec sequatur ra-
tionum redditio iuxtà terminos *textus*
in l. vnica §. *exactio C. de rei vxor. act.*,
cum ibi communiter notatis; Quamuis
enim aliqui credant dictam legem con-
tinere dotis priuilegium speciale, atta-
men, verius est contrarium, vt nõ sit pri-
uilegium, sed ratio, quæ tamen in mu-
liere creditrice ex causa dotis facilius
intrat, cum ea maiori commiseratione
digna sit, cum non præsumatur habere
alia bona præter dotem, ex cuius fructi-
bus viuere debet, vt aduertitur *in sua*
materia *sub titulo de Dote præsertim*
disc. 94.

Benè verùm quod, licèt talis sit regula,
ea tamen, etiam in muliere ex causa dotis
creditrice filiorum, quorum tutelam ad-
8 ministrauit, de qua loquitur textus præ-
dictus, multò verò magis in alio priuato
administratore, limitatur vbi probabili-
ter constet, quod ad eius manus tot pe-
cuniæ peruenerint, vt de eius credito po-
tuerit sibi commodè satisfacere ex dedu-
ctis *dicto discur.* 94. *sub tit. de dote*, vbi de
istius limitationis intelligentia, seù de-
claratione, vbi scilicèt obuentio pecu-
niarum sit talis, quod ex facti qualitate
præsumptio vrgeat, vt ea penès admini-
stratorem remanserit, secùs autem vbi,
licèt ex partitis accepti constet de ma-
gna obuentione, attamen ob adminis-
trationis qualitatem constet, vel saltèm
sufficiens fumus adsit æquiualentis ero-
gationis in administrationis causam, vt
in hac facti specie concurrere videbatur,
quod scilicèt ex calculis rationum, quæ
supponebantur etiam ab ipso Francisco
viuente redditæ, constaret quod singulis
annis, maior esset quantitas dati, quàm
accepti, ità suadente qualitate principa-
lium, tàm ob eorum substentationem,
quàm etiam ob notabilem quantitatem
fructuum, vel vsurarum, quibus subiace-
bant ex causa æris alieni, pro quo eis de-
functis, hæredũ pupillorum tutores, pru-
denter, ac opportunè processerunt ad
venditionem Castri iuxtà seriem, de qua
sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baro-
num discur. 97.

Hinc proindè huiusmodi quæstiones
dicuntur potiùs facti quàm iuris, & con-
sequenter, certam, ac determinatam non
recipiunt regulam, seù decisionem, quæ
9 in singulis casibus pro eorum qualitate,
& circumstantijs diuersa est prudenti ar-
bitrio, àn scilicèt administratio sit talis,
vt administrator verisimiliter sibi satis-
fecerit, necnè; Ideoque vt pluries in
omni fere materia aduertitur, nimis eui-
dens ineptia est eorum, qui iuxtà prag-
maticum stylum, iosistunt in solis do-
ctrinis, vel decisionibus pro vno casu

æditis, generalē ex eis constituendo regulam omni casui applicabilem.

Ista verò controuersia, occasionem dedit quæstioni, de qua ad materiam bullæ Archiuij habetur actum *dicto tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum discur. 87.*, an scilicèt scientia fideicommissi, quam creditor habeat, æquipolleat formæ per dictā bullam Archiuij inductæ, vt propterea bulla Baronum non intret.

VITERBIEN.

CAMBIORVM

PRO

IOANNE BRVNACCIO

CVM

MANCINIS.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura, resolutus pro Ioanne.

De eadem materia, An scilicèt creditori ex vna causa, obstet exceptio redditionis rationum administrationis diuersæ; Et in specie, an socio, qui in causam negotij socialis propriam pecuniam, cum particulari contractu credidit, dicta exceptio administrationis obstet.

SVMMARIVM.

1 FACTI series.

2 *Socius particularis potest mutuare negocio sociali, seù aliàs cum eo contrahere.*

3 *Simulatio personæ non est damnata.*

4 *Præsumptio est, vt socius credide... gotio sociali pecunias proprias, ... autem illas negotij.*

5 *An, & quando administratori obst... non possit dici creditor, nisi r... rationes.*

6 *De eodem.*

7 *Socius non opponit consocio de non r... tis rationibus, si ipse quoque ad... strauit, & rationes non reddi...*

DISC. LXII.

1 ASsumpto negotio ... mercium, seù fund... ter Brunaccium diti... & Mancinos infer... fortunę, operam, ac... striam magis adhib... sub lege, vt capsa penès Brunaccium ... deberet; Cum pro eiusdem negoti... uitio, quidam Nicolettus institor, ... bens mandatum ad accipiendum ... cunias ad cambium, sub isto contr... certam summam accepisset à quo... Vrbis negotiatore postmodum ... rante quod essent dicti Brunaccij, ... que nudum nomen haberet, hinc ... to tempore, idem Brunaccius pro... pecuniæ, & fructuum assecutione, ... gotio sociali (detracta propria ... contrà socios agendo coram A.C., ... aliquas disputationes mādatum ... tiuū obtinuit, à Signatura Iustitiæ ... que canonizatum, cum clausula *sic... iudicio*, quæ iuxtà frequentiorem ... xim, pro mea notitia cōtrouersia ... dedit, dum amplius de causa actum ... audiui.

In his disputationibus in vtroque ... bunali habitis, duæ erant Reorum ... uentorum exceptiones; Primò scilicèt ... quod cum Actor haberet capsam, & ... cunias negotij socialis, præsumendum ... esset, vt istas potiùs, quàm propri... pro eiusdē negotij occurrentijs erog... set, vel erogare debuisset, ideoque ... ad proprium commodum sub simulat... nomine alterius negotiatoris Vrbis, ... ctum contractum cambij inijsset; Et ... cundò quod in omnem euentum, ... etiam esset creditum proprium, & par... culare, præsumeretur, quod sibi ipsi fa... fecerit de pecunijs negotij ad eius ma... nus obuentis, donec per redditionem ra...

tio.

ōnū doceret dē contrario, ac propte-
à obstaret exceptio illiquiditatis, ex
cepta & frequenti conclusione, quod
dministrator dici non potest debitor,
eque creditor antè redditas rationes.

Scribens pro Actore, circa professio-
is initia, cum sensu etiam veritatis, per
dices etiam agnitæ vt supra, contrariū
robabilius esse dicebam, quodque neu-
a exceptio subsistentiā haberet; Qua-
enus enim pertinet ad primam, cum nō
ageretur de societate vniuersali omnium
bonorum (qua posita, & durante, inter
socios non datur distinctio mei & tui,
sed quilibet omnia in solidum pro com-
muni possidet); Sed ageretur de socie-
te particulari, ob illam reduplicationē
ersonarum formalium, quæ verificabi-
s est in eadem persona materiali, hinc
lla datur implicantia, vt vnus ex socijs
persona propria, & priuata contrahe-
possit cum se ipso, tanquam socio in
usam negotij socialis, cum fingantur
ersonæ omninò diuersæ, perindè, ac si
sset omninò extraneus, vel tertius, vt in
pecie cæteris relatis firmatur *per Rotam*
decis. 533. *num.* 3. *par.* 3. *rec. & decis.* 273.
um. 7. *&* 8. *par.* 4. *tom.* 2. *cum alijs*, quæ
abentur *sub tit. de cambijs disc.* 14., vbi
n specie de pecunia data ad cambium
er vnum ex socijs negotio sociali, nul-
que in eo casu dubitatio habebatur su-
er ista compatibilitate, sed quæstio erat
per alijs ibi deductis, & præsertim cir-
a necessitatem interpellationis, ob illius
asus particulares circumstantias.

Posita verò dicta compatibilitate, cū
contractus factus esset proprio, ac priua-
o diuerso nomine, clarius verò, ad tol-
endum istud dubium, sub nomine alte-
rius, cum ea personæ simulatione, quæ in
iure permissa est, atque nō cadit sub no-
mine simulationis damnatæ ex deductis
dicto tit. de camb. disc. 6. *& alibi*, hinc de
consequenti resultabat præsumptio, quæ
in dubio militat pro exclusione delicti,
vt de propria, non autem de sociali pe-
pecunia creditum contractum sit, donec
de contrario per veras probationes, vel
saltèm fortiores præsumptiones constet
iuxtà doctrinā *Bart. in l. si patrui num.* 4.
vers. aut dubitatur C. commun. vtriusque
iudic. & in l. 2. *num.* 2. *Cod. pro socio Alex.*
cons. 78. *num.* 4. *lib.* 2., & cæteri commu-
niter *per text. in l. si defunctus ff. arbitr.*
tutel., & *in terminis* specialibus pecuniæ
datæ ad cambium per socium consocio
Rot. decis. 174. *num.* 5. *& seq. post Zacch.*
de oblig.

Et vlterius cessabat omnis difficultas
ex facto, quoniam fundacū administra-
batur per ipsos de Mancinis, per quorū
manus pecunia deueniebat ad Brunac-
cium capserium, vndè propterea, iuxtà
notulas, ac memoralia in hoc retineri so-
lita, rectè sciebant quęnam pecuniæ quā-
titas esset in capsa, nec nè; Ideoque non
dedissent mandatum dicto institori, seù
negotij ministro ad capiendas pecunias
sub interusurijs pro negotij indigentijs,
vel opportunitate, sed requisiuissent cap-
serium ad exhibitionem pecuniæ so-
cialis.

Hoc posito; Quatenus pertinet ad al-
teram exceptionem non redditæ ratio-
nis administrationis negocij socialis, di-
cebam eadem quę habentur *disc. præced.*,
5 quod scilicèt id procedat in eo credito,
quod pendeat ex eadem causa adminis-
trationis, adeoùt tàm debitum red-
ditionis rationis, quàm creditum,
cōcurrant in persona, quæ materialiter,
& formaliter sit vnica; Secus autem da-
ta personarum diuersitate vt supra, quo-
niam sicuti extraneo creditori mutuanti
negotio sociali obstare non potest excep-
tio redditionis rationum, ad quam vnus
ex socijs teneretur, ità consocius, qui cō-
muni negotio mutuauit, esse non debet
inferioris conditionis.

Nisi admittenda veniret illa æquitas
dicto disc. præced. quoque insinuata, ob
6 quam admittitur limitatio *text. in l. vnic.*
§. *exactio C. de rei vxor. action.*, adeoùt in-
tret ratio circuitus, vel altera deducta
ex regula *dolo facis &c.*; Siuè probabilia
vrgeant, ac efficacia argumenta præsum-
ptæ solutionis factæ sibi ipsi, quorum
nihil ad hanc facti speciem erat applica-
bile.

Clarius verò, quia ijdem consocij de
hac exceptione opponentes, quoq; admi-
nistrauerant, atque præmebantur eadem
7 obligatione reddēdi rationes, vndè pro-
pterea intrabat conclusio, quod vbi vnus
ex socijs quoque administrauit, non po-
test consocio opponere de non reddi-
tione rationum; Tùm ex mutua com-
pensatione; Tùm etiam ex altera propo-
sitione, quod actoris onus est docere de

implemento ex parte sua, priusquam de hoc defectu possit alteri obijcere *Alexan. conf. 47. numer. 11. lib. 1. Castren. conf. 126. numer. 1. lib. 2. Rot. apud Buratt. decis. 546. num. 7. & 8. in Romana reddit. rationum 14. Decembris 1618. coram Manzanedo, & in alijs.*

RHEGGINEN.

PECVNIARIA

PRO

IOANNE CALABRÒ

CVM

CAROLO VITALE.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura resolutus pro Carolo.

De eadem materia, Et an creditori obstet exceptio cõpensationis eius, quod ipse debeat eius debitori, tanquam hæres alterius, cum credito proprio.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod nemo possit proprio auctori refricare quæstionem.*
3 *An cum hærede compensetur creditum proprium cum debito hæreditario.*
4 *Distingui-tur inter hæredem beneficiatũ, & non beneficiatum.*
5 *Quod etiam hæredi beneficiato obstet factum auctoris non redditis rationibus.*
6 *Declaratur, quando id procedat.*
7 *Quando contrà hæredem relaxetur mandatum contra personam, & bona propria.*
8 *De eodem, & quod æquitate suadente admittatur compensatio, vel retentio aliàs non competens.*

DISC. LXIII.

1 AD instar eorum, quæ [illegible] bentur supra *in Neapolitana, seù Tranen. disc.* 60., agere curauit Ioannes Leonardus, quoniam postquam à Liuia vidue Martinelli emerat prædium habita fide pretio, cum obligatione soluendi interim fructus, obtinuit à Basilio Martinelli creditore sibi cedi creditum æquivalens, ac fortè maius, Vndè Carolo Liuiæ interim defunctæ filio, ac hærede impulsante ad solutionem, opponebat de cõpensatione cum dicto credito in casu superuento contra actoris patrem, cui etiam erat hæres cum beneficio legis, & inuentarij; Et introducta causa coram A. C., dicta exceptione non obstante, contra Ioannem Leonardum (pro quo habebam) relaxatum fuit mandatum executiuum, à Signatura Iustitiæ quoque canonizatũ, cum clausula *sine præiudicio* quæ controuersiæ finem dedit.

In disputationibus autem desuper habitis in vtroque Tribunali, duæ fuerunt inspectiones, vna facti, in qua certatum fuit inter causæ Patronos, an prædium esset hæreditarium Martinelli debitoris, ac patris actoris respectiuè, an creditum à Liuia tanquam de facto tutrice cõmunium filiorum, vel potius esset proprium eiusdem Liuiæ; Et altera iuris super effectibus exindè resultantibus.

Quatenus pertinet ad hanc secundam inspectionem, in qua erant Aduocatorum partes, pręsuppositio facto ex parte actoris iustificato, quod prædium esset proprium Liuiæ venditricis, vel tanquam fundus dotalis ab initio datus inæstimatus, vel pro quantitate datus æstimatus, atq; per eamdem reassumptus ex priuilegio resultante à dispositione *textus in l. in rebus C de iur. dot.*, super quo nimium disputatum fuit, quamuis, reflectendo ad veritatem, disputationem non mere-
2 batur, quoniam, cum Reus conuentus illud emisset ab eadem Liuia vendente tã-

quàm

quàm proprium, non erant eius partes impugnandi dominium proprij auctoris iuxtà terminos textus pluries in ista, & in omni materia enunciati *in l. si quis conductionis C. locat.*, super quo ad nimiã satietatem plura colligit *Additionator ad decisionem* 420. *par.* 4. *recent. tom.* 2., vbi de pluribus illationibus.

Quia verò actor erat etiam hæres patris debitoris, vndè propterea duplicem hæreditariam qualitatem habebat, creditoris, ac debitoris respectiuè; Hinc proindè examinata fuit quæstio, àn hæredi creditori iure proprio, obijci valeat à debitore compensatio debiti hæreditatis per ipsum possessæ; In hac autem quæstione, pro affirmatiua, ego deducebam auctoritatem *Fabri in Cod. lib.* 2. *titulo* 23. *de compensat. in diffinit.* 9. cum alijs relatis *per Anzt. resolut.* 17. *num.* 2. *& per totam*.

E conuerso autem, Scribentes pro actore deducebant speciales auctoritates *Graff. de except. cap.* 16. *num.* 54. *Grat. discept.* 948 *num.* 2., qui firmant, vt hæredi agenti pro credito proprio obijci non possit compensatio cum debito defuncti.

Reflectendo autem ad veritatẽ, mihi, quamuis pro succumbente scribenti, probabilis visa est resolutio, quæ fuit iuxtà votum (ab initio tamen, quo assumptus fui ad scribendum, pro stylo insinuatũ,) stante circumstantia, quod ageretur de hærede cum beneficio legis, & inuentarij, nõ autem simplici, & cum qua distinctione aduertebam dictam quæstionem decidi, ac opiniones conciliari debere.

Vbi etenim ageretur de hærede simplici, qui validè hæreditatem ità adierit, cũ tũc cessante inuẽtarij beneficio verè efficiatur in omnibus vna & eadẽ persona cum defuncto, atq; ad istius debita in solidum teneatur, adeoùt contra eum sit experibilis eadem via exequutiua, quæ contra ipsum defunctum competeret ex deductis per Rotam *coram Celso decis.* 337 *num* 4, *& dec.* 350. *numer.* 1, & frequẽter; Hinc proindè, quoties creditum debitori superuentum, esset certum, & liquidum (vt in hac facti specie supponebatur) adeoùt non intrarent considerationes, de quibus *supra dicto discur.* 60., nulla suppetit ratio, cur intrare non debeat compensatio, vel saltèm retentio, quæ ex æquitate deducta ex regula *dolo facis*, intrat etiam in casibus, in quibus de stricto iure compensatio nõ intraret, vt alibi *eodem titulo* aduertitur.

Secùs autem vbi ageretur de hærede beneficiato, quoniam, vt habetur pluries in præcedentibus, iste non est verus hæres, sed potiùs administrator hæreditatis, ab omni molestia in persona, & bonis proprijs exemptus, ideoque sicuti ad soluendum de proprio cogi nõ posset, ità neque sibi obijci potest dicta compensatio, quæ dicitur ficta solutio, cũ non possit plus operari fictum, quàm verum; Cumque in iuribus proprijs fingatur persona omninò diuersa ab illa hæredis, Hinc intrat certũ principium, quod à credito proprio ad debitum alienum compensatio non intrat, atquè cum hoc præsuppositio inuentarij vera est conclusio, de qua *apud Graff. & Gratian. vbi supra*.

Et quamuis ego scribens more Aduocati circa professionis initia, nimium insisterem in duabus in casu suo veris conclusionibus, super quibus, more iuuenum,
5 copiosas deducebã allegationes, ità inutiliter pro cõsueto pragmaticorũ inepto stylo chartas implendo; Primò scilicèt, quod paria sint non confeciisse inuentarium, vel cõfeciisse, ac habere in manibus de bonis hæreditarijs; Et secundò quod hæredi etiam in iuribus proprijs obstat factum proprij authoris iuxtà regulam *textus in l. cum à matre C. de rei vendicat.*, quamuis esset beneficiatus, donec redditis rationibus, doceatur de insufficientia iurium hæreditatis, quæ in dubio, non constito de contrario per legitimam rationum redditionem, idonea, & opulenta præsumitur, ex pluries deductis *hoc eodem titulo*, & sub altero *de fideicommiss.*, occasione agendi de impugnationibus alienationum factarum per grauatum, cuius fideicommissi successor sit hæres, & habetur etiam *sub tit. de dote disc.* 24., ac in vltimis decisionibus in ea causa editis *coram Cerro*.

Attamen fallacia erat in applicatione, cum vtraque conclusio, quarum vna est
6 alterius consequutiua, procedat, quando hæres agendo veniret contra factũ proprij authoris, illud impugnando, seù infringendo, adeoùt intraret dicta regula *textus in l. cum à matre*, siuè altera *textus*

in

in l. vindicantem ff. de euict.; Secùs autem vbi, non impugnando authoris factum, replicetur de distinctione patrimoniorũ, quodque pro debito defuncti nõ debeat hæres beneficiatus teneri de proprio, vt ità sequeretur.

Quemadmodum enim iuxtà praxim positam *per Salast. lib. 1. cap. 45. passim* receptam, in persona, & bonis proprijs procedi non potest in processu exequutiuo, nisi Vel vbi iam certò constet, quod sit hæres simplex, & absquè beneficio inuentarij; Vel nisi monitus ad docendum de legitimo inuentario, ac reddendum rationes, seruatis solitis terminis, vtrumque neglexerit, adeoùt processus exequutiuus principaliter fundetur in cõtumacia, qua cessante, ac docto de inuentario, exhibitisque rationibus, si prætendatur eas non esse benè redditas, vel non benè iustificatas, siuè inuentarium non esse legitimum, dicatur punctus petitorij tractandus in iudicio ordinario *iuxtà decisionem 151. Coccini repetitam decis. 96. post Zacch. de oblig. Camer.* & in alijs, de quibus *in Romana augmenti dotis 1660. corã Cerro in fine*, & in sua materia *sub tit. de hærede* pluries; Ita dicendum est in compensatione non admittenda, quoniã esset de facto cogere hæredem beneficiatum ad soluendum de proprio debitum hæreditatis, cuius idoneitas incerta est contra expressam dispositionem *textus in l. fin. §. & si præfatam Cod. de iur. deliberand.*

Ex eadem verò æquitate in proximè præcedentibus discursibus insinuata, ob quam limitari solet clara dispositio *text. in l. vnica §. taceat C. de rei vxor. action.*, quando scilicèt incontinenti constet de certa, & notoria hæreditatis idoneitate, certumque, ac liquidũ sit debitum hæreditariũ, adeoùt intraret ratio inanis circuitus, seù regula *dolo facis &c.*, vbi etiã de stricto iure nõ intraret compensatio, adhùc locus esse deberet æquitatiuæ retentioni; Id autem ad hanc facti speciem applicabile nõ erat, quoniam, Vel incontinenti constabat de insufficientia hæreditatis; Vel saltèm id erat valdè dubiũ, ac altioris indaginis, ideoq; ità iustè resolutum fuit, atque ego quamuis scribens in contrarium, laudaui resolutionem.

ROMANA PECVNIARIA

PRO

PAVLO ANTONIO, & FRATRIBVS DE CAMPIONIS

CVM

CATANEO DE CATANEIS.

An creditori agenti contra debitoreem, vel debitorem debitoris, obstet, sibi facta cessio nominis debitoris, seù obstet aliquod assignamentum, et quando id censeatur factum pro soluto, vel pro soluendo; Siuè de qua exigibilitate teneatur debitor, qui cessionem, vel assignationem fecit, an de illa iuris tantùm, Vel etiam de illa facti, et quando de vtraque, vel de neutra &c.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De vulneratione viæ executiuæ.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Datur distinctio inspectionum.*
5 *De distinctione cedendo si quod habeo, vel quale habeo.*
6 *Quod videatur cessa sola spes.*
7 *Datio insolutum est idem, ac venditio.*
8 *Quid si census cessus deficiat ex facto.*
9 *Distinguuntur species cessionis, & vbi est pro soluendo, periculum est cessionarij.*
10 *Cessionarius tenetur facere diligentias.*
11 *Quid vbi negligentia adsit positiua.*
12 *De aliquibus legibus in litteris cambij.*
13, & 14 *Quid vbi cessio est pro soluto.*
15 *De eodem distinguendo.*

16 Etiam

16 *Etiam cessio census solet fieri pro soluendo.*

17 *Vbi cessio est pro soluto periculum est cessionarij.*

18 *Quid si de tempore cessionis debitor erat non idoneus.*

19 *De iudicio Auctoris in materia.*

20, & 21 *Quid vbi census est exigibilis de tempore cessionis, & postea deficiat, si promissio habet tractum successiuum.*

22 *Quod in censibus, vel annuis præstationibus id rarò sit practicabile, sed dari potest cessio pro soluto, & quod cedens suscipiat periculum.*

23 *Quomodo dignoscatur, àn cessio sit pro soluto, vel pro soluendo.*

24 *De regula, vt in dubio sit pro soluendo.*

25 *An in dubio bona præsumantur data in solutum, vel in pignus.*

DISC. LXIV.

1 FRatribus de Campionis creditoribus Prosperi Paniæ conductoris bonorũ Abbatiæ Griptę Ferratę, cessit iste in satisfactionem, plura nomina debitorum, ac præsertim iura in summa scutorum circiter, quingentum, quæ asseruit consequi debere à Cardinali Commendatario locatore, vltrà aliam consimilium scut. 500. circiter, quam priùs *ijdem* de Cãpionis per Iudicem assignari obtinuerãt cõtra eumdem locatorem, qui pulsatus à cessionarijs coram A. C. sententiã absolutoriam reportauit, ac declaratus fuit dicti Prosperi non debitor; Quare dicti de Campionis curarunt ex effectibus Prosperi defecti recuperare in causam eorum crediti quamdam summã cum cautione de restituendo prioribus, vel potioribus, ac ad omne mandatũ &c. cuius obligationis vigore, Cataneus eiusdem Prosperi creditor, quamuis posterior, eos pulsauit coram A.C. pro restitutione dictæ pecuniæ, tanquam indebitæ, stante quietantia in vim dictæ cessionis ab eis factæ debitori, sed prodijt sententia Reorum conuentorum absolutoria, à qua introducta per appellationem causa *in Rota coram Beuilaqua*, datoque dubio ad instãtiam actoris in iudicio exequutiuo, àn scilicèt relaxandum esset mandatum, *sub die* 5. *Iulij* 1655., negatiua prodijt resolutio, ex solo fundamẽto vulnerationis viæ exequutiuæ à dicta sententia absolutoria resultantis iuxtà ea, quæ de huius vulnerationis materia habentur *infra hoc eod. tit.*; Quare actor cedendo huic dubio, nouum assumpsit in petitorio, seù iudicio ordinario, àn scilicèt Rei conuenti tenerentur ad restitutionem pecuniarum, atque *sub diebus* 24. *Martij* 1656. & 16. *Aprilis* 1657. *coram eodem Beuilaqua* affirmatiuæ resolutiones ad fauorem actoris prodierunt, in altera instantia coram *Meltio* cõfirmatæ *sub die* 4. *Decembris* 1658.; Verũ reproposita corã eodem causa *sub die* 5. *Martij* 1660. recessum fuit ab omnibus dictis resolutionibus, atque huic vltimæ Reorũ conuentorũ fauore proditæ, vtpotè melius fundatæ, actor acquieuit, adeoùt causa vlteriorem progressum nõ habuerit, dictarumque decisionum tres priores *corã Beuilaqua habentur impressæ par.* 12. *rec. decis.* 85., 155., & 215.

2

3

In his autem disputationibus habitis super vltimo dubio dato in petitorio, seù iudicio ordinario, cum ex tenore cessionis, vel assignationis clarè cõstaret, quod creditores, vltrà assignationem iam factã à iudice, acceptassent dictam assignationem, seù cessionem nominum debitorum in solutum factam à debitore etiam cum clausula *talia qualia &c.*, & cum protestatione, quod cedens teneri nolebat de exigibilitate, ità cessabant quæstiones, quæ habentur infrà *in discursibus sequentibus*; Primò scilicèt àn in dubio cessio facta censeatur pro soluto, vel pro soluendo, adeoùt periculum nominis cessi cedat damno cessionarij potiùs, quàm cedentis, vel è contrà; Et secundo consecutiuè, àn cedens teneatur præstare nomen cessum exigibile de facto, necnè, cum ex facti circumstantijs vtraque quæstio cessaret.

Verùm quia inexigibilitas non proueniebat ex debitoris insufficientia, dum debitor cessus erat nimium idoneus ad controuersam summam, etiam ad millesimum, & vltrà, sed ex deficiente substantia debiti de iure, eo quia præsupposirus debitor, verè ex tunc non erat talis, Hinc proindè quæstio fuit, àn cedens teneretur de exigibilitate iuris, ideſt de debiti veritate, qua non extante, cessi-

ha

beretur pro infecta, vel è conuerso prætẽso, seù sperato iure, tale quale esset, creditor contentus fuisset.

In hoc autem, quamuis Scribentes hinc indè, prò consueto pragmatico more insistendi in cumulo doctrinarum, & conclusionum, non distinguendo triticũ à palea, multa inuoluerent, à casu controuersiæ extranea, vt etiam in parte ostendunt decisiones, quæ ipsorum Scribentiũ normam sequuntur; Attamen in vltima præsertim omnium acrioci disputatione, in qua obtentus fuit recessus, quando Ego (vt non semel facere oportuit) ad clariorem facti elucidationem, tollendumque æquiuocum, cum quo procedebatur, Factiftæ etiam partes compẽdiosè assumere coactus fui.

Aduertebam, quod distinguenda erat prima partita, pro qua tanquam pro debito certo, & liquido, prefati de Cãpionis obtinuerunt à Iudice sibi assignari istud nomen debitoris pro tantumdem, tãquã debitum præsuppositum certum, & incõtrouertibile, ab alia consimili partita, quæ in concordia inter eosdem, dictũq; Prosperum, pro componendis aliquibus eorum differentijs cessa erat pro tali quali &c., & absque obligatione exigibilitatis.

Isto enim secundo casu rectè procedere dicebam ea, quæ firmantur in tribus primis decisionibus contra istam partem vt supra proditis, quod scilicèt dictus Prosper habens hanc prætensionem 4
contrà locatorem, atque non omninò certus, àn ea subsisteret, nec nè, eam, talis qualis illa esset, cedere voluerit pro consimili prætensione etiam dubia, & litigiosa, quodque è conuerso ista Pars, hac incerta alea cõtenta esse voluerit, ità incertum accipiendo pro incerto.

Secùs autem respectu dictæ alterius partitæ per Iudicem assignatæ, quæ incidenter in dicta conuentione deducta fuit, seù prẽsuppositiuè tanquam per certam deductionem, seù bonificationem, vndè propterea cessat dicta ratio, quod in animo partium fuerit assignandi, ac respectiuè recipiendi incertam aleam, quo casu debitor liberatur, ac ad aliud non tenetur, siuè vbi sit cedens, aliquam euictionem non præstet, nisi ratio doli in ipso cedente, vel assignante concurrat ad terminos *text. in l. si plus in fin. ff. de euict.*, et magis ad rem *in l. quod si in ven. ditione, ff. de hæredit. vel act. vendit.*, vbi scilicèt constet de tali cessione conditionali, siuè dubitatiua, putà, quia dicatur, 5
Si quod habeo &c., cum similibus; Secùs autem si dicatur, *quale est*, quoniam id excludit exigibilitatem de facto, non autem illam iuris, quia nempè tùnc verè nomen debitoris non esset, vel sit exceptione elidibile, vt *in dicta l. si plus, & l. si nomen, cum l. sequenti, ff. de hæred. vel act. vendit.*, atque post antiquiores ab eis relatos, ità distinguendo firmant *Mantic. de tacit. lib. 4. tit. 13. num. 5. cum seqq. Cenc. de cens. ib. quæst. 72. num. 23. Olea de cess. iur. tit. 7. quæst. 3. num. 3.*, et admittitur etiam in primis tribus contrarijs decisionibus, in quibus nullum adest æquiuocum iuris, quoniam conclusiones in eis deductæ sunt veræ, sed æquiuocum est facti, seù applicationis tam circa scientiam in cessionarijs, vel creditoribus prẽsuppositam, vndè propterea intrarent termini *in l. si fundum sciens, C. de euict.*, quàm circa confusionem vnius partitæ cum altera; Ac etiam circa præsuppositũ, quod debitor cessus de tempore cessionis esset talis, sed postea desierit, cuius contrarium verius erat, quoniam sententia absoluturia non faciebat cessare debitum præexistens, sed declarabat debitum nunquam extitisse, atq; locatorem nunquam fuisse debitorem, ob insubsistentiam prætensionum Prosperi conductoris, ac cedentis respectiuè.

Isto etenim casu, quoties ex facti circumstantijs non constet, quod cedens sit dubius, an iura competant, necnè, illa 6
conditionaliter cedat, nempè, *si, & quatenus sibi competant*, cũ tùnc videatur solũ spes, seù prætensio per speciem incertæ aleæ in conuentionem deducta, ideòque intrant solùm termini doli, vel læsionis, sed supponitur veritas debiti quæcũque tunc verba cautelatiua ex parte cedentis adijciantur, percutiunt exigibilitatem de facto, præsuppositam tamen illa de iure.

Ex ea conuincenti ratione, quod datio insolutum in omnibus fraternizat cum emptione, et venditione, eademque exigit essentialia requisita circà consen- 7
sum, rem, et pretium ex deductis *apud Buratt. decis. 372. & passim*; Ideòque, siue debitor nomen debitoris eius creditori det insolutum; Siuè tertius pro conuento

pre-

pretio, vel recompensa, idem nomen, vel ius alteri cedat, adeòut emptionis, et venditionis contractum redoleat iuxtà dictos terminos *in l. si nomen, & in l. sequen. ff. de hæredit. vel act. vendit. & l. si plus in fin. ff. de euict.* cum cõcordantibus, tũc oportet dare existentiam debiti, vel iuris cessi, quamuis accidentaliter, ob inopiam debitoris, siuè ex alio casu, cesset exigibilitas de facto, quoniam aliàs dicitur deficere res in contractum deducta, et sic vnum ex tribus requisitis essentialibus.

Hinc proindè, vbi præsertim agitur de cessione alicuius annui census, in cuius casu, ob tractum successiuum frequentiùs huiusmodi quæstiones oriri solent, si debitoris cessi insufficientia, vel census inexigibilitas proueniat ex eo, quod de tempore impositionis census, fundus censitus esset iam absorptus ab hypothecis anterioribus, siuè iure dominij vendicaretur, putà, (vt frequentiùs contingit), quià sit subiectus alicui fideicommisso postmodùm purificato, seù quod aliàs cum retractatione ius debitoris sit resolutum, Et tùnc, vbi etiam ex dispositione iuris, vel ex conuentione, periculum nominis cessi ad cedentem, non autem ad cessionarium spectare deberet, adhùc cessionario competit actio euictionis, vel restitutionis pretij, siuè regressus ad primæuum eius creditum respectiuè, ex dicta ratione nullitatis actus ob defectũ vnius ex essentialibus requisitis, dũ reuerà ex deficiẽtia fundi, quià sit alienus, vel hypothecatus, cẽsus cessus nõ erat in rerum natura, vt benè aduertitur *per Rotam apud Merlin. decis. 639.*, quæ reputatur in materia magistralis, et recepta, sæpiùs canonizata.

Quare in ista nimiùm in foro agitari solita, et frequenti quæstione, super exigibilitate debiti, vel iuris cessi per debitorem creditori, in centesimo, et fortè longè maiori numero huiusmodi controuersiarum, quas in diuersis Tribunalibus disputare occasio dedit, vel pro veritate respondere (omnibus ferè in idem coincidentibus), obseruare consueui, vt quæstio esset potiùs facti, et applicationis, quàm iuris, potissimè verò circà naturam cessionis, an illa esset pro soluendo, vel pro soluto; Et in dubio, vbi verba, vel aliæ circumstantiæ aliter non suadeant, regula est, vt cessio censeatur potiùs pro soluendo, quàm pro soluto iuxtà opinionem, in qua residet Rota, et Curia ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Duran. decis. 266. num. 17., apud Roijas decis. 362. per tot. decis. 47. num. 1. cum seqq. par. 10. recen.*, vt frequentèr *hoc eodem tit.* aduertitur.

Atquè isto casu, cum cessio importare dicatur potiùs dationem, ac respectiuè susceptionem mandati ad exigendum nomen, quod perseuerat in dominio cedẽtis, hinc proindè istius est periculum, quod contingat ex decoctione, vel alio casu nominis cessi, solùmq; cessionarius, ob susceptionem mandati ad exigẽdum, vt regressum contrà cedentem habere valeat, docere tenetur de diligentijs moralibus, aċ talibus, qualibus, &c. pro facti qualitate pro eius exactione, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Fontanell. decis. 124. & seq. Altograd. cons. 37. nu. 28. & seqq. lib. 1. Rot. decis. 666. par. 4. recent., tom. 3. dec. 44. num. 12. par. 11. apud Merlin. dicta decis. 639. & frequenter.*

Vbi verò cessionarius diù, seù aliàs exigere negligat, adeòut si diligẽtias adhibuisset, exactio sequuta esset, antequam contigisset casus decoctionis, vel alterius impedimenti; Et tùnc quamuis aliqui desuper se inuoluere soleant, vt patet ex deductis *per Gregor. & Add. decis. 227. Olea de cess. tit. 7. quæst. 3. à num. 39. Salgad. in labyr. par. 3. cap. 11. num. 53. & seq.*; Attamẽ quæstio pariter facti potiùs est, quàm iuris; Istius enim dispositione attenta, lapsus temporis, vel negligentia causare non potest translationem dominij, et successiuè periculi, ideòque in hoc sensu rectè loquuntur dicentes, vt negligentia cessionario non præiudicat; Benè tamen intrant termini actionis mãdati pro illa lata, seù leui culpa, quàm mandatarius præstare tenetur mandanti ob neglectum, seù malè administratum susceptum mãdatum, atq; in his terminis benè loquuntur tenentes diuersam opinionem, vt negligentia præiudicet cessionario; Ideòque certa, et determinata regula generalis desuper non cadit, erroneumque est, auctoritates, vel decisiones de vno, vel respectiuè altero casu loquentes, cuicumque applicare, sed decisio in singulis casibus pendet ab eorum re-

respectiuè particularibus circumstantijs dictam culpam redolentibus, necnè.

In plerisque autem partibus, vbi præsertim agatur de litteris cambij cessis,
12 seù giratis, in quibus frequentiùs huiusmodi quæstiones cadere solent, et de quarum casu agitur *apud Royas dicta decis.362.& decis.47.par.10.recent.*, per leges particulares desuper prouisum est, vt nisi, qui litteras, vel earum giratam accepit, infrà certum terminum protestationes faciat, aliasque adhibeat diligentias, suum sit periculum, vt præsertim in Regno Neapolitano per Regiam pragmaticam est dispositum ex ijs, quę habentur *sub tit. de Cambijs disc.22.*, nimiùmque laudabile esset, vt vbique ità prouideretur, ad omnes lites, et quæstiones dirimendas.

Vbi verò ex facti qualitate constet, quod cessio facta sit pro soluto, adeòut importet veram dationem in solutũ, seù
13 respectiuè venditionem; Et tùnc, Aut adest inexigibilitas etiam de iure, quia nempè debitũ cessum, verè non præexistat vt suprà, & isto casu extra controuersiam est, ex iam deductis, vt debitor non liberetur, seù cedens euictionem præstet, nisi ex facti circumstantijs constet, quod in contractum deductum sit ipsum ius incertum, siuè incerta alea; Vndè propterea in hoc esse solet quæstio facti potiùs, quàm iuris, ex singulorum casuum circumstantijs, et coniecturis decidenda, potissimùm verò ex quantitate pretij, seù qualitate crediti, pro quo talis cessio facta sit, ex recepta frequenti propositione, quod ex pretij quantitate desumitur cõtrahẽtiũ voluntas, et quid in cõuẽtionẽ deductũ sit *Alex.conf.26.l.4. cũ cõcord.apudGreg.dec.226.Rom apothecæ, seù pecun.8.Iunij 1654.25.Iunij 1655.& inter suas decis.607. & 644. coram Bichio.*

Aut adest veritas, seù exigibilitas de iure, sed accidentaliter adsit inexigibilitas de facto; Et tùnc subdistinguendum est, an id proueniat ex qualitate personę
14 cessionarij, qui non possit liberè exercere iura cessa eo modo, quo posset cedens, putà ob reuerentiam ab ipso debitam debitori cesso, cui cedens non deberet; Siuè ob diuersam qualitatem in genere iuxtà casum, de quo *sub tit. de vsur. disc.5.*, vbi de vsuris iudaicis non exigendis à christiano cessionario, quamuis exigi possent à iudeo cedente, atque continuare solet in forensibus incapacibus acquirere, ac exercere iura, quæ competerent conciuibus; Vel vbi obstet nationalitas cum similibus, atquè tali casu certum ipsius cessionarij, non autem cedentis damnum, quod eius facto prouenire dicitur.

Aut posita tùnc veritate, seù exigibilitate de iure, postmodùm in toto, vel in parte resulter inexigibilitas etiam de
15 re, putà, quia Princeps, vel alter superiorus Magistratus, qui ad id sufficientem potestatem habeat, edicto, seù lege caueat, quod census, vel alij redditus ad minorem summam reducantur, seù per aliquod tempus suspendantur, vt in censibus cum Communitatibus frequenter contingere solet ex deductis *per Cenc. de cẽs.q.3.Rouit.prag.5.de cens.* plenè *Olea de cess.iur.tit.3.q.7.& sub tit.de cẽs.in fine.* Siuè, quod debitoribus moratoriæ cõdãtur ex causa belli, vel sterilitatis, aut alterius accidentis, ad ea, quæ ad materiam moratoriæ habentur collecta *per Greg. de except.cap.32.* cum similibus, et tùm vbi etiam cedens vtramquè exigibilitatem facti, et iuris promisisset cum verbis denotantibus tractum successiuum, et perpetuum, adhùc istud accidens cedere debet in damnum cessionarij, cum sit onus, qui sequi debet dominum, eodem modo, quo eius damno cedere debet amissio census in toto, vel in parte per casualem peremptionem fundi, vel deteriorationem, vt benè probat *Olea citatus prà*, idque nimiùm probabile videtur.

Nisi (vt quandoq; in facti contingentia practicaui) esset cessio, vel assignatio
16 pro soluendo, non autèm pro soluto, quià nempè debitor annui census imposuisset super eius bonis, ad maiorem eius commoditatem, ac ad euitandum circumstantiam, siuè (vt frequentiùs) ob qualitatem creditoris, in quo facilior sit exactio fructuum, vel reddituum à Communitatibus, vel à debitoribus potentibus, talem assignationem tanquam per speciem mandati faciat, cum totum pendeat à dominio, cuius sequela est periculum; Ideòque istud esse debet eius, qui est dominus, et cuius esset commodum, quod ab incremento resultaret, dum tali casu, cessionarius, vel assignatarius subiaceret periculo peremptionis fundi, super quo eius

cens-

census fundatus est.

Aut demùm, his cessantibus, agitur de pura inexigibilitate de facto ob debitoris inopiam, et tùnc, Aut ista superuenit post cessionem, vel dationem insolutum, de cuius tempore debitor cessus idoneus esset, posteà verò effectus minùs idoneus, et magis planum est, vbi actus est pro soluto, et non pro soluendo, vt periculum sit cessionarij tanquam domini *ad text. in huomen. ff. de hæredit. vel act. vendit. & i. pupilli, § fœtur. ff. de solut.* vtrobique à communiter, et alibi ex deductis *per Cenc. quæst. 72. num. 23. Tondut. quæst. ciuil. 49. Olea de cess. iur. tit. 7. q. 3. num. 2. cum seqq. Franch. decis. 108. vbi addon. Rot. apud Duran. dicta dec. 666. dec. 476. post Cenc. de censib. & in alijs, de quibus infrà.*

Cadente quæstione, quando de tempore cessionis, vel dationis insolutum est debitor iam inexigibilis de facto, quo casu DD. minimè certant, distinguendo, an cessionarius esset conscius status debitoris cessi, necnè, vel è conuersò id innotesceret cedenti, et an intret dolus, seù læsio, aut falsum præsuppositum, vt patet ex mox allegatis.

Mihi verò occasione plurium quęstionum desuper habitarum, semper visum est, vt huiusmodi quæstiones in abstracto inanes essent, quodque iste sit vnus ex erroribus procedentium cum solis doctrinis, ac decisionibus, illas in vno casu editas cuicumq; alteri applicando, quoniam verius est, istam dici quæstionem potiùs facti, quàm iuris, in singulis casibus pro eorum particularibus circumstantijs decidendam, cum ea regula, quæ seruanda est in quæstionibus voluntatis, inspiciendo potissimùm (vt suprà aduertitur) quantitatem, et qualitatem pretij, seù æquialentiæ.

Procedunt hæc, vbi simplicitèr cessio facta est absquè aliqua expressione exigibilitatis, vel vbi per verba generalia, pro consueto Notariorum formulario, dicatur nomen cessum esse bonum & exigibile &c., quoniàm tùnc iuxtà dictam regulam, ista promissio intelligitur de bonitate, ac exigibilitate de iure, nisi accedant talia verba, vel circumstantiæ, vt denotent partes sensisse etiam de exigibilitate de facto, et super quo tanquam in quæstione facti, et voluntatis prudens iudex seruare debebit, adeò frequentèr insinuatam regulam, tam in vltimis voluntatibus, quàm in actibus inter viuos perpetuò seruandam, vt non immorandum sit in nuda formalitate verborum, sed attendi debeat substantia voluntatis ex facti circumstantijs, quibus verba famulentur, cum frequentèr Notarij, transcribendo omnia ex eorum formularijs, adijciant ea, quæ in contrahentium intentione nunquam fuerunt.

Quatenùs verò, ex verbis, vel alijs constet, vt etiam exigibilitas de facto promissa esset, Et tùnc in simplici debito, quod non habeat tractum successiuum, congruere videntur ea, quę habentur suprà de casu cessionis factæ pro soluendo, et tanquam per speciem mandati dati ad exigendum nomine ipsius cedentis; Vbi verò agatur de debito habente tractum successiuum, putà de annuis censibus, in quibus huiusmodi quæstiones frequentiùs cõtingere solẽt; et tũc si verba nõ habẽt tractum successiuum, ac perpetuum, quià nempè non accedat obligatio semper, et perpetuò manutenendi cessionarium in pacifica, et libera exigibilitate tam de iure, quàm de facto, veriùs est, vt id intelligendum veniat discretè arbitrio boni viri per aliquos annos, putà, quatuor, vel quinque iuxtà *dictam dec. 476. num. 4. & seq. post Cenc. de cens. repetit. inter illas Coccini* passim in Curia receptam, ac admissam in proximè allegandis decisionibus; Secùs autem, vbi accedant verba, et pacta perpetuitatem vt suprà denotantia, cum tùnc secùs dicendum sit, vt ità distinguendo cæteris relatis firmatur *in Nouarien. pecuniaria 26. Iunij 1652. coram Bichio inter eius impress. dec. 518. & in Tudertina census 28. Martij 1653. coram Meltio,* (in qua causa ego scribebam), et frequentèr in alijs, quoniàm cum hac distinctione passim in Curia proceditur absque alio discursu, vel examine.

Id autem ità generaliter, ac indefinitè sumptum, mihi in annuis censibus nunquam placuit, cum sit ambulare in cœca fide, eo quià sic aliquando dictum fuerit, non distinguendo, quomodò, et quarè; Difficilis enim, vel nimiùm rarus est casus, in quo detur census idoneus de tempore impositionis, et quod posteà ex solo casu inopiæ debitoris fiat minùs idoneus,

rens, dum præsupponendus est fundus capax, et liber, quem cessionarius contrà quemcumque tertium possessorem persequi potest, atque tenetur; Insufficientia verò contingere solet ex defícientia fundi verè & intrinsecè, militante etiam de tempore impositionis, vel cessionis, quâuis posteà detecta sit, quià nempè ab hypothecis anterioribus absorbeatur, vel quod ob purificationem fideicommissi, vel cessatam inuestituram, resoluatur ius possessoris, cum similibus, quasi quod cessionarius ideò sollicitus fuerit de futura, et perpetua exigibilitate, quià intellexerit velle censum benè impositum super fundo libero, et capaci; Atq; tùnc inexigibilitas dicitur esse potiùs de iure, quàm de facto, cum ab initio census liber, ac perpetuus verè non præexistat iuxtà *dictam decis.* 639. *Merlin.*

Vbi autem exigibilitas verè prouenìat à casu posteà contingente, & tùnc posita circumstantia, seù qualitate cessionis, vt sit pro soluto, non autem pro soluendo, id improprium videtur, quod scilicèt census efficiatur de dominio cessionarij, et tamen periculum sit cedentis; Licèt enim pro facti qualitate, impossibilis *non sit casus conuentionis, vt venditor* suscipiat in se periculum casus fortuiti in re vendita contingentis, Attamen id non est præsumendum, magnæque concurrere debent circumstantiæ, ob quas ab *huiusmodi conuentionibus*, vsurarum suspicio tollatur; Nisi, vt dictum est, cessio esset magis pro soluendo, redolens potiùs mandatum datum ad exigendum, tanquam simplex assignamentum.

Quandò autem cessio facta dicatur magis pro soluendo, quàm pro soluto, vel è conuerso; Quamuis nimiũ controuer-
23 sum sit inter Scribentes, qui inuoluere se videntur, atquè præsertim acriter disputatum fuit *in Neapolitana pecuniaria, seù cambiorum* inter Hieronymum, et Angelum de Pallauicinis cum Vincentio Velluto, in qua Rota variauit, modò respõdendo pro cedente, et modò pro cessionario, vt patet ex deductis in ea causa *disc. seq.*; Veriùs tamen est, vt procedat idem, quod suprà insinuatur, quod scilicèt erroneum sit, certam, ac determinatam regulam desuper statuere, vel doctrinas, ac decisiones aliquos casus percutientes, quibuscumque alijs indefinitè applicare, cum decisio pendeat ex singu-
lorum *casuum circumstantijs*, vnam, vel alteram voluntatem denotantibus; Suffragante solùm regula superiùs insinua-
24 ta, vt iuxtà magis communem, atquè in Curia receptam opinionem, vbi præsertim agitur de creditis puris consistentibus in litteris cambij, vel ordinibus, apocis &c., cessio præsumatur posita pro soluendo, idque attendi debeat in casu dubio, et quandò aliæ non concurrant probationes, vel fortiores præsumptiones istam præsumptionem suffocantes; Adeòut licèt cũ Responsis super materia solùm datis integrum volumen fortè confici posset, Attamen in effectu est continuata repetitio earumdem, propositionũ modò pro vna, et modò pro
25 tera cessionis, vel assignationis qualitate respondendo, pro facti circũstantijs eadem modo, quo habetur infrà super simili puncto, an bona per debitorem implicitèr data creditori, censeatur in solutum, vel in pignus cum similibus.

NEAPOLITANA PECVNIARIA SEV CAMBIORVM PRO HIERONYMO, ET ANGELO DE PALLAVICINIS CVM VINCENTIO VELLVTO.

Casus variè decisus per Rotam.

De eadem materia, àn scilicèt, quan-

quando creditor, non obstante cessione, vel assignatione sibi facta per eius debitorem de nominibus debitorum, vel alijs effectibus, contra eum regressum habere valeat, primæuaque iura exercere; Et sic àn cessio, vel assignatio, dicatur pro soluendo, vel pro soluto.

SVMMARIVM.

1 *FACTI series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De stylo Curiæ circa Aduocatos.*
4 *Litteræ cambij, vel tractæ per nundinas habent viam executiuam.*
5 *Idem de partitis banci in Ciuitatibus Panormitana, & Neapolitana.*
6 *Pro annona publica, seù re frumentaria Ciuitatis competit eadem via executiua.*
7 *An cessio, vel assignatio censeatur pro soluto, vel pro soluendo.*
8 *Quomodo in ista quæstione decidenda procedendum sit.*
9 *Subscriptio debet attendi, non autem corpus scripturæ.*
10 *Pro datione in solutum requiruntur eadem, quæ in venditione.*
11 *De partitantibus cum Principe, vel Republica, eorumque stylo.*
12 *Qui soleant hoc munus suscipere.*
13 *De distinctione verbi* far buono, *àn in præterito, vel in futuro.*
14 *Verba negotiatorum sunt intelligenda pro eorum stylo.*
15 *De locis montium, vel iuribus cum Principe, eorumque natura.*
16, & 17 *De eodem, & quid in eis operentur priuatæ conuentiones.*

DISC. LXV.

VIncentius in Panormitana Ciuitate negotiator, cum pecunijs indigeret, pro implendo quoddam partitum susceptum cum Regia Curia, accepit ad cambium à Pallauicinis ingentem summam scutorum 340. m. circiter, eis, vel eorum complemẽtario assignatis quibusdam effectibus in causam *dicti* partiti per eamdem Regiam Curiam assignatis; Cum autem, (iuxtà frequentem contingentiam) Regij Ministri, pro alijs Curiæ indigentijs, aliquos ex dictis effectibus de facto reassumpsissent, vndè propterea creditores detecti remãserunt in summa scutorum circiter 30. m. auri, dictusque Vincentius, forsan imminenti defectione, iuxtà frequentem huiusmodi negotiorum vsum, magis pro clypeo fori quàm pro deuotione, statum clericalem suscepisset; Hinc proindè post aliqua acta in Curia Archiepiscopali Neapolis, deuoluta causa ad Curiam coram A. C., ab isto ad fauorem creditorum contra eum relaxatum fuit mandatum exequutiuum, à quo, commissa per Signaturam causa appellationis *in Rota coram Buurlemont* cum clausula suspensiua *si quid exequendum*, daroque solito dubio ex rescripti ventre 2 resultante, àn mandatum esset exequendum *sub diebus* 29. *Aprilis* 1667., & 24. *Februarij* 1668. affirmatiuæ fauore creditorũ prodierunt resolutiones; Concessa verò noua audientia, recedendo à decisis, negatiuè fauore debitoris respónsum fuit *sub diebus* 3. *Decembris* 1668. & 16. *Decembris* 1670., atque in hoc statu causa pendet.

In his autem disputationibus, maior inspectio erat facti potius quàm iuris, super calculis, ac satisfactione per debitorem allegata, super quibus, (pro stylo) 3 nullæ sunt partes Aduocatorum, quorum munus propterea, incomparabiliter ad alia Tribunalia, nimium nobile, ac pro conscientia tutum est, cũ ita cessent, tàm pars mæcanica videndi processus, ac se ingerendi in ijs, quæ respiciunt factum, vel ordinem iudicij, quàm etiam occasio dicendi mendacia, vel calumniandi.

Quatenus verò pertinet ad ea, quæ iuris sunt; In primis disputationibus actũ fuit de concernentibus ordinem iudicij, super competentia scilicèt viæ exequutiuæ, quàm tamen planum erat intrare, cũ 4 ageretur de litteris cambij, quæ ex recepto communi vsu habent hoc priuilegiũ ex deductis *apud Otthob. decis.* 118. *num.* 5. & 6.; Et in specie quod tractæ factæ prò reimbursatione in nundinis sint executiuæ firmat *Rota in Romana, seù Ianuen. cambij* 27. *Nouembris* 1651. & 26. *Iunij* 1652. *coram Bichio inter suas decis.* 481. & 519.

Et

ac quoad quandam partitam banci, nuncupatibi dicitur, tabulæ, pariter in eo Regno ex lege particulari, seù recepto
5 stylo, huiusmodi partitæ habent viam exequutiuam ex deductis *per Amat. resol. 57. num. 8. & 9.*, Et est etiam receptum in Regno Neapolitano *ex pragm. 1. de apocis*, vbi *Rouit. & alij*; Clariùs verò quia proueniebat ex causa Annonæ, seù rei frumentariæ Ciuitatis, vndè etiam de iure communi via exequutiua com-
6 petit ad textum *in l. 2. §. frumentaria ff. de administrat. rerum ad Ciuitat. pertinent. l. 1. & 2. C. de debit. Ciuit. lib. 11. cum concordan. per Grat. discept. 626. numer. 10. Rota in Firmana pecuniaria 24. Iunij 1647. coram Bichio inter suas decis. 306.*, adeoùt circa istum punctũ ordinis, Scribentes pro debitore, post primas disputationes, darent manus victas, insistendo in alijs disputationibus circa iniustitiã, ex eo scilicèt quod debitum esset satisfactum mediante compensatione, seù assignatione dictorũ effectuum Regiæ Curiæ per viam dationis in solutum; Ideoque maior, ac penè tota quæstio fuit super puncto insinuato *discur. præcedenti*, àn scilicèt cessio, vel assignatio facta per debitorem creditori, censeretur pro soluendo, vel pro soluto.

In hoc autem puncto, Rota in primis decisionibus creditoribus fauorabilibus,
7 processit cum regula insinuata *eodem disc. præcedenti*, ac firmata in ibi allegatis *decisionibus 47. par. 10. recent., & coram Royas decis. 362.*, vt censeatur pro soluendo, non autem pro soluto; In alijs autem posterioribus, admittendo regulam, ac effectus exindè resultantes, credidit ex facto ius variari, ob discretiuam inter quasdam partitas, vt aliquæ scilicèt in pignus, vel pro securitate assignatæ fuissent pro soluendo, aliæ verò pro soluto ob verba denotantia acceptilationẽ, seù bonificationem ibi, *vanno fatte buone*, cum ità dicatur species solutionis ad textum *in l. si debitor ff. qui potior. in pign. hab. cum concordantibus decis. 511. num. 6. par. 2. rec., & decis. 494. num. 3. par. 4. tom. 2.*

Non negabam ego cõclusionem super effectu exindè resultante, quatenus supponeretur, ità assignationem factam esse; Dicebam tamen (etiam in sensu veritatis), quod in ista quæstione potiùs facti, & voluntatis, quàm iuris, procedendum
8 est cum regula *eodem discur. præcedenti*, insinuata, vt principaliter attendi debeat substantia verisimilis voluntaris potiùs quàm cortex, seù grãmaticalis sensus verborum; Dictaque substantia voluntatis deducenda est ex omnibus facti circumstantijs simul iunctis, totaque eius massa inspecta, pro natura, & qualitate assignamentorum, ac personarum, ipsiusque negotij, adeoùt fabulosum videatur, certam, ac determinatam regulam desuper statuere.

Applicando autem ad rem, plura concurrebant, probabilius pro meo iudicio, iustificantia, vt huiusmodi assignamenta facta essent creditoribus pro cautela, seù pignore, ac etiam vt ita manu sua sibi satisfacerent, in causam tamen crediti, quodque hæc prævalerent vnico argumento cõtrario ex dictis verbis deducto, Primò scilicèt ex facto, quoniam, licèt apoca desuper confecta, in corpore contineret dicta verba, vel alia, quæ datio-
// nem in solutum importare possent, attamen subscriptio facta per creditorum ministrum, seù complementarium, diuersimodè concepta erat, istaque attenden-
9 da est, vtpotè perficiens actum, vt *apud Caualer. decis. 99. num. 1. & decis. 133. nu. 3. & in fine*; Vt enim aduertit *Bart. in l. in testamento ff. de testament.* relatus *apud Capyc. Latr. consult. 14. num. 100., vbi concordantes*, si scriptura conficiatur vna die, subscribatur autem in altera, attendi debet tempus subscriptionis, quoniam ista perficit, ac animat actum, qui priùs remanet in terminis simplicis præparationis.

Secundo quia datio insolutum est species emptionis, & venditionis, cum qua in omnibus fraternizat, ideoque requiruntur eadem tria essentialia requisita,
10 quæ in emptione & venditione desiderantur, consensus scilicèt, res certa, & pretium certum, vt in specie dationis in solutum plenè aduertitur *apud Buratt. dec. 372.*, ac pluries insinuatur in alijs *hoc eodem titulo.*

Vtraque verò, rei, ac pretij certitudo in præsenti cessabat, quoniam cum mutuata fuisset sub cambijs pecunia in summa scutorum 340. m., cum conuentione implendi tractas in nundinis, incertum erat, quid, & quantum remaneret debendum,

dum, ac etiam ipsorum effectuum nullũ statutum fuerat pretium, sed habita conuentio in genere bonificandi, id, quod comperiretur ex eis obuenisse ad manus creditorum.

Tertio, pro meo iudicio, nimium fortiter, ob huiusmodi negotiorum naturã, ac stylum; Negotiatores enim, qui huiusmodi partitos faciunt cũ Principe, vel
11 Republica, magnũ exindè lucrũ sperant, atque de facto faciunt, vbi casus nõ præbeat hæc accidentia eis connaturalia, magnique lucri compensatiua, adeoùt plures tẽporibus nostris viderimus breui tempore per hanc viam ditissimos effectos esse, quamuis per eamdem aliqui ad priorem statũ, ac peiorem redierint; Lucrum verò huiusmodi partitantium, consistit in eo pluri, quod ab huiusmodi effectu ex conuentione cum Principe, vel Republica lucrantur, vltrà fructus, quos in ratione cambij limitati in summa moderata soluunt mutuantibus pecuniam promptè soluendam pro Principis, vel Reipublicæ indigentijs, cum hæc promptitudo, seù imminens indigentia producat cõuentiones partitantibus nimiùm proficuas; Ideoquè cum negotiũ gestum esset per debitorem, eiusque socium in causam propriam, creditores autem mutuassent pecuniam, contenti solo emolumento cambiorum, hinc improprium erat, vt assignamenta sequi potuerint pro soluto, Tùm ob amissionem maioris lucri, Tùm etiam quia ità non poterat dari cursus cambiorum pro debito iam satisfacto.

Et quarto ex qualitate personarum, quod debitor, eiusque socij tanquam naturales, vnius, vel alterius Regni, ibique negotium, ac domicilium habentes, facilius hæc negotia suscipere solent, atque ob spem magni lucri aleam suscipere, & huiusmodi periculis se exponere, quod facere non solent diuites negotiatores exteri, qui in propria patria domicilium habent, pecunias verò ità sub cambijs, alijs negotiatoribus accommodant, istorum priuatam fidem potiùs sequentes, contenti solo commodo cambiorum, alia verò lucra cõpensata cum hoc periculo, iunt ipsorum negotiantium &c., cũ alijs circumstantijs facti hanc veritatem nimium probabilem reddentibus.

Et quoad dicta verba *fatte buone*; (Vltra quod semper facta argumentia substantiam diuersæ voluntatis, magis prævalere
13 debent verborũ formalitatibus); Aduertebam, quod tunc istud verbum aptum esset id importare, quãdo prolatum esset in præterito, & sic relationem haberet ad actum iam sequutum, secùs autem vbi in futurũ pro actu faciendo, vt docet communis vsus, qui iustificabatur etiam per attestationes negotiantium, quibus dicebam deferendũ esse ex recepta quotidiana propositione, quod verba mercatorũ, & negotiantiũ intelligẽda veniunt iuxtà eorum vsus, & stylos, & proùt ipsi intelligunt, non autem iuxtà sensus grammati-
14 corum, seù linguæ professorum ex plenè deductis *decis.* 199. *nu.* 7. *& seqq. par.* 10. *recen. Greg. decis.* 126. *num.* 7. *& passim.*

Constituebatur magnum fundamentũ per Scribentes pro debitore Reo conuẽto, in ea circumstantia, quod dicti effe-
15 ctus Regiæ Curiæ in libris publicis descripti essent in faciem, ac sub nomine ipsorum creditorum, vndè dicebant ita clarè inferri ad dationem in solutũ translatiuam dominij, ex quo de consequenti resultabat, vt eius esse deberet periculũ, cuius est dominium, stãte vera, & recepta propositione, de qua pluries in sua sede *sub tit. de Regalib. ad materiam locorum Montium*, quod hæc iura cum Principe, vel Republica (quæ sub nomine locorum montium in Curia explicamus) dicuntur illius, sub cuius nomine in libris publicis descripta sunt; Verùm istud motiuum meritò neglectum fuit, quoniam ex facti circumstantijs liquidò constabat, quod verè effectus pertinerent ad debitorem, & socios, ità descripti in faciem, vel sub nomine creditorũ ratione subiectæ materiæ, ob quam sic, & non aliàs creditor
16 assecurari potest, ob eam huiusmodi iurium connaturalem libertatem, de qua pluries in dicta sua sede *sub tit. de Regal.*, quod scilicèt ille, in cuius facie, seù nomen cantant, vbi in ipsismet libris, vel litteris vinculum expressè adiectum non est, admittitur per officiales ad id deputatos, ad eorum liberam resignationem, atquè in resignatarium transeunt libera ab omnibus hypothecis, & vinculis, Vndè propterea debitor, nisi adhibeatur ista cautela, de facili posset eludere creditorem, cui pro securitate, ac loco pignoris huiusmodi iura pro soluen-

do

do cessisset, cum priuatum factum Partium extrà ipsos libros publicos, ac litteras desuper expediri solitas, in nihilo attendatur, nullius que sit operationis, vt in dicta sua materia pluries; Ideoque talis esse solet praxis, vt quando debitor vult dare creditori loca montium in pignus pro sola cautela, eorum commodo, & incommodo ipsi debitori cedente, adhùc tamen ex dicta ratione procedi solet cum formali resignatione per Secretarium acceptata, & descriptione resignatarij in libris, tanquam per speciem dominij sub conuentione priuata inter eos retrocedendi, sequuta satisfactione.

Quamuis enim huiusmodi priuatæ conuentiones in his iuribus Regalibus in libero priuato commercio non existentibus, absquè auctoritate, vel assensu eius, ad quem pertinet, in nulla consideratione habeantur, attamen id percu-
37 tit ius tertij, qui cum auctoritate officialis ius in eis quærat, non autem inter ipsas Partes ex earum conuentione, quæ in huiusmodi iuribus non producit quidem ius reale, sed benè actionem personalem pro obseruantia eius, quod conuentum est, seù ad quanti interest, vt clarè disponitur *in Constitutione* 154. *Vrb. VIII.*, *de qua pluries dicto tit. de Regalib.* ad materiam locorum montiũ; Ideoquè generaliter concludendo, ista est quæstio facti, ex istius qualitate, ac particularibus circumstantijs recipiens determinationem &c.

ROMANA PECVNIARIA SEV ADIECTI PRO FRANCISCO GOZZADINO CVM NICOLAO CONDESTAVLO.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura resolutus pro Nicolao.

An creditor actionem habeat contra debitorem ex primæuo iure, seu causa, non obstante solutione, que facta sit adiecto, non in pecunia, sed in alia re; Et àn adiectus, recipiendo rem pro re, liberet debitorem; Et quando bona per debitorem creditori data censeantur solutum, vel in pignus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Adiectus non potest recipere aliud pro alio.*
3 *Quando solutio precisè fieri debeat in pecunia, & non admittatur alia species.*
4 *Quandoque prodeunt resolutiones ex meritis incogitatis.*
5 *An debitore dante bona creditori, censeatur data in solutum, vel in pignus.*
6 *De eodem, ac distinctione bonorum.*
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 2.*
8 *An adiecto solui possit in diuerso loco, & àn in diuersa re.*
9 *De materia obligationis soluendi, in una specie monetæ, an impleri possit in alia moneta.*

DISC. LXVI.

RECepit Franciscus Episcopus Zanti, à Nicolao in Vrbe quamdam summã, cum obligatione soluendi Gaspari eiusdem Nicolai fratri in quodam loco maris Egei æquiualentiam in ea moneta argentea Hispanica, quę vulgò nuncupatur *pezzi da otto*; Verùm Angelottus Francisci pater, ac mandatarius, loco dictæ pecuniæ, tradidit Gaspari quasdam merces fericas; Hoc autem nõ obstante, Nicolaus arcta sanguinis ratione coniunctus, ex iusto fine, ità impleto, vt eiusdem Episcopi soror cũ dictis mercibus, ità colluſiuè seque stratis in partibus, eumdem Franciscum in Curia adhùc existentem pulsauit coram A. C. pro restitutione acceptæ pecuniæ, atque obtinuit mandatum exequutiuum, à Signatura Iustitiæ canonizatum, cum clausula *sine præiudicio exequutionis*, quæ liti finem dedit.

In disputationibus autem desuper habitis in vtroque Tribunali, duo dicebantur ex parte actoris; Primò scilicèt quod dictæ merces datæ non fuissent præfato Gaspari pro soluto, ac loco pecuniæ, sed potiùs in pignus, & loco cautionis, donec sequuta venditione, pretium in conuentam monetam redigendum solueretur, quodque propterea, dum ad instantiam sororis ipsius Francisci vtsupra, eædem merces extractæ fuerant, eidemque à Iudice in causam dotis adiudicatæ, ità habendum esset, ac si nullatenus traditæ fuissent, nequè obligatio impleta; Et secundò quod adiectus, aliud pro alio cõtrà creditoris intentionem recipere non potest iuxtà *cons.* 95. *Alex. nu.* 7. *& seqq. lib.* 3., à quo cæteri desumunt procedentes cum regula *textus in l. quod stipulatus ff. de solut.* cum concordantibus *per Surd. dec.* 229. *numer.* 27. *Capyc. Latr. dec.* 8. *num.* 5. *&* 6., vt adiectus solutioni, non nisi istam veram, ac effectiuam recipere valeat, nequè aliàs debitor liberetur.

Clariùs verò, dum conuentum nõ fuerit de solutione in genere, vnde propterea quælibet species sufficeret, sed de certa, & præcisa moneta iuxtà doctrinam *Bart. in l. satisfactio*, & clariùs *in l. solutionis ff. de solutionibus*, vbi quod licèt iuxtà dispositionem eiusdem textus *in l. solutionis*, ista fieri dicatur, non solũ per traditionem pecuniæ, sed etiam per quemcumque alium actum æquipollentem, attamen vbi verbo *soluere* adiectus est certus solutionis modus, putà, quia dictum sit *in pecunia*, tunc tale verbum strictè intelligendum est, vt nonnisi vera, & naturalis pecuniæ traditio admittatur; Multò verò magis, vbi non solùm dictum est de pecunia in genere, sed conuentum est de certa specie monetæ, vndè præscripta fuit certa forma; Ad idem ponderando ea, quæ habemus recepta, & quotidiana in materia census, qui ad præscriptum Constitutionis Pij V. in pecunia creandus est, quoniam creari non potest in mercibus, siuè altero modo, qui de iure sufficeret ad solutionem, licèt pecuniæ æquiualeat.

Mihi scribenti pro Francisco Reo cõuento, non improbabilis visa est resolutio, potiùs humano, quàm legali sensu attento, ex quadam scilicèt nõ scripta æquitate, ob quam dictus Gaspar adiectus, cum quadam laudabili deceptione, ex motiuo charitatis, curauit, vt ob deficiẽtiam patris, frater Episcopus, qui aliàs renuebat, atque attenta loci, & personarũ qualitate, de facto impossibilis coactionis erat, sorori dotale subsidium daret, atque cum hoc sensu processerunt tàm Iudex, quàm Signatura, vndè edocemur sæpiùs contingere id, quod insinuat *Rouit. decis.* 49. *n.* 13., ac alibi aduertitur, quod sæpè prodeunt resolutiones ex motiuis ignotis ipsimet Aduocatis, ac defensoribus.

De stricto autem iuris rigore, contrarium probabilius dici debuisset; Quatenus enim pertinet ad primum fundamentum, quod dictæ merces potiùs in pignus, quàm in solutum datæ essent; Quamuis vt aduertitur *infrà disc.* 135., vbi agitur de ista quæstione, àn debitore simplicitèr dante aliqua bona creditori, ea data censeantur potiùs in pignus, quàm in solutũ, vel è contrà; Ista sit quæstio potiùs facti, quàm iuris, ex coniecturis, alijsque facti circumstantijs, decidenda, quodque his cessantibus, in dubio actus, pignori potiùs referri debeat, quã dationi in solutum, ob deficientiam certi

pretij, quod est vnum ex essentialibus requisitis emptionis,& venditionis,cuius iure in omnibus regulatur datio in solutum,vt sæpius in præcedentibus,ac in sequentibus aduertitur.

Attamen id procedere videtur in bonis stabilibus, seù aliàs talis qualitatis, quod in eis cadat pretium affectionis, seù aliàs, cessante partiũ conuentione,sit omninò incertũ indigens formali probatione de sui natura potiùs difficili, iustà ea,quæ in hac materia probationis pretij, seù valoris ad effectum regulandi
6 læsionem, habentur in sua materia *sub titulo de emptione, & venditione*; Secùs autem vbi agatur de mercibus, seù victualibus, ac alijs bonis huiusmodi in communi currenti commercio existentibus pro pretio quodammodo vniformi,à publico vsu quamdam taxam cum modica variatione recipiente, vt occasione pretij frumenti, & similium rerum aduertitur *in eodem tit. de emptione, & venditione.*, ac etiam *sub titulo de Regalibus discur.* 125., *& alibi*, ac infrà *dicto discur.* 135., occasione agendi de traditione per debitorem simpliciter facta creditori de quibusdam ouibus, dum ad excludendam dationem in solutum, atquè concludendum pignus, facti circumstantiæ principaliter ponderabantur, eo quia in huiusmodi bonis,datio in pignus nõ de facili congruit,præterquam vbi agatur de mutuo faciendo sub pignore loco cautionis pro facti qualitate; Cum etenim oportuisset, vt præfatus debitoris pater,& mãdatarius, accidentaliter in loco existens, ad breue tempus ad Vrbem reuersurus cum classe triremium Pontificiarũ,venderet dictas merces negotiatoribus lucrũ facere dentibus pro aliquo minori pretio, & cum expensis mercedis proxenetæ,alijsq;incõmodis,ad effectũ exindè retrahendi pretiũ creditori soluendũ, hinc nimiũ probabile erat, vt idem creditor pro maiori cõmoditate,ac etiam pro aliquo lucro resultante à magis opportuna diminuta venditione, easdem merces loco pecuniæ recepisset,vt aliquæ etiam facti circumstantiæ comprobabant, adeoùt nisi dictum non scriptæ æquitatis motiuum aliter suasisset, pro hac parte omninò iudicari debuisset,vt idem doctus Iudex mihi insinuauit.

Quouerò ad alterũ motiuum, vt adic
cto aliud pro alio solui nõ potuerit, iuxt
doctrinam *Bartoli in l. solutionis, &* in
l. satisfactio ff. de solution.; Aduert
7 bam conclusionem esse veram, sed quo
fallacia consistebat in applicatione; Pro
cedit enim ad effectum excludendi eam
fictam solutionem, quæ ex iuris dispo
tione regulariter sufficit, resultantem a
acceptilatione, siuè à receptione cessi
nis alicuius nominis debitoris min
idonei, cum similibus, vndè propter
resultaret, quod factum adiecti,in qu
dam speciem donationis,vel remissionis
resolueretur; Secùs autem vbi loco pe
cuniæ numeratæ,veræ, & effectiuæ,alia
bona tradantur, quæ pecuniæ æquipo
leant, vt benè ità distinguendo aduer
*Paris. cons.*107.*num.*132.*lib.*3.,vbi quo
Bartoli doctrina ita per necessè intel
genda est; Atq; in eodem sensu loquitur
*Alex.dict.cons.*95.*lib.*3.,vbi scilicèt adi
ctus loco pecuniæ recepisset nomen de
bitoris omninò inutile,ob decoctionem
cum aliàs nulla subsit ratio dubitandi
quoties nil interest, magis vno, quam
tero modo solutionem impleri, quo
ista sit vera,& effectiua,non autem il
ac intellectualis, ità etiam communi
docente.

Ad quod ponderabam *textum in l.*
§. item Iulianus ff. de eo quod certo
8 vbi disponitur,quod soluens adiecto
bi,quàm in loco destinato, non tene
erga creditorem nisi solùm ad id, q
interest solutionem magis in vno,
in altero loco sequutam esse,non aute
ad id,quod reuerà solutum est,atque
uertunt *ibidem Bartol., Castrens., Ias.*
& cæteri,de quibus *Stracca de adiect.*
2.*num.*51.; Et præsertim *Iason.*
aduertit idem procedere respectu ri
quoniam in ijs,quæ dando consistun
atque habent veritatẽ facti, tunc va
tio specierum non immurat substantia
solutionis, quæ solùm percutit id, qu
interest,magis in vna, quã in altera
cie obligationem impletam esse.

Et quamuis Scribentes pro actore
freti dicta doctrina *Bartoli* insisterent
in eo, quod dictum non esset,vt solut
fieri deberet in pecunia in genere, cui
loco quodlibet æquipollens admitten
venit, sed de certa & precisa specie m
netæ,vndè propterea dicebant, quod
cessa-

ceſſabat omnis difficultas; Attamen non erat motiuum conſiderabile, quoniam de dicta ſpecie monetæ conuentum erat ad ſolum effectum, vt haberetur in loco æquiualentia apta illis vſibus, pro quibus introducta eſt pecunia, nè ſcilicèt ſolueretur in pecunia, quæ in loco non curreret, adeoùt inutilis remaneret; Vndè propterèà, quando per æquipollens idem adimpletur, adeoùt nil interſit, in vna, vel altera ſpecie haberi, id nil refert, vt habetur *ſub titulo de penſionib.* in propoſito penſionis ſoluendæ in ducatis Cameræ, vel in ſcutis auri ſtamparum, quod ſi in loco iſta ſpecies monetæ non ſit frequens, admittitur debitor ad ſoluendum in moneta regionis, quæ æquiualeat, ac etiam habetur *ſub tit. de Regalib. diſcur. 125. & ſeqq.* & alibi.

ROMANA SEV TERRACINEN. PRETII BVBALARVM PRO RICCARDIS CVM VALLETTIS.

Caſus diſputatus coram A. C., incertus eſt exitus.

An transfuſio vnius contractus in alterū incompatibilem, tollat primæuas obligationes, & hypothecas, quas creditor exercere valeat, necnè; Et quid in hoc operetur proteſtatio, ſiuè priorum iurium reſeruatio.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Nouatio hodie non inducitur niſi expreſsè dicatur, vel quod incompatibilitas eam inducat.*
3 *Nouatio non datur ſine voluntate, ideoq; proteſtatio eam excludit.*
4 *Declaratur data compatibilitate, & de reuiuiſcentia iurium ſequuta euictione rei datæ in ſolutum.*
5 *Quod proteſtatio non ſuffragetur, vbi obſtet incompatibilitas.*
6 *An verba contraria facto attendantur, necnè.*
7 *Quando adeſſe dicatur compatibilitas, vel incompatibilitas inter vnum contractum, & alterum, præſertim locationis, & venditionis.*
8 *De eodem, & quomodo dari valeat compatibilitas, ob quam proteſtatio ſuffragetur.*

DISC. LXVII.

1 LOcarunt Riccardi armentum bubalarum Benedicto, & Ioanni Mattheo de Vallettis, quibus defunctis, locatione adhùc durante, illud vendiderunt Carolo, aliſque conductorum hæredibus habita fide de pretio, cum priorum iurium reſeruatione; Mortuis autem etiam dictis hæredibus fideicommiſſo grauatis, dictoque armento diſtracto, nec amplius in rerum natura exiſtente, Riccardi in vim obligationis contractæ per dictos Benedictum, & Io. Matthæum conductores, à quibus, vel eorum altero, fideicommiſſum ordinatum erat, contra fideicommiſſarios tanquam pro debito fideicōmittentis iudicium coram A. C. inſtituerunt, incertuſque eſt eius exitus, dum poſt plures diſputationes, circa profeſſionis initia, deſuper habitas, non audiui amplius actū de cauſa, cui forſan concordia finem dedit.

In his diſputationibus, Scribentes pro fideicommiſſarijs Reis conuentis, Dicebant

bant, quod per ſecundum contractum emptionis, & venditionis, habita fide de pretio, omninò nouatus fuerat primus locationis, ob implicantiam, vt quis rei ſuæ conductor exiſtat.

Licèt enim attẽto iure nouo *textus in l. fin. C. de nouat.*, regula ſit vt nouatio
1 hodiè non inducatur, niſi expreſsè ità dicatur, vndè propterea per hunc textum ſublata fuit illa tacita, ſeù implicita nouatio, quæ ex iure Digeſtorum, ac etiam Codicis, ante iſtius legis editionem de facili reſultabat; Attamen vbi accedat ratio implicantiæ, ac omnimodæ incompatibilitatis, etiam hodiè dicti noui iuris diſpoſitione non obſtante, nouatio inducitur ex collectis *per Ciroch. diſcept.* 11. *num.* 29., *& Amat. reſolut.* 50. *nu.* 4., & habetur *apud Capyc. Latr. conſult.* 120. *numer.* 3. 9. *& ſequ. Rota deciſ.* 252. *num.* 12. *par.* 11. *rec.*

Et quamuis hic ſecundus contractus expreſſam contineret reſeruationem priorum iurium, ex altero locationis, & conductionis reſultantium, vndè propterea Ego ſcribens pro actoribus dicebam, quod nouatio omninò excluſa remanebat, quoniam cum iſta pendeat à voluntate explicitè, vel ſaltèm implici-
3 citè à lege ſubintellecta, impoſſibile eſt eam dare abſque dicta voluntate, quæ in contrarium expreſsè declarata ſit, vt vltrà generalem quotidianam regulam deductam ex *textu in l. ille, aut ille ff. de legat.* 3., quod in claris, & expreſſis non intrant præſumptiones, & argumenta, quam regulam in propoſito actuum inter viuos latè exornat *Rota deciſ.* 44. *nu.* 14. *par.* 11. *recent.*; In ſpecie excludendi nouationem ob priorum iurium reſeruationem, ſeù aliam contrariam proteſtationem probat *textus in l. ſi ſolutum ff. de pignorat. act.*, *& l. ſi debitor* §. *ſi in venditione ff. quib. mod. pign. vel hypother. ſoluat. gloſſ. magiſtralis in l. eleganter ff. de pignorat. action. vbi Bart. Bald. & alij collecti per Amat. dicta reſolut.* 50. *numer.* 12. *cum ſequent. Merlin. de pignor. lib.* 5. *quæſt.* 30. *numer.* 19. *cum ſequent. Rot. apud Otthob. deciſ.* 131. *nu.* 10.

Reſpondebant, id procedere, data compatibilitate, qualis verificatur in ca-
4 ſu, in quo frequentiùs de iſta quæſtione diſputari contingit, vbi ſcilicèt creditori per debitorem dentur bona, vel iura inſolutum, quæ poſteà euincantur, vndè propterea intret quæſtio, plu-
ries inſinuata, àn ob euictionem rei uiſcant primæua iura extincta per datio-
nem. inſolutum, quæ vicem ſolutionis habet, quoniàm vbi dicta priorum iu-
rium reſeruatio accedit, tunc quæſtio ceſſat, dictaque iura in ſenſu omnium re-
uiuiſcunt compatibiliter, quia nempè in-
ſolutum datio conditionaliter acceptata fuit, quatenùs ſcilicèt bona, vel iura inſo-
lutum data, perpetuo, ac irreuocabiliter efficiantur creditoris, et non aliàs, vndè propterea conditione defecta, tanquam ex deficiente voluntate ab initio, cauſa reducitur ad non cauſam, perindè ac actus ſequutus non eſſet, et conſequenter, citrà incompatibilitatem, primæuorum iurium duratio eſt verificabilis, illaque ità potiùs ſuſpenſa fuerunt, quàm extincta, atque, vt noſtri dicunt, reuiuiſcunt potiùs tanquam à ſomno, quàm tanquam à morte; Adinſtar illius cõfuſionis iurium, et actionum, quæ reſultat per additionem hæreditatis conditionaliter, ſeù reuocabiliter quæſitæ cum ſimilibus.

Secùs autem, vbi ſecundus contractus vel ſecunda incompatibilis cauſa debendi adhùc durat, adeòut non intret dicta
5 ratio reſolutionis, vel reductionis cauſæ ad non cauſam, quoniàm tùnc dicta proteſtatio contraria facto, atquè intrà manifeſta ratio incompatibilitatis, quæ impedit proteſtationis effectum, iuxta receptam doctrinam *Bartoli in l. non ſolùm*, §. *morte num.* 17. *ff. de nou. aper. num. cum concordan.* plenè collectis *per Barboſ. axiom.* 194.

Ac iuxtà doctrinam *Baldi in l. pacta nouiſſima, C. de pactis*, quod ſcilicèt, ſi ver-
6 ba vno modo explicentur, ſed factum ſit omninò contrarium, & incompatibile, tùnc potiùs attendi debet factum, quàm verba; Atquè pro intelligentia huius doctrinæ nimiùm immoratum fuit ſuper diſtinctionibus deſuper tradi ſolitis per Scribentes, præſertim *per Rip. in capitum me de conſtitut. num* 70. *cum ſeqq.*, *& per Rotam deciſ.* 218. *num.* 3. *&* 4. *par.* 5. *recen.*, an ſcilicèt verba præcedant, et factũ ſubſequatur, ſiuè an proteſtatio, quæ factis contraria eſt, fiat præſente, vel abſente altera Parte, et an ſola præſentia cum ſilentio ſufficiat, quo caſu diſtingui ſolet inter ius quæſitum, vel quærendum, ſiuè

inter

inter nouum actum positiuum, nouamq; obligationem inducendam, et actum negatiuum nouationis, vndè non inducatur noua obligatio, sed solùm præseruetur antiqua, atquè super his multa hinc indè inculcabantur.

Dicebam tamen, quod (pro meo iudicio) huiusmodi labores viderentur inanes, cum hæc procedant, dato præsuppositio incompatibilitatis, qualis in hac facti specie tùnc adesse diceretur, quandò peterentur pensiones decursæ in vim primi contractus locationis, ex tempore, quo sequutus fuit alter contractus emptionis, et venditionis, purus, ac perfectus, et non resolutus, quoniàm tùnc implicantia est manifesta, quæ tolli non potest per contrariam verbalem protestationem contrariam facto, eo quià non potest quis esse dominus, & conductor rei propriæ; Eatenùs enim contractus locationis reuiuiscere potest, suamque durationem habere, non obstante secundo incompatibili contractu emptionis & venditionis, quatenùs iste secundus resoluatur, quià nempè ob retractum vicino, vel consanguineo, seù consorti, aut inquilino competentè, vel ex alio accidenti, emptor desinat esse talis, eiusquè ius resoluatur, vt tùnc iuxtà vnam opinionem rectè emptor reassumat primam personam conductoris, atq; reuiuiscat primus contractus ex deductis *per Surd. & Hodiern. decis. 51. Cyriac. contr. 500. num. 24.*, vbi plures allegantur.

Vbi verò priorum iurium reseruatio non sit circà pensionum decursum, aliosque effectus ex primo locationis contractu resultantes, sed sit circà obligationem, quæ conductori incumbit, etiam post finitam locationem, restituēdi ipsam rem locatam, tunc non videtur adesse incompatibilitas, quasi quod per secundum contractum emptionis & venditionis cessauerit primus locationis pro cursu pensionum, aliisquè effectibus exindè resultantibus, nō tamen cessat dicta obligatio restituendi rem locatam, iuxtà eam distinctionem, quæ in proposito obligationis fideiussoris contrahendæ ad relocationem, vt intelligatur quoad pensiones posteà decursas, non autem quoad obligationem restituendi ipsam rem locatam, habetur *sub tit. de locat. & conduct. disc. 36.*

Ideoquè cum aliàs, non data contraria protestatione, per nouationem resultaret de iure implicita restitutio rei, facta per conductorem locatori, qui deindè breui manu eamdem ipsimet conductori, tanquam repræsentanti diuersam personam, ex diuerso titulo tradiderit iuxtà connaturalem nouationis effectum, iftam legis fictionem, dicta contraria protestatio tollere videtur, adinstar illius reseruationis dominij, quàm venditor faciat, donèc sequatur pretij integra solutio, ex pluries deductis in præcedentibus, quod scilicèt, quamuis ista reseruatio incompatibilis videatur cum periculo rei venditæ, quod esse debeat emptoris, non autem venditoris, vndè propterea plerique, præsertim Morales occasione agendi de fructibus recompensatiuis, in hoc nimiùm se inuoluerint, fingendo interim quamdam locationem & conductionem, vt aduertitur etiam *sub titulo de vsuris*, vbi de materia huiusmodi fructuum ad terminos *textus in l. curabit, C. de action. empti*, Attamèn ex veriori, ac in foro magis recepta opinione, dicta reseruatio ad quemdam effectum tantùm est rectè cōpatibilis, vt in præcedentibus *hoc eodem titulo* aduertitur, occasione agendi de potioritate resultante à dicta reseruatione dominij; Sicà pari, nil implicare videtur, vt in transfusione vnius contractus in alterum incompatibilem, dari quidèm non possit reseruatio effectuum aliàs resultantium à primo contractu, tanquam viuo & durante, benè tamèn dari possit præseruatio illorum effectuum, qui etiā eo contractu finito durant, ac perseuerant, ità nouando potiùs modum possidendi, quàm remittēdo primæuam obligationem; Adhuc tamèn occasio non dedit id maturiùs disputare, atq; iudicium pro veritate desuper efformare, cum illa traditio, quæ, data effectuatione secundi contractus emptionis, et venditionis inesse dicitur, aliquam inferre videatur dubitandi rationem, vt dicta obligatio restituendi rem locatam impleta dici valeat.

RO-

ROMANA

FALSITATIS ORDINVM

PRO

MONTE PIETATIS

CVM

COLLEGIO ORPHANORVM.

Casus disputatus coram Iudice particulari Montis, vbi pendet.

An creditor actionem habeat contrà debitorem, non obstante solutione vera, et effectiua, quàm debitor fecerit cum ordinibus ipsius creditoris, qui falsi, vel alterati detegantur; Siuè vbi solutio fiat famulo, vel alteri, cuius opera creditor vti solebat, præsertim si afferat aliquod signum.

Et quatenùs debitor non liberetur, quid dicendum sit in depositario ità depositum restituente; Et quæ differentia sit inter depositarium, et simplicem debitorem; Et de diuersis speciebus depositarij.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod alleganti ordines esse veros, quorum vigore solutum est, incumbat probatio.*
3 *Declaratur quandò secùs.*
4 *De conclusione, an soluens in vim ordinis falsi liberetur, refertur vtraque opinio cum distinctione.*
5 *De doctrina punctuali fauore soluentis, & de doctrinis contrarijs.*
6 *De distinctione inter bancum publicum, vel priuatum.*
7 *De priuilegio creditorum ex causa depositi.*
8 *De antiquo vsu depositorum in templo.*
9 *Quandò depositum dicatur regulare, vel irregulare.*
10 *De quo teneatur depositarius regularis.*
11 *An vsus pecuniæ depositatæ obstet.*
12 *Refertur casus* decis. Rotæ 76. post con- sil. Farinac.
13 *Quod periculum pecuniæ depositatæ non sit depositarij, vel custodis.*
14 *De statuto Montis pietatis Vrbis.*
15 *De ratione dicti statuti.*
16 *De priuilegio Iudeorum in pignoribus.*
17 *De soluente creditori putatiuo.*
18 *Quid referat, an agatur de creditore priuato, vel pio loco sub administratoribus viuente.*
19 *Dominus tenetur de facto ministri, vel famuli circà opus, cui est præpositus.*
20 *De differentia inter actionem, & exceptionem.*
21 *Verificatio in parte sufficit pro toto.*
22 *In concursu culparum, quæ præualeat.*
23 *Libri veteres bancorum solent spoliari, & residua transportari in nouos.*
24 *Si reprobetur pecunia, an cedat damnum bancherij.*
25 *Appaltator gabellarum soluit de pecunia reproba, in qua gabellas exegit.*
26 *De conclusione soluentis cum ordinibus falsis.*
27 *Quid si cum ordinibus, vel signis veris.*
28 *De alio casu, in quo fuit excusatus soluens cum ordine falso.*
29 *De mandato præsumpto ad effectum excusandi soluentem.*

DISC. LXVIII.

1 CVM Administratores Collegij Orphanorum, iuxtà ferè generalem morem aliorum piorum locorum, pecunias deponere soliti essent in banco Montis pietatis, cum computo currenti dati, et accepti, vndè propterea (inita reciprocam fidem, et commoditatem insinuatam *suprà disc. 25.*), quemadmodùm aliquandò bancum notabilem pecuniæ quantitatem deponentium habet, ità èconuerso eorum ordines implet, quamuis pecunia non adsit, ob futuram reintegrationem; Casus autèm dedit, quod eiusdem Collegij Ratiocinator, scripturalis, solitus in ipsius Collegij libris adnotare data, et accepta, ac etiam eius manu conficere ordines, ab administratoribus subscribendos, pro solutionibus à banco faciendis, artificibus, ac venditoribus victualium, aliisquè eiusdem Col-

Collegij creditoribus, in aliquibus ordinibus subscriptionem administratorum bene eorum caractere imitato, vt prætendebatur, falsificasset; Hinc proindè in solidatione computorum, dicti Administratores prætendere cœperunt non bonificare partitas in huiusmodi ordinibus contentas; Quarè orta desuper lite, atque introducta causa coram eiusdem Montis Iudice particulari, pluribus desuper habitis disputationibus, nulla adhùc capta fuit resolutio.

Duas autèm inspectiones habebat ista controuersia, Vnam facti, an scilicèt constaret de prætensa, seù præsupposita falsitate ordinum, Et alteram, dictę iuris, scilicèt falsitatis sufficiẽti iustificatione præsupposita, cuius dãno id cedere deberet.

Prima inspectio erat potiùs facti, quàm iuris, illaquè magis suspensam tenuit causæ resolutionem; Quamuis enim (Iudice motiuante) assumpta fuerit disputatio, cuinam incumberet onus probandi controuersorum ordinum veritatem, vel falsitatem respectiuè; Atquè vbi omnes ordines prætenderentur falsi, vt frequentèr contingit in quæstionibus cadentibus supèr vnica solutione in vim vnius ordinis facta; Ego scribens pro Monte, admitterem, quod onus allegantis solutionem in vim ordinis, esse debeat, probare veritatem illius scripturæ, quam allegat pro fundamento suæ exceptionis, in qua dicitur actor, dum aliàs creditor fundatam habet intentionem in partitis depositi in libris eiusdem Montis descriptis, ex vulgari quotidiano axiomate, quod vbi actor clarè fundatam habet eius intentionem, vel actionem, Reus quæ ad ipsam fundatam actionem elidendam, exceptionem allegat, in ista dicitur actor, illamquè plenè & concludenter iustificare tenetur ex deductis *apud Mantic. decis. 251. Greg. & add. dec. 228. & passim.*

Attamèn id inapplicabile videbatur ad hunc facti speciem, ob magnam ordinum multiplicitatem, quorum maior 3 pars admittebatur tanquam vera, illi autèm, qui supponebantur falsi, comparatiuè ad veros, erant in nimiùm modico numero, non continuati, sed cum veris interfecati, ac adeò benè imitati, vt neq; ab ipsismet administratoribus inter plures distingui possent, sed distinctio deducebatur, seù falsitas desumebatur ob confrontationem cum proprijs libris, in quibus partitæ in eis contentæ adnotatæ non erant.

Quouerò ad alterum punctum iuris, an scilicèt, præsuppositæ iustificationi, quod ordines essent falsi, cuius damno id cederet; Scribentes pro Collegio dicebant, casum esse planum fauore ipsius 4 Collegij, ex ijs, quę cæteris relatis habentur in specie, firmata *per Frãch. dec. 304. & per Rotam decis. 76. post secundum vol. cens. Farinac.* ex auctoritate *Castr., Alciat.* & aliorum, quos colligunt *Amat. lib. 1. var. cap. 20. num. 1. & per tot. & Olea de cession. iur. tit. 3. quæst. 7. nu. 20.* & præsertim *Scacc.*, qui ex professo materiam tractat *in tractatu de Camb. § 2. glos. 5. quæst. 13. num. 142. cum seqq.*

Apud quos habetur distinctio, quod, Aut agitur de deposito regulari, et tunc, vbi falsitas sit adeò latens, quod depositarius citrà culpam aliquam, ac bona fide soluerit, (qualis verè erat casus præsentis controuersiæ), et tunc soluens liberetur, ex ea ratione, quod iste dicitur casus fortuitus, qui cedere debet damno domini tanquam sequela dominij, quod penès deponentem esse dicitur, ex ijs, quæ in hac materia depositi habentur suprà *disc. 25.*; Ideoquè depositarius non teneatur nisi de culpa, quià nempè ex inspectione ordinis, vel scripturæ pateat de falsitate, vel de alia alteratione, quæ frequentèr contingere solet etiam in scripturis veris, alterando numeros abacales, seù arithmeticos, siuè alterando diem iuxtà casum, de quo agitur *apud Aug. cõs. 370.* quod est in materia celebre.

Aut verò agitur de deposito irregulari, quale videtur illud, quod in banchis, vel tabulis, aut aliàs penès ipsores fieri solet, quià nempè depositata pecunia confundatur cum illa ipsius depositarij; Et tunc quià, vt patet ex suprà allegatis, ac alijs, de quibus *dicto discurs. 25.*, in effectu bancherius, vel campsor esse dicitur debitor quantitatis, atquè depositum quandam mutui speciem redolet, hinc proindè ex eadem superiùs insinuata ratione, quod (excluſa culpa) id casus fortuiti speciem habeat, iste tanquam sequela dominij, pertineat ad pecuniarum dominum, qualis est depositarius, non autèm deponens.

Scri-

Scribens ego pro Monte, quatenùs pertinet ad eam partem, in qua agebatur de liberatione à reiterata solutione pecuniæ depositatæ, vt benè soluta esset (etiam in sensu veritatis) dicebam pro Monte, seù banco omninò respondendum esse, deducendo punctualiter deducta *per modernum Magrett. in decis. 6. post observat. ad nouas pragmat. Regni Siciliæ*, vbi ponendo casum in terminis, atque deducendo plura fundamenta hinc indè, in fine *nu. 40.* refert, quod M.R.C. ad fauorē banci, seù tabulæ inclinabat, quodq; decisio de facto ità sequuta est, ex eo, quod actor id agnoscendo, litem deseruit.

Quamuis autem iuxtà modernum pragmaticum abusum, hæc auctoritas punctualis aliquam faceret impressionē, attamen maiorem in cōtrarium faciebat auctoritas *Rotæ d. dec. 76. post sec. vol. conf. Farin.*, atquè stantibus tot alijs auctoritatibus, præsertim illa Sacri Cōsilij Neapolitani, de qua *apud Franc. dicta decis.* 304., quodque in eadem Ciuitate Panormitana, ipsaque tabula, de qua loquitur *Magrett.*, contrarium *aliàs* decisum fuisse testetur *Amat. dicta resol.* 20, Iudex dubitabat.

Hinc proindè, tam ad satisfaciendum dictis auctoritatibus, quæ magis vrgebant, quàm etiam ad satisfaciēdum proprio stylo, ac genio, nimiùm abhorrentibus hunc insipidum morem iurandi in fide doctrinarum punctualium, illas non examinando; Duas efformabam inspectiones; Vnam generalem in pūcto iuris communis cuicumque banco, vel depositario conuenientem; Et alteram particularem resultantem ex priuilegijs, ac statutis istius Montis, vel banci.

Quoad primam, deducebam eamdem distinctionem, quæ insinuata habetur suprà *dicto disc.* 25. inter ea depositа, quę
6 fiunt in bancis verè publicis, principaliter erectis à Principe, vel Republica, non in gratiā cāpsoris, vel bancherij pro eius industria, sed pro publica cōmoditate; Et illa, quæ fiunt in bancis, vel tabulis priuatis principaliter apertis, ac tentis per campsores, et negotiatores ad industriam, ac vtilitatem priuatam.

Isto etenim secundo casu, cum pecunia, quæ deponitur in banco, non detineatur solùm custodiæ causa in gratiam deponentium, et pro publica vtilitate, vel commoditate, sed campsores illa vti soleant, eorumquè industria consistat in vtilitate, quæ resultat ex vsu pecuniæ, quæ quoad deponentes interim ibi otiosa remanet, hinc rectè procedit dicta distinctio depositi regularis, et irregularis, quodquè in secunda specie, iste casus cedere debeat periculo campsoris, vel bancherij, qui aperiendo bancum, hanc aleam suscipit, ità isto periculo compensato remanente cū lucro, seù commodo, quod facit de aliena pecunia; Ac etiam, quià in effectu istud dicitur potiùs debi-
7 tum quantitatis, vel quædam species mutui impliciti, seù virtualis, quàm depositum, quamuis in concursu cum alijs creditoribus, aliquod habeat priuilegium, de quo suprà *dicto disc.* 25.

Vbi verò agitur de secunda specie banci erecti per sacram ædem cum publica auctoritate, ac pro publica vtilitate & commoditate, præsertim depositorum
8 iudicialium, ac etiam Ecclesiarum, pupillorum, et viduarum &c; Adinstar illorum depositorum, quæ fiebant in templo Hierosolymitano, de quibus *lib. 2. Machabæorum cap. 3*, quod scilicèt Eliodoro Regis Seleuci ministro petente ab Onia summo Sacerdote pecunias, quas à Simone Oniæ æmulo Regi denunciatum fuerat ibi in magna quantitate repositas esse, respondit Pontifex esse depositum pupillorum, et viduarum, ac alterius deuitis viri.

Et tunc dicebam, omninò verius esse, vt versaremur potiùs in prima parte distinctionis depositi regularis; Quamuis
9 enim de iuris apicibus, strictaq; eius censura, depositum regulare verè, et propriè dicatur illud, quod fiat in sacculo obsignato tanquā species, non autem, vbi in pecunia numerata, quæ cum alia ipsius bācherij, ac aliorum deponentium commisceatur, seù confundatur, Attamen ista confusio non fit in gratiam ipsius banci, sed pro maiori commoditate publica ipsorummet deponentium, præsertim huiusmodi piorum locorum, in dies etiam diminutas facientium solutiones ex huiusmodi depositatis pecunijs, vnde propterea ista publica commoditas impracticabilis esset cum præcisa, et rigorosa forma depositi regularis.

Et consequentèr, nimiùm probabili-

ter

rer dicendum venit, vt arcæ, et scrinia, in quibus pecuniæ in huiusmodi sacris ædibus sub diligenti custodia eius officium retinētur, principaliter in gratiam, & commoditatem deponētium, sint species sacculorum obsignatorum, continentium pecunias omnium deponentium, ità inuicem commixtas per quamdam speciem societatis, vel communionis, ità implicitè initæ inter deponentes, qui ad commune commodum, hunc custodem, vel ministrum deputarunt eorum pecuniæ custodiæ; Ideoquè magna differentia est inter hanc banci, vel depositarij speciem, ac alteram priuati camporis, id principaliter agentis ad priuatum lucrum, priuatamquè industriam.

Ideoquè ad aliud obligatus non videtur, nisi ad culpam, quæ versetur in non benè recognoscendo subscriptiones, et 10 caracterem, siuè in non benè adimplendo leges depositi iuxtà casus, de quibus *disc. sequenti*, ac etiam *sub titulo de tutor. & administr. libro præcedenti post tit. de alienat. & contract. disc. 15. & seq.*; Quod adhuc magnum est onus tenentis bancum in gratiam, et commoditatem publicam.

Et quamuis motiuaretur, quod administratores Montis, huiusmodi pecunijs, quandoquè vti soleant, vndè propterea 11 applicari viderentur eadem, quæ suprà de priuatis camporibus habentur; Attamen id, pro meo iudicio, nullum præbebat obstaculum; Tum quià vsus esse solet de summa verisimiliter excedente deponentium opportunitatem, pro alio vsu, et cōmoditate publica, mutuādi scilicèt super pignoribus; Tū etiam, quia cum ipse Mons suum habeat peculium, distingui non potest, an vsus sit magis ex pecunia aliena, quàm propria; Ideoquè attendenda non est rigorosa leguleica formalitas circà pecuniarum dominium, quod à mixtura, seù cōfusione cum pecunia propria resultet, sed attendi debet substantia veritatis, quæ consistit in dicta distinctione, an bancum teneatur principaliter pro vsu publico, vel potiùs pro industria, et commoditate priuata; Et hic secundus 12 erat casus, de quo agit *Rota dicta decis. 76. post secundum vol. consil. Farin.*, in cuius casu, vltrà hanc circumstantiam, pōderatur altera culpæ, dum agebatur de pecuniarijs fallis cuiusdam priuati negotium ibi habentis, cuius caracter benè notus erat; Id autem inapplicabile est huiusmodi locis pijs, ob rationem assignandam infrà occasione agendi de statutis, vel priuilegijs Montis.

Ad idem quoque ponderabam ea, quæ habentur deducta *sub dicto tit. de* 13 *tutor. & administr. disc. 16.* ex auctoritate *Dec. cons. 473. & Grat. consil. 94. & 95. lib. 2. cum alijs ibi deductis*, vt periculum obueniens ex furto, vel alio casu in pecunia aliena, commixta etiam cum propria, esse non debeat depositarij, vel mandatarij, quoties actus principaliter sit ordinatus in gratiam deponentis, vel mandantis; Aliàs etenim resultaret, quod si ab hostium, vel banditorum irruentia, vel alio casu fortuito, pecunia, quæ in magna quantitate retinetur in Montis arcis, ac repositorijs periret, id ipsius Montis damno cedere deberet, quod vtiquè absonum, ac improbabile dicendum est.

Clariùs autem, atquè cum longè minori difficultate hæc procedere dicebam stante dispositione iuris particularis, vel statutarij huius Montis, vel banci, quoniam in eius statutis Apostolica auctori- 14 tate editis, vel roboratis in volumine impressis *cap. 45 fol. 114.*, expressè cauetur, vt vbi non adsit probabilis suspicio falsitatis, promptè, ac liberè ordines impleri debeant, nequè exindè ipse Mons, vel eius ministri molestias aliquas recipere valeant, ideoquè, dum habemus legem scriptam, de alio non esse quærendum dicebam; Potissimè, quia non est lex omninò exorbitans, et correctoria iuris communis, sed potiùs ei conformis, ità rationabiliter edita ad omnem dubietatem tollendam.

Et meritò quidèm, atquè cum summa ratione, quoniam, vbi non agitur de priuata negotiatione cum certis, ac determinatis personis, quarum manus noti- 15 tiam, campsor, vel eius minister benè haberet, sed agitur de pia, vel sacra ædi pro publica vtilitate, & commoditate omnibus expositā, siuè magnis, siuè paruis, ac siuè ciuibus, siuè exteris, tūc videtur aliàs impracticabile exercitiū banci, vbi in hoc procedendum esset cum eo rigore, de quo in proposito priuati negotiatoris habetur *in dicta decis. 76. post secūdum vol. cons. Farin. cum ibi allegatis.*

Vndè à fortiori obseruabam, vt ex identitate, imò maioritate rationis intrarent ea, quæ de priuilegio Hæbreorũ
16 mutuantium super pignoribus habentur *sub tit. de vsur. disc. 7.*; Ac etiam ea, quæ de soluente creditori bonæ fidei
17 putatiuo habentur suprà *in Romana supplementi legitimæ disc. 58. cum similibus.*

Fortiùs verò in hac facti specie, vel simili, quod agebatur, nõ de priuato deponẽte, cuius manus vtpotè inuariabilis, ob negotiorũ frequentiam, inexcusabilis no-
18 titia habeatur, iuxtà casum, de quo *dicta decis. 76. cum similibus*, sed agebatur de pio loco administrato per plures Gubernatores, qui in dies, ac tempora variari solent, Vndè propterea impracticabilis esset hic depositorum vsus, dum ob variationem Administratorũ singulis quibusque temporibus, certa, & distincta notitia eorum caracteris haberi non potest; Ideoque Officiales banci, principaliter reflectunt ad veritatem corporis scripturæ, ac etiam ad subscriptionem illorum officialium, vel administratorum, qui sunt fixi, ac inuariabiles, & in quorũ fide Gubernatores subscribunt ordines, vt sunt Secretarij, ac Rationatores, iuxtà exemplũ, quod adducebam, insignis Archiconfraternitatis Sanctissimæ Annunciatæ Vrbis, ex cuius instituto, Priores singulis annis mutãtur, firmi autem sunt Secretarius, & Rationator, quorum characteris veritas inspicitur, nam aliàs impossibile esset, in magno numero plurium millium ordinum, etiam pro paruis, ac minutis summis, indagare subscriptiones modernorum Priorum, qui intrà adeo breue tempus variantur.

Ponderabam præterea, quod cum iste casus contigisset culpa Rationatoris, ac ministri eiusdem Collegij, cuius
19 fidem eius administratores probauerant tàm continuato temporis spatio; Hinc proindè id eiusdem Collegij, vel eius administratorum periculo, ac damno cedere debebat, ex vera, & recepta cõclusione, de qua in his terminis plenè *apud Giurb. decis. 88*, *& disc. sequenti*, & habetur generaliter *sub tit. de locato disc. 9.*, quod factum famuli, vel ministri circa opus, ad quod deputatus fuit, domini, ac præponentis damno cedere debet, nõ autem tertij, qui iustè eius fidem secutus est.

Procedebant autem hæc de plano, p meo iudicio, ad effectum consequen liberationem à reiterata pecuniæ dep sitatæ solutione; Difficultas verò co derabilis residere videbatur in illa par in qua Mons erat creditor ob implem tum ordinum vltrà summam depos tam, dum in hac parte contentio nõ super liberatione, cui maior fauor affi
20 ex deductis *per Noguerol.*, *& Salgad.* alios de quibus *supra dicto disc. 58.*, de obligando, atque non iure excep nis, sed actionis, prò qua tenetur ac cõcludenter probare suæ intentionis fu damentum, ad regulam *text. in l. actor de probat.*, *& C. ex litteris ex eod.*, *cum s tis vulgaribus.*

Adhùc tamen credebam, difficultat non subsistere, ex dicta non iustificab falsitate, dum ordines in copioso nume ro erant pro maiori parte veri, alij ver
21 ità benè imitati, quod discerni non po set, qui nam essent veri, & qui falsi, vnd propterea non posset distingui, an ha excessiua solutio sequuta fuisset potiù cum ordinibus falsis, quàm cum veris, que stante verificatione maioris pa intrat conclusio, quam habemus in lib alijsque scripturis, quod, verificata ma ri parte, intrat præsumptio veritatis i omnibus ex deductis *per Gregor. & A decis. 79.*, *Buratt. & Add. decis. 344. & fra ad materiam librorum.*

Ac vlteriùs in idem suffragari videb tur supra insinuata conclusio de dom obligato ex facto famuli circa illud
22 vel ministerium, cui præpositus e Cum etenim actor, & reus essent co ra inanimata incapacia culpæ, quam p necesse esset in vtriusque offic libus, seù administratoribus ex ijs, q habentur *disc. sequenti*, *ac dicto disc. 9 de tutor. & administr. &c.*; Hinc proi dè in isto culparũ concursu, maior ab dubio erat illa administratorum Colle gij; Tùm quia infidelem ministrum el gerunt, ideoque intrat axioma, quod mala electio est in culpa; Tùm etiam quia eiusdem electi fidem in tot ordi nibus veris apud officiales, ac ministros Montis probarunt; Et fortiùs, ac inex cusabiliter, quoniam singulis annis qui libet priuatus, quamuis ordinariæ diligẽ tiæ vir, de facili huiusmodi errores, vel falsitates dignoscere potest, ob stylum

banci

binci expoliandi libros veteres in fine cuiuslibet anni, ac transportandi residua debiti, vel crediti respectiuè in libros nouos anni noui, quod esse commune cæteris mercatoribus; ac negotiatoribus aduertitur *per Rotam in Romana iustificationis creditorum 20. Iunij 1639. coram Verospio*; Ideoque vbi etiam in erroribus & falsitatibus anni currentis, administratores Collegij excusabiles essent, imò que dubio inexcusabiles, & culposi remanebant, non aduertendo ad residua, & non confrontando cum eorum libris, an computa benè procederent, nec nè; Ideoque in isto concursu maior absq; dubio erat culpa ipsorum.

Ponderabantur quoque in idem ea, quæ habentur deducta *per Capyc. Latr. decis. 48. & Add. num. 3. & seqq.* super eo puncto, àn bancherius, vel alter depositarius subire debeat periculum mutationis monetarum, dum proceditur cũ eadem distinctione, àn depositum principaliter sit in gratiam depositarij, vel deponentis; Et licèt fundamenta sint generalia, adeoùt congruant etiam cuilibet debitori, vel creditori respectiuè, cũ eo casu ageretur de depositario, vel tempore priuato, atque cõclusio diuersam rationem habeat; *Ad instar* eorum, quæ habemus in Appaltatoribus gabellarum, & vectigalium, vt rectè admittantur ad soluendam pensionem temporis decursi in ea moneta reproba, in qua ipsam gabellam, seù vectigalia exegerunt, *vt per meũ consiuem Robert. Marant. cons. 138., Thesaur. de augmen. monet. par. 1. num. 53. Capyc. Latr. consult. 40.*, vbi de declarationibus, cũ similibus, cum id non proueniat ratione dominij, sed ex alijs motiuis; Adhùc tamen id influit ad casum ex maioritate rationis.

In hoc autem proposito debitoris soluentis debitum alteri, quàm creditori, vbique istius voluntate, cum ordinibus, aut signis veris, vel falsis respectiuè; Nimium frequenter occasio dedit, Vel scribendo ad causarum opportunitatem, Vel respondendo pro veritate, præsertim in frequentiori casu campsorum soluentiũ litteras cambij cum giratis, & ordinibus falsis, ac etiam in huius Montis officialibus implentibus ordines falsos, inexcusabiliter procedere consueui cum vera, atque recepta distinctione *Bart. in l. eum qui §. fin. num. 3. & 4. ff. commodat.* de qua præ cæteris *Castrens. ibidem num. 3. & in l. si hominem §. si nullo ff. mandati, Scacc. vbi supra Rot. dicta decis. 76. post secundũ vol. cons. Farin. Franc. decis. 304., Graff. de except. cap. 25. numer. 81., & alij supra allegati*, quod scilicèt Aut famulo, vel alteri exigenti nomine creditoris, solutum, vel restitutum est cum ordinibus, vel signis falsis in soluente inexcusabilibus, et indefinitè contra eum iudicandũ est; Aut cum excusabilibus, et intrat dicta distinctio, àn agatur de specie, vel de quantitate, vt primo casu excusetur ope exceptionis, non autem in altero, ex ratione superius considerata, quod periculum casus fortuiti sequitur dominum.

Vbi verò id sequatur cũ signis, vel ordinibus veris citrà creditoris voluntatẽ, puta quia famulus, vel alter anulum, vel
27 sigillum, seù clauem, aut chirographum debitori exhibeat, & tunc vbi debitor probabiliter opinari potuit magis veritatem, ac sinceritatem, quam furtum, & fraudem, est excusabilis, secùs è conuerso in casu suspicionis probabilis, quod sit particeps, ideoque videtur quæstio potiùs facti, pro istius qualitate decidenda.

Adhùc tamen in casu ordinis verè falsi, & confecti *in vna Romana pecuniaria* disputata coram Thesaurario inter
28 Petrum Paulum Riccardum, & Petrum Nerlium pro dicto Petro soluente cum ordine falso debitum quantitatis (dicta distinctione non obstante) iudicatum fuit, Atque mihi pro creditore scribenti non improbabilis visa est resolutio ex facti circumstantijs, quoniam debitum proueniebat à venditione locorum mõtium facta per Riccardum exterum, ac Nerlio ignotum, mediante opera, & interpositione eius, qui ordinem fallum postea fecit pro solutione pretij, & qui cum ordine exhibuit etiam ipsorum locorum Montium litteras patentes originales, quæ haberi non potuerunt, nisi ab ipso principali, vnde propterea soluens in optima fide versatus fuit, ac rectè intrare videbantur ea, quæ de mandato præsumpto, ac de solutione facta ei, qui iustè creditoris mãdatarius iudicatus fuit, habentur *apud Dunozettum decis. 786.*, cum non possit debitori imputari, cur non soluisset principali creditori, cum quo

contraxerat, dum ille sibi cognitus non erat, nisi mediante dicta persona, quæ mediatoris partes gesserat, & cum quo emptor locorum montium principaliter negotium contraxisse visus est; Ideoque 29 concludendũ videtur, quod ista sit quæstio facti potiùs, quàm iuris, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs decidenda, arbitrio Iudicis, qui ad facti qualitatem potiùs, quàm ad doctrinas, vel regulas generales reflectere debet.

ROMANA

DEPOSITI,

SEV

INDEMNITATIS

PRO

EODEM MONTE PIETATIS

CVM

CARDINALI CAFFARELLIO, & LEONARDO SEVERO.

Responsum pro veritate.

An depositarius actionem habeat contrà deponentem, ob depositi fidem, seù cedulam factam ab ipsius depositarij, seù banci ministro, quamuis verè depositum factum non sit; Et an in hac depositi materia admittatur exceptio non numeratæ pecuniæ; Et de actione contrà ministrum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Bancherius obligatur ex cedula ministri.*
3 *De eodem, & generaliter de factore tori.*
4 *Cedula habetur pro pecunia numerata etiam in creatione census.*
5 *De diuersis speciebus cedularum.*
6 *Vt habeantur pro pecunia vera et rata.*
7 *Bancum tenetur soluere exhibenti lam, & sine ea malè soluit.*
8 *Fauor publicus anteponendus est uato.*
9 *An exceptio non numeratæ pecuniæ petat aduersus confessionem dep*
10 *De eodem.*
11 *Bancherius habet actionem contra ciales, & ministros indebitè tentes depositum, seù aliis agentes.*

DISC. LXIX.

1 PIcentus exactor pietatis, exigebat redditus, alios Cti Cardinalis Cali, sub lege, vt in dies exigendas, Cto Monte pietatis, seù eius banci sius Cardinalis creditum deponeret; Cumque exactor pecunias lis dissiparet, seù in alios vsus ret, affectaret autem docere de mento dictæ sibi præscriptæ legis, decipiendo Leonardum banci torem, cum assertiua, quod aliquas niarum summas Capserio tradidisse eo obtinuit chirographum, seù depositi, siuè adnotationem in liberculo retinere solito per eos qui nunt in dies pecunias in banco, qui *rincõtro* dicitur, detectisq; tàm dicta de, quàm fraudatoris inopia, quæ actionem cõtra eum cõpetentem reddebat, hinc triangularis orta est flio, extraiudicialiter tamen, ac ben tractata, & sopita inter Cardinalem bancum, ac inter istum, & Leonard eius Rationatorẽ; Quare desuper ex te administratorũ Montis, seù banci

veritate consultus.

Quatenus pertinet ad primam controuersiæ partem, àn scilicèt dicto Cardinali competeret actio directa contra
2 bancum in vim cedularum depositi, quãuis reuerà istud factum non esset, neque in libris descriptum; Respondi contra requirentes, probabilitatem pro meo iudicio deponenti assistere, quoniam deponentibus, qui vt plurimum per famulos, ac *ministros* pecunias ad bancum transmittunt, de communi vsu non incumbit onus inquirendi, àn verè mandatarius, vel famulus pecunias effectiuè deponat, illæque describantur in libris, sed sufficit habere cedulam, seù fidem Rationatoris, quo non benè eius officium explente, damnum debet esse Bancherij, qui illũ præposuit, non autem tertij, qui eius fidẽ sequutus est, ex regula seù conclusione insinuata *discur. præcedenti*, super qua
3 plura de more cumulata habentur apud *Giurb. decis.* 88., occasione agendi de casu individuali attestationis factæ per institorem de pecunia deposita *in* mensa nummularia, cui ille præpositus erat *per text. in l. fin. ff. de instit. act.*

Et generaliter quod gesta per institorem circa ea, quæ ad eius institoriam, seù officium pertinent, obligent dominum seù præponentem, habetur etiam *apud Buratt. & Add. decis.* 85.; Neque videbatur, quod de tempore huius responsi incumberet necessitas id comprobandi cum *regulis*, ac propositionibus *generalibus*, vel doctrinis, seù decisionibus occasione similiũ casuum, dum habebamus casum *in* individuo decisum contra ipsummet Montem, seù bancum condemnatum ad reiteratam solutionem depositi magnæ summæ scutorum 15. m. ob quamdam Rationatoris potiùs simplicitatem, vel inaduertentiam, quam culpam, seù factum positiuũ iuxtà casum, de quo *Rot. apud Dunozettum decis.* 604. & 622., *& sub tit. de tutor. & administr. contento in libro præced. disc.* 15., adeoùt iste casus videretur omninò planus à maioritate rationis, dum vt plurimum Magnates, & nobiles viri, ac etiam populares præsertim mercatores, ac mulieres, vel Ecclesiæ, & pia loca, per ministros, & famulos huiusmodi deposita in dies facientes, non possunt aliàs certificari de deposito iam facto, nisi per huiusmodi cedulas, quibus magna fides, tanquam de
4 pecunia verè numerata, & prompta *in* omnibus actibus iudicialibus, vel *extra*iudicialibus præstatur.

Adeoùt per eas adimpleri dicatur forma pecuniæ numeratæ *in* creatione censuum præscripta per Constitutionem Pij V. ex deductis *in* sua materia *sub tit. de censibus*}, vbi de distinctione inter cedulas, & ordines, vt illæ sufficiant, isti verò non; Et de cedulis bancarijs continentibus attestationem depositi contra-
5 distinctis ab alia specie cedularum, quæ per campsores fieri solent potiùs per speciem fideiussionis, seù expromissionis iuxtà distinctionem, de qua *Adden. ad Gregor. decis.* 217., & habetur pluries *sub tit. de Cambijs*; Vndè propterea *in* depositis iudicialibus, huiusmodi cedularũ productio, vel exhibitio *in* actis sufficit; Atque in regionibus præsertim, *in* quibus ob banditorum, & latronum, seù hostium, vel militum incursiones, liberum, ac tutum non est commercium pecuniæ de loco ad locum, huiusmodi cedulæ loco pecuniæ verè numeratæ in omnibus habentur, ac recipiuntur, easque exhibentibus, quoties per illos, qui eas amiserint, vel quibus surreptæ sint, non fiat inhibitio, seù denunciatio, promptè, ac validè soluuntur summæ in eis contentæ, neque
7 solutiones, quæ fierent deponentibus sub assertiua, vel prætexta amissæ cedulæ, banco suffragantur, vel excusant quin ad reiteratam solutionem teneatur ei, qui cedulam exhiber iuxtà firmata *apud Rouitum decis.* 13., & est vbique in praxi receptum; Ideoque vbi casus præbeat huiusmodi cedularũ amissionem, vel surreptionem, atque deponens alteram cedulam, vel solutionem petat, id non conceditur, nisi cum satis idonea cautione indemnitatis, quatenus *prima* cedula exhibeatur ab altero, cui summam in ea contentam soluere oporteat.

Et quamuis per aliquos administratores motuaretur, quod ità posset aditus aperiri fraudibus, & collusionibus in supplantationem banci, Nihilominus huic rationi, seù inconuenienti præponderat
8 altera ratio maior publici commercij, ac subiectæ materię aliàs non practicabilis, sibique imputet præponens, cur minus probum, ac fidelem institorem, seù ministrum operi præposuerit, cum delicta in

du-

dubio non sint præsumenda, nisi probentur, atque probatione accedente, locus est indemnitati; Ideoque materia determinationem recipit à facti qualitate, & circumstantijs, & àn ille, cuius fauore cedula concepta est, in bona fide versetur, adeoùt ab eo omnis fraudis, & collusionis suspicio absit, quia verè, ac effectiuè eius pecunia tradita sit nuncio, vel mandatario, seù famulo cedulam sibi exhibenti, vndè propterea de alijs diligentijs sollicitus esse non debuit, potissimè in negotio habente tractum successiuum.

Motiuabatur ex parte aliorum desuper consultorum, àn banco, seù monti cõpeteret exceptio non numeratæ pecuniæ, ex ijs, quæ in terminis depositarij deducta habentur *per Laderch. cons.* 113. *num.* 10. *in 4. respons.*, quæ fortiùs dicebatur procedere in hac facti specie, dum agebatur de sacra Æde, sub aliena administratione viuente, pupillorum iure metienda, ideoque vt saltèm ope restitutionis in integrum illi subueniendum esset iuxtà generales, ac receptas propositiones, quas in iure habemus fauore pupillorum aduersus acta præiudicialia tutorum, aliorumque administratorum.

Super hoc autem respondi, quod vbi etiam de merè legali rigore, seù de stricta iuris censura, id esset subsistentabile, adhùc tamen ex prudẽtialibus motiuis, ab huius prætẽsionis excitatione omninò abstinẽdũ esset, ne aliàs probatissimæ fidei tã insignis, & cõspicui banci præiudicaretur, cum huiusmodi publicorum negotiorũ, primarium, ac maius peculium, sit fides.

Et nihilominus, vbi etiam cum dicto legali rigore puncta tractari debuisset, adhùc dicebam, vt quidquid pro consueto ingenij accumine, elegãti quidem mo-
10 re, deducat *Laderchius vbi supra*, verius, magisque receptum est, vt in materia depositi exceptio nõ numeratæ pecuniæ nõ admittatur *ad textum in l. in contractib.* §. 1. *C. de non numerat. pecunia*, et post antiquiores firmant *Roland. cons.* 4. *nu.* 7. *lib.* 4. *Natt. cons.* 438. *num.* 4., *Graß. de except. cap.* 43. *num.* 23., *Genua de script. priu. lib.* 3. *quæst.* 9., *Thes. decis.* 26. *num.* 8., *Barbos. in l. diuortio* §. *Donationes numer.* 14. *ff. solut. matrim.*, *alter Barbos. iunior. in d. l. in Contractib.* §. 1. *n.* 25. *C. de non numer. pec.*, *Rota post Cenc. de cens. decis.* 131. *num.* 4. *in illis primæ impressionis* aliàs *decis.* 291. *repetita post Duard. eodem tract. decis.* 111.

Potissimè verò vbi non agitur de depositis priuatis, sed de huiusmodi publicis bancis, in quibus ea priuilegia, quæ eorum publicæ qualitati tribuuntur insinuata *disc. præced.*, ac etiam *disc. sur.* 25., & alibi, compensata remanent, cum hoc incommodo, vt eis non liceat allegare illas exceptiones, quæ priuatis competere possent; Ac etiam quia hæc *inspecie* cadit quando ista exceptio obijciatur ipsimet deponenti, qui aliàs cõtenderet de lucro ità captando, cum sæpius campbres, & bancherij huiusmodi cedulas facere soleant in verbo, seù fide eorum, ad quorũ fauorem cãbant, cum præsuppositò, quod effectum sortiturę non sint, vel quod pecunia, imminente effectuatione exhibebitur, secùs autem vbi, vt in præsenti habens cedulam contendit de damno vitãdo, atque quoad se verè pecunia tradita est; Ideoque in hoc proposito, magna differentia dignoscitur, vbi actus fiat ab ipsomet principali, & vbi à tertio, pro facti, ac personarum qualitate.

Quouerò ad cõtrouersiæ punctum inter ipsum Montem, seù bãcum, & Rationatorem; Quamuis ob istius magnam
11 probitatem, aliasque facti circumstãtias, attenta quadam naturali æquitate, commiseratione dignus esset, dum constabat de deceptione sibi facta ab altero eiusdẽ banci ministro, qui probus, ac idoneus tunc reputabatur; Attamen de iure id parum releuabat, ideoque de plano intrare dicebam ea, quę in hoc puncto habentur deducta *dicto disc.* 15. *sub tit. de tutor. & administr.*, quamuis ob eiusdem officialis nimiam integritatem non applicarentur ea, quæ de dolo in huiusmodi institoribus istas minùs veras cedulas, vel fides facientibus, habentur *apud Giurb. dicta dec.* 88.; Atque ità cum concordi temperamento controuersia finem habuit,

ROMANA

CENSVS

PRO

FELICE TIBALLA

CVM

MARCHIONE DEL DRAGO.

Casus variè decisus per Rotam.

An creditor, qui creditum alteri cessit, valeat, cessione non obstante, debitorem quamuis inuitum cogere, atq; contra eum eius actiones exercere, siuè ab eo solutionem debiti recipere, seù aliàs debitorem liberare, vel debitum nouare, in præiudicium cessionarij.

SVMMARIVM.

FACTI series.
Resolutiones causæ.
An filij in conditione positi in contractibus censeantur vocati ex Statuto Vrbis.
De requisitis text. in l. 3. C. de nouat.
Illis cessantibus debitor cessus benè soluit cedenti, & qualis debeat esse denunciatio cessionarij facta debitori.
Quod vbi cessio est ampla, debitor malè soluat cedenti, etiam sine requisitis.
De differentia vbi agatur de principali creditore, vel de cessionario, qui alteri cedat.
Reijcitur conclusio, de qua num. 6.
De eodem, & quid accedente scientia sine requisitis.
Quomodo ista materia decidi debeat.
Quid in hac facti specie debitor cessus non potuerit soluere cedenti.
& 13 De materia in genere, an cedens possit exigere, vel acceptilare, seù quietare debitorem, cum distinctionibus.
An possit transigere.
Potest cedens etiam concurrentibus requisitis agere ad commodum cessionarij.

DISC. LXX.

EX censu per Ioannem Petrum del Drago in sortem scutorum 3300. impositò ad fauorem auctoris Plautillæ, per istam cessa fuit rata scutorum mille ad fauorem Dianæ matris pro totidem ab ista sibi traditis in pecunia occasione eius nuptiarum, vndè debitor cessus, & successiuè Marchio eius filius, & hæres fructus soluit tàm Dianæ, quàm postmodum Franciscæ Felici filiæ vsquequo de anno 1635. eumdem censum cum hæredibus dictæ Plautillæ cedentis per actum retrosimilem restitutionis sortis extinxit; Cumque Felix cessionaria prætenderet dictam extinctionem esse malè factã cum cedente, ac propterea ea non obstãte mandatum pro fructibus ab A. C. obtinuisset, hinc deuoluta per appellationẽ causa *in Rota coram Bichio sub diebus* 17. *Iunij* 1652. & 15. *Iunij* 1654. ad fauorem Franciscæ Felicis prodierunt resolutiones pro dicti mandati exequutione; Repropesita verò causa coram eodem *sub die* 14. *Iunij* 1656., recedendo à decisis, contrarium pro valida extinctione resolutum fuit, neque quod iciam causa vlteriorem progressum habuit ob sequutam dictæ Felicis mortem, cuius hæredes fortè contenti fuerunt recipere sortem iam extantem, sed vinculatam in tot locis montium, dictæque primæ decisiones habentur inter illas *eiusdem Bichij decis.* 514. & 610., vltima verò reuocatoria cantat sub nomine *Albergati* vt. potè extensa per eum in locum *Bichij* defuncti subrogatum.

In his autem disputationibus, de pluribus articulis actum fuit, & præsertim, an filij dictæ Plautillæ cedentis tãquam in conditione positi, essent, necnè vocati, adeoùt dicta cessio eos non afficeret, sed venirent ex persona propria; Vel è conuerso, cessante vocatione, venirent tanquam Plautillæ cedentis hæredes; Primò enim casu, ego scribens pro aduerso, admittebam, quod extinctio cũ dictis

filijs

filijs benè facta esset ob inualiditatẽ, vel relolutionem cessionis factæ per dictam Plautillam fideicõmisso grauatã in præiudiciũ fideicõmissariorum, secùs autem è cõuerso, vbi extinctio in præiudicium cessionarij fieri nõ potuisset cum cedente, dum ità nequè cum eius hæredibus.

Cumque in dictis primis decisionibus præsertim *in secunda* 15. *Iunij* 1654, quæ est in materia notabilis, firmatum fuisset filios in conditione positos occasione pacti reuersiui non censeri vocatos, non obstante statuto Vrbis 142., per quod filij in conditione positi, censentur vocati, dum ex facti circumstantijs constabat eos, non principaliter, ac dispositiuè in conditione positos fuisse, sed incidenter, vel causatiuè occasione pacti reuersiui, ità comprobantibus aliquibus clausulis, ac verbis libertatem denotantibus, ac fideicommissum excludẽtibus ex ijs, quæ super hoc articulo habentur deducta *sub tit. de fideicõmiss. disc.* 80.; Hinc proindè maior, & penè tota quæstio fuit super alio articulo sub hac materia cadente, àn scilicèt debitor cessus, non obstante cessione soluere potuerit cedenti in præiudicium cessionarij, adeoùt liberationem consequutus fuerit, vel potius è conuerso dicta solutione, non obstante, ad iteratam teneatur ad *terminos textus in l. 3. cap. de nouat cum ibi notatis.*

In hoc autem articulo, Scribentes pro debitore tenente cum extinctione facta cum cedente, vel eius hærede, fundamẽtum constituebant in circumstantijs facti, cum quibus in vltima decisione reuocatoria processum fuit, ex quibus excludi prætendebatur concursus alicuius ex requisitis positis per *textum in dicta l. 3.*, 4 quorum duo in hac facti specie ex parte actricis cõcurrere dicebatur; Vnum scilicèt interpellationis, seù denunciationis; Et alterum recognitionis mediante solutione fructuum facta cessionariæ, vel eius hæredi, quod scilicèt dicta denunciatio fuisset pro solutione fructuum tãtùm, non autem pro cessione ipsius substantiæ census, eiusque sortis principalis; Vndè propterea debitor, ad cuius notitiam qualitas cessionis distinctè non fuerat deducta, opinari potuit quod fuisset assignatio pro soluendo, redolens speciem mandati ad exigendum, iuxta distinctionem in præcedentibus pluries insinuatam inter cessionem pro soluendo, ac illam pro soluto.

Atqui tà de consequenti dicebatur non obstare solutiones fructuũ pluriũ annorũ spatio factas, vtpotè referibiles ad hanc speciem cessionis nõ tangentis substantiã ipsius census, & de consequenti non impedientis facultatem extinguendi cum ipso principali creditore ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *decis.* 161. *num.* 1, & 2., *decis.* 292. *nu.* 7. & 513. *nu.* 10. *post Cenc. de cens. decis.* 324. *par.* 11. *recent.* vbi *num.* 10. & 11., quod requiritur, vel iudicis inhibitio, vel denunciatio distincta cum exhibitione instrumenti cessionis, omnibusque eius qualitatibus, vt in vltima *decisione anni* 1656. deducitur. 5 8

E conuerso autem, causæ Patronus pro hac parte dicebat oppositum iustificari super explicita dicti debitoris cessi notitia, adeoùt quæstio videretur potiùs facti quàm iuris.

Vbi verò non benè iustificatis dictis requisitis, vel eorum aliquo, de ipso puncto in genere agendum esset, An scilicèt & quando, non obstante defectu interpellationis, debitor cessus soluens cedenti benè soluat, ac liberationem obtineat; Scribens ego tanquam Aduocatus, dicebam quod cum cessio concepta esset per verba ampla, & prægnantia, translatiua omnium actionum, nihil pro se retinendo, hinc proindè soluens cedenti, 6 quamuis non interpellatus, vel non cõscius, malè soluit, neque liberationem obtinet, sed ad iteratam solutionem cogi potest à cessionario, sibi remanente actione contrà cedentem ad indemnitatem, seù releuationem, vt ità explicitè pluribus relatis firmat *Salgad. in labyr. par.* 1. *cap.* 27. *num.* 62., vbi desumendo plures auctoritates ponderatas *per Surd. cons.* 22. *numer.* 36. & *seqq.* & *per Cenc. de cens. quæst.* 67. *n.* 6. & *seqq.* & *quæst.* 109. *num.* 31. & *seq.* explicitè, vt dictum est, firmat non posse solui etiam per ignorãtem, ex eo quod ob amplitudinem verborum, & clausularum, illæ actiones directæ, quas nostri dicunt non esse cessibiles vtpotè affixas offibus, ità remaneant inutiles, ac nullius operationis.

Clariùs verò dicebam id procedere in hac facti specie, dum cessabat dicta cõsideratio directarum actionum adhùc

rema-

remanentiu.. pebes cedentem, cum dicta Plautilla non esset principalis creditrix, sed etiam cessionaria alterius, et cõsequenter haberet solùm vtiles, quibus cessis nihil penès eam remansit, vt in specie cæteris relatis, de hac differentia inter cessionem primi, ac directi creditoris, & secundi, seù cessionarij habetur *apud Oleam de cess. iur. tit. 8. quæstione 2. num. 27.*

Quamuis autem *Salgadus* ità loquatur, adeout pluries, ac pluries corã multis Iudicibus doctrinas in sola littera pro stylo attendentibus, pati oportuerit (per modum loquendi) sudorem sanguinis, vel mortis, ad eos reddendum capaces de hoc æquiuoco, Attamen illud semper credidi nimis manifestum, (quamuis inelaborato, ac docto viro), quoniã hæc circumstantia amplitudinis verborum & clausularum, ob quam actiones directæ, quę penès cedentem remanent, omnino inutiles, ac inefficaces effici dicuntur, vt de iure vera ad alios effectus, non autem ad istum, quoniam nedum omnibus principijs iuris scripti, sed etiam naturæ ac libertati humani commercij aduersatur, vt ille, qui ignarus, ac bona fide soluit proprio creditori, cum quo contrahit, et cui soluere promisit, dicatur male soluere, adeout ad iteratam solutionem cogi valeat; Tùm ob receptissimum principium, vt cessante inhibitione legis, vel hominis, sufficiat distrahere cum eo, cum quo nomine proprio contractum est, quãuis distrahens sciat quod bona, vel iura in contractum deducta ad alterum spectarẽt, seù essent alteri affecta, quo pro eo stipulatum non est, vt pluries per præcedentibus aduertitur ex regula *Bartus in l. nomen, C. quæ res pign. obligar. non fit*, atquè tanquam absolutum admittitur in casu debiti expressè contracti de aliena pecunia, ac alieno nomine, quod ipsi contrahenti promissum est solui de quo *sub titulo de Cens. disc. 24.* cum similibus.

Tùm etiam, quia esset ità latissimum aperire aditum fraudibus, et collusionibus, quoniam posset quilibet, colludendo cum coniuncto, vel fiduciario, huic inofficiosissima forma cedere debitum, deinde ab ignaro debitore exigere, vt postmodùm cessionarius illud denuò exigat in què debitoris releuatione ob cedentis impotentiam, et quandoquè etiam ratione potentiæ, vndè propterea ijdem à *Salgado* relati, & præsertim *Cene d. qu. 109. n. 31. & seqq. & Olea scribens post Salgad.*, quem refert *dicta quæst. 2. tit. 8. num. 13. cum seqq.*, & per totum discursum, & alij id supponunt tanquam absolutum, vt reuerà est, aliquibus solùm dubitantibus, vbi accedat simplex scientia, aliàs quàm per dicta requisita posita *per textum in dicta l. 3.*, super quo, & alijs ad istam materiam pertinentibus, moderni diligenter, ac elaboratè relati *per Oleam dicta quæst. 2.* nimiùm se inuoluere videntur, vt præsertim patet ex tot distinctionibus deductis *per Gaitum, Sfortiam, Odd. Trentacinq; Merlin. & alios per Oleam relat. dicta quæst. 2.*, vbi initio deducit ea, quæ circà materiæ perplexitatem, ac inextricabilitatem dicit *Cacheran. decis. 62.* & aliqualiter carpit ampullositatem *Merlin. dicta controu. 32.*

In hac verò facti specie, (reflectendo etiam ad solam veritatem) mihi probabiliora videbantur iura cessionarij; Non quidem ex dicto motiuo amplitudinis verborum & clausularum, cum apud me, siuè ex genio, siuè ex proprij intellectus imperfectione, aut quia ità leges oporteat intelligere, & practicare (super quo alij videant, et iudicent), irrisione dignus perpetuò visus est iste stylus iudicandi cum sola formalitate verborum & clausularum, quæ plurimùm resultant à formularijs Notariorum, cum clara ignorantia efficaciæ, seù operationis, tam apud contrahentes, vel disponẽtes, quàm apud ipsosmet Notarios; Sed attenta substantia verisimilis voluntatis desumendæ ex circumstantijs facti, quibus verba & clausulæ solùm famulentur, illa attendendo in casu ambiguo pro interpretatione, quoties non sint ità concepta, quod ostẽdant claram ipsarum Partium intentionem; Adinstar eorum, quę habemus super adeò frequentèr insinuata conclusione, an potiùs capitulis, & apocis insertis, quàm instrumento stari debeat.

Cum enim in hac facti specie concurrerent tam præceptum Iudicis factum debitori cesso, vt solueret fructus cessionario, quàm effectiua solutio pluriumannorum spatio, ac etiam scientia cessionis,

nis, eiusquè cauſæ ex pluribus argumentis, vel adminiculis deducta, ità probabilius videbatur, vt ſolutio mala fide facta eſſet, quodquè rigor iuris, potiùs in vltima deciſione contrà ceſſionarium adhibitus eſſet, cum metaphyſicis interpretationibus explicitorum requiſitorum iam concurrentium, atquè in id famularetur etiam verborum amplitudo.

De reliquo autem, quatenùs pertinet ad materiam in genere (ſuper qua nimiùm frequentèr ſcribendo ad cauſæ opportunitatem, quandoquè fauore ceſſio-
12 narij contrà debitorem ceſſum, et quandoquè in caſu conuerſo, ſiuè reſpondendo pro veritate); Quamuis ex deductis per modernos, ex quorum tranſcriptione, cuilibet nimiùm facilè eſt, chartas implere, atq; eruditionem oſtẽtare, nimiũq; facilè ſit quaſcumquè partes tueri, ſtantibus etiam tot Rotæ deciſionibus pro caſuum diuerſitate inter ſe diuerſis; Attamèn mihi viſum eſt, iſtam eſſe potiùs quæſtionem facti, quàm iuris, ex facti qualitate, & circumſtantijs prudenti arbitrio decidendam, manifeſtumquè errorem eſſe cum generalibus diſtinctionibus & regulis in omni caſu procedere, cum tota vis principaliter conſiſtere videatur in bona, vel mala fide, et an adſit necnè aliqua colluſio, vel eius probabilis ſuſpicio ſupplantandi tertium.

Vbi enim ceſſio eſt in ſolam gratiam cedentis, quod ab aliquibus explicari ſolet, quando ceſſionarij nihil intereſt, an
13 nomen ceſſum exigatur, necnè; Vel quod intereſſe ſit modicum, quale conſiderari ſolet in exactore, vel adminiſtratore, ſeù negotiorum geſtore obtinẽte mercedem exactionis, ſiuè etiam in cedentis creditore, cui nomina debitorum ceſſa, ſeù aſſignata fuerint pro ſoluendo, ac iure impliciti mandati per debitorem idoneum, contrà quem facilis, ac promptus ſit regreſſus; Et tùnc parùm refert huiuſmodi quæſtiones aſſumere, quoniam, ſiuè per veram, ſiuè per fictam ſolutionem, debitor ceſſus liberetur, nihil, vel ſatis parùm ceſſionarij intereſt, ideoquè non videtur ſubeſſe congrua ratio denuò moleſtandi debitorem iam liberatum.

Aut verò intereſſe eſt omnimodum, vel magnum, et conſiderabile, et tùnc, Aut debitor ceſſus contendit de lucro, ceſſionarius autèm de damno, quia nempè cedens gratuitam debiti remiſſionem fecerit; Et extrà controuerſiam eſt, ceſſionario reſpondendum eſſe, quãuis debitore ceſſo, ignaro, vel non inhibente de tempore obtentæ liberationis, bona fides concurreret, cum tali caſu, licèt parte ipſius debitoris ità liberati, non adſit fraus, quæ dicitur conſilij, adeſſe mèn dicatur fraus, quæ dicitur præiudicij, ſeù re ipſa.

Aut verò conſtat de vera, & effectiua ſolutione, citrà fraudem, & colluſionem vel eius probabilem ſuſpicionem, & nimiùm circumſpectè procedendum eſt vt quoties dicta requiſita benè non verificentur, non de facili ille, qui verè ſemèl ſoluit, denuò ex rigoroſa iuris ſubtilitate ſoluere cogi debeat, vbi præſertim ob impotẽtiam, vel maiorem patentiam eius, cui ſolutum eſt, præiudicium habeat de irreparabili, quoniam in non curſu culpæ, maior videtur illa ceſſionarij, cui minùs commiſerandum eſt, de ſibi imputare debet cur obtenta cautione, neglexerit formitèr inhibere, aut inhibere remedia, & cautelas per leges ibi traditas.

Vbi autèm caſus ſit mixtus, ſeù ambiguus, qualis videtur ille, in quo certa concludens veræ, ac effectiuæ ſolutionis probatio non habeatur, nequè expliceconſtet de remiſſione gratuita, putà agatur de quietantia per confeſſum de recepto; Et tùnc procedendum videtur cum ijs, quæ habemus in materia confeſſionis in caſibus prohibitis, viri dote recepta, vel Prælati, ſeù tutoris aut alterius adminiſtratoris, in quibus vel ſimilibus, ſimplex confeſſio ſine cauſa non eſt præiudicialis, benè tamen præiudicat adminiculata, quotiès adminicula ſunt talia, quod probabiliter veritatem ſuadeant, atquè fraudem, vel colluſionem excludant; Et ſupèr quo certa determinata regula dari non poteſt, cum totum pendeat à facti qualitate, pluries aduertitur præſertim *ſub titulo de Dote diſc. generali* 159. *& in pluribus diſc. particularibus*.

Quatenùs verò agatur de alio mixto continente partim veram ſolutionem, & partim remiſſionem, (vt in
14 factione contingit); Et tùnc procedendum videtur cum diſtinctione, de pluries *ſub titulo de fideicommiſſ.* præ-

tim *disc. 173. & seqq. & sub titulo de feud. disc. 49.*, ac sub altero *de emphyt. disc. 52. & alibi*, quandò scilicèt transactio dicatur bona fide inita, adeòut obstet tertio independentèr venienti ex persona propria, necnè; Ideoquè benè reflectenti patebit, quod quæstio, vt dictum est, potiùs facti sit, quàm iuris pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs decidenda.

Illud autèm est extrà controuersiam, vt etiam in casibus, in quibus dicta requisita concurrant, adeòut cedenti solui non possit, adhùc tamèn idem cedens agere possit, eiusquè actiones directas exercere *in gratiam* tamèn cessionarij, ac ad effectum, vt cessionario soluatur, nequè debitor cessus potest eum recusare, vt patet ex deductis *per Buratt. decis. 135. nu. 8.*; Quod satis expedit pro exercitio illius actionis, vel iudicij executiui non exercibilis per cessionarium, vt contigit in liquidatione instrumenti seruata forma ritus M.C.V., de qua infrà *discur. 116.* adeòut in cessionibus adijci soleat pactum obligatorium cedentis, vt teneatur requisitus, agere, et incusare, seù liquidare instrumentum, ad commodum tamèn cessionarij.

ROMANA

TRANSACTIONIS

PRO

CONFRATERNITATE SS. CRVCIFIXI S. MARCELLI

CVM

DOMINICA BARETTA, & CAROLO VIRO.

Casus variè decisus per Rotam.

An, et quandò creditor actionem habeat contrà debitorem occasionalem, seù causatiuum ad sui fauorem obligatum, quamuis cessaret causa debendi, ob quam se obligauit; Et de materia obligationis causatiuæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Non competit actio euictionis absquè denunciatione.*
4 *Limitatur accedente iustitia.*
5 *Item limitatur fauore Ecclesiæ.*
6 *Obligatio causatiua, seù occasionalis cessat cessante causa, ob quam facta est.*
7 *Et quod isto casu termini euictionis non intrent nisi impropriè.*
8 *Quandò designatio stet taxatiuè, vel demonstratiuè.*
9 *Conclusio, de qua num. 6. declaratur, vt non procedat in facto voluntario.*
10 *An cesset eadem conclusio, vbi accedat delegatio.*

DISC. LXXI.

1 COntrà Archiconfraternitatem possidentē tres domos hæreditarias Andreæ ex causa, vel titulo, de quo habetur *sub titulo de fideicommiss. discurs. 108.* iudicium instituerunt Dominica, & Hieronymus ex causa dotiū, deindè sopitū per concordiā, per quam Confraternitas Rea conuenta promisit soluere actoribus ad eorum vitam annua scuta 75. retrahenda ex pensionibus ipsarum domorum, sub eo pacto, vt quomodocumq; contingente dictarum domorum euictione, etiam generali, acimpropria in solo possessorio, dicta præstatio cessare deberet, & quatenùs sequeretur in parte, eadem cessatio pro rata sequi debeat; Cumque Carolus Argolus vnam ex dictis domibus euicisset iuxtà seriem, de qua *dicto disc. 108. de fideicommiss.*, atque Confraternitas, assistētibus etiā extraiudicialiter ipsis transigentibus, assumpsisset, acriterq; litem sustinuisset in Rota, vt patet ex deductis *dicto disc. 108.* ista lite

lite pendente, & postquam obtenta fuerat secunda decisio revocatoria primæ, atque penderet revisio, transigentes invim dictæ concordiæ, obtinuerunt dispurari dubium, an pro annualitatibus decursis ad eorum favorem relaxandum esset mandatum, pro ea rata dictæ annuæ præstationis, quæ soluta non fuerat ex tempore amissæ possessionis dictę domus, eoquè proposito *sub die* 27. *Iunij* 1670. *coram Beuilaqua*, coram quo dicta alia causa super ipsa domo pendebat, affirmativa prodijt resolutio.

In disputationibus autèm desuper habitis, Scribentes pro actoribus, quibus Rota vt suprà adhæsit, fundamentum constituebant in conclusione, de qua in 3 sua materia *sub tit. de empt. & vendit. discurs.* 16. *& seqq.* & alibi præsertim *sub titulo de feud. disc.* 44., vt scilicèt actio, vel exceptio evictionis emptori contrà venditorem non competat, nisi sequuta sit denunciatio litis, ac molestiarum, ne aliàs fraudibus, & collusionibus inter emptorem; Ac evincentem aditus præbeatur, ac etiam, quia venditor dicere potest, quod si lis ei denunciata esset, vtpotè melius informatus de eius iuribus emptori non ità cognitis, eum tueri potuisset, ac evictionem impedire, atque super hac generalitate circumfertur prima decisio.

Scribens ego pro Confraternitate Rea cõuenta (etiam cum sensu veritatis), dicebam obligationem ex dicta concordia resultantem, non esse contrà eam exercibilem, ideoquè resolutio non placuit, etiam vbi controversiæ termini essent superiùs insinuati evictionis, in qua necessaria est denũciatio; Primò ex dictæ 4 regulæ limitatione, seù declaratione passim recepta, de qua in dicta sua materia *sub tit. de empt. & vendit. disc.* 16. *& seqq.* ac *dicto disc* 44. *de feud. & alibi*, quod scilicèt, vbi constat, quod sequuta etiam denunciatione, adhùc eadem evictio sequuta esset, quia nẽpè possessor benè se defendisset deducendo omnia, quę deducere potuisset ipse interpellatus auctor, qui propterea cũ ijsdẽ exceptionibus iã deductis nõ potuisset ipsam evictionem impedire adhuc debetur; Idq; in hac facti specie omninò certũ videbatur, dum longè maioris potentiæ erat dicta Confraternitas, administrata per Magnates, ac nobiles, & doctos viros, quàm essent actores depressæ fortunæ, ac humilis conditionis; Et secundò, quia favore Ecclesiæ statutum, seù receptum videtur, vt data in authore scientia litis, ac molestiarum intret evictionis actio, vel 5 exceptio dicto denunciationis defectu non obstante ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Caualer. decis.* 311. *num.* 6. *& 7*; Super cuius tamèn limitationis, seù priuilegij veritate, ac intelligentia maturum iudicium efformatum non fuit, cum id potiùs incidenter, ac ad superabundantiam deduceretur.

Siquidèm pro meo iudicio isti termini à casu controversię extranei videbantur, dum Confraternitas non emerat has domos ab actoribus, neq; evictionem deducebat, actione, vel exceptione ex empto, resultante à natura contractus, quo casu dicti termini intrant, sed veri, ac 6 proprij termini videbantur illi obligationis causatiuæ, seù occasionalis, quæ, cessante causa, cessare debet, ex regula, *cum cessante*, vt *apud Dec. conf.* 421. *Tiraquell. add. regul cum cessante par.* 1. *n.* 224. *Rot. decis.* 428. *num.* 4. *par.* 1. *recent.* cum concordantibus relatis *per Amat. resol.* 21. *in princ. & sub dicto titulo de empt. & vendit. disc.* 23. ac etiam *sub titulo de legal. disc.* 8. *& 9. & alibi.*

Nullam etenim actionem antè dictam concordiam præfati actores habebant contrà ipsam Confraternitatem, eiusque patrimonium in genere, sed solùm eorum prætensio percutiebat bona, quæ re fideicommissi, alijsquè titulis enunciatis *dict. disc.* 108. *de fideicom.* ipsa possidebat, vndè propterea agebatur de obligatione merè occasionali, seù causatiua, priquam possessor admittere voluit actorem eum molestãtem ad quamdam communionem, seù participationem fructuum, quos ipse percipiebat ex ipsis bonis, & quatenùs perciperet, & non aliàs; Siuè quod percipiẽdo in parte, deductio 7 pro rata fieri deberet, iuxtà societatis, vel communionis naturam, adeòut, vbi etiam ex alio accidenti, cui evictionis terminus nõ congrueret, dicta fructuum cessatio sequuta fuisset, adhùc idem dicendum veniret, attenta substantia voluntatis contrahẽtium potiùs quàm cortice, vel figura verborum, vt attendi debere tam *hoc eodem tit.* quàm alibi sæpiùs ad-

aduertitur, adhibendo dictos terminos euictionis, non strictè, ac propriè, pro illa euictione, quæ per venditorem emptori præstanda est, sed pro cessatione causæ debendi; Et quæ voluntas clariùs attendenda videbatur ex qualitate dictæ ecclesiasticæ Confraternitatis, quæ, nec volens, potuisset eius bona propria huic oneri, vel seruituti subijcere, ideoquè dicebam intrare frequens, ac vulgare axioma, vt voluntas à potestate regulanda sit.

Ad quod, ponderabam ea, quæ habentur *sub tit. de legatis*, ac alibi in materia certæ designationis, quandò hæc, demonstratiuè, vel taxatiuè stare dicatur, supposito casu taxationis, cessante re demonstrata, cesset dispositio, vel obliga, adeòut piæ causæ fauor ex magis cõmuni, ac vera sententia non suffragetur, tate operatiua remanente super interpretatione in casu dubio, vt scilicèt magis pro demonstratiua, quàm pro taxatiua facienda sit; Secùs autèm, vbi ex verbis claris, magis verò ex facti circumstantijs potiùs attendendis, clarè constet taxatiua, quoniam tùnc piæ causæ fauor non supplet defectum voluntatis, quam iuris naturę, vt in dicta sua materia *sub tit. de legat.*, vbi quod ista quæstio hodiè potiùs esse videatur *facti*, & explicationis quàm iuris, an scilicèt bona designata, vno, vel altero modo stante.

Inspectio autèm iustitiæ, vel iniustitiæ euictionis sequutæ, vel cessatæ causæ debendi, ex quadam identitate rationis, discutit potiùs exclusionem voluntariæ, culposæ cessationis, quoniam, vt adstruitur, locis supra allegatis præsertim *dicto disc. 23. de empt. & vendit.*, dicta exclusio causatiuæ, vel occasionalis obligationis cessantis ex cessante causa debendi, procedit dummodo cessatio non fuerit ex ipsius obligati facto voluntario, seù culposo; Proùt neque procedit in effectibus iam consumatis, puta, pro annuitibus decursis durante tempore possessionis ex deductis *per Amat. dicta resol.* & *passim*.

Et quamuis Scribẽtes pro actoribus, euitandam dictam cõclusionem obligationis causatinæ cessantis ex cessante causa, deducerent ea, quæ *ex Cuiac.* & alijs habentur *apud Merlin. lib. 1. controu.* 91. *super* obligatione adhùc durante, quamuis cessaret causa debendi ratione delegationis; Nihilominus istud videbatur fragile fundamentum ex ijsdem responsionibus, quæ *ad dictam controuersiã* 91. *Merlin.* habentur particulariter deducta *dicto discur. 23. sub tit. de empt. & vendit.*, vbi de hac materia; Ideoque quoties cessatio causæ debendi, dici non poterat merè voluntaria, & culposa, vt absolutè videbatur dici non posse, ob diligentias exactissimas comprobatas ex ijs, quæ habentur *dicto disc. 108. de fideicommiss.*, omninò de plano dicta conclusio intrare videbatur, dum de facto ex ista domo non percipiebantur pensiones, quarum intuitu proportionabiliter, & pro rata dicta præstatio promissa fuerat.

ROMANA PECVNIARIA

SEV

DE IN REM VERSO

PRO

MICHAELE ANGELO VINCENTINO

CVM

EMILIA CLAVDIA A VALLE.

Casus variè decisus per Rotam.

An, & quando creditor, qui alterius mandatario, vel negotiorum gestori, pecuniam credidit, pro dissoluendo ære alieno mandantis, habeat contrà istum actionem man-

mandati, vel negotiorum gestorum, siuè de vtili in rem verso.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De potestate substituendi data procuratori generali remissiuè.*
4 *Quomodo constare dicatur de versione.*
5 *De actione de in re verso.*
6 *Non datur actio sine obligatione, quæ est actionis mater.*
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 5.*
8 *Versum dicitur vbi duret, & non alias.*
9 *De ratione &c.*

DISC. LXXII.

1 DIscessurus ad residentiam Michael Angelus creatus Episcopus Hyeracensis', amplum, ac generale mãdatum dedit Margheritæ fratris vxori, ad quæcumque negotia peragenda, cum pluribus capitulis, seù periodis, pro negotiorum diuersitate, ac demũ, etiam ad lites, in isto quoque capitulo continebatur facultas substituendi, cuius vigore, occasione explicandi quædam acta iudicialia, substituit Dominicum negotiorum gestorem vulgò *agentem* dicti Episcopi, super negotijs Episcopatus, ac solutionibus pensionum super eo réseruatarum; Cumque earumdem pensionũ terminus maturasset, Dominicus tanquam mandatarius, ab Emilia Claudia ad hunc effectum accepit ad cambium quamdam summam per bancũ sacri Montis pietatis, ad dies in eamdem causam erogatam, paulò tamen postea ab Episcopo reintegratus fuit; Eodem autem Dominico defecto, Emilia pro dicto credito in sorte, ac fructibus, iudicium instituit contrà Episcopum coram A.C., à quo sententiam fauorabilem obtinuit, commissaque causa per appellationem
2 *in Rota coram Beuilacqua*, & dato dubio, àn constaret de dictæ Emiliæ credito, contrà Episcopum, *sub diebus 24. Aprilis 1662. & 22. Iunij 1663.* affirmatiuæ prodierunt resolutiones, à quibus tamen recessum fuit sub diebus *15. Iunij 1664.*, *& 15. Ianuarij 1669.*, atque ad istarum posteriorum normam sententia absolutoria prodijt.

Duo autem erant actricis fundamenta; Primò scilicèt illud mandati, cuius vigore Dominicus præfatum Episcopum mandantem obligare potuerit; Et secundò actionis de in rem verso, dum pecunia in causam dicti Episcopi data, & erogata erat; Neutrum tamen dicebam, scribens pro Episcopo Reo cõuento, fuisse stare, ideoque probabiliores vitæ fuerunt posteriores resolutiones.

Quatenus enim pertinet ad primum, resolutio pendebat à puncto dictæ substitutionis factæ per Margaritam, de cuius potestate nulla cadebat quæstio, dum explicitè in capitulo particulari mandati continebatur facultas capiendi pecunias mutuas, vel ad cẽsum, seù cambiũ &c.,
3 quæstio erat, an dicta substituẽdi facultas esset generalis etiam ad negotia, vel ad lites tantùm ex ijs, quæ particularia super hoc puncto habentur deducta in hac eadem causa in sua materia *sub tit. de tutor. & procurator. ad negot. lib. precedenti disc. 19.*, vbi etiam quid de mandato præsumpto resultante à dicto nere Agentis.

Quouerò ad alterum, (in quo mihi ac penè tota quæstio fuit), àn scilicèt te probatione versionis, intraret, vtilis actio de in rem verso; Ex hac per causæ Patronum, cui ego quo pro stylo adhærebam, insistebatur defectu probationis eiusdem verò stante quod pecunia per actricem
4 depositа fuerat in dicto banco sub ne proprio Dominici, ac ad eius libe dispositionem, vndè propterea eam in quoscumq; sibi placitos vsus gare; Et consequenter pensionum ad aliquos dies sequuta, dici quod facta esset de pecunijs Dominici non autem Emiliæ, ideoq intrare possent ea, quæ habentur dicta suprà *discursu 1.*; Verùm reflectendo ad veritatem, istud erat fragile damentum, dum pecunia ad hunc actum expresè data erat, ideoqpe breuitate termini, & qualitate Dominici, verisimiliter pecuniam ratam propriam in tanta summa nõ bentis, adhùc sufficiens præsumpta batio versionis adesse videbatur,

nis pecuniam numeratam penès se retinuisset, iuxtà ea, quæ pluries in præcedentibus habentur in proposito versionis pecuniæ mutuatæ ad refectionem, vel cõfirmationem, siuè ad rem emendam, ad terminos textus *in l. interdum ff. qui patior. in pign. hab.*, & *l licèt C. eodem* ex deductis *apud Franch. decis. 97. ibique Add. Barott. dec. 361. nu. 5. Amat. resol 3. n. 59.* Multò verò magis, dum verè eadem pecunia deposita in banco, in istam causam erogata erat, ideoque isto motiuo nullã subsistentiam habente, restringebatur quæstio ad punctũ iuris, àn scilicèt, præsupposita versione, cõpeteret dicta actio de *in rem* verso, stante quod dictus Episcopus verè postea pecuniam trãsmiserat, ad eumdem effectum soluendi pensiones.

In hoc autem, Scribentes pro actrice dicebant illi assistere claram dispositionem *textus in l. si pupilli §. item si procurateri ff. de negot. gest., & l. ei qui §. aliquin C. quod cum eo, & l. sine, & Titium ff. si cert. petat.* ex quibus, & concordantiã firmant *Bald. in l. ei qui numer. fin. C. quod cum eo, & cæteri per Costã de remed. subsid. remed. 12. num. 4. Cappe Lit. consult. 95 numer. 9. Rot. apud Merlin. decis. 533. num. 25 apud Otthob. decis. 40. numer. 46. & seqq. repetit. post Zacch. de oblig. camer. decis 264.*, apud quos de huiusmodi æquatiua actione de in rem verso, vel vtili negotiorum gestorum, competente ei, cuius pecunia in alterius negotium, vel vtilitatem versa est, quamuis inter eos nullus contractus, seù quasi initus esset, nullaque contracta obligatio, quæ dicitur mater actionis personalis, & sine qua dari non potest actio, dum non detur filius absque matre, quoniam licèt de iuris rigore non detur actio absque obligatione, attamen de æquitate ista admittatur.

Admittebam ego scribens pro Reconuento, præmissorum veritatem in casu suo; Dicebam tamen (ac demũ Rota post duas resolutiones, ac acerrimas disputationes agnouit), fallaciam claram esse in applicatione ad casum; Ea etenim rectè procedunt, quandò verificato subsidio, quod est necessarium, (et de quo nõ dubitabatur ob Dominici decoctionem) copulatiuè accedat alterum requisitum causæ lucratiuæ, quàm aliàs foueret ille, cuius debita extincta sunt, vel alia negotia peracta, vndè propterea resultaret locupletatio cum aliena iactura, et in qua ratione, vnicè, ac principaliter ista æquitariua actio fundata est, atque cum isto præsupposito tãquam essentiali apud allegatos, ac omnes proceditur, cũ iuxtà litteralem dispositionẽ textus *in l. si pro Patre §. versum autem ff. de in rem vers. & in eadem l. §. si Domini debitor*, ad hoc, vt hæc actio intret, non sufficit, vt aliena pecunia in alterius negotium, vel vtilitatem versa sit, sed quod versum duret, spectato effectu, consistente in eo, quod aliàs iste contenderet de lucro, contra æquitatem prohibentem locupletationẽ de alieno; Ista verò locupletatione cessãte, nulla subest ratio, ob quam contrà tertium sine contractu, vel quasi, aliaque obligatione actio comperat.

Ita etiam comprobante cõmuni, imò necessario vsu, præsertim Romanæ Curiæ, quodque aliàs magna inconuenientia resultare possent, quoniam prouisi de Ecclesijs Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Monasterijs, alijsque beneficijs, præsertim residentialibus, pensiones in Vrbe soluere obligati, pecunias ad hunc effectum statutis temporibus, iuxtà commoditatem, vel opportunitatem, ad hunc effectum trãsmittunt eorum Agentibus, ac negotiorum gestoribus, qui de facili possent eos supplantare, magnoque ære alieno grauare, consumando pecunias in proprijs vsibus, (vt sæpè cõtingit, absque spe recuperationis, cum frequentius hoc munus gerant Curiales, qui cum eo dietim viuunt, si pro soluendis pensionibus accipere possent mutuas pecunias, verè, ac effectiuè in eam causam erogatas, cum tamen principales iustè crediderint illas de proprijs pecunijs ad hunc effectum transmissis esse solutas, ideoquè sibi imputent credentes huiusmodi Agẽtibus non habentibus sufficiens mandatum.

EO-

ROMANA

PRETII PANIS

PRO

IOANNE PETRO BALINO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia, An scilicèt creditor vnius, actionem habeat contra tertium, ad cuius vtilitatem, pecunia, vel bona data versa sunt; Et in specie, àn ille, qui dedit panem, vel alia victualia, actionem habeat contra eum, qui alimenta accepit, seù dominus domus locatæ, contrà eum qui habitauit &c.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De priuilegio pistorum Vrbis eiusque commentarijs.*
3 *Texera in materia panis habetur loco instrumenti.*
4 *De actione de in rem verso.*
5 *De actione contra debitorem debitoris.*
6 *De fideiussione per viam expromissionis debiti alieni.*
7 *Locator non habet actionem contrà subconductorem, qui soluit pensionem conductori.*
8 *De actione contrà eum qui gratuito alimenta percepit, vel domum habitauit.*
9 *De eodem, & quando hæc actio intret.*
10 *Actio de in rem verso quid exigat.*
11 *De dicto priuilegio pistorum Vrbis quid operetur vltrà dispositionem iuris.*
12 *Argumentum superfluitatis est debile &c.*

DISC. LXXIII.

1 CVM Ioannes Petrus pistor conueniſſet cũ Ioanne, vt certam panis quantitatem, habita ſibi fide de pretio, cum texera, (*iuxtà ſtylum*), ac in eius cauſam, daret Franciſco; Caſus autem dediſſet dicti Ioannis decoctionem, vnde propterea Ioannes pro ſolutione pretij nollet ſe dirigere contra Franciſcum, qui panem recepit, conſilium pro veritate petijt, àn, & quale ius haberet.

Reſpondi formando duas inſpectiones, *Vnam in terminis iuris cõmunis*, Et alteram attento priuilegio, quod per Vrbanum VIII. piſtoribus Vrbis conceſſum
2 fuit, non malè commentatum *per Antolinum* huius Curiæ Aduocatum, qui iſta occaſione plura inſinuat ad materiam concurſus, ac potioritatis creditorum, præſertim circa rem ruſticam, puta, ob paſturam, vel cuſtodiam animalium, expenſas culturæ, ſemen, & ſimilia.

Quatenus pertinet ad primam inſpectionem, cum cõtractus initus eſſet cum
3 Ioanne mediante texera, quæ in hac materia, ex communi vſu ratione commercij, ac ſubiectæ materiæ, ſpeciem inſtrumenti habere videtur, vt in ſpecie cæteris relatis habetur *apud Giurbam obſerv. 31. numer. 13.*, atque in Vrbe eſt magis planum ex dicto priuilegio Vrbani VIII. Hinc proindè, cum Franciſcus remaneret purus tertius, cum quo nullus contractus initus fuerat, nulla de conſequenti competere poterat actio directa per-
4 ſonalis, quoniam vt dictum eſt *diſc. præcedenti*, iſta tanquam filia dari non poteſt abſque obligatione, quæ eſt eius mater; Et cõſequenter aliud prætendi non poſſet, niſi æquitatiua actio de in rem verſo, quatenus, præſuppoſito tanquam iam probato, ac notorio primo requiſito ſubſidij, ob dicti Ioannis decoctionem, verificaretur alterum copulatiuè pro hac actione deſideratum, quod ſcilicèt tertius foueret cauſam lucratiuam iuxtà terminos textus *in l. ſi me, & Titium ff. ſi cert. pet. cum concord. diſc. præced.*

In hoc autem dicebam, quod Aut ille, qui panem recepit, pretium Ioanni ſoluerat, ſiuè in cauſam eius debiti recepe-

rat.

rat, adeoùt non constaret, quod Ioannes gratuitò istum panem Titio dari mandauerit, (quod præsumi non poterat, dum non agebatur de pane solùm accepto pro ipsius Francisci alimentis, in quibus cadere posset præsumptio donationis, sed pro famulis, & colonis in re, seù arte agraria); Et tunc dicebam, quod non solùm intrabat dicta æquitatiua actio de in rem verso, sed etiam illa, quam creditor habet contra debitorem debitoris, de qua *Surd. cons. 4. Rot. decis. 52. post Merlin. de pignor.*, & *decisione 174. post Zacch. de oblig. cum. Add. ad Buratt. decis. 793.*

Ac etiam dici poterat, quod pro subiecta materia, seù facti qualitate, ità videretur species fideiussionis per viam expromissionis, quod scilicèt, cum Franciscus indigeret pane pro eius negotio explicando, pistor autem eius fidem sequi nollet, hinc Ioannes propriam fidem accommodauit, vndè propterea, quando nõ constaret de solutione vera, & effectiua, citrà fraudem, & collusionem tempore habili, ad fauorem dicti pistoris etiam in sola dispositione iuris communis respondendum veniret.

Aut verò de dicta solutione constabat, et tunc secùs, quoniam ille, qui panem recepit, non à pistore, sed à Ioanne, (cuius fidem pistor sequi voluit) panem receperat eiusque debitor effectus erat, ideoque sufficiebat soluisse proprio creditori, cũ quo contraxerat ad textum *in l. solutũ §. solutam ff. de pign. act. cũ concordan. apud Rouit. dec. 23.* vbi quod subcõductori, vel habitatori domus, sufficit soluisse pensionem conductori, qui quoad eam, locator, ac auctor erat, non attento, an ipse conductor, domino, seù locatori pensionem soluerit, necnè, cum, vt dictum est, difficultas in hac materia cadat super comperentia dictæ actionis de in rem verso aduersus eos, qui alimenta gratuita à debitore habuerunt, vel gratuitam habitationem domus conductæ, adeoùt ipsi debitori nõ competeret actio repetitionis, quæ cessante non intrant termini actionis competentis contra debitorem debitoris, sed solùm illi insinuati actionis de in rem verso.

Iuxtà eam quæstionẽ, (quã tamen rarò vidi ad praxim redactã) an scilicèt domino domus locatæ, vel ei, qui mutuauit in causam alimentorũ patri familias, actio competat aduersus vxorem, & filios qui domum inhabitarunt, siuè alimenta perceperunt; Quod, vt dictum est nimium rarò ad praxim deducibile est, quoniam vltrà dicta duo connaturalia requisita actionis de in rem verso, primò scilicèt subsidij, & secundò quod foueat causam lucratiuam, requiritur alterum scientiæ, ac malæ fidei, quod scilicèt, qui alimenta recepit, non in sola simplicitate, sed rectè sciat insufficientiam eius, qui illa suppeditat, quodque id faciat de alieno, ex ijs, quæ in hac materia, cæteris relatis, habẽtur *apud Carroc. dec. 128. Surd. de aliment. tit. 8. priuil. 48. Antolin. in dict. commentar. ad priuil. Pistor. n. 432. Paschal. de patr. pot. lib. 1. cap. 6. n. 124. Royas decis. 215. n. 4.*

Cum etenim dictum requisitum versionis, ac vtilitatis exigat perseuerantiã, ac existentiam de præsenti, quod scilicèt versum duret, non de facili id practicabile est in vxore, & filijs, ac alijs de familia, qui cum patre familias habitando perceperunt alimenta hodie non extantia, in quibus dici non potest, quod versum duret; Rectè siquidẽ dicere possunt, quod nisi credidissent ea recipere à patre familias absque repetitione, non recepissent, sed alio modo cum industria, vel labore sibi parassent, istaq; actio adaptabilis nõ erat ad casum præsentis controuersiæ.

Quoueró ad alteram inspectionem resultantẽ à dicto priuilegio Vrbani VIII. pistoribus concesso, per quod expresè disponitur, vt eis competat actio etiam contra eos, qui de alieno ordine panem receperunt; Adhùc dicebam, illud cum eadem distinctionem intelligendum, seù recipiendum esse, quatenus scilicèt, iuxtà casum præsentis controuersiæ, non ageretur de pane solùm præstito pro quotidianis alimentis, sed ad negotium, ac industriam vtsupra, adeoùt intraret ratio lucri de alieno, cum in dubio ius municipale interpretationem passiuam recipiat à iure communi, iuxtà receptum, satisque vulgare axioma, quod in materia statutorum, vel priuilegiorum habemus; Quamuis enim Alij desuper consulti mouerent, quod aliàs istud priuilegium remaneret superfluum, nulliusq; operationis; Dicebam tamen quod superfluitatis argumentum in iure minimum leue reputatur,

tatur, vt aduertitur *apud Otthob. decisione* 244. *& dec.* 271., & habetur alibi pluries,
12 præsertim *sub tit. de fideicommiss.*, ideoque sufficit ad illam excludendam, quod aliquam talem qualem faciat operationem, qualem non leuem facere videtur, concedendo contra tertium actionem directam, & exequutiuam aliàs de iure non competentem; Et fortè probabiliùs, posito secundo requisito causę lucratiuæ, etiam absquè necessitate formalis iustificationis primi requisiti excussionis, & subsidij, cum frequentiùs, vt dictum est, soleat aliquis in gratiam eius, qui panem indiget, per speciem fideiussionis, vel expromissionis, eius fidem cum pistore accomodare.

IANVEN.

CONSTITVTI

PRO

IO. FRANCISCO SAVLIO

CVM

LERCARIIS.

Responsum ad causam.

De actione de constituta pecunia, et àn, & quando creditor eam habeat contra eum, qui se constituit soluere debitum tertij, quod appareat non deberi.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Obligatio se constituentis soluere alienum debitum non verum, vel extinctum, est inualida.*

3 *Fallit vbi sciat, siue vbi accedat stipulatio, & de ratione regulæ.*

4 *Item fallit accedente iuramento, quod supplet defectum causæ.*

5 *Inter mercatores ex pacto nudo competit actio, vel iudicis officium.*

6 *Idem attenta æquitate canonica.*

7 *Quomodo se gerere debeant Aduocati requisiti adscribendi extrà Curiam.*

8 *Declaratur limitatio prima, de qua num. 3., & donatio non præsumitur.*

9 *Quod hodie in foro rara sint ea, quæ in iure habentur circa differentiam inter stipulationes, & pacta nuda.*

10 *Non dicitur extinctum debitum per dationem in solutum, vel adiudicationem iudicialem, si competit ius redimendi, quod deducatur ad exercitium.*

11 & 12 *Quod in ista controuersia non intrarent dicti termini constituti, & quales essent proprij termini causæ.*

DISC. LXXIV.

1 PRo Ossidentibus pro communi domum, Paulo, & Barbara, cum Hieronymus Barbaræ creditor, ad formam statuti Ianuen. *lib.* 4. *cap.* 2. in Barbaræ portionem æstimum obtinuisset, cum subsequuto etiam effectu, locando, ac pensiones per aliquod tẽpus percipiendo, Paulus, vt dictam portionem obtineret, & constituit dicti Hieronymi debitorem sub certa dilatione de eo, quod esset debitrix dicta Barbara, reportata contra eam cessione iurium; Cumque dictus Franciscus Hieronymi hæres ad solutionem pulsaret Lercarios Pauli hæredes, excipiebant isti de inualiditate obligationis contractæ per constitutum de
2 alieno debito, quod supponebatur indebitum, vel extinctum, ad *textũ in l. hactenus ff. de constitut. pecun. & l.* 2. *C. eodem*, vtrobiq; Scribentes, de quibus *apud Mãtic. de tacit. lib.* 19. *tit.* 3. *numer.* 1. *& seqq. Harpprect. in §. de Constituta* aliàs *in personam Institut. de action. Franch. dec.* 343.

Desuper autem ex parte actoris ad opportunitatem causæ vertentis in Ciuitate Ianuen. requisitus ad scribendum; Admittebam veritatem regulæ, deducebam tamen duplicem eius limitationem;
3

Primò

Primò scilicèt, vbi quis scienter alieni debiti se debitorem constituat, cum tunc ita donare videatur; Et secundo vbi accedat stipulatio; Ideo enim regula procedit, quia supponitur constitutum factū esse per pactum nudum, quod de iure ciuili nullam producit actionem, vndè propterea recurrere oporteat ad æquitatem prætoriam, quæ non datur nisi pro causa vera, ex ijs, quæ ad hanc materiam constituti habentur *apud Fabr., Iason., Cynot., Picard., Harpprect. & alios in dicto §. de constituta alibi in personam Institut. de action* benè *Galiaul. in rubr. ff. de verb. obligat. numer. 92. cum sequent., Mantic. de tacit. dicto lib. 19. tit. 3. num. 18. cum seqq.*; Ac propterea, vbi accedit stipulatio, cessat ratio prædicta, cum ita cōpetat actio de stricto iure, et consequenter recurrere non oportet ad æquitatem prætoriam, pro qua obtinenda, de veritate, ac existētia debiti constare debet.

Clariùs verò dicebam hæc procedere, stante iuramento, quod causæ defectum suppliet, atque pacto efficacem præbet actionem, absque necessitate recurrendi ad æquitatium iudicis officium, seù Prætoris subsidium ex deductis *per Mancin. de iuram. par. 4. effect. 24. Zacch. de oblig. numer. quæst. 17. num. 155., Cigal. in dicto §. de constituta num. 18.* benè *Gait. de credit. cap. 3. tit. 1. n. 461. cum seqq., apud quos concordantes.*

Ac etiam quia, cum summa, pro qua Paulus se constituerat, conuersa fuisset in contractum cambij per nundinas, tanquam inter negotiatores, hinc dicebam, quod ex pacto nudo competeret quoque actio inter negotiatores, inter quos non attenduntur iuris apices desiderantes stipulationem, ac distinguentes pacta nuda ab alijs contractibus, quoniam inter eos proceditur de bono, & æquo, ideoque ex pacto nudo oritur actio ex deductis *per Scacc. de Camb. §. 2. glos. 5. numer. 281. Rot. apud Buratt. decis. 497. num. 5.*

Et demum, quod vltrà inspectionem, à de iure nouo, etiā ex pacto nudo producatur actio, vt disputant supra allegati; sustentiā, cessat difficultas attenta æquitate, canonica, per quam, etiam, ex pacto nudo actio competit ad notata *per Canonistas in cap. 1. de pactis cum concordantibus per Rotam apud Buratt. decis. 476. numer. 14. decis. 58. par. 6. recen. 17. & seq. in Romana seù Veliterna assistus 15. Martij 1652. coram Bichio inter suas decis. 500.*

Ista deducebam more Aduocati scribentis ad causæ opportunitatem, vt satisfieret dictæ regulæ, in qua scribentes pro Reis conuentis fundamentum constituebant; In alia verò scriptura separata, eidem requirenti pro stylo vna cum 7 responso transmissa, cōtinente meū iudicium, seù obseruationes pro veritate, vt ità causæ directores in partibus, moniti de difficultatibus, eis occurrere possent, siuè ad concordiam faciles se redderent; Aduertebam, quod in prima limitatione deducta ex textu *in l. si quis argentum §. fin. Cod. de donat.*, quando scilicèt quis scienter pro alieno debito se constituat, 8 quia sciat esse indebitum, nullum constitui posset probabile fundamentū, quoniam cum ista limitatio fundata sit in ratione implicitæ donationis, nimium difficilè, atque in foro rarum est, ità inter extraneos, inter quos nulla affectionis, vel sanguinis, aut antidoralis obligationis ratio vrget, inducere donationē, quæ in dubio non præsumitur, & pro qua excludenda quilibet possibilis intellectus capiendus est ex deductis *apud Caualer. decis. 503. Rot. decis. 41. numer. 2. & seqq. par. 9. rec.*, & frequenter in sua materia *sub tit. de donat., & alibi*; Ideòq; ista limitatio remanere videtur pabulum scholasticorum, & Academicorum, cum pro currenti vsu, non de facili praxis doceat huiusmodi donationes, potissimè ex facti circumstantijs clarè, ac euidenter donationem excludentibus; Tùm quia nulla suberat causa donandi; Tùm etiam quia constabat, quod cum Paulus esset alterius portionis domus possessor, ità potiùs ad industriam, ac negotiationem, se debitorem constituerat, vt iura contra Barbarā acquireret, eiusq; portionem obtineret, non autem vt, vel creditori, vel debitori, pro quo se obligauit, aliquem morem gereret.

Prout aduertebam euagitoria potiùs esse alia, de quibus supra ad responsi ornatū deducta, atq; vt satisfieret Scribentibus in contrarium, ità scholastico more cum huiusmodi quæstionibus materiā 9 tractantibus; Hodie siquidem à foro, ob dictas limitationes in suis casibus veras,

exulasse videntur subtilitates iuris ciuilis circa distinctionem inter pacta nuda, & stipulationes, sed principaliter attenditur substantia veritatis, ào scilicèt debitũ alienum, pro quo quis se constituat, verè subsistat, necnè, quoniam eo non subsistẽte, corruit obligatio ex capite erroris, seù falsi præsuppositi; Vndè propterea cũ iste sit defectus naturalis, vtpotè proueniens à defectu consensus, istum non supplent, neque iuramẽtum, neque canonica æquitas, vel mercatorum stylus, cum hæc omnia percutiant solum remotionẽ subtilitatum iuris ciuilis, non autem ea, quæ sunt iuris naturæ, ipsamque veritatem percutiunt, cum iuramentum, vel canonica æquitas famulentur veritati, eamque confoueant, non autem coadiuuent mendacium, vel errorem, seù fraudem, ex ijs, quæ in proposito dotis confessatæ habentur *sub tit. de dote disc.* 159. *& alibi.*

Ideoque causa restringebatur ad punctum, àn creditũ Hieronymi contra Barbaram subsisteret, necnè, & qualia essent fundamenta, ex quibus illud impugnabatur, cumque desuper distincta notitia nõ haberetur, hinc proindè (vt frequenter contingit, in causis extra Curiam) maturum iudiciũ pro veritate desuper efformare non potui.

Quatenus verò debitum Barbaræ, verè, ac naturaliter debitum esset, solaque eius in subsistentia de tempore constituti proueniret ex quadam iuris subtilitate, quod *scilicèt per æstimum in vim Statuti* à creditore obtentum, tanquam per speciem iudicialis dationis in solutum, vel adiudicationis, illud extinctũ esset, ideoque de tempore constituti, Barbara dici non posset debitrix; Credebam istud esse nimium fragile motiuum continens quãdam meraphysicam legalem, scholis, non autem foro cõgruam, quoniam; Aut Pau-
10 lus, qui se constituit hoc debitum soluere, gerere voluit negotium dictæ Barbaræ debitricis, quæ æstimum passa fuerat; Aut voluit gerere negotium proprium, ad propriam vtilitatem; Primo casu, stãte iure redimendi, quod debitori æstimum patienti ad eiusdem Statuti normã competit, ità implicitè, seù ad exercitiũ reduci dicitur dictum ius redimendi, per quod dicta iudiciali in solutum datione resoluta, atque causa redacta ad non causam, tanquam per speciem postliminij, antiquum creditũ suam assumit naturam.

In altero autem casu, in quo cõstituens proprium negotium potiùs gerere voluit, extraneos, siuè incongruos esse dicebam dictos terminos constituti, quoniam
11 tunc in effectu non est se constituere pro alieno debito, sed emere iura creditoris contrà debitorem, ideoque summa, ad quam constituens se obligat, dicitur potiùs pretium nominis, vel iuris empti. Istique videbantur veri, & proprij huius causæ termini.

Atque ex hoc inferebam, quod vbi etiam dictum creditum esset dubiũ, quoties summa, pro qua tertius se constituit debitorem, proportionata esset pretio emptionis incertæ aleæ, iuxta ea, quę no-
12 tantur ad materiam textus *in l. 2. & ad tit. ff. & C. de hæred. vel act. vendit.* siue ad materiam textus *in l. per diuersas, & l. ab Anastasio C. mandat.*, atque vbi verè incessum, nullam facti, nec iuris subsistentiam haberet, tunc pro inualiditate actus intrarent termini falsi præsuppositi, siue alij inualiditatis huius implicitæ venditionis, ex defectu rei, in qua consistit vt ex essentialibus huius contractus requisitis iuxtà ea, quæ habentur *supra disc.* 6. ad materiam exigibilitatis iuris, vel nominis cessi, quam cedens cessionario prestare tenetur, cum similibus; Incertum verò est quid in causa sequutum sit; Illi tamen certum videbatur, quod dicti nomini constituti, seù de constituta pecunia improprij essent, atque à casu cõmuersiæ extranei, & tamen super eis principaliter, ac præcisè certatum fuit; Tãs est quotidianus huius facultatis abusus capiendi quid pro quo.

ROMANA

SOCIETATIS

PRO

CREDITORIBVS

CVM

AVRELIA SERENA.

Casus disputatus in Rota, incertus est exitus.

, & quando creditores alicuius negotij, seù rationis campsoriæ, actionem habeant contra eum, qui proprium nomen negotio accommodauit, seù passus est illud adhiberi; Et quando socius, etiam post dissolutam societatem obligatus remaneat ad debita per sociale negotium contracta.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De potestate viri in bonis extradotalibus mulieris.*
3 *In præiudicialibus requiritur scientia certa.*
4 *Mulier non potest contrahere societatem in Vrbe sine solemnitatibus Statuti.*
5 *Minores, & mulieres in negotijs mercantilibus contrahunt sine dictis solemnitatibus.*
6 *De ratione huius conclusionis.*
7 *An & quando accommodans eius nomen alteri, vel patiens, vt ille vtatur, teneatur erga eos, qui nominis fidem sequuntur.*
8 *De applicatione ad casum.*
9 *Vnus ex socijs non potest se eximere à negotio sociali in præiudiciũ sequentium fidem negotij, nisi cum denunciijs &c.*
10 *Vnus ex socijs obligat alios in solidum.*
11 *De ratione conclusionis, de qua num. 9.*
12 *De eadem conclusione, de quæ num. 5.*

DISC. LXXV.

CAmpsoriam artem, seù negotium in Vrbe exercente Anibale Serena, eo defuncto, hærede scripta Aurelia filia, per istam deputatus fuit Augustinus Lucus eius vir institor, ac administrator dicti negotij sub eodem nomine Anibalis continuantis; Ad aliquod verò tempus, aperto nouo negotio sociali, inter dictos Augustinum, & Petrum Ferrettum, eadem Aurelia tacitum consensum præstitit, seù permisit, vt idem Augustinus, nomen Serenæ patris cum proprio adhibere posset, ideoque iuxtà stylum, scriptæ fuerunt dicti primi negotij amicis, & correspondalibus, litteræ oblatoriæ, ac certioratoriæ istius noui negotij cantare debentis sub nominibus Serenæ, & Luci; Cumque postmodum Augustinus defecisset, hinc proindè creditores, cum ista noua ratione contrahentes, iudicium instituerunt contra dictam Aureliam Anibalis hæredem, introductaque causa *in Rota coram Beuilacqua*, eaque proposita, dilata resolutione, incertum est, àn vlteriorem progressum habuerit, cum de illa amplius actum non audierim, vel quia cõcordata sit, vel quia eam subsistentes potissimùm Executores testamentarij cuiusdam pij operis in Ragusina Ciuitate, neglexerint prosequutionem, Aut quod mutauerit defensores, vt sæpè contingit ob mutationem causæ Patroni.

1

In disputationibus desuper habitis, præfatæ Aureliæ Reæ conuentæ defensores versabãtur circa generalitates cuicumque indifferenti materię conuenientes, quod scilicèt prima societas, seù primum negotium iam dissolutum fuisset, quodque licèt nouũ negotium, cum quo debita contracta erant, dictũ nomen Serenæ adhibuisset, attamen id gestum non erat per ipsam Ream conuentam, personam dicti Serenæ repræsentantem, dum nullus actus positiuus ex eius parte accesserat, sed Augustinus vir in capitulationibus initis super nouo negotio cum Petro, asseruit hanc facultatem sibi ab vxore concessam esse; Vir autem non poterat eam obligare, dũ agebatur de bo-

2

nis,

nis, vel iuribus extradotalibus, de quibus vir disponendi facultatem non habet, potissimè obuentis constante matrimonio, quæ propterea (iuxtà vsum opinionem) cõtradistinguuntur à paraphernalibus, quorũ maior administratio penès virũ est, ex ijs, quæ ad hanc materiam bonorũ extradotalium habentur *sub tit. de Dote discur. 168.*

Neque dicebant obstare debere præfatæ mulieris scientiam, ac patientiam ex aliquibus adminiculis, & argumentis, 3 vt infra deductam, ob receptam, ac frequentem propositionem, de qua cæteris relatis *Gregor. decis. 425. num 5. & 6. Buratt. decis. 899. numer. 2. & passim*, quod in grauiter præiudicialibus, non sufficit scientia præsumpta, vel coniecturalis, sed debet esse expressa, & concludenter probata per actus vniuocos, ac benè concludentes, non autem vagos, & æquiuocos.

Fortiùs verò dum agebatur de muliere, quæ in Vrbe ex statuto 151. inhabilitata est ad faciendum quoscumque cõtractus, vel alios actus præiudiciales, ex quibus lædi potest, absque solemnitatibus ab eo præscriptis, de quibus pluries 4 in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.*; Et in specie societatis, quod nec explicitè, nec implicitè contrahi possit per mulierem non seruata dicti statuti forma *Buratt. decis. 467.*, vbi recedit à distinctione firmata in præcedenti *decis. 408. inter* societatem tacitam, & expressam; Et habetur *dicto titulo de alienat. disc. 34.*

His tamen non obstantibus, probabilius creditorum fauore respondendum esse dicebam, scribens pro eis; Illud in primis aduertendo, vt clarum æquiuocum esset, in ista negotiatoria, seù mercantili materia, procedere cum præfatis terminis generalibus, quos in materijs indifferentibus habemus, quoniam etiam in minoribus, qui de iure communi quoquè inhabilitati sunt, ac etiam in materijs priuilegiatis, vt est dos, cessante causa necessitatis, ipsoque iure statutario maiorem patientibus inhabilitatem ex eodem Statuto 151., & ex altero 113., solemnitates non requiruntur; Multò igitur minus in mulieribus maioribus, quæ iuris communis dispositione attenta, excepto Velleiano, in reliquis non differunt à viris, nullamque patiuntur inhabilitationem ex plenè firmatis *per Rot. decis. 284. par. 9. rec. repetit. post Zacch. de oblig. cam. decis. 192.*, & habetur particulariter actũ *sub tit. de alienat. & cõtract. disc. 34.*

Ex ea potissimum euidenti ratione, quod exteri negotiatores, negotij ip- 6 dem sequentes, incerti sunt, an ille, sub cuius nomine cãtat, sit maior, vel minor, cum sæpius, etiam sub nomine personæ iam defunctæ, rationes continuari, seù exerceri soleant; Vnde esset aliàs mundi inuoluere, nimiumq; latum aditum fraudibus, & circumuentionibus aperire, cõtra publicam vtilitatem ex commercij libertate resultantem, & quæ vtilitati priuatæ semper anteponenda est; Accedit quia non intrat ratio particularis circumuentionis, vel doli præsumpti, quæ intrat in priuatis contractibus, cum ista cadere solùm possit in vno socio, qui alterum ad id inducat, non autem in negotiantium, & correspondentium vniuersitate.

Neglecto igitur hoc fundamento, atque ex facti circumstãtijs pro certo præsupposita inexcusabili scientia mulieris super dicti nominis vsu; Restringebatur 7 causa ad punctum, seù quæstionem, an ille, qui scit, ac patitur, vt eius nomine negotium exerceatur, ità consentire videatur, vt sibi præiudicet, atque creditoribus, & correspondentibus obligatus remaneat.

In hoc autem puncto, quidquid dispositione textus *in l. 1. §. magistrum ff. de exercitor. act.*, & *in l. fin. ff. quod cuiusc.*, dissentiant, seù varient *Bartolus*, aliique nostri maiores; Probabilis, magisq; recepta videtur distinctio, quam adhibet *Castrens. cons. 242. circa princ. lib. 1.*, & pleniùs reassumit *Rota Ianuen. decis. 14 num. 82.* cum qua procedit *Rota* in adeo discussa *Romana societatis de Rotignis 19. Iunij 1645.*, 2. *Martij 1646.*, & 10. *Februarij 1648. coram Ghislerio*, & 31. *Ianuarij 1661. coram Bourlemont*, quarum decisionum prima est impressa *apud Marin. resolut. 207. lib. 2. & 3. decis. 30. post Salgad. in labyr.*, eamque reassumit *Rocc. de societ. notab. 49. numer. 163.*, quod scilicèt, si negotiatio à me cæpta fuit, fiuè agitur de his, quæ per me fieri consueuerunt, & tunc teneor, quoniam ità

ita resultare videtur quędam præpositio, seu institoriæ species, quod scilicet super negotio, quod iam ego sub meo nomine exercebam, præposuerim illum, qui meum nomen adhibet, & continuat; Serius autem è conuerso.

Applicando autem ad rem, postquam obijt Annibal Serena, sub cuius nomine, ac probata fide, negotium notabili tempore exercitum fuerat, ipsa Aurelia expressè virum præposuit, vt illud continuaret, vt de facto sequutum fuit, ideoque mercatores, & correspondales, diuinare non poterant huiusmodi innouationes, ac personarum distinctiones, & qualitates, et consequenter versabamur in prima parte distinctionis.

Hinc propterea, benè firmatur in allegatis decisionibus editis *in Romana societatis de Rotignis*, quod si inito negotio sociali inter plures, quorum vnus cõtrà negotio exeat, satque concorditer per consocios liberetur, adhùc tamen obligatus remaneat, nisi per publica edicta, seù litteras certificatorias, id ad notitiam *negotiantium*, & correspondalium benè deducatur; Aliàs enim esset publicam fidem fallere, cum correspondales notitiam non habentes idoneitatis, & qualitatis aliorum sociorum, sequantur principaliter fidem nominis probatæ fidei, quamuis aliorum nomen adiungatur, vt aduertitur *apud Rocc. de societ. notab. 79. num. 163.*; Et ex quo prodijt recepta cõclusio super obligatione cuiuslibet ex socijs in solidum ex deductis *apud Cels. decis. 6.*, & *in dictis decisionibus in Romana societatis de Rotignis*, ac frequenter, cum sit principium receptum; Et conferunt, quæ habentur *sub tit. de Regalibus* ad materiam officiorum, & locorum montium.

Sæpiùs ex cõtingit, quod probati nominis negotiator, eius iuuenes ad negotiũ admittit, nouamq; rationem aperit, sub eius, ac illorũ nomine; Correspondales autem continuationẽ opinantes, antiquã probati nominis fidem sequuntur, quæ ità dubia remanere posset contrà omnem probabilitatem, ac rationem publicæ fidei, publiciq; commercij, quoniam aliàs non credidissent consocijs; Ideoque sibi imputet ille, qui negotium prius sub eius nomine exercebat, cur per litteras certificatorias, ac per edicta iuxtà regionum stylos, ac mores, sibi non præcauerit; Atque licèt in mulieribus, vel alijs imbecillis iudicij, qui circumuentionibus, ac fraudibus sunt subiecti, dari possint inconuenientia; Attamen fauor publicus præponendus est huic priuato iuxtà conclusionem insinuatam supra, vt in negotijs mercantilibus non requirantur solemnitates, quæ aliàs in minorũ, vel mulierum contractibus requisitæ sunt.

ROMANA PECVNIARIA SEV ADMINISTRATIONIS PRO LAVRENTIO DOMITIO CVM GREGORIO SATO.

Casus variè decisus per Rotam.

An efficiatur quis debitor alterius nomine proprio, ob pecunias ei simpliciter traditas, causa non expressa; Vel potiùs pecuniarum traditio referenda sit ad nomen administratorium, adeòut debitum, vel creditum pendeat à redditione rationum negotij administrati.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Administrator nũ dicitur debitor, vel creditor ante redditas rationes.*

3 Re-

3 *Resolutiones causæ.*
4 *Pecunia alicui tradita in dubio referenda est ad mutuum.*
5 *Fallit vbi pateat de causa diuersa.*
6 *Quod istæ sit punctus potiùs facti, quàm iuris.*
7 *Quomodo decidi debeat.*
8 *De errore deferendi doctrinis indefinitè.*
9 *Donatio non præsumitur, & pro eius exclusione est regula.*
10 *Pecunia data per socium solum, an proprio, vel sociali nomine referatur.*
11 *De duplicatione personarum.*
12 *Inter socios, vel administratores dari, & recipi solent pecuniæ.*
13 *De coniecturis, & adminiculis probantibus titulum administrationis &c.*

DISC. LXXVI.

1 CVM Hippolytus Daccius mercator, filios pupillos reliquisset sub tutela Gregorij, confirmauit iste in tabernæ, seù fundaci institorem, & administratorem Laurentium, cuius opera idem Hippolytus vtebatur, ipso tutore reliquum assem administrante; Cumque inter dictos Gregorium, & Laurentium, vtraque administratione durante, plures pecuniarum summæ cum solitis notulis, seù paruis pagellis, datæ, ac respectiuè receptæ essent; Hinc finita tutela, Gregorius Laurentium pulsauit coram A.C. ad solutionem scutorum 1000. circiter, in quibus ex dictis pagellis debitor apparebat, dictoque Laurentio, (cui pupilli facti maiores adhærebant), excipiente de conuersione dictæ pecuniæ in causam administrationis, quodque propterea debitum, vel respectiuè creditum penderet à *redditione rationis* per vtrũque facienda, ex recepta propositione, quod administrator dici non potest debitor, vel creditor, nisi redditis rationi-
2 bus iuxtà vulgare *consil. 237. Anchar.* passim receptũ, & in sua materia *sub tit. de tutor. & administrat.*; Hinc Iudex mãdauit, vt Laurentius reddere deberet rationes; Interpositaque per Actorem appellatione *in Rota coram Vicecomite*, ipso
3 Actore solùm informãte *sub die 27. Maij 1662.* ad eius fauorem prodijt resolutio, vt scilicèt constaret de credito ex causa mutui, ad quod pecuniæ referendæ essent; Repropositа verò causa *sub die 30. Ianuarij 1665. coram Taya subroga-to*, recedendo à decisis, dictum fuit eas referendas esse ad causam dictæ administrationis, atq; in hac posteriori perfectum fuit *sub die 31. Ianuarij 1666. coram eod.*, neque, quod sciam, causa vlteriorem progressum habuit.

Fundamẽtum primæ resolutionis pro Actore fuit in regula desumpta ex textu *in l. si quid ff. si cert. petat.* cum ibi com-
4 muniter notatis, cum cõcordantibus deductis *per Rot. apud Merlin. decis. 692. repetit. decis. 69. par. 7. rec.*, & *decis. 315. par. 11. rec. cum alijs in decisione*, quod scilicèt pecunia simpliciter alteri data, non expressa causa, mutuo referenda veniat.

Non negabam ego scribens pro Laurentio Reo conuento regulam prædictam; Dicebam tamen eam communiter limitari vbi, nedum per expressam pro-
5 bationem, sed etiam per præsumptiones, & adminicula constet de diuersa causa, vt plenè firmatur *in dict. decis. 692. Merlin. & dicta decis. 315 par. 11. rec.*, cuius casus insinuatur *sub tit. de Regal. disc. 1.*,
6 cum alijs de quibus infrà, vndè propterea huiusmodi quæstione (vt pro maiori parte videntur hodiè omnes forenses cõtrouersiæ), sunt potiùs facti, quàm iuris, totaque inspectio est in applicatione, an scilicèt versemur in casu regulæ, vel potiùs in altero limitationis.

Ad limitationem autem desumendã, quoties, deficiente probatione expressa, ad præsumptã seù coniecturalem recurrere oportet, Aduertebam, quod certa,
7 & determinata regula dari non potest, cum iuxtà generalem coniecturaliũ naturam, totũ pendeat ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, ex quibus, (vt in omni ferè materia aduertitur) frequenter praxis docet, vt in vno casu aliquæ licèt modicæ, ac leues præsũptiones, & coniecturę sufficiunt, in altero autẽ cædẽ, longèq; maiores insufficiẽtes reputẽtur, vndè propterea semper inculcandus venit adeò frequens error modernorum, regulas, seù doctrinas in vno casu firmatas cuicumq; alteri indefinitè applicandi, non reflectendo ad diuersas
8 circũstãtias, in quibus præcipuè Iudicis, vel Consulentis ad veritatem, partes esse debent.

Ad

Ad huiusmodi autem præsumptiuam, seù adminiculatiuam probationem regulandam, reflectendum est potissimum ad naturam, seù qualitatem causæ, ad quam pecuniarũ traditio in exclusionem mutui referri prætenditur; Vbi etenim allegatur causa donationis, iuxtà casus, de quibus *dicta decis.692. Merlin., & decis. 315 par. 11. rec., & dicto disc. 1. de Regal.*, tunc, resistente regula exclusiua donationis, de qua *in proximè allegatis decisionibus, & decis. 41. in princ. par. 9. rec.*, ac frequentèr, longè maiores, ac efficaciores coniecturæ, & præsumptiones desideranda veniunt iuxtà singulorũ casuum circumstantias, potissimum verò circa verisimile, vel inuerisimile, ex ibi deductis.

Secùs autem vbi causa, vel titulus donationis non allegatur, sed alter onerosus, & correspectiuus, qui mutuo æquipolleat, neque pecuniæ receptor, de lucro, ac locupletatione contendat, sed solùm de relatione ad vnam, vel alterã debendi speciem iuxtà quæstionem, de qua supra *in Viterbien. disc. 62.* deductam ex traditione *Bart., Bald., & aliorum in l. fin. §. sin autem miles C. ad Macedonian.*, àn scilicèt pecunia per vnum socium alteri tradita, in causa socialem, atque de ipsius socialis negotij effectibus referẽda sit, vel potiùs nominibus proprijs respectiuè, cum tunc minora adminicula sufficere videantur, eo quia iuris regula, seù præsumptio non resistit, vt est in casu donationis, sed potiùs assistit, ex deductis, cæteris relatis *apud Buratt. decis. 85., & post Zacch. de oblig. camer. decis. 193.* aliàs *apud Celsum decis. 6., decis. 323. num. 8. cum seqq par. 5. rec. & in alijs*; Quamuis enim non implicet, stante possibili pluralitate, seù diuersitate personarum formalium, seù intellectualium in vna materiali, vt ad mutuum, vel aliam causam priuatã id referri valeat ex deductis *dicto disc. 62.*, quoties facti circumstantiæ ità suadeant, de facili tamen dictus alter titulus socialis præsumitur.

Applicando autem ad rem, quamuis inter præfatos Actorem, & Reum non adesset societas negotij, aderat tamen societas administrationis cum subordinatione inter eos, dum vnus erat administrator maior, seù generalis tanquam tutor, alter verò inferior, seù particularis tanquam institor mercimonij, atque dabantur mercatorum, ac negotiantium attestationes super hoc stylo, quod inter negotiorum præpositos, seù administratores maiores, seù generales, ac minores, vel subordinatos, currere solent pecuniæ, hinc indè cum paruis notulis, seù pagellis, iuxtà cuiuslibet respectiuè administrationis oportunitatem.

Vltrà verò hanc generalem magisque vagam præsumptionem, quæ fortè sola, & de per se non omninò sufficiens esset; Plures accedebant præsumptiones, & circumstantiæ particulares, illa præsertim quod ex parte dicti Laurentij docebatur quod huiusmodi pecuniæ à tutore pro maiori parte datæ fuerant occasione implẽdi tractas, seù litteras cãbij in causam tabernæ, seù negotij; Ac etiam accedebat magna inuerisimilitudo, quæ resultabat à qualitate personę dicti Laurẽtij, cui verisimile non est, ob eius paupertatem, dũ ex illo ministerio cum menstruo salario viuebat, vt actor absq; scripturis, & cautelis, in causam propriam summas adeò notabiles mutuare voluerit.

Atque ex ista circumstantia resultabat altera, quod eiusdẽ Actoris magis intererat dictas pecunias datas esse in causam administrationis, vt ità haberet debitores ipsos pupillos factos maiores, qui erãt diuites, ac idonei, magis quàm præfatum Laurentium non idoneũ, cum alijs circũstantijs facti, cuius potiùs (vt dictum est) quam iuris erat quæstio, ideoque probabiles, benèque fundatæ visæ sunt posteriores resolutiones.

ROMANA

SIMVLATIONIS MVTVI

PRO

FRANCISCO MARIA BARTOLINO

CVM

ABBATE BROCCHIO.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Francisco Maria, postea concordatus.

De debito, vel credito simulato circa causam, quod tamen in substantia licèt ex causa diuersa, sit verum, quia nempè debitum ex vna causa, asseratur in illam mutui; Et quid vbi accedat etiam simulatio personæ, àn sit experibile, necnè; Et quando causæ, vel personæ simulatio, obstet, vel non obstet.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Testis mediator vnicus, iunctis adminiculis probat.*
3 *Confessio extraiudicialis parte absente probat de canonica æquitate.*
4 *Verisimile, vel inuerisimile satis attenditur in materia simulationis.*
5 *De argumentis probantibus simulationem.*
6 *Quãdo adest causa simulandi imperfectæ probationes sufficiunt.*
7 *Simulatio personæ in iure non est damnata, quando debitum est verum.*
8 *Idem de simulatione causæ, vel cõtractus, data eadem veritate.*
9 *Vt non dicatur simulatio, sed nouatio, vel transfusio.*
10 *Secus vbi cessat dicta veritas, seù alias ius debitoris efficitur deterius.*
11 *Quando per simulationem personæ fiat deterior conditio debitoris &c.*
12 *Quod in probatione simulationis non detur regula certa.*

DISC. LXXVII.

1 POst diuturnam dispendiosam litem agitatam, inter Liuium, & Franciscũ Mariam, de eadem familia Bartolina, super Archidiaconatu Cathedralis Burgi Sancti Sepulchi de iurepatronatus laicali, deuentum est ad concordiam, per quam Liuius liti cessit; E conuerso autem Franciscus Maria, cui beneficium remanebat, pro refectione expensarum litis, ac fructuum ea pendente decursorum, soluere promisit Liuio quamdam notabilẽ summã, cum reseruatione Apostolici beneplaciti per Liuium impetrandi, vt de facto supplicatio desuper signata fuit in forma commissaria directũ Ordinario loci sub conditione verificationis, quod expensæ, ac fructus dictam summã importarent, vt ità, non ratione dimissionis beneficij, sed ratione dicti crediti temporalis, pecuniarum solutio sequi diceretur; Quia verò pro verificatione dictæ conditionis, incommodum pati oportebat, atque aliquam impensam facere, hinc ad id euitandum, Liuius de consilio eorumdem peritorum causidicorum, qui vtriusque defensores in lite fuerant, curauit vt Frãciscus Maria, per apocam, sub nomine mutui, ac sub assertione pecuniæ numeratæ, cum certa dilatione se constitueret debitorem Abbatis Brocchij de dicta summa eidem numerato soluta cum quietantia in forma; Cumque post plurium annorum silentium, ac dissimulationem, Brocchius iudicium instituerit, seù verius nomen accommodauerit Liuio verè pulsanti Frãciscum Mariam pro dictæ summæ solutione coram A. C., post plures disputationes, prodijt sententia Rei conuenti absolutoria, quæ (me quoque consulente) ansam dedit honestæ concordiæ, qua mediante causa finem accepit.

In his autẽ disputationibus, duæ erant inspectiones, vna facti, seù probationis, àn scilicèt per Reum conuentum probaretur allegata simulatio personæ, & causæ, quodque reuerà Brocchius nudum nomen desuper haberet, cõuentio autem sub simulato mutui nomine cederet ad commodum Liuij in dictam aliam causam;

sam; Et secundò quatenus id sufficienter iustificatū esset, quid relenaret, qualisue effectus exindè resultaret.

Prima inspectio erat facti potiùs, quā iuris, ideoque pro stylo, nullæ, vel modicæ erant Aduocatorum partes, quę erant causæ Patronorum; Nimis autem conuincentes probationes adesse videbantur resultantes; Primò ex attestatione mediatoris, cui de facto proprio deponenti, 2 nullumque proprium interesse habenti, quamuis vnico, aliquibus cōcurrentibus adminiculis, vbi præsertim sit persona qualificata, & integra (vt in præsenti) plena fides adhibetur, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Merlin. decis. 714. & 835., & sub tit. de Dote disc. 27., ac alibi pluries.*

Secundò ob benè probatas plures extraiudiciales confessiones, tàm Brocchij, quàm Liuij, quas receptum est de canonica æquitate probare, quamuis absente 3 Parte emissas, ex ijs, quæ habentur *infra disc. 69.*

Et tertiò plura accedebant adminicula, illud præsertim inuerisimilitudinis, quod in hac simulationis materia nimiū, ac principaliter attenditur ex vulgari 4 axiomate, quod quemadmodum verisimilitudo imaginē habet veritatis, ità è conuerso inuerisimilitudo imaginem habet falsitatis, vt cæteris relatis *apud Merlin. dicta decis. 835. num. 4 decis. 283. num. 12. par. 5. rec. decis. 207. num. 12. post Zacch. de oblig. camer. & frequenter.*

Cum etenim inter dictum Brocchiū, & Franciscum Mariam, nulla adesset sanguinis, vel familiaritatis coniunctio, dictusque Franciscus Maria esset exterus, 5 atq; diuersi Principatus, in quo mandata exequutiua relaxata in Curia ab A.C., vel alio Tribunali, iuxtà ferè omnium principatuum frequentiorem cōtingentiam, aliquam in exequutione difficultatem pati solent, hinc nimium inuerisimile erat, vt absquè idonea cautione, vel alia cautela, gratuitum mutuum pecuniæ numeratæ in summa notabili factum esset, cum plurium annorum dissimulatione, absque aliquo cursu fructuum inpersona prouida, & diligenti solita inuestire eius pecunias infructiferas licitas, & honestas occasiones, Et è cōuerso iustificabatur nimia familiaritas, ac fiducia cum Liuio, ex quibus, ac alijs circumstantijs, nimium clara probatio adesse videbatur.

Et nihilominus, vbi accedit causa simulandi, receptum est, vt adminiculatiua, ac imperfecta probatio sufficiat, cum concludentis probationis necessitas exi- 6 gatur, quando causa simulandi deficiat, vt ità distinguendo collectum habetur *per Add. ad Buratt. decis. 99., & Add. ad Gregor. decis. 157.*, atque est distinctio hodiè frequens, & recepta, quæ testibus non indiget.

Et quamuis Scribentes pro Actore, nimium insisterent in eo, quod non adesset dicta causa simulandi, dum verè supplicatio signata erat, atque continebat clausulam, vt sola signatura sufficeret; Attamen id verè nullam habebat subsistentiā, cum gratia non esset pura, sed conditionalis, ac in forma commissaria, sub dicta scilicèt conditione verificandi coram Ordinario, quod expensæ, ac fructus summam conuentam excederent, vel saltèm adæquarent, cuius iustificationis necessitas, sumptus, & incommoda causabat, ideoque causa simulandi remanebat indubitata.

Quouerò ad alteram inspectionem iuris, quid scilicèt releuaret hæc simulatio, tàm personæ, quàm causæ; Scribentes pro actore dicebant, quod stante veritate debiti, neutra obstare deberet; Quatenus enim pertinet ad simulationem personę, 7 deducebant conclusionem plenè firmatam *apud Merlin. decis. 835. dicta decis. 207. post Zacch. de oblig. cam. cum alijs*, de quibus *sub titulo de cambijs discur. 6. & 18.*, ac alibi pluries, quod scilicèt simulatio personæ non sit in iure damnata, cum nil debitoris interfit, si verè debitor est, adeòut non agatur de simulatione debiti ex causa indebita, àn eius obligatio sub vnius, vel alterius nomine cantet, & contracta sit, quoniam simulatio in iure damnata dicitur illa, per quam cum mendacio præiudiciali fingitur verùm id, quod, vel non est verùm, vel non est legitimum, in quibus terminis procedunt iura, de quibus *toto tit. Plus valere, quod agitur, quam quod simulatè concipitur.*

Idemque ex eadem ratione procedere dicebant circa alteram simulationem causæ, quoniam vbi debitum est verum, nil refert, si ex aliquo motiuo creditori

proficuo, debitori autem in substantia
8 non præiudiciali, alia causa simuletur etiam absque formali nouatione, quam creditoris interest non adesse, ob reseruationem priorum iurium, ac effectuum ex illis resultantium iuxtà illam simulatã causæ mutationem, quæ practicari solet in Regno Neapolitano circa credita dotalia, quod ad effectum liberè practicandi liquidationem instrumenti iuxtà formam ritus M. C V., de qua infrà *discur.* 116., ad euitandam necessitatem extrinsecæ probationis matrimonij, quæ necessaria est in debito dotali tanquam conditionali, fieri solet per virum quietantia dotis promissori, qui è contrario se constituit debitorem ex causa mutui, ex ijs, quæ habentur *apud Capyc. Latr. & Addens. decis.* 38. *&* 200., & insinuatur *sub tit. de Dot. disc.* 161., *& in alijs*; Isto enim casu intrat inspectio simulationis ob interesse creditoris, vt in effectu duret titulus dotis, tàm pro potioritate, quàm pro cursu fructuum dotalium, cum similibus.

Vbi verò istud interesse cessat, atque creditj veritas ex alia causa concurrit, id magis planum est, neque reuerà intrant
9 termini simulationis, de quibus *dicto tit. plus valere quod agitur &c.*, sed potiùs intrant alij termini transfusionis crediti de vno contractu in alterum mediante nouatione, per quam fingitur, quod pecunia ex vna causa debita, per debitorem soluta sit creditori, qui vnico contextu per actum à lege occultatum, eam debitori mutuet, siuè in aliam causam credat ad textum *in l. 3. §. is autem ff. ad macedon., & l. singularia ff. si certum pet.*, vbi cõmuniter Scribentes, de quibus *apud Capyc. Latr. dicta decis. 200. num. 15. cum seqq. Leotard. de vsur. quæst. 8. num. 40. & quæst. 27. num. fin. & passim.*

Scribens ego pro Francisco Maria Reo conuento, admittebam omnia præmissa vtpotè vera in casu suo, quãdo scilicèt debitum ex vna causa, vel vni personæ, sit verum, & legitimum, ac experi-
10 bile, adeòut per simulationem personæ, vel causæ, rei veritas, vel substantia non alteretur, neque in ea deterior fiat conditio debitoris, in quo ità fieret debitum id, quod esset indebitum, vel exceptione elidibile, secùs autẽ dicta circumstantia accedente, vt apud allegatos admittitur tanquam absolutũ, ideoque fallacia non erat circa veritatem conclusionum in genere, sed circa applicationem ad factum, dum aderat causa simulandi, neque debitum ex priori causa erat experibile, nisi prius verificaretur conditio in Apostolico beneplacito contenta, et sic erat facere debitum id, quod erat indebitum.

Hinc proindè, istæ quæstiones sunt potiùs facti, & applicationis, quàm iuris, àn scilicèt in vna, vel altera distinctionis parte versari dicamur, & àn debi-
11 toris conditio in aliquo deterior fieret, nec nè, quod contingere potest, non solùm circa simulationem causæ, quod scilicèt fingatur causa licita pro illicita, & nõ experibili, sed etiã circa simulationem personæ; Puta, quia, iuxtà vnã opinionẽ (apud me tamen parũ probabilẽ), fieri non possit contractus cambij ad fauorem creditoris ratione clericatus, vel alterius qualitatis, ideoque fingatur persona sæcularis, iuxtà casus, de quibus *dicto titulo de camb. discur. 6. &* 18.; Siue quia creditor sit forensis, ideoque incapax acquirendi hypothecas, aliaque iura realia super bonis debitoris, cum similibus; Ac etiam simulari potest persona creditoris ad tollendum obstaculũ, quod resultare solet ex beneficio competente debitori ratione reuerentiæ per creditorem sibi debitæ, nè conueniri possit vltrà quàm &c., vt ità concipiatur obligatio sub nomine extranei, in quo dicta ratio non vrgeat; Aut quod simuletur persona emptoris pignoris iuxtà terminos textus *in l. & qui sub imagine C. de distract. pign.*, de quibus *sub tit. de empt. & vendit. discur. 31.*; Quod etiam in tutore prohibito acquirere iura contra pupillum, vel in superiore, seù officiali prohibito contrahere cũ subdito, exemplificari solet, cum similibus pro facti qualitate.

In hac autem simulationis materia, certa, & determinata regula dari non
12 potest, quamuis DD. nimium se inuoluere videantur, vtpotè in quæstione facti potiùs quàm iuris, ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs regulanda, præsertim à iam dicta verisimilitudinis, vel inuerisimilitudinis, cum supradicta distinctione præexistentis causæ simulandi, quæ potissimum attenden-

da

da est pro faciliori, vel difficiliori probatione, prudentis iudicis arbitrio; Ideoque erroneum est, doctrinas, ac decisiones de vno casu agentes, omnibus indefinitè applicare.

ROMANA PECVNIARIA SEV INDEBITI PRO LAVRENTIO LECCIO CVM NICOLAO DE BENEDICTIS.

Casus variè decisus per Cameram.

De eadem materia simulationis causæ debendi, ac personæ debitoris, quod scilicèt tertius, pro debito alterius ex diuersa causa se constituat debitorem, ex causa mutui sibi facti, àn eius obligatio, seù constitutum cesset, probando indebitum; Et aliqua de fide præstanda libris mercantilibus fauore ipsius scribentis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De inualida cõstituto pro debito non vero.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *De confessione extraiudiciali.*
5 *Fides testium reposita est Iudicis arbitrio.*
6 *De materia litterarum cambij acceptatarum, àn ab eis excusetur acceptator ob decoctionem scribentis.*
7 *Inter mercatores, & negotiatores proceditur diuerso modo, quam inter priuates.*
8 *De pluribus illationibus ex dicta conclusione.*
9 *Quod error sit in his materijs procedere cum rigoribus iuris.*
10 *Quando sit constitutum, vel potiùs sit nouatio, seù transfusio debiti.*
11 *Indebitum est concludentissimè probandum.*
12 *Idem de errore.*
13 *Quod dicta probatio non adesset.*
14 *Libro non benè tento non præbetur fides.*
15 *Vel si contineat aliquos errores.*
16 *Vel vbi campsor decoxit.*
17 & 18 *De conclusione àn libri possint in parte approbari, & in parte reprobari.*
19 *De materia productionis, quando sit præiudicialis.*

DISC. LXXVIII.

PER apocam obligationis camerali vallatam, Nicolaus se constituit Laurentij debitorem ex causa mutui, atque, vt per negotiatores dici solet, *per altretanti*, in scutis tribus mille, statuto tempore soluendis; Cumque cessa die, creditor pulsaret debitorem, excipiebat iste de simulatione dicti mutui, quodque se obligasset pro debito alieno cuiusdam campsoris postèà defecti, qui suppositus fuit dicti Laurentij creditor in dicta summa, quod minus verùm conuinci supponebatur, ex eiusdem campsoris libris, ob errorem describendi in pagina, seù faciata dati, acceptum, seù debitum, et consequenter quod intraret
2 conclusio de qua *supra discur. 74.* super inualido constituto pro alieno debito, quod indebitum esse constet; Quare orta desuper lite corã Thesaurario, prodijt sententia Nicolai debitoris absolutoria, introductaque per appellationem causa *in Camera coram Saluiato*, pro dictæ sententiæ confirmatione responsum fuit;

fuit; Commissa verò causa in tertia instantia in eadem Camera *coram Cactano* 3 *sub die* 23. *Ianij* 1662. pro sententiarum confirmatione ad fauorem Laurentij responsum est, sed concessa noua audientia, recedēdo à decisis, *sub die* 15. *Ianuarij* 1666. priores sententiæ confirmatæ fuerunt, atque in hac posteriore resolutione perstitum in noua repropositione in fine eiusdem anni, vel initio sequentis, vnde prodijt tertia sententia, neque causa vlteriorem progressum habuit.

In duabus, vel tribus vltimis disputationibus, in quibus ego pro Laurentio creditore solùm scripsi, tota quæstio erat potiùs facti quàm iuris, super duplici Rei cedenti præsupposito, eiusque sufficienti probatione; Primò scilicet, an constaret de dicta simulatione, tàm personæ, quàm causæ, quodque reuera ageretur de constituto pro debito alterius; Et secundò, an constaret de allegato indebito, ex quo resultabat inualiditas, seù resolutio dicti constituti, tanquàm ex falso præsupposito.

Primi præsupposiți probatio deducebatur ex quibusdam Laurentij creditoris confessionibus extraiudicialibus, super quibus, circa imperfectam, seù non con- 4 cludentem probationem, tàm ob exceptiones personales testium, quàm ob eorumdum singularitatem, deducebam eadem, quæ in hac materia confessionis extraiudicialis habentur *infra disc. sequenti*; neque in hac materia, vtpotè reposita in Iudicis arbitrio, iuxtà celebrem textū *in l.* 3. *ff de testib.*, ibi, *tu enim scire potes quanta fides testibus adhibenda sit*, de fa- 5 cili hoc arbitrium de iniustitia posițina redargui potest; Quamuis enim de stricto iure testes non essent benè confecti, pluresque paterentur releuantes exceptiones in persona, vtpotè eiusdē Nicolai famuli, vel arcto gradu coniuncti; Attamen in contrarium vrgebat præsuppositum, quod idem Laurentius in congressibus, seù contradictorijs habitis coram aliquibus ex Iudicibus, id confessus esset, (quamuis ille cōstanter id negaret), quodque nullus daretur fumus negotiorum, quę in causam propriam inter actorem, & Reum intercesserint.

Dicebam tamen, (vt frequenter occasione aliarum causarum inter negotiatores dicere consueui, tàm in hoc Tribunali, quàm in alijs, & præsertim in Rota occasione quæstionum, de quibus *sub tit.* 6 *de camb. discur.* 20. *& seq. & 25. & seq.*, in proposito solutionis litterarum cambij iam acceptatarum, quarum solutio posteà negetur, ob superuentam, vel detectam scribentis decoctionem, ex ibi deductis); Quod non omnia, quæ de stricto iure statuta sunt inter priuatos super priuatis contractibus, qui vt plurimum maturè, prætio tractatu, atque sapientum consilio celebrari solent, & in 7 quibus intrant termini circumuentionis, seù læsionis, admittenda veniunt inter negotiatores, inter quos ob commercij libertatem, quæ fauori publico nimium congruit, iuris apices attendendi nō veniunt, sed proceditur de bono, & æquo, ex deductis *per tonciuem Robertum Marat. in specul.* verbo, *vt iudicium mercatorum*, *Gregor. decis.* 126., *Buratt. & Add. decis.* 58. *&* 419. *decis.* 154 *par.* 7. *rec. dec.* 199. *par.* 10. *& passim*.

Vndè propterea receptum est, vt minores, vel mulieres, de iure communi, vel statutario ad contrahendum absque certis solemnitatibus inhabilitati, siuè per legem restitutionis in integrum beneficio muniti, in negotijs mercaturæ, seù commercij currentis inter negotiatores, 8 huiusmodi priuilegijs non potiantur, vt aduertitur *supra discur.* 75., *& sub titulo de alienat. & contract. discur.* 34.; Prout non intrant exceptiones rei non traditæ, vel non numeratæ pecuniæ, ac similes, præsertim verò istę simulationis personæ, vel causæ, quoniā ob maiorem cōmoditatem, ac facilitatem cōmercij, inter negotiatores currere non solet pecunia numerata, sed currunt ordines, vel cedulæ, quinimò notulæ, ac paruæ pagellæ habētur pro pecunia verè numerata, atque ita debita, & credita transferuntur de vno in alterum, adeòut inter eos (iuxtà locorum stylos), etiam puncti, vel lineæ, aut cifræ, habeantur pro publicis instrumentis, magis exequutiuis, quàm sint ipsa instrumenta; Vndè propterea quando plusquam clarè non constet de fraude, & collusione, adeòut tertius, qui pro alio soluere in bona fide mercantili se constituit, collusiuè, & fraudulenter, (vt vulgò dicitur) in medio positus fuerit, vt ponderatur *dicta disc.* 25. *de cambijs* in dicto proposito acceptationis litterarum

cam-

cambij; Adeòut communi sensu negotiatorũ Ciuitatum mercantilium, ac Emporiorum Europæ, erronei, ac improprij reputentur illi merè legales rigores, cum quibus in his materijs Romana Curia procedit, quoniam verè id inconguum, atque libertati commercij præiudiciale videtur.

Quoverò ad alterum punctum, præsensi indebiti; Dicebam scribens pro creditore, quod vbi etiam admittenda esset probatio dicti primi assumpti, quod scilicèt, verè Laurentius, Nicolao pecuniam non mutuasset, vt in apoca dicebatur, sed se obligasset pro eo, quod alter campsor dicto Laurẽtio dèbebat; Adhùc tamen, ob negotia inter ipsum Nicolaũ, & cãpsorem currentia, verè nõ intrabant termini simulationis, minusque alij termini puri constituti pro alieno debito in gratiam debitoris, tanquam per speciem cautionis, vel expromissionis, sed potiùs intrarent termini nouationis, vel transfusionis debiti de vna persona in aliam, seù de vna in aliam speciem debendi, iuxtà communem traditionem *DD. in l. singularia ff. si cert. pet., & l. Iulianus ff. de condit. & demonstrat.* cum concordantibus relatis per elaboratos collectores *Amat. resol. 50. & Grass. de except. cap. 17.* ac alios modernos frequenter; Quod scilicèt ità occultantur plures actus, illenempè solutionis, quam debitor faceret creditori in pecunia numerata, ac alter mutui, vel alterius contractus, dando in continenti, ac breui manu eamdẽ pecuniam ipsimet debitori, vel alteri, vt etiam aduertitur *discur. præcedenti*.

Hoc autem posito, exindè resultare dicebam, quod primo debitore allegante indebitum, vel ex eius persona, seù iure illud allegante tertio, qui pecuniæ ità fictè numeratæ se debitorem constituit, 11 in effecta est allegare indebitum, eiusq; repetitionem; Ad hunc autem effectum, vbi agitur de indebito voluntariè soluto, requiritur eius perfecta, & omninò cõcludens probatio, quæ excludat cõtrariã possibilitatem ad communiter notata *per Canonistas in l. cum de indebito ff. de probat. & per Canonistas in cap. fin. de solut. cum concordan. deductis apud Burattum & addent. decis. 552. Rot. decis. 38. par. 5. rec.*, atque distinguendo inter repetitionem, & imputationem habetur pluries *sub tit. de vsur. præsertim dis. 12. & 17.*

Et est generale in materia erroris, vt perfectã, atq; omninò cõcludentem probationem exigat, cum exclusione contra- 12 riæ possibilitatis *ad text. in l. si post diuisionem C. de iur. & fact. ignorant., vbi Bald. & cæteri*, de quibus *Menoch. lib. 6. præsumpt. 22. Rot. decis. 128. numer. 13. par. 6. rec. decis. 349. num. 33. & 461. numer. 24. par. 9. decis. 138. num. 14. par. 10. & aliàs frequenter.*

Ista verò probatio (reflectendo etiam ad solã veritatẽ), mihi videbatur deficere; Sicuti è cõuerso videbatur, quod sufficiẽs 13 adesset in dicto primo supposito, ideoque ex hoc secundo puncto, intellectus posterioribus resolutionibus nõ acquieuit, quoniam processum fuit cum calculis desumptis ex eisdem libris dicti campsoris iam defecti, ex quibus, pro meo iudicio, malè desumebatur ea perfecta, & concludens probatio, quæ excludat contrariam possibilitatem, adeòut coarctet negatiuam alterius causæ debendi, quoniam vbi etiam libri essent benè tenti, eisque fides præstanda esset circa partitas dati, & accepti in illis descriptas, non per hoc tamen concluſa, seù coarctata remanebat dicta negatiua, seù excluſa contraria possibilitas, in qua erat punctus, quoniam aliæ adesse potuerunt partitæ extra negotium currens, quæ in libris descriptæ non essent.

Et vlteriùs, verè dicti libri, legales, benèque tenti dici non poterant, vtpotè plures patientes defectus; Primò scilicèt, quia deficiebat alter liber nuncupatus giornale, neque continebat benè ordinatam distinctionem partitarũ iuxtà 14 tempora, menses, & dies, ità & taliter, quod veritas in eis contenta tractu temporis alterari non possit, vt ad essentiam libri mercantilis, ac fide digni requiritur *Ias. cons. 4. n. 4. & seq. lib. 3., Rota Genuen. decis. 173. n. 12. & 13., Rota Romana dec. 558. num. 3. par. 2. rec., apud Buratt. decis. 419. nu. 2. & apud Cels. decis. 280. num. 6.*

Secundo quia conuincebantur de pluribus erroribus, interlineaturis, superadditionibus, & apostillis, ex quibus omni 15 prorsus fide indigni reddebantur, ex ea clara ratione, quod sicuti in aliquibus erratum dignoscitur, ità & in alijs errari potuit ex firmatis *decis. 1. nu. 9. cum seq. par. 6. rec., decis. 111. num. 7. par. 7., decis.*

359. *numer.* 12. *par.* 9. *Adden. ad Gregor. decis.* 79. *num.* 6.

Tertio ob subsequutam decoctionem scribentis, qui postquam detecta decoctione, latitauerat, atque confugerat
16 ad ecclesiasticam immunitatem (quæ rationabiliter decoctoribus iuxtà sensum Sanctissimi Pontificis Pij V. deneganda veniret), libros per tempus notabile penès se retinuit, quod nimium de fide minuit, quoniam vt aduertunt *Stracch. de decoctor. par.* 3. *num.* 24., & *Rocch. in notabil. de decoction. post secundum vol. consil. notab.* 10. *num.* 30. *cum seqq.*, isti mercatores, qui à publica fide deficiunt, libros alterare, vel adulterare solent, omniaque malafacere.

Scribentes in contrarium, insistebant in eo (in quo etiam Iudices potissimum constituerunt fundamentum) quod Laurentius hos libros approbasset, eisque in aliquibus partibus vsus esset, præsertim circa solidationem computorum in eis contentorũ aduersus alios creditores in concursu, ideoque nõ posset eosdem, quos approbauerat, reprobare.

Verùm istud videbatur fragile fundamentum ex pluribus, præsertim verò ex eo, cui nunquam vidi datam adæquatam responsionem, quod scilicèt, admissa etiã librorum legalitate, non tamen exindè concluſa remanebat dicta negatiua, vel contraria possibilitas aliarum causarum debendi; Vel quia per obliuionem, aut ex alio motiuo aliquæ partitæ potuerint nõ describi in libris; Vel quia essent negotia extraordinaria, vt aliquis fumus dabatur; Ideoque indebitum non probari ex inspectione librorum in specie firmatur *per Rot. apud Roias decis.* 189. *num.* 13.

Et vlterius, conclusio, vt ijdem libri, vel scripturæ diuidi non possint, neque in parte approbari, & in parte reproba-
17 ri, nõ procedit, quando constat quod nõ benè, ac legaliter tenti sint, cum tunc in odium non benè implentis eius munus diuidi valeant, ideoque probant contrà scribentem, non autem pro eo, vt benè aduertitur *per Rot. decis.* 359. *numer.* 7. *& seqq. par.* 9. *rec.*, *& in Firmana pecuniaria* 3. *Iunij* 1650. *coram Bichio inter suas decis.* 423. *num.* 14. *& 15.*

Clariùs verò, quia tunc desuper caderet difficultas, quando intentio creditoris, principaliter fundata esset in ipsis libris, ex quibus eius actionem deduceret,
18 ideoque eorum productio, vel alter vsus esset pro meliori titulo, ac principali fundamento, secùs autem vbi creditor aliundè eius actionem deducat, suamque intentionem fundatam iam habeat in alio documento, vt in præsenti; Libri autem ad alium effectum deducantur, vt aduertitur *dicta decis.* 359. *num.* 6 *par.* 9. *rec.*; Et conferunt, quæ in materia pro-
19 ductionis tituli, habentur *sub titulo de Regal. discur.* 47., *& sub tit. de alienat. & contract. discur.* 3., ac etiam *sub tit. de iudicijs, & alibi*; Dicebam etenim quod creditor non indigebat libris, dabatque manus, vt comburerentur, ideoque non videbatur, cum quo iuris fundamento, dicta exacta, & concludens probatio, quæ negatiuam coarctaret, atque cõtrariam possibilitatem excluderet, ex illis deduci posset.

De quæstione autem, àn ad effectum repetitionis attendatur indebitũ ex parte soluentis, vel ex parte recipientis, & de distinctione *Accursij* benè agitur *dicta decis.* 423. *Bichij nu.* 39. *& seqq.*

ROMANA PECVNIARIA SEV CONFESSIONIS PRO IOANNE LAVRENTIO DE FRANCHIS CVM ANGELINO DE ANGELINIS.

Casus decisus per Rotam vt infrà, postea concordatus.

An, & quando debitum probetur per con-

confessiones extraiudiciales Parte præsente, vel absente, respectiuè, et de earumdem confessionum interprætatione; Et quid de confessionibus contentis in epistolis familiaribus directis eidem creditori, vel tertio.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Confessio extraiudicialis parte absente de canonica æquitate plenè probat.*
4 *Sed quod desiderentur adminicula.*
5 *Debet tamen perfectè probari per testes idoneos, & benè conteſtes.*
6 *An conclusio, de qua num. 3. procedat in Vrbe stante statuto.*
7 *Exceptio testium suppletur ab adminiculis.*
8 *Epistolæ familiares scriptæ tertio, àn probent.*
9 *Declaratur conclusio, de qua num. 3.*
10 *De ratione dictæ conclusionis, seù canonicæ æquitatis, & quid ista operetur.*
11 *Confessio, vt præiudicet debet esse vniuoca, & concludens perneceſsè.*
12 *Solutio est referenda ad causam expressam.*
13 *De eadem conclusione, de qua num 3. & 9., quomodo intelligi debeat, & quid in confessione fiduciali cum amico tractante concordiam.*

DISC. LXXIX.

1 PRætendente Angelino, ex varijs causis, vt infrà, consequi debere à Io. Laurentio scuta 2600., post aliquos concordiæ tractatus, introducta lite coram A. C., prodijt sententia fauore creditoris in summa scutorum 2245., introductaque per appellationem causa *in Rota coram Verospio sub die 9. Iunij* 1656. firmatum fuit constare de credito in genere; Quo verò ad summam, vota non fuerunt concordia, & repropoſita causa *sub die* 27. *Iunij* 1657. dictum fuit constare de credito in summa scutorum 755., saluo iure creditoris pro residuo, ad
2 cuius resolutionis normam expedita sententia, & commissa per Signaturam denuo causa in eadem *Rota coram Celso*, cum clausula *constito de duabus conformibus*, (quæ in Vrbe ex Statuto habent vim trium), datoque dubio ex rescripti ventre resultante, àn constet de duabus conformibus, quæ veniant exequendæ, eoque proposito *sub die 7. Iunij* 1658., affirmatiua prodijt resolutio, pro dicta minori summa in secunda sententia Rotali contenta, vndè exequutio effectum sortita est; Neutra verò Partiū acquiescente, quia creditor prætendebat residuum, debitor autem repetere dictam summam solutam, commissa denuo causa in eadem *Rota coram Albergato*, datoque dubio, an dictæ sententiæ essent confirmandæ, vel infirmādæ, *sub die 5. Decembris* 1661. prodijt resolutio pro confirmatione, ad limites secundæ sententiæ; Repropoſita verò causa *sub die* 19. *Iunij* 1662., ob difficultates habitas, nulla capta fuit resolutio, quod ansam dedit honestæ concordiæ controuersiam terminanti; Dictarumque *decisionum prima coram Verospio est impressa decis.* 191. *par.* 12. *rec.*, *& tertia corā Celso est inter suas dec.* 264.

In his autem disputationibus, cum creditor aliam sui crediti probationem non haberet, nisi deductam ex aliquibus debitoris confessionibus extraiudicialibus, partim ipso creditore præsente, partim verò absente, & ex quibusdam epistolis familiaribus ab eodem debitore cuidam communi amico mediatori conscriptis; Hinc proindè super hoc puncto probationis tota inspectio fuit, àn scilicèt confessiones essent benè probatæ per testes ad id inductos, necnè, præsertim verò emissæ Parte absente (cum illæ, quæ supponebantur emissæ Parte præsente, non benè probarentur, vel quia per testes singulares, vel quia æquiuocæ, quidquid in primis decisionibus supponatur.)

In hoc autem, punctus erat potiùs facti, quàm iuris, super exceptionibus scilicèt personalibus testium, aç etiam super eorum dicto, & àn essent conteſtes, nec nè; Quatenus verò pertinet ad punctum iuris, conclusiones videbantur planæ, ideoque modica discordantia erat inter scribentes hincindè; Siquidem

ego scribens pro debitore, admittebam conclusionem hodiè receptam, quod de canonica æquitate, in Vrbe, & Stata Ec-
3 clesiastico, aliisquè ecclesiasticis Tribunalibus, ac etiam aliquibus laicalibus aliorum Principatuum admissa, illa confessio extraiudicialis Parte absente, quæ de iure ciuili inducit solùm semiplenam probationem ex deductis *per Mascard. de probat. concl.* 447. *numer.* 1. *& seqq.*, sufficiat ad plenam, ac perfectam probationem; Potissimè verò, vbi concurrant adminicula, quæ quandoque necessaria re-
4 putata fuerunt ex deductis *apud Buratum decis.* 901. *num.* 10. *&* 11., *& decis.* 928. *num.* 1. *& in alijs*.

Dicebam tamen quod, nè detur exorbitantiarum multiplicatio, vt huic æquitati locus esset, requiritur, vt eadem confessio benè concludatur per testes, tàm circa istorum idoneitatem, quàm
5 circa exactam contextualitatem, de loco, tempore, & verbis, adeòut verè adsit perfecta probatio naturalis, qua concurrente, æquitas canonica fauore animæ principaliter attendenda, aliud non operatur, nisi moderationem subtilitatum iuris ciuilis, super distinctione inter præsentiam, & absentiam creditoris; Ideoque circa ipsius naturalis probationis perfectionem circumspectè procedendū est, nè alias æquitas in iniquitatem resoluatur, vt benè cæteris relatis habetur *apud Caualer. decis.* 492. *num. fin. add. ad Buratt. decis.* 113. *litt. C. & decis.* 294. *numer.* 8. *decis.* 466. *par.* 3. *rec. decis.* 195. *numer.* 4. *&* 5. *par.* 10. *apud Afflict. decis.* 364. *num.* 4. plenè *in Anconitana pecuniaria* 11. *Maij* 1668. *coram Beuilacqua* edita in casu, de quo *discur. seq.*; Et consequenter cum testes ad id inducti plures paterentur exceptiones, tàm in persona, quàm in dicto, adeòut ex hac parte neque integri, neque conteftes remanerent, ità quæstio ad hoc factum restringebatur.

Eoque magis aduertebam rigorosè in hoc procedendum esse, quoniam quæstio
6 erat inter laicos, atque tanquam in foro laicali ratione Principatus temporalis, ac agebatur de debito contracto in Vrbe, vbi viget Statutum, vt seruari debeat ius ciuile, vt in specie aduertitur *per Rotam decis.* 256. *num.* 1. *& seqq. par.* 6. *rec.*; Quamuis enim istud motiuum non esset tutum solùm, & de per se consideratum, quoniam ratio dictæ æquitatis inducti-ua, etiam laicis in foro laicali congruit, Attamen videbatur circumstantia aliqualiter considerabilis, ad effectum, vt magis circumspectè, ac rigorosè circa dictam benè cocludentem probationem procedendum esset.

Reflectendo autē ad veritatem, agnoscebam, quod decisiones firmantes creditum in genere, vel in dicta summa minori, essent benè fundatæ, quoniam
7 exceptiones, quas testes in persona, & dicto patiebantur, benè sanatæ, vel suppletæ remanebant à pluribus adminiculis, de quibus in eisdem decisionibus, & præsertim ab epistolis familiaribus per debitorem amico, & mediatori conscriptis, & à probationibus (quamuis imperfectis), confessionis factæ ipsi creditori præsenti.

Quamuis enim periculosa, nimiumque exorbitans mihi videretur propositio firmata *in dicta prima decis.* 191. *p.* 11. *rec. n.* 8., *& apud Celsi. d. dec.* 264. & priùs *dec.* 153. *par.* 8. *rec. n.* 9. *cū seqq.*, vt scilicèt
8 epistola familiaris quamuis tertio conscripta, tanquam species confessionis extraiudicialis factæ parte absente, ex eadem canonica æquitate ad perfectam probationem sufficiat quoniam ità esset tollere fidem, & commercium, cum pleraque fiducialiter cum amico dicantur, quæ aliàs nègarentur.

Adeòut, vbi etiam agatur de confessione coram testibus, eatenus dicta canonica æquitas recipienda videatur, quatenùs agatur de confessione seriò facta
9 coram testibus, quos confitens testificaturos esse credere potuit, vel debuit, secùs autem vbi animo discurrendi fiducialiter cum amicis cōcordiam tractantibus, cum aliàs esset fidem tollere, omnesque tractatus beneuolos impedire; Ad instar eorum, quæ habentur *sub titulo de testamentis* circa pias dispositiones, vel vltimas volūtates coram testibus patefactas, vt intelligantur quatenùs seriosè, ac animo disponēdi id exprimatur, & nō aliàs; Ac etiam quia (vt dictum est), ista cano-
10 nica æquitas aliud nō operatur nisi eam probationem quàm lex ciuilis semiplenā reputat, discretiuè ab ea, quæ Parte præsente fiat, plenam reddat, tollendo dictam subtilitatem præsentiæ partis, retenta tamen

men in reliquis, eiusdem iuris ciuilis dispositione circa confessionis qualitatem, ac perfectionem, adeout dicta propositio ità simplicitèr, ac indefinitè sumpta parũ probabilis omninò videatur.

Attamen negari non potest, quod huiusmodi epistolæ aptæ sint aliquod facere adminiculum cum alijs coniungendũ, vt præberet fomentum testibus, alijsque probationibus; Quare pũctus erat potiùs circa dictę confessionis interpretationẽ, quoniam cum inter partitas à creditore prætensas adessent duæ constituentes dicta summam scutorum 700. circiter, prouenientes à cessione per actorem reportata à varijs rei conuenti creditoribus veris, hinc proindè dicebam, quod dictæ confessiones in genere, vel aliæ in specie dictam summam cõcludentes, benè referendę venirent ad istam causam, de cuius implemẽto, vel satisfactione docebatur, ex vera, & recepta propositione, quod ad effectum, vt confessio confitenti prę-
11 iudicèt, atq; perfectam probationem inducat, ea debet esse vniuoca, & concludens perneceśsè, aliàs, vbi sit æquiuoca, atque diuersum intellectũ habere possit, interprætãda est fauore confitentis, vt præiudicet quominus fieri possit *ad text. in l. siquis intentione ff. de iudic., Mantic. decis. 199. num. 6. & 205. num. 4., decis. 218. par. 6. rec. num. 9. Add. ad Burat. decis. 443. nu. 5.* & frequenter in omni materia; Et cõsequenter, dum dicta cõfessio referri poterat ad prædictas debendi causas veras, rectè faciebat eius operationem, atque verificabilis remanebat.

Et quamuis, præsertim in vltimis decisionibus *coram Celso, & Albergato*, nimium insisti videatur in conclusione, de qua pluries in præcedentibus, quod scili-
12 cèt vbi solutio habet causam expressam non intret quæstio, àn potiùs in vnam, vel in alteram referenda esset, vt erat casus, quod scilicèt solutiones posteà sequutæ expressam haberent dictã causam resultantem à præfata cessione; Attamen mihi videbatur, quod ista esset inanis euagatio, quoniam punctus non erat, àn solutio magis ad vnam, quàm ad alteram causam referri deberet, sed erat circa interprætationem confessionis emissæ ante solutionem, quando dicta vera, & non cõtrouersa debendi causa præexistebat.

Maior igitur difficultas resultabat ex dictis epistolis familiaribus mediatori conscripris post iam sequutam dictam solutionem, quando ad præfatam causam
13 iam per solutionem extinctam, referri non poterant; *Verùm* dicebam, quod talis difficultas non vrgeret; Tùm quia sublata dicta confessione probata per testes, ista fiduciariè facta cum amico, sola & de per se sufficiens non videtur ex supra deductis; Tùm clariùs quia dictæ epistolæ continebant impugnatiuè potiùs, quàm approbatiuè enunciationem debiti ex causis in iudicio non experibilibus aliquam solùm congruentiæ rationem habentibus, ex ijs, quæ habentur deducta *sub tit. de alienat. & contract. disput.* 49., & pro quibus, tàm ex dicta cõgruenti ratione, quàm ad lites euitandas, Io. Laurentius offerebat assignare quædam nomina debitorum, quæ numericè quidem importabant dictã summam scutorum 750. circiter, in vltimis decisionibus habitã prò probata, effectiuè autem importabant quid modicũ ob eorumdem nominum inexigibilitatem de iure, vel de facto; Et consequenter nõ indè inferri poterat ad cõfessionem, quæ induceret perfectam, ac naturalem, & ciuilem obligationem in iudicio experibilem, cum referri posset ad debitum de facto ex causa superiùs insinuata, in iudicio tamen non experibile, & sic occasione fiduciarij tractatus concordiæ qui nullatenùs attendi debet, cum aliàs (*vt supra*) esset tollere fidem, atq; præcidere omnes beneuolos amicorũ tractatus super huiusmodi controuersijs.

ANCONITANA PECVNIARIA PRO LAVRENTIO CVM ANGELO DE FERRETTIS.

Casus decisus per Rotam pro Angelo.

De eadem materia probationis debiti per confessionem extraiudicialem; Et quid vbi ista contineatur in testamento postea reuocato, vbi contineat qualitatem, quod facta sit pro exoneratione conscientiæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Data filio contemplatione patris dicuntur peculium profectitium.*
4 *De confessione extraiudiciali absente parte, quando probet.*
5 *De rationibus ponderatis à Rota, ob quas confessioni in testamento non esset deferendum.*
6 *Confessio facta in testamento resoluitur in legatum, & non probat debitum.*
7 *Contrarium, vt probet quando est cum qualitate exonerationis conscientiæ.*
8 *Quomodo ista quæstio decidenda sit.*
9 *Vt spectari debeat substantia veritatis.*
10 & 11 *Vt omnes facti circumstantiæ non singulariter, sed vnitim considerari debeant.*
12 *De confessione dotis, quando probet istius veritatem.*
13 *De eadem conclusione, de qua n.6. & 7., & quæ species reuocationis attendi debeat.*
14 *Probata substantia crediti circa quantitatem, leuiores probationes attenduntur.*
15 *Non per hoc, quod non constat de liquidatione, cessat substantia debiti.*
16 *De conclusione, de qua num.3.*
17 *Quando transactio restringatur ad expressa, vel ob amplitudinem verborum complectatur omnia non dedu-cta &c.*

DISC. LXXX.

1 IN testamento ad aliquos annos antè obitum condito, Fabritius cum assertione exonerationis conscientiæ, cõfessus fuit sibi diuersis vicibus à Laurentio filio legitimato iuxtà seriem, de qua *sub titulo de feud. disc. 15.*, in seruitio Christianissimi Regis existente, transmissas fuisse pecunias, & bona in summa notabili; Cumque postmodum idem Fabritius, vniuersalem omnium bonorum donationem inter viuos sub onere soluendi eius debita fecisset Angelo ex fratre nepoti; Hinc sequuta eius morte, Laurentius dictum Angelum donatarium pulsauit coram Gubernatore Anconæ ad soluendum dictum debitum in testamento confessatum, atque sententiam fauorabilem reportauit pro summa scutorum decem mille; Introducta verò causa in Rota *coram Beuilacqua*, da-
2 toque dubio, *an constet de credito*, in secunda propositione *sub die* 11. *Maij* 1668., negatiua prodijt resolutio, neque hucusque causa vlteriorem progressum habuit.

In disputationibus autem habitis in Rota, & coram dicto Gubernatore Anconæ, (coram quo etiam pro Laurentio scripsi), tres fuerunt puncti; Primò scilicèt, an constaret de credito in genere; Secundò circa eius quantitatem; Et tertiò super remissione, vel satisfactione resultante à concordia post dictum testamentum inita inter dictos patrem, & filium, per quam filius accepit à patre scut. 2500., pro omni, & toto eo, quod ab eius bonis pro legitima, & alimentis, seù aliàs prætendere posset.

Quatenus pertinet ad primum, cum actor ad probationem transmissionis pecuniarum, ac bonorum è Gallia, alijsque partibus, plura in idem cumularet; Primò scilicèt causam acquisitionis, in lucroso

croſo munere faciendi emptiones equorum in magno numero pro ſeruitio dicti Regis, & Cardinalis Mazareni eius primi Miniſtri; Secundò dictam confeſſionem in teſtamento; Tertiò plures aliàs confeſſiones extraiudiciales eiuſdē patris; Quartò aliquas atteſtationes extraiudiciales eiuſdem patris; Et Quintò epiſtolam familiarem ab eodem patre conſcriptam cuidam Religioſo.

Scribentes pro Reo cōuento, cū quorū ſenſu procedit deciſio deſuper edita, criticando ſingulas dictarum probationem ſpecies; Quatenus pertinet ad primam, ponderabant inueriſimilitudinem, quod ſcilicèt adeo breui tempore, ac in breui
3 ætate Laurentius tàm magnum lucrum facere potuerit; Ac etiā quod ipſe Fabritius pater tanquā antiquus beneuolus, & familiaris Cardinalis, fuiſſet in Regio ſeruitio, eiuſq; intuitu introductus Laurentius filius, indeque Scribentes inferebant ad concluſionem, de qua præſertim *ſub tit. de dote, & alibi*, vt quod filio, patris intuitu, & cōtemplatione datum eſt, ipſi patri datum cenſeatur, vnde propterea remaneat peculium profectitium.

Quouerò ad confeſſiones extraiudiciales, ijdem Scribentes cum nimium copioſis allegationibus deducebant concluſionem, de qua *diſc. præcedenti*, plenè etiā
4 in deciſione comprobatam, ſuper rigoroſa probatione confeſſionis extraiudicialis per teſtes idoneos, benèque conteſtes de loco, tempore, & verbis, quodque propterea admittendi non venirent teſtes ſingulares, quales in propoſito videbantur eſſe ad id inducti; Et quoad teſtes diſponentes in genere de tranſmiſſione bonorum, & pecuniarum, dicebatur eſſe ſimplices atteſtationes, cū non eſſent formiter examinati; Et ad epiſtolam conſcriptam cuidam Religioſo, dicebatur quod non eſſet benè recognita, ac vlteriùs, quod huiuſmodi confeſſio fuiſſet ſimulata ad fraudandam donationem inter patrem & filium, vel ad aliū finem, non autem animo obligandi.

Demum verò, circa confeſſionem factam in teſtamento, deciſio breuiter tangit quaſi per fugam tres reſponſio-
5 nes; Primò ſcilicèt, quod *deciſio 63. num. 10. & ſeqq. par. 11. rec.*, in qua latè firmatur, vt confeſſio facta in teſtamento cum qualitate exonerationis cōſcientiæ probet, quamuis illud ſit reuocatum, procedat ad pias cauſas; Secundò quod eſſet inter patrem & filium; Et tertio quod non exprimatur ſumma certa, ideoque deficiat ſubiectū habile ſuper quo Iudex ſententiam proferre valeat ad regulam *text. in l. 3. & ſeq. C. de ſent. quæ ſine cert. quantit.*

E' conuerſo autē Scribētes pro reo, in hoc latiùs ſe diffundebant ad probandū, quod etiam generaliter, multò verò magis, vbi agitur de confeſſione ſuſpecta in-
6 ter prohibitos, dicta qualitas exonerationis conſcientiæ videtur color quæſitus adiectus ad fraudandam legis prohibitionē ſiuè ex ſtylo Notarij, et conſequenter, quod non immutatur natura vltimæ voluntatis, quandocumque reuocabilis iuxtà doctrinam *Bartoli in l. cum quis decedens §. codicillis ff. de legat. 3.*, cum concordantibus plenè relatis *per Giurb. ad conſuet. Meſſanen. p. 1. cap. 2. gloſ. 12. Merlin. contr. 85. lib. 1. Cyriac. contr. 347.*, & habetur *ſub tit. de Teſtamen. diſc. 70.*

E conuerſo autem alij pro hac parte Scribentes, deſumendo totum ex elaboratiſſimo voto ædito per Iudicem primę
7 inſtantiæ, in quo per integras paginas, ſeù columnas, penè centum DD. cumulantur, ad probandum dictam concluſionem, de qua *dicto diſc. 70. de teſtam.* plenè exornata *per Rotam dicta deciſ. 63. nu. 10. & ſeqq. par. 11. rec.*, ſuper dicta qualitate confeſſionis pro exoneratione conſcientiæ.

Mihi videbatur, quod iſti labores inanes eſſent, nullaq; vrgeret neceſſitas aſſumendi ſingularitèr dictarum probationū criticationem, & præſertim diſputationem quæſtionis in abſtracto ſuper efficacia, & irreuocabilitate confeſſionis debiti factæ in teſtamento cum dicta qualitate exonerationis conſcientiæ, quoniam
8 vt aduertitur *dicto diſc. 70. de Teſtamentis*, iſta præſertim quæſtio videtur potiùs facti, quàm iuris, decidenda pro facti qualitate, & circumſtantijs circumſpectè conſiderandis, ex quibus prudens Iudex deſumere debet, àn dicta qualitas, ſeriò, & accuratè per teſtatorem, de morte, ac æterna ſalute in eo teſtandi actu cogitantem, id verè egerit pro recognitione veritatis, & nè aliàs eius anima ſeù conſcientia grauata remaneat, vel potiùs ſit color quæſitus, vel affecta-

ta

ta cautela legatarij, siue stylus Notarij &c.; Habendo præoculis illud certum iuris principium in omni forensi materia principaliter attendendum, vt non
9 cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, quodque lex imposita non sit verbis, sed rebus, iuxtà dispositionem textus *in l. fin. C. de vsur. cum concord.*

Applicando autem ad rem; Dicebam quod vbi ageretur de sola confessione facta in testamento absque alio extrinseco adminiculo, siuè de solis confessio-
10 nibus extraiudicialibus desuper factis cum amicis, vel in dicta epistola, tunc omnia præmissa singulariter, ac distinctè examinando benè diceretur, ob aliquam suspicionem, quæ desuper cadere potuisset; Non quidem ad fraudandam prohibitionem iuris ciuilis donationis inter patrem & filium, cum ista quodammodo ab aula recessisse videatur, Tùm ratione iuramenti, Tùm etiam ob nouam introductionē peculij aduentij antiquo iuri ignoti, vt alibi aduertitur, sed quia ex deductis *dicto discur. 15. de feudis*, aliqua per agnatos circa successionem, ac testandi facultatem moueri potuisset controuersia, ad quam indirectè tollendam huiusmodi cautelam adhiberi potuisset.

Verùm considerando omnia simul, ac vnitim, cum consueta regula, adeo *frequenter in omni materia enunciata, vt singula, quæ non prosunt, vnita iuuent*, ità capiendo primordium
11 veritatis seruitij per filium præstiti Regi in lucroso munere, ac etiam extraiudiciales attestationes, necnon alias confessiones, quamuis per testes singulares, & epistolam tertio conscriptam, non omninò perfectè probatas, tanquam adminicula confessionis contentæ in testamento, ità ista qualitas exonerationis cōscientiæ vera remanebat, ac seriò ædita in recognitionem veritatis, & bonæ fidei.

In id ponderando ea, quæ habentur pluries *sub tit. de dote disc. generali* 159. *& disc. particulari* 72. *& seqq.*, in mate-
12 ria dotis confessatæ, quod non sit verados, neque illius veritatem probet, nisi concurrentibus adminiculis, circa quorū pondus, & efficaciam proceditur cum distinctione, àn agatur de præiudicio tertij independenter venientis à confitente, vel ab eo causa habentis, cum iure tamen quæsito de tempore confessionis, vel è conuerso in præiudicium ipsius cōfitentis, vel eius hæredum, seù causam habentium dependenter ab ipso confitente, & post confessionem, vt primo casu, maiora, & efficaciora, in altero autem minora, & leuiora sufficiant.

Hinc proindè, cū versaremur in hoc secundo casu donatarij vniuersalis habēdi loco hæredis, atque ius desumentis ex donatione post confessionē facta, ità certum videbatur, vt dictę confessioni adeo efficaciter adminiculatæ omninò deferendum esset; Ideoque quatenus pertinet ad hanc primam inspectionem, super veritate debiti in genere, seù in substantia, reflectendo etiam ad solam veritatem, mihi videbatur, quod iustitia Laurentio actori omninò assisteret.

Ponderando etiam circa reuocabilitatem huiusmodi confessionum contentarum in testamento, vel alia vltima voluntate, nō obstante dicta qualitate exonerationis conscientiæ, quod difficultas
13 considerabilis fuisset, quando ipsa confessio in specie reuocata fuisset, quoniam tunc intrat consideratio, de qua *Faber in Cod. lib. 4. tit. 24. deffin. definit. 36. & alij*, quod scilicèt possint stare simul, vt testator de tempore testamenti agnoscere eius conscientiam oneratam ergà eum, cuius se confessus est debitorē, postmodū verò ipse superuiuens, debitum satisfecit, eiusque conscientiam exonerauerit iuxtà pōderationes, de quibus *sub tit. de testam. disc. 45.*; Secùs autem vbi agitur de illa generica reuocatione, quæ ex dispositione legis, vel ex clausulis, & formulis Notariorum per posteriorem dispositionem generalem de præcedētibus resultare dicitur, quoniam hæc verificabilis remanet in his, quæ pendent à dispōnentis voluntate libera, non autem in ijs partibus, in quibus seriò, ac pro recognitione veritatis vt supra se agnouit debitorem.

Potissimè verò in hac facti specie, quod agebatur de donatione vniuersali cum obligatione iniuncta donatario soluendi in genere omnia eius debita, sub quorum nomine de isto quoque intelligere potuit; Et sic non aderat specialis, & explicita reuocatio, ac declaratio contrariæ volūtatis, in quibus terminis verè, & propriè

priè cadit inſpectio poteſtatis reuocandi huiuſmodi donationes, necnè.

Et quoad difficultatem incertitudinis, ſeù illiquiditatis, aduertebam quod dubium in Rota diſputatum nõ erat ſuper cõfirmatione, vel iuſirmatione ſententiæ
14 iudicis primæ inſtantiæ cõdemnatoriæ ad certam ſummam ſcutorũ decem mille, quo caſu difficultas cadere potuiſſet ratione exceſſus, vel non benè factæ liquidationis, ſed erat generale, àn conſtet de credito, ſuper quo ex præmiſſis malè reſponſum videtur negatiuè, ſed potiùs debuiſſet reſponderi affirmatiuè, reſeruando tamen liquidationem faciendam, etiã cum leuibus probationibus, & adminiculis, quæ admittuntur circa ſummã, vel quantitatem, probata ſubſtantia, vel genere ex ijs, quæ habentur collecta *apud Bellon. iun. conſ. 93. numer. 9. & 10. Cyriac. contr. 347. num. fin. Gregor. deeiſ. 324. n. 4. deciſ. 87. num. 12. par. 6. rec. deciſ. 82. num. 11. par. 10.*, apud quos, & alios habetur, vt in aliquorum ſenſu ſufficiat ſolùm iuramentum creditoris; Ideoque ad hoc propoſitum ſatis deferendum eſſe dicebam dictæ epiſtolæ ſcriptæ Religioſo, in qua diſtinctè deſcribebantur omnes partitæ iunctis teſtibus, quamuis informiter examinatis; Vel quod procedendum eſſet cum terminis iuramenti in litem, præuia
15 taxa faciẽda per Iudicem ex deductis *ſub tit. de tutor. diſc. 8.* cũ ſimilibus; Non autẽ, vt ex defectu liquidationis omninò abſolui debeat debitor, quam in genere, vel in ſubſtantia conſtet eſſe debitorem.

Leue autem, ac penè contemptibile videbatur *ſupra inſinuatum motiuum,*
16 quod filius intuitu patris introductus fuiſſet ad ſeruitiũ Regiũ, vndè propterea huiuſmodi lucra, & acquiſitiones à patre prouenirent, quoniã vbi ageretur de ſimplicibus donatiuis tunc benè diceretur; Secùs autem, vbi de acquiſitionibus ex labore, & induſtria ratione muneris, vel ſeruitij, quoniam nõ per hoc quod pater obtinet pro filio officiũ non venale quod annexam habeat adminiſtrationem, vel aliud munus, aut miniſterij, vel negotiationis occaſionem, indè ſequitur, vt ſalaria, & alia emolumenta patri quærantur; Quinimò vbi etiam filius negotiaretur cum pecunia patris, & acquiſitiones faciat, adhùc habenda eſt ratio eius laboris, & induſtriæ, vt de lucris participet ex ijs, quæ habentur *ſub tit. de fideicom. diſc. 191. in fine*.

Quare iſtius cauſæ probabilis dubitãdi ratio, cadebat ſolùm in ſecunda inſpectione concordiæ, ac reſpectiuè quietantiæ mediante ſolutione ſcutorum 2500., àn ſcilicèt iſtud debitum quoque complecteretur, nec nè, atque in hoc certum, ac determinatum iudicium pro veritate dari non poteſt, neque redargui poſſunt reſolutiones de iniuſtitia poſitiua quoniã *iſta eſt queſtio facti*, & voluntatis, et cõſequẽter arbitraria ſuper efficacia probationum, ſeù præſumptionum vnam, vel alteram voluntatem arguentium.

Ex ijs autem, quæ ſuper iſta concluſione, ſeù materia habentur præſer-
17 tim deducta *ſub titulo de feudis diſcur. 47.*, quando ſcilicèt tranſactio reſtringatur ad cauſam expreſſam, ſuper qua erat controuerſia, vel potiùs ob verborum amplitudinem capiat omnia; Regula aſſiſtebat huic parti, quod ſcilicèt, cum pro cauſa tranſigendi, narrata eſſet prætenſio legitimæ, & alimentorũ, aliorumque iurium filiationis iure competentium, non veniret iſtud creditum indifferens, & accidentale, tanquã inter extraneos, potiſſimè quia ſumma correſpondebat ſolùm dictis iuribus filiationis, ac aliàs redoleret nedũ enormem, ſed enormiſſimã læſionem in magno exceſſu, eo magis conſiderabilem, dum agebatur inter patrẽ, & filiũ minorẽ; Ideoq; vt dictum eſt, quæſtio reſtringebatur ad factũ quod in magna parte pendebat ex ſtatu hæreditatis, vel aſſis paterni tempore cõcordiæ, ad effectum conijciendi, àn dicta ſumma ſcutorum 2500. reſponderet legitimæ, ſoliſque iuribus filiationis, cum tũc plana eſſet non cõprehenſio ex vulgari, & recepta regula, quod ex pretij quantitate deſumitur Partium intentio, & quid in contractum deductum ſit.

BONONIEN.

DE CALVIS

PRO

IOANNE ET FRATRIBVS

CVM

VNIVERSITATE CREDITORVM IOANNIS DOMINICI DE CALVIS.

Casus disputatus in Rota, sub incerto exitu.

De probatione debiti per scripturam priuatam habentem solam subscriptionem debitoris, an sit sufficiens, ob possibilitatem, quod subscriptio esset in folio in albo, ad alium finem fiduciarie alicui dato.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Subscriptio dat robur scripturæ, & obligat.*
3 *Etiamsi corpus scripturæ conscriptum sit ab interessato.*
4 *Ad quid ista circumstantia sit considerandæ.*
5 *Subscriptio facta in folio albo non obligat, nec præiudicat.*
6 *Declaratur, quando obliget, vel præiudicet.*
7 & 8 *Cui incumbat onus id probandi.*
9 *De eodem.*
10 *Quomodo hæc probatio sufficiat, ac attendi debeat &c.*

DISC. LXXXI.

1 VEnientibus Ioanne, & fratribus in concursu creditorum Ioannis Dominici de Caluis pro credito librarũ 6400. in vim apocæ à dicto Ioanne Dominico subscriptæ, opponebat Vniuersitas creditorum de *insufficienti* probatione, ex eo quod *illa* subscriptio contenta esset *in* folio albo; *Vnde* propterea introducta causa in Rota *coram Albergato*, post vnicam disputationem absque resolutione, amplius de causa actum non audiui, vel quia cõcordata fuerit, vel quia defensores mutauerit, ideoque incertus est causæ exitus.

In hac autem disputatione, non negabant Scribẽtes pro creditorum Vniuersitate regulam, vt sola subscriptio debitoris debitum probet, quamuis corpus scripturæ aliena manu conscriptum sit, cum subscriptio sit illa, quæ perficit, ac informat actum, ex ijs, quæ habentur supra *in Neapolitana disc. 65. Seraphin. dec. 973. Merlin. decis. 90. cum alijs per Prat. obser. 21. numer. 5. & seqq.*; Idque adeò verùm, vt quamuis corpus conscriptum sit ab ipso met creditore, vel altero in cuius fauore scriptura cantat, id in consideratione non habeatur, vel quod obligetur ille, qui scribit, non qui subscribit, cũ præsertim inter negotiatores id practicari soleat, vt aduertitur *apud Dunozett. decis. 432. repetit. decis. 154. par. 7. rec.*, in qua reuocatur, vel declaratur *decis. 368 Durani*.

2

3

Solumque ista circumstantia, an corpus scripturæ cõscriptum sit ab ipso met creditore, vel interessato, vel alia persona suspecta, monitum facere debet Iudicem ad magis oculatè, & circumspectè procedendum super recognitione subscriptionis, quando super eius veritate dubitatio cadat; Siuè quod istud sit vnũ ex adminiculis, vel præsumptionibus, quando aliæ concurrant super suspicione folij in albo, sed his cessantibus id nõ curatur; Multò verò magis in hac facti specie, quod ista circumstantia alicuius suspicionis inductiua non concurrebat.

4

Insistebant autem ijdem Scribentes in eo, quod ista esset subscriptio in folio albo fiduciariè actoribus dato, siuè per eos domi reperto, et consequenter quod nullam faceret probationem, nullamque induceret obligationẽ *Felin. in cap. quoniam contra num. 48., de probat. Ann. singul. 27. Viuius cons. 172. num. 9. lib. 2. Caball. cons. 11. numer. 3. & seq. lib. 1. Grat. discept. 172., Prat. dicta obseru. 21. num. 8. cum seq. Duran. dec. 200. n. 29. & 252. n. 3. & 4. Adden. ad Burat. d. decis. 419.*

5

Non

Nõ negabã è cõuerſo ego ſcribens pro Ioãne,& fratribus huius concluſionis veritatẽ *in* pũcto iuris,quatenus verificaretur *in facto* iſtud præſuppoſitũ,quod ſubſcriptio fuiſſet facta in albo, excepto caſu,in quo,vt frequenter cõtingit,ſubſcri-6 bens ſciret quid apponendũ eſſet in corpore,atq; ex præcedenti tractatu ad effectũ aptandi melius ſcripturã, ſiuè ob aliã circumſtantiam, ità ſubſcriptio ipſam ſcripturam præceſſerit, cum tunc dicta concluſio ceſſet, vt *apud Seraph. dicta deciſ.*973.*num.*1.*apud Merlin.dicta deciſ.* 90.*numer.*2. repetita poſt alterum *Merlin. de pign. deciſ.*16. *cum concordantibus apud Prat.dicta obſer.*21.*num.*8.,*& apud Addent.ad Buratt.dicta deciſ.*419.*nu.*14.; Negabam tamen applicationem ob dictũ factum non probatum, ac in dubio non præſumendum, vt apud allegatos.

Hinc proindè, iſta pariter videtur quæſtio potiùs facti, quàm iuris,àn ſcilicèt de huiuſmodi circumſtãtia ſufficienter conſtet, nec nè; Iuris autem inſpectio percutit punctum præſumptionis, 7 àn id præſumatur, nec nè, cum exindè pendeat deciſio,àn & cui incumbat onus probationis, àn ſcilicèt creditori ſuam actionem, vel *intentionem* fundanti in ſcriptura probare ſubſcriptionem poſt iam confectum corpus ſcripturæ, vel è conuerſo, cum, vt ſæpius in omni materia aduertitur,iſta ſit virtus,vel operatio regulæ,ſeù præſumptionis iuris, vt onus probationis in alteram Partem tranſfundat.

In hoc autem, quamuis non deſint Scribentes ſequentes opinionem contra 8 ſe fundantem in ſcriptura,quæ *Imolæ* referri ſolet, ex relatis *per Menoch. lib.* 3. *præſumpt.*66.*num.*29. *cum ſeqq. Coſt.de tur.& fact. ſcient. centur.*2. *diſtinct.*45.; Attamen magis communis, & recepta eſt in contrarium; Tùm ex regula quod delicta in dubio præſumenda non ſunt, cum id contineat delictum poſitiuum; Tùm etiam fauore commercij, eiuſque libertatis, ac facilitatis præſertim inter negotiatores, inter quos, (vt pluries in præcedentibus aduertitur) procedi non ſolet cum formalitatibus acrioribus iuris, ſed paruæ ſchedulæ, ſeù pagellæ reputantur pluſquam publica inſtrumenta, vt patet ex ſupra allegatis, ac admittunt *iidem Coſta, & Menoch.*, verè iſtam cõcluſionem non agentes,ſed potiùs alteram, pro regulanda limitatione ſuperius 9 recenſita, quando ſcilicèt ſubſcribens folium in albo ſciat quid in eo ſcribendum eſſet, & ad quem finem ſubſcriptionem fecit,àn ſcilicèt iſta ſcientia præſumatur, nec nè; Iſta verò circumſtantia ceſſante, planum eſt quod habens ſcripturam à debitore ſubſcriptam, habere dicitur intentionem fundatam, donec per id allegantẽ probetur contrariũ, quoniam aliàs eſſet mundum inuoluere, atque libertatem commercij tollere, ideoque iſtam circumſtantiam non præſumi firmatur *deciſ.* 70. *poſt Zacch. de ſocier. offic. apud Merlin. dicta deciſ.* 90.*num.*3.*& per tot. apud Duran.deciſ.*136.*nu.*6. *Add. ad Buratt.dicta deciſ.*419. *num.*14. *in fin.*

Benè verũ,quod cum huiuſmodi folia in albo fiduciariè alicui tradi ſoleant, difficilis eſt hæc probatio, ideoque receptum, ac probabile eſt, vt deſideran-10 da non ſit rigoroſa, ac perfecta probatio, ſed imperfecta, & adminiculatiua ſufficiat, ſuper quo tamen, eo modo, quo generaliter in coniecturalibus,& adminiculatiuis habemus, certa & determinata regula conſtitui non poteſt; Et conſequenter erroneum eſt deciſiones, ac doctrinas de vno caſu agentes, quibuſcumque alijs applicare, cum totũ pendeat ex ſingulorum caſuum particularibus circumſtantijs prudenti Iudicis arbitrio penſandis pro facti qualitate; Potiſſimum verò à veriſimili, vel inueriſimili,quod in his materijs principaliter attendi debet, ex vulgari, & frequenti axiomate, quod veriſimile imaginem habet veritatis, inueriſimile autem illam falſitatis; Vndè propterea in pluribus, ac pluribus quæſtionibus frequenter ſuper hoc puncto diſputatis, ſiuè in Reſponſis pro veritate deſuper traditis, modò pro vna, & modo pro altera parte reſpondere opportuit, eodem tamen veritatis ſenſu cõpatibiliter retẽto; Atq; vt pluries aduertitur præſertim *ſub tit.de fideic.*,ſæpè in his materijs coniecturalibus in vno caſu aliquæ coniecturæ,quãuis leues, ac modicæ in vno ſufficiunt, in altero autem eædem, ac maiores inſufficientes reputantur, quia ſic vnius,ac alterius caſus qualitas,vel circumſtantiæ exigant; In hoc autem eſſe debent partes oculatis iudicis inſpiciendo præſertim maiorem

antiquitatem ſubſcriptionis, quam ſcripturæ contentæ in corpore, quod iudicio peritorum ſcriptorum facilè dignoſci poteſt, ac etiam affectationem, ſeù inuerſimilitudinem, vt pluries Ego ſum expertus; Et præſertim, cum diſputaretur de interpretatione cuiuſdam teſtamenti mulieris, pluresque excitatæ eſſent quæſtiones de apicibus, natum fuit folium ſubſcriptum à teſtatrice, in quo cum recenti ſcriptura precisè omnes quæſtiones decidebantur, ideoque productoris impudentia irriſa fuit, idque cauſæ alias dubiæ certam iacturam cauſauit.

NEAPOLITANA

MVTVI

PRO

HÆREDIBVS ANGELI SARACENI

CVM

QVODAM CONVENTV REGVLARI.

Reſponſum pro veritate.

An ex mutuo facto Abbati, vel Priori, ſeù Procuratori, acquiratur actio contra Monaſterium, vel Conuentum; Et quando creditori incumbat onus probandi verſionem.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Monaſterium non obligatur ex mutuo facto Abbati, vel Procuratori.*
3 *Declaratur ſi fit ſoli Abbati, vel Procuratori, ſecus ſi de conſenſu totius Capituli, vt tunc creditor, non teneatur eſſe ſollicitus de verſione.*
4 *De diſtinctione inter cauſam neceſſariam, & voluntariam ſuper obligatione verſionis.*
5 *Declaratur caſus circa verſionis probationem.*
6 *Et quando verſionis ſollicitudo ſit impracticabilis.*
7 *De ratione ob quam mutuum factum ſoli Abbati, vel Procuratori non obliget.*
8 *De inconuenientibus, & præiudicijs, quæ Monaſterio reſultare ſolent, etiam vbi mutuum fit de conſenſu Capituli, ſed quod non debent attendi, & de ratione.*
9 *Quomodo iſtæ quæſtiones decidi debeant.*
10 *Et de decretis generalibus Congregationis non procedentibus in caſu vrgentiæ.*
11 *De præſumpta ſolutione.*
12 *De præſcriptione.*
13 *Quando debeatur intereſſe debiti non ſoluti.*
14 *Pro debito contracto per Monaſterium actio competit ſolum ſuper fructibus.*
15 *Quod malè gerant Religioſi fidem non ſeruantes.*

DISC. LXXXII.

1 CAPITVLVM cuiuſdam Conuentus Regularium, conſtituit procuratorem quemdam eius Religioſum, ad accipiendam mutuam pecuniam pro eiuſdem Conuentus neceſſitatibus victus, abſquè tamen vſuris, vel intereſſe, & dummodò non obligentur bona Conuentus in ſorte principali iuxtà formam decretorum generalium Sacræ Congregationis, de quibus *in Cauen. ſub titulo de Regularibus*; Huiuſque mandati vigore, Angelus Saracenus effectiuè, mediante publico banco (iuxtà illius Ciuitatis ſtylum, vt penè omnes pecuniarum ſolutiones per bancum fiant) quamdam ſummam mutuauit, quę ab eodē procuratore ſolutā fuitillis, qui aſſerebantur creditores ex cauſa victualium in dies datorum, vel dandorum; Cumque ſequuto obitu dicti Angeli, qui Religionis nimium deuotus, per multos annos dicti mutui reſti-

restitutionem dissimulauerat, eius hæredes illam peterent, etiam cum interesse, iuxtà illius regionis stylum; E conuerso autem per Religiosos opponeretur de crediti insubsistentia ab initio, vel de præscriptione; Hinc proindè ex parte dictorũ hæredum super quatuor consultus fui pro veritate; Primò scilicèt, àn pro dicto mutuo competeret actio contra Conuentum, non probata extrinsecùs versione; Secundò posita competentia, àn obstaret lapsus diuturni temporis annorum 20. & vltrà; Tertiò àn deberetur etiam interesse à die moræ cõtractæ per lapsum temporis; Et quartò quodnam remediũ prò dicti crediti assecutione competeret super eiusdem Conuentus bonis, ac effectibus.

Ad primum respondi, quod licèt regula esset fauore Conuentus, vel Monasterij, vt ex mutuo facto Abbati, vel Superiori, seù Procuratori non obligetur non probata versione in vtilitatem; Ad instar eorum, quæ habemus in mutuo facto tutori, vel curatori, vel administratoribus Ciuitatis, ac similibus administratoribus legalibus, nè aliàs in istorum facultate repositum sit supplantare eos, qui propria negotia agere non valentes, sub aliena necessaria administratione viuunt, vt generaliter *sub tit. de alienat. & contract.*; Et in his terminis, cæteris relatis habetur *apud Castropalao oper. moral. quæst. 7. tit. de Iust. commut. distinct. 4. puncto 5.*, *Seraph. decis. 368. nu. 3.*; Et in terminis mutui contracti per Abbatem firmatur *in Leodien. pecuniaria 22. Iunij 1657. coram Beuilacqua*, & *5. Martij 1663. coram Cerro, quarum posterior est impressa post Zuff. de legitim. process. decis. 83.*, & *prima decis. 272. par. 12.*, in cuius calce recensetur aliæ decisiones confirmatoriæ.

Attamen admissa, ac præsuppositа ista conclusione tanquam vera; Dicebam cessare eius applicationem ad factum, cũ 3 ea procedat, quando agãtur de mutuo facto soli Abbati, vel procuratori, seù alteri administratori, absque consensu totius Conuentus, aut Capituli, vel spreta forma tradita in mandato; Secus autem his concurrentibus; Tunc etenim mutuator rectè contrahit, atque Monasterium, vel Conuentus obligatur, neque ipse tenetur esse sollicitus de versione, vt cæteris relatis *apud Ann. sing. 9. Menoch. de arbitr. casu 432. numer. 25. Rot. apud Merlin. decis. 219. & 255., ac admittitur in dicta Leodien.*, in qua difficultas consistebat in eo quod mutuum factum esset soli Abbati sine Capitulo; Et quod magis est sine causa, & cum non omninò bona fide, ad instar eorum, quæ habentur circa debitum contractum ab administratoribus Ciuitatis *sub tit. de Alienat. & contract. discur. 23.* cum similibus.

Motiuabam in ratione dubitandi de distinctione, de qua in supra allegatis 4 *decisionibus coram Merlino*, inter causam necessariam, & voluntariam, vt primò casu creditor teneatur esse sollicitus de versione pretij, quasiquod de eo in hac facti specie agi videretur, dum ex necessitate victus currentis ob temporum qualitatem, proprioruмque reddituum deficientiam, narratum fuit istud mutuum factũ esse; Verùm credebam distinctionem prædictam non intrare, cum benè procedat in illa erogatione, quæ temporis momento, seù aliàs cautelatè congruè fieri potest; Puta quia contrahatur de- 5 bitum pro extinguendo alio debito grauiori; Siuè pro aliqua vtili acquisitione facienda; Aut pro liberando Monasterium ab aliquo maiori damno imminenti, vt (ex. gr.) contingere solet in locis, in quibus bellum vigeat, ad effectũ euitandi hostium, vel militum incursiones, & excidia mediante compositione, vel prompta contributione, cum similibus, cum tunc rectè mutuator sibi, ipsique Ecclesiæ, vel Monasterio consulere valeat mediante directa, & immediata erogatione in causam expressam, siuè (vt practicari solet), deponendo pecuniam vinculatam in S. Æde, vel publico banco exinde nõ amouendã nisi ad hunc effectum, cum aliàs aliqua malitia, vel culpa vacare non dicatur mutuator, qui adeò facilem, ac vsitatam cautelam negligat.

Secùs autem vbi (vt in hac facti specie), ista cautela est impracticabilis, quia nempè mutuum fiat pro necessitate vi- 6 ctualium, quæ minutatim, ac in dies emere oportet cum pecunia manuali; Siuè quod pariter minutatim pluribus victualium venditoribus soluere oportet eorumdem pretium, cuius fides habita est,

cum tunc dictus modus omninò incongruat, atque impracticabilis videatur; Ideoque oportet sequi fidem procuratoris, vel administratoris, quam totus Conuentus secutus est, & approbauit; Atque ad hunc effectum benè intrat distinctio, àn mutuum fiat soli Abbati, vel administratori eius priuatam fidem se-
7 quendo, vel fiat eidem, tanquam ad id specialiter deputato à toto Capitulo, cū in isto secundo casu cesset ratio collusionis, ac altera supplantationis, quàm de facili Abbas, vel superior, seù administrator Ecclesiæ, vel Monasterij facere posset, dum habente Monasterio redditus sufficientes pro victualibus, alijsque expensis, ac oneribus, atque Conuentu, seù Capitulo iustè opinante, quod ex fructibus ad id assignatis, dictæ expensæ fiant, administrator dissipando in alios vsus eosdē fructus, æs alienum cōtrahat, quod inconueniens cessat, quando totum Capitulum, necessitatem narrat, atque facultatem administratori tribuit ad accipiendam pecuniam mutuam.

Et quamuis etiam isto casu, (vt pluries expertus sum), de facili detur fraus, vel supplantatio; Vel quia ipse superior, seù administrator cum falsis suggestio-
8 nibus, ac præsuppositis extorqueat à Capitulo, seù Conuentu huiusmodi facultatem, vt est nimium facilè, quoniam Religiosi recluſi viuentes in clauſtris, ac cellis, omnia superiori, vel administratori credunt, siuè illi contradicere non audent; Vel quod, dicta causa vera existente, in eamdem à pluribus, ac diuersis eædem summæ mutuæ accipiantur, (vt in hac facti specie supponebatur); Attamen istud est malum irremediabile, ac species casus, qui damno Monasterij potiùs, quàm mutuatoris, vel creditoris, (quoties probabilis collusionis, ac malæ fidei, suspicio absit), cedere debet, ex duplici ratione, seù iuris propositione; Primò scilicèt, quod in concursu culpæ, maior est illa ipsius Monasterij, cui rectè obijci potest, vt sibi imputet, cur minus fidelem administratorem præposuit, ideoque præponens teneri deberet de facto præpositi circa opus, vel ministerium, ad quod est deputatus, vt pluries in præcedentibus aduertitur; Et secundo quod de duobus malis minus est eligendum, ideoque benignè cum huiusmodi mutuatoribus, vel creditoribus procedendum est, ne aliàs, fides Religiosis, & Monasterijs omninò adimatur, adeò vt in eorum indigentijs nō inueniant succurrentem, quod potest esse maximi damni, ac præiudicij, ideoq; magis expedit huic rarò, ac non de facili præsumendo periculo subiacere.

Hinc proindè in ista materia pluries, ac pluries occasione scribendi ad causarum defensionem pro earum opportu-
9 nitate, siuè respondendi pro veritate, dicere consueui idem, quod ferè in omnibus huiusmodi materijs, ex meo sensu verificatur, vt scilicèt istæ sint quæstiones potiùs facti, quàm iuris, pro facti qualitate, & circumstantijs decidendæ, attenta sinceritate actus, ac bona, vel mala fide mutuatoris, quæ in magna parte pendet à veritate, & qualitate causæ præexistentis, in qua adhiberi non possint cautelæ, de quibus supra, quo casu vt aduertitur *in Cauen. sub titulo de Regular.*, curanda non venit contrauentio decretorum generalium Sacræ Congregationis prohibētium accipi pecunias mu-
10 tuas ad interesse, vel cū pignoribus bonorum mobilium, siuè cum hypotheca bonorum stabilium, sine speciali licentia, quoniam id cessat, quando id exigat imminens necessitas, quæ has moras non patiatur, putà in casu belli diuini, vel humani, vel incursus bānitorum cum similibus, cum tunc intret, vna ex limitationibus, quæ traduntur prolibitioni *Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.*, vt *sub tit. de Alienat. & contract. disc.* 1., *& in alijs*.

Quoueró ad secundum quæsitum; Dixi resolutionem pendere ex circumstantijs facti, ex quibus deduci possit præsum-
11 pta solutio iuxtà terminos textus *in l. procula ff. de probat.* ex deductis *apud Afflictum decisione* 13. *Surd. decisione* 105., *Merlin. decisione* 124. *& infra pluries*, ad materiam præsumptæ solutionis; Non poterat enim prætendi præscriptio; Tum quia requiritur tempus 30. an-
12 norum iuxtà terminos textus *in l. sicut, & l. omnes C. de præscript. 30. vel 40. annorum*; Tùm etiam quia saltèm durantibus illis Religiosis, qui de mutuo conscij erant, durabat mala fides impeditiua præscriptionis, ad notos terminos

textus

textus in cap fin. de præscript.

Ad tertium quæsitum, super puncto interesse à die morę; De plano dixi respõdendum esse contra creditorem, quamuis
13 cum priuato debitore ageretur, multò magis cũ Monasterio, vel Conuentu Regularium, ob prohibitionem dictorum decretorum generalium; Quamuis enim in illius Ciuitatis, ac Regni Tribunalibus practicetur opinio decernendi interesse à die moræ, etiam non iustificatis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis, de quibus in sua materia *sub titulo de vsuris*; Attamen vt ibidem pluries aduertitur, Curia Romana id non admittit, cumque oporteret tractare causam in foro ecclesiastico, vtiq; cum ista opinione procedendum esset.

Demum ad vltimum; Respondi quod exercibilis non esset actio ad ipsa bona in sorte principali, sed solùm ad fructus
14 iuxtà ea, quæ habentur *apud Royas dec.* 261. cum alijs *in dicto titulo de Alienat. & contract. discur.* 1. *& seqq.*, detractis tamen necessarijs pro alimentis, alijsque expensis currẽtibus iuxtà terminos *text. in cap. Odoardus de solutionib.*, de quibus *infra*; Verùm quia facta ista detractione vix aliquid supereſſe solet de fructibus, idcircò consului, quod procuraretur
15 concordia eo meliori modo, quo posset, vt credo sequutum; Scandalosæ tamen sunt istę controuersiæ in Religiosis, qui fidei, ac iustitiæ obseruãtiam prædicant sæcularibus, quibus norma, & exemplar esse debent.

ROMANA

MVTVI

PRO

AVGVSTINO IORDANO

CVM

STEPHANO SENAREGA EPISCOPO CONVERSANEN.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura, resolutus pro Augustino.

An debitum contractum per Religiosum professum, electum, seù destinatum in Episcopum, vnde immineat egressus à Religione, sit validum, & obligatorium, adeò vt debitor ad solutionem vrgeri possit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De iudicio per contradictas contra absentem pro debito contracto in Vrbe.*
3 *Monacus professus non habet facultatem contrahendi, & se obligandi.*
4 *Monacus destinatus, vel electus Episcopus non soluitur à religione.*
5 *Exceptio non numeratæ pecuniæ sublata est per obligationem Cameralem.*
6 *de iudicio, de quo num. 2.*
7 *De eadem conclusione, de qua numer. 4., àn Monacus factus Episcopus desinat esse Monacus.*
8 *Inter mercatores proceditur de bono, & æquo, non autem per apices iuris.*
9 *De contractibus filiorum familias remissiuè.*
10 *Monacus obligatur naturaliter, & quomodo.*
11 *De obligatione in tempore inhabili collata ad tempus habile.*
12 *Monacus assimilatur seruo.*
13 *Quando serui obligatio valeat.*
14 *De communi vsu, ac ratione, ob quam debitum sit benè contractum.*

15 *De*

15 *De exceptione non numeratæ pecuniæ, & quando attendatur.*

DISC. LXXXIII.

1 Postquam Ioannes Stephanus monacus Cassiuensis destinatus fuerat Episcopus Conuersanen., quinimò in consueto examine approbatus, atque in Consistorio præconizatus, debitorem se constituit per apocam Ioannis Augustini duplarum 500., se subscribendo Episcopum, eo modo, quo in pluribus epistolis eidem Augustino conscriptis, aliisque scripturis, & actibus facere consueuerat; Cumque priusquam sequeretur propositio in altero Consistorio, idē Io. Stephanus per aliquod tempus à Curia se absentasset, atque Augustinus pecu-
2 nia mutuata indigeret, hinc per contradictas, iuxtà receptam praxim, contra absentes pro debitis in Vrbe contractis, ibiq; soluendis, contra eum obtentum fuit ab A.C. mandatum exequutiuū, aduersus quod debitor reuersus, atque sequuta eius propositione in Cōsistorio, assumpto habitu, ac statu Episcopali de tribus opponebat; Primò scilicèt de inualiditate iudicij per contradictas præuijs diligentijs per Vrbem iuxtà stylum cum sęcularibus practicatū, eo quia tāquā monacus haberet domicilū certū, & cognitū in Monasterio, in quo debuisset citari, vel quod citari debuisset Procurator Generalis Religionis; Secundò de exceptione non numeratæ pecuniæ, sub cuius spe apocā confeciſſe asserebat; Et tertiò de inualiditate obligationis factæ in statu monastico, dum monacus seruo assimilatus
3 facultatem contrahendi, vel se obligandi non habet, allegando in id doctrinam *Innocentij in cap. cum olim 14 & Hostiens. numer. 12. de priuil. cum concordant. per Cyriac. contr. 505. nu. 3. Moron. respons. 24. num. 8. Sanchez ad præcept. Decalog. lib. 7. cap. 31. & communiter.*

Neque obstare dicebant Scribentes pro eo, quod destinatus esset Episcopus,
4 quoniam ista sola destinatio, quinimò electio non facit verum Episcopum, neq; eximit electum, vel destinatum à statu monastico, cum interim in omnibus dicatur verus monacus ex plenè deductis *per Sanchez ad præcept. decalog. dicto lib. 7. cap. 31.* apud quem cæteri de materia agentes.

His tamen non obstantibus, me pro Augustino scribente, dicti mandati exequutio decreta fuit, atque per Signaturam Iustitiæ canonizata, cum solito rescripto *sine præiudicio*, commissa causa appellationis indeuolutiuo in Rota, vbi pendet.

Quatenus enim pertinet ad secundam exceptionem non numeratæ pecuniæ, de facili ea neglecta fuit ratione obligationis cameralis, quæ in ventre continet
5 renunciationem huiusmodi exceptionis, quæ proindè in foro videtur quodammodo abolita ex deductis *per Zacch. de Oblig. quæst. 20. num. 2. cum sequentib.*, talisque est quotidiana praxis, adeòut in scripturis continentibus obligationem cameralem, in meæ forensis vitæ diuturno tempore, nunquam de illa formiter disputauerim; Multò verò magis dum dicta apoca non erat prima scriptura, quoniam præcedebant aliquæ literæ cambij, alijque actus, ex quibus ratione geminationis confessionis, etiam de iure dicta exceptio sublata remanebat.

Quoueró ad primam exceptionem concernentem ordinem iudicij, ea tollebatur ex *ijsdem*, de quibus infra, super
6 tertia exceptione respiciente iustitiam, seù merita negotij principalis, dum debitor contraxerat, atque se subscripserat tanquam Episcopus, quo posito cessabat obiectum, quoniam Episcopi, quamuis Regulares, more sæcularium in priuatis domibus per Vrbē sparsis viuere solent, ideoque cum eis eadem incōcussa praxis seruatur, vt de hac praxi habetur in sua materia *sub titulo de iudicijs*.

Tota igitur disputatio, tàm in Tribunali A. C., quàm in Signatura fuit super tertia exceptione, circa quam dicebam, quod quæstiones examinatæ per DD.
7 relatos *per Sanchez vbi supra*, percutiunt diuersos terminos, vel effectus circa statum monacalem, ac votum obediētiæ, aliaque ex dicto statu resultantia pro vtroque foro, & quæ, vtpotè de apicibus iuris ob dissidentes opiniones, tàm Canonistarum, quàm Moralium, vix benè innotescunt Iuris peritis, ac Theologis, per quos etiam disputatur, àn postquam

mo-

monacus formiter electus est in Concistorio, vndè propterea habitum, ac statim episcopalē assumpsit, dicatur verus Episcopus ante consecrationem; Istaq; etiam sequuta, adhùc remanet quæstio, àn monacus factus Episcopus desinat esse monacus, ac omninò soluatur à votis Religionis, vt *per Sãchez loc.citat. lib.6.cap.6. cum concord. apud Fab. de Ann. conf.* 45. *Molfes. conf.*1. *lib.*1. *& conf.*39. *lib.*2. *Rouit.decis.*10. *Barbos.de Episcop.alleg.*144. *Gregor. dec.*109. *n.*5. & insinuatur *sub tit. de renunciat. & sub tit. de Regular. & alibi.*

Hæc autem ignota sunt viris idiotis præsertim verò mercatoribus, & negotiantibus, cum quibus, vt pluries in præ-
8 cedentibus aduertitur, non attenduntur iuris apices, sed proceditur de bono, & æquo, sola facti veritate inspecta, ac iuxtà stylum negotiatorum, qui nesciunt has distinctiones, & subtilitates, sed eo ipso quod sciunt, & practicant quod aliquis Religiosus per Papã declaratus est Episcopus alicuius Ecclesiæ, atque præuio examine approbatus, ipseque se tractat, & subscribit tanquam Episcopus, iustè credunt contrahere cum Episcopo, non autem cum monaco.

Ad quod comprobãdum deducebam ea, quæ habentur deducta *sub titulo de Alienat. & contract. disc.*37., circa obli-
9 gationem filij familias, quando iustè cũ bona fide, ab eo, qui secum contrahit, sui iuris, ac paterfamilias reputatur, adeòut credulitas non sit affectata, sed probabilis, & bonæ fidei, ex ibi deductis.

Magisque proximè ad rem aduertebam, quod in magis communi sensu Do-
10 ctorum, de quibus *apud Sanchez ad præcept. dicto lib.*7. *cap.*31. *num.*37., dicta conclusio super inualida Religiosi professi obligatione, percutit præiudicia Religionis, vel Monasterij etiam in bonis ex persona Religiosi delatis, cum ex opinione Canonistarum in Curia recepta, acquisitio sit directa, & immediata, non autem mediata, vt volunt Ciuilistæ, ac habetur in sua materia *sub titulo de Regular.*, & sub illo *de Renunciat.*, ac etiam sub altero *de successionibus &c.*; Secùs autem quoad personam ipsius, eiusque naturalem obligationem, quando hęc compatibiliter cum præiudicio Religionis, vel Monasterij impleri potest, adeòut inefficacia obligationis percutiat potiùs effectum, seù exequutionem, eò quia nõ adsint bona, in quibus experiri valeat, Et hic videbatur casus, quoniam in hac obligatione, Monasterium, vel Religio nullum habebat interesse, neque de eius præiudicio agebatur, cum quęstio percuteret personã, à Religione iam egressam, atque sæculo restitutam, dum redditus, & bona ad liberam dispositionem more sæcularium iam habeat, et cõsequenter ità omnis difficultas cessabat.

Præterea aduertebam, quod ista quæstio super contractibus, & obligationibus factis per Religiosum professum,
11 percutit casum, in quo iste contrahat tanquam talis, atque in eo statu conueniatur; Secùs autem vbi obligatio respiceret futurum statum diuersum, quo iam sequuto, eius exequutio petatur, quoniam tunc creditor non dicitur sequutus fidem monachi, sed Episcopi, vel sæcularis qui liberam contrahendi facultatem habeat, dum attendendum est tempus habile, in quod obligatio collata est ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de donat.*, de donatione inter coniuges collata in tempus soluti matrimonij, et pro quando qualitas coniugalis iam cessauerit, vt valida sit, ac iuris prohibitioni non subiaceat.

Ad id autem ponderabam simile de seruo, cuius terminos DD. adhibent in Religiosis professis, vt *per Azzor. in-*
12 *stit. moral. lib.* 1. *tit.*11. *cap.* 11. *vers.*6. *quæritur Rot. decisione* 32. *num.*41. *par.*9. *recent. & communiter*; Si etenim dominus declaret velle seruum manumittere, eumque in statu libertatis reponere, prę-uijs aliquibus solemnitatibus desuper adhiberi solitis, pro quibus explendis aliquas expensas facere oporteat, si huiusmodi seruus, stante imminenti statu libertatis à domino iam declarato, debitũ contrahat pro huiusmodi statu perficiẽ-
13 do, ità tanquam homo liber conferendo obligationem in dictus tempus, ac statum libertatis, quo effectiuè sequuto, conueniatur, tũc vtiq; allegare non poterit nullitatem obligationis vtpotè contractæ de tempore, quo de stricta iuris censura in statu inhabili seruitutis constitutus erat, cum hæc inhabilitas percutiat ius, & interesse domini, non autem obligationem personæ ipsius serui iam effecti liberi; Idemque in filio familias,

puta quia imminente emancipatione per patrem declarata, seù de iure resultante ob Senatoriam vel Episcopalem, aut aliâ sibi iam destinatam dignitatem, contrahat, quoniam licèt tunc adhùc sit in statu filijfamilias, attamen contrahit tãquam paterfamilias, habito respectu ad istum statum iam imminentem, multò verò magis, vbi in causam illarum expensarum, quæ necessariæ, vel congruæ sunt tanquam dicti futuri status præparatoriæ.

Ità docente communi vsu etiam necessario, adeòut aduerterem, vt huiusmodi oppositio esset nimium præiudicialis vniuerso ordini Regularium, qui
14 ad Episcopatus promouendi essent, quoniam dum adhuc sunt in statu Religioso regulari, & in claustris, pecunijs indigent pro expensis præparatorijs futuri status Episcopalis, quem de facto assumunt cum assumptione habitus ipsamet hora, in qua proponuntur in secundo Concistorio, super ijs, quæ decorem ordinis Episcopalis concernunt, ac etiam super expensis processus Concistorialis; Nec nõ prompta pecunia indigent pro expeditione bullarum, quod impossibile est eis explicare, dum sunt in statu monastico sub voto paupertatis, nisi inueniant credentes, qui eis credunt non tanquam monacis, vel Religiosis, sed tanquam Episcopis, habito respectu ad futurum imminentem nouum statum Episcopalem, & capacem, non autem ad alterum monasticum cessaturum.

Ideoque reflectendo etiam ad solam veritatem, prorsus iniusta, malique, ac præiudicialis exempli hæc oppositio vi-
15 debatur, nisi ex parte Rei conuenti probaretur, vel saltèm vehemens fumus daretur de eo, quod ipse asserebat, quod scilicèt hæc apoca fiduciariè sub spe futuræ numerationis verè non sequutæ facta esset, cum implicita huius exceptionis renunciatio contenta in obligatione camerali, quinimò etiam explicita, tollat quidem illam exceptionem, quæ de iure competit debitori, atque in creditorem transfundat onus contrariæ probationis, non autem tollat possibilitatem probandi contrarium, vndè renunciatio explicita, vel implicita siuè geminatio actus, aut lapsus temporis, tollunt illam præsumptionem quæ aliàs debitoris fauore resultat, dictumque probàtionis onus commutant, vt de persona creditoris ad illam debitoris, non tamen inducunt præsumptionem iuris, & de iure, neque tollunt facultatem probandi contrarium, ex ijs, quæ ad materiam huius hodiè in foro raræ exceptionis, plenè colligit *Graſſ. de excep. cap. 43.*

MANTVANA RELEVATIONIS PRO ALIQVIBVS PARTICVLARIBVS, seù FAMILIIS CVM CAMERA DVCALI.

Responsum pro veritate.

De obligatione contracta per Procuratorem, seù Mandatarium excedentem normam, seù fines mandati, àn afficiat mandantem, vbi excessus non sit circa substantiam debiti, sed circa personam creditoris, vel circa alia accidentia.

SVMMARIVM.

1 *DE contractu liuellario vsitato in Lombardia.*
2 *Facti series.*
3 *Gesta per Procuratorem vltrà fines mandati sunt inualida.*
4 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
5 *An, & quando forma debeat impleri præcisè,*

tisè, vel sufficiat æquipollens.

6 *Simulatio personæ non est prohibita, & non attenditur.*

7 *Et quando attendatur, & àn facultas data possit exerceri cum seipso.*

8 *De consideratione in mandatario Principis.*

9 *Ratificatio æquipollet mandato etiamsi requiratur speciale.*

10 *Per quos actus inducatur ratificatio.*

11 *De obligatione debitoris releuãdi fideiussorem, vel releuatores.*

12 *De difficultatibus in causis fiscalibus &c.*

DISC. LXXXIV.

CVM Mantuæ Dux Vincentius, pecunijs indigeret in summa scutorum 60. m., nollet autem per se ipsum contrahere pro quadam honestate, atque Abbas Loredanus se obtulisset eas tradere sub eo contractu liuellario in ea regione vsitato, super quo particularem tractatum edidit *Manent. Doctor Mantuanus*, & agit *Cyriac. pariter Mantuanus contr.* 68., ac habetur actum *sub tit. de vsur. disc.* 11.; Hinc in præfati Ducis gratiam, Carolus Beroldus sub fideiussione illorum de Beroldis, de Bolderijs, de Azzola, & aliorum dictum contractũ 1 inijt, eosque in eiusdem Ducis gratiam releuare promiserunt quindecim idonei, & qualificati ciues eiusdẽ Ciuitatis, quos ipsius Ducis procurator specialis indemnes releuare promisit; Quia verò dictus Loredanus solam summam scutorũ 40.m. præstitit, hinc reliqua summa scutorum 20. m. sub eodem contractu, eijsdemque fideiussoribus, & releuatoribus, tradita fuit per Galeatium Canossam, ac ab eo tempore, in libris Cameræ Ducalis, vtrũque debitum respectiuè descriptum fuit, atque per plures annos soluti fuerunt fructus, seù liuelli; Cumque dicto Duce defuncto ab huiusmodi solutione cessatum esset, atque pro secundo contractu inito cum Canossa, aliqui ex dictis fideiussoribus pro sorte, & fructibus coacti essent soluere summam scutorum 41. m., vndè propterea pro eorum releuatione agerent contra dictos ciues obligatos, vel eorum hæredes, seù bonorum possessores, istique pro eorum pariter releuatione actiones direxissent, tàm contra Cameram Ducalem, quàm contrà aliquos tertios possessores bonorum Ducis Vincentij; Per Cameram, ac per istos excipiebatur de incompetentia actionis, seù inefficacia obligationis cõtractæ per procuratorem contra fines mandati traditi ad contrahendum cum diuersa persona, non autem cum dicto Canossa, seù alijs, deducendo in id vulgarem, ac in 3 suo casu veram conclusionem, vt gesta per mandatarium vltrà fines mandati, vel contra eius formam, inualida sint, atque mandantem non obligent; Quare ex parte dictorum 15. ciuium, vel habentium causam ab eis desuper consultus.

Respondi, prorsus improbabilem, malèque fundatam videri huiusmodi exceptionem; Non quidem ex defectu, seù fallacia dictæ regulæ, in suo casu veræ, sed ex claro defectu applicationis ad casum; Procedit enim, vbi immutatur sub- 4 stantia rei, seù alteratiuus excessus in aliquo deteriorem reddat conditionem mandantis, qui consensus defectum iuridicè allegare valeat; Secùs autem, vbi id nil refert, atque alteratio nullum causat præiudicium, sed est circa id, sine quo finis, vel effectus à mandante desideratus aliàs sortiri non potuisset, quoniam sub mandato dato ad aliquid peragendum concessa censetur omnis facultas gerendi ea, quæ de negotij natura, vel stylo, necessaria, vel oportuna sunt, & sine quibus id sequi non posset, seù quæ verisimiliter mandans concessisset, si cogitasset ad textum *in l. fin.* §. *fin. ff. mandat.* cum ibi notatis *Abb. conf.* 65. *numer.* 3. *in princ. par.* 2. *Cravett. conf.* 12. *numer.* 12. *Mantic. de tacit. lib.* 7. *tit.* 15. *nu.* 36. & 37. *Capyc. latr. consult.* 108. *num.* 13. & *communiter.*

Ad quod conferunt plenè collecta *per Addent. ad decisionem* 542. *numer.* 85. *& seqq. par.* 4. *rec. tom.* 3., *& sub tit. de feud. ad materiã Bullæ Baronum disc.* 87., 5 super regula, seù conclusione, àn, & quando forma præcisè seruari debeat, vel sufficiat implementum per æquipollens, quoniam vbi ea respicit certum finem, seù effectum, iste potiùs, quàm formalitas verborum attenditur.

Finis autem, seù effectus erat habendi certam pecuniæ quantitatem, quam

nihil refert haberi potiùs ab vno, quàm ab altero, ideoque vt aduertitur *sub titulo de Cambijs discur. 6.*, simulatio personæ non est *in iure* damnata, ne-
6 que in consideratione habetur, quoties non interfit, potiùs cum vno, quàm cum altero contrahi, vndè propterea intrare valeat defectus verisimilis intentionis iuxtà ibi exemplificata, ac etiam *eodem tit. de Cambijs*, pluries præsertim *disc. 12. & 14.* occasione agendi, àn mandatum datum per debitorem creditori
7 accipiendi pecuniam ad cambium à quibuscumque, concessum censeatur etiam accipiendi à se ipso, cum similibus.

Clariùs verò attenta qualitate mandantis, seù mandatarij, dum agebatur de Principe actum explicante per eius
8 Consiliarium, ac primum ministrum, quẽ præsumptio non est egisse præter intentionem, ac non præuio oraculo, vt in specie aduertitur *apud Afflictum decisione* 340. *num.* 5. & 6., ideoque ista pariter est quæstio facti, & voluntatis regulanda ex facti circumstantijs, ac verisimili, vel inuerisimili.

Omnisque difficultas penitùs cessabat ex subsequuta ratihabitione, quæ æquipollet mandato, etiam vbi istud speciale
9 requiratur ex deductis *per Mantic. dicto lib. 7. tit. 15. numer. 50. Gregor. decis. 525. num. 4. & 5. Otthob. decis. 116. nnm. 21. & passim*, dum istud creditum integrè descriptum fuit in libris Cameræ Ducalis ad fauorem vtriusque creditoris respectiuè, atque vtrique multorum annorum spatio soluti fuerunt fructus cuilibet pro rata; Et quod magis verè accepta fuit
10 pecunia, per cuius receptionem ratihabitio inducitur ex relatis *per Capyc. Latr. decis. 26. num. 27. & 28., & consult. 105. numer. 25. & seqq. Rota apud Buratt. decis. 301. num. 3 & 4. apud Dunozett. decis. 896. num. fin. & frequenter.*

Et his positis, de plano intrabat obligatio debitoris releuandi fideiussores,
11 vel fideiussorum releuatores *Bald. in l. quæro ff. locat. & l. 2. Cod. de sent. quæ sine cert. quantitat. cum concordan. per Surd. cons. 150. numer. 3. cum seqq. Rota apud Coccin. decis. 91. numer. 1. decis. 262. post Zacch. de oblig., & dec. 77. par. 11. recent.*, & frequenter, cum sit iuris principium certum; Ideoque aduertebam quod causa digna non esset hac dote desuper expetendi consilium ab Aduocatis Romanæ Curiæ, nisi ad id coegisset ea circumstantia, quod ageretur cum Camera Fiscali, contra quam fortè, in non magis
12 Principatibus, (nõ quidem ex intentione ipsorum Principum, quæ vt plurimũ recta est, sed ministrorum), non de facili habetur copia scribentium in loco, aliæque cadere solent circumstantiæ, ex quibus etiã facillima, & plana, difficultatem patiuntur.

ROMANA

LITTERARVM CAMBII

PRO

ANTONIO BORANO

CVM N. N.

Casus disputatus coram A. C., sopitus cum temperamento non expectata resolutione.

An procurator, vel minister alicuius Magnatis, acceptãdo litteras cambij, efficiatur debitor de proprio eius, cuius fauore conscriptæ sint litteræ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De materia acceptãtis litteras eius, qui pendente solutione decoxit.*
3 *Acceptans litteras, vel promittens administratorio nomine, nõ tenetur de proprio.*
4 *In claris non intrant quæstiones.*
5 *De eadem materia, de qua num. 2., quando decoctio contingeret post lapsum terminum &c.*

DISC.

DISC. LXXXV.

CVM Plumbini Princeps Io. Baptista Ludouisius, domicilium habens in Curia Matriti, ob acceptas ibi pecunias in summis notabilibus, litteras cambij pro reimbursatione mutuantium scripsisset Antonio Borano eius in Vrbe Auditori generali, ac primo ministro, isto titulo in ipsis litteris adiecto; Dictusque Antonius, cautè in hoc agendo, easdem litteras acceptasset sub eiusdem nominis, vel tituli expressione, atque ad vberiorem cautelam expressisset promissionem soluendi ex effectibus ipsius scribentis, seù mandantis, ob quorum tunc promptam deficientiam, in consueto termino, dictarum litterarum implementum prompte sequi non poterat; Hinc illi, quibus solutio facienda erat, opinantes ex dicta acceptatione, ipsum Antonium obligatum habere de proprio, illũ vtpotè satis idoneum pulsarunt coram A. C., in processu exequutiuo, (qui sine dubio ex communi recepto vsu pro litteris cambij competit), atque Scribentes pro actoribus, dicebant casum esse planum, ac non admittere illas difficultates, quæ cadere solent, vbi scribentis decoctio sequuta esset, ante acceptationem, vel illius termino durante, ex ijs, quæ in hac materia habentur *sub tit. de cambijs disc. 25. & 26.*, dum ista circumstantia non concurrebat, et consequenter dicebant cessare omnem dubitandi rationem.

Quamuis autem ista quæstio, ex quadam indiscreta impatientia creditorum proueniisset, cum ad aliquos dies, huiusmodi disputatione pendente, idem Antonius, ex effectibus scribentis occurrisset, vndè propterea nulla accessit Iudicis determinatio; Attamen, vt molestijs super bonis proprijs occurreretur; Dicebam scribens pro Antonio Reo conuento (etiam in sensu veritatis), improbabilem, nullique fundamento innixam esse actorum prætensionem; Obligatio etenim acceptantis litteras cambij, quãuis non habeat in manibus de effectibus scribentis, quinimò etiam, vbi iste ante solutionem, pendente termino decoxisset, quoties de tempore acceptationis esset in statu integro iuxtà distinctiones, de quibus *dicto disc. 25. & 26. de Cambijs*, procedit quando correspõsalis, cui litteræ directæ sunt, illas simpliciter acceptat, ac promittit, cum tunc ille, cui soluendæ sunt, cessante mala fide, & collusione, acceptantis, vel promittentis fidem potiùs sequi dicatur, atque intrat quæstio, àn promittens dicatur fideiussor, seù expromissor scribentis iuxta vnam opinionem apud negotiatores, & in locis mercantilibus magis receptam, vel potiùs dicatur mandatarius iuxtà alteram opinionem, quàm sequuntur Rota, & Curia Romana, ac etiam Sacrum Consilium, aliaq; Tribunalia Regni Neapolitani ex deductis *dicto disc. 25. & 26. de Camb.*

Secùs autem, vbi quis, acceptando, vel promittendo, expresse adijcit nomen procuratorium, vel institorium, cum tũc resultet clara declaratio nolle teneri de proprio, sed benè obligat principalem, seù mandantem iuxtà celebre *consil. 510. Decij*, quod in hac materia speciali circumfertur tãquam magistrale, & admittitur, vbi subscriptio, vel acceptatio titulum administratorium, vel institorium habet ex relatis *per Rocc. resp. 11. lib. 1., & in notabilibus registratis post eumdem lib. 1. sub tit. de litter. camb. notab. 60. numer. 164. cum seqq. Rot. decis. 40. par. 10. rec.*; Clariùs verò, dum hic non contentus expressione nominis, clariùs se declarauit, promittendo solutionem ex effectibus, & redditibus scribẽtis, vndè propterea casus remanebat extrà omnem dubitandi rationem, rectèque intrabat vulgaris regula textus *in l. ille, aut ille ff. de leg. 3.* plenè exornata *per Rotam decis. 44. nu. 14. par. 11. rec.*, quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta; Potissimè verò, vbi mandans, seù scribens non negat in acceptante mandatum, vndè propterea non cadit inspectio actionis de dolo, quæ intrat contra eum, qui se falsò procuratorem dicat.

In hoc autem proposito acceptationis litterarum cambij, & quando acceptans teneatur de proprio, non obstante decoctione, seù aliàs immutato statu scribentis; Pluries, & præsertim *in alia Romana, seù Neapolitana litterarum cambij*, cõtra illos de Capocaccia, & alios, qui accepta-

uerant litteras ſcriptas à mercatore Neapolitano poſtmodum defecto, ad fauorẽ domus probationis Societatis Ieſu, & aliorum, cum immutatio ſtatus ſequuta fuiſſet, non intrà conſuetum terminum vſus litterarum, (quo caſu intrant diſtinctiones, de quibus *dicto diſc. 25. & 26. de Cambijs*), ſed ad plures dies poſt lapſum terminũ, pendente tamen adhùc ſolutione per creditorem in gratiam acceptantis beneuolè diſſimulata; Dicebam ità caſum eſſe indubitatum contra acceptantem, cui mora prodeſſe non debet, neque beneuolẽtia per creditorẽ ſecũ adhibita debet huic præiudicare, dũ ita creditor, lapſo termino, ipſius fidem omninò ſequutus dicitur, atq; ita per A.C. iudicatũ fuit, relaxando mandatum, canonizatum etiam à Signatura Iuſtitiæ, cum iſto caſu ceſſare dicantur omnes illæ difficultates cadentes, quando decoctio ſequatur adhùc pendente vſu, vel termino, quãdo non intret ratio moræ, vt *dicto diſc. 25. & 26. de camb.*, vbi de materia.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Pater tenetur alere filium in coſtatu, in quo ipſe eum conſtituit.*
3 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
4 *De alimentis per virum vxori præſtandis remiſſiuè.*
5 *De differentia inter alimenta præſtanda domi, vel extrà.*
6 *Pater non tenetur pro filio, vel è contrà.*
7 *Secùs vbi pater conſentit, vt filius aſſumat munus decurionatus.*
8 *Idem in omnibus alijs officijs.*
9 *Vel in militia, cui aliquod onus, vel ſeruitium ſit annexum.*
10 *Declaratur quomodo procedant concluſiones, de quibus num. 7. & ſeqq.*
11 *Quid vbi filius tutelam exerceat.*
12 *De eodem, de quo num. 10.*
13 *Quando pater teneatur de expenſis legationis filij.*
14, 15, & 16 *De eadem concluſione, de qua num. 7. & ſeqq. & num. 10.*
17 *Vbi etiam pater teneatur, ad quid eius obligatio extendatur.*
18 *Expenditur eadem concluſio, de qua numer. 7. & 10.*
19 *In filiofamilias clerico, peculium aduentitium habet ſpeciem profectitij.*
20 *Quod ratiocinia non ſoleant attendi.*

ROMANA PECVNIARIA

DE ORNANIS PRO IVLIO ORNANO CVM DOMINICO GENTILE.

Caſus diſputatus coram A.C. reſolutus pro Dominico poſteà concordatus.

An pro debitis contractis per filium, pro exercẽdis publicis muneribus, vel pro eius ſubſtentatione, competat actio creditori contrà patrem.

DISC. LXXXVI.

1 COnſentiente, & cooperante Iulio patre, Carolus Antonius filius, adhùc adoleſcens annorum 20. circiter, Prælaturam Referendarij V. Signaturæ obtinuit, deindeque, eodem Carolo Antonio procurante, ad munus Vice Legati Prouinciæ Romandiolæ aſſumptus fuit, patre diſſentiente, ac nolente ſubminiſtrare pecunias pro itinere, ac neceſſaria ſuppellectili, alijſque expenſis, vndè propterea, Dominicus Auunculus illi mutuauit ſcuta circiter 3000.; Cumq; ob aliqua accidentia præfatus Carolus Antonius deſerto munere, quamdã vltrà montanam regionem adijſſet, atq; immaturã mortem ibi paſſus eſſet; Hinc inter dictos

dictos Iulium, & Dominicum orta est controuersia super dicti mutui restitutione, commissaque per Sanctissimū causa A.C., cum voto duorum Locumtenentium, prodijt sententia Iulij patris condemnatoria, aduersus quam habitus fuit recursus ad Signaturā Gratiæ pro commissione appellationis, incertumque est quid rescriptum fuerit, dum concordia liti finem dedit.

In his autem disputationibus, duo fuerunt puncti; Primò scilicèt an actor, qui filio familias pecunias mutuauit ex causa dicti publici muneris Vice Legationis, actionem haberet contra patrem; Et secundò, àn, & quæ actio competeret contra eumdem patrem, saltèm ex causa alimentorum, aliarumque expensarum ab eo faciendarum in substentatione filij etiam in Vrbe in statu Prçlaturæ, in quo ipse eum constitui curauerat, secluso etiā dicto munere.

Quatenus ad hunc secundum punctū pertinet, ille circa theoricam iuris modicam habuit discrepantiam inter Scribentes hinc inde, quæ potiùs erat facti, & applicationis, circa maiorem, vel minorem quantitatem; Non negabam
2 etenim ego scribens pro patre, istius obligationem submini strandi filio necessariam substentationem in eo honorifico statu Prælaturæ, in quo ipse eum constituerat, quodque ad eam ratam actor actione negotiorum gèstorum, vel de in rem verso, repetitionem haberet pecuniæ in istam causam filio mutuatæ; Dicebam tamen id non procedere nisi
3 ad limites eius, quod pater erogaturus fuisset propriæ domi, ac in propria mensa, nisi studiorum, vel alia iusta causa aliter suadeat iuxtà casum, de quo *Rota apud Mantic. decisione* 331. & 35., cum aliàs pater non teneatur alere filium extrè domum, vt infrà.

E' conuerso Scribentes pro actore (secluso primo puncto, de quo infrà, in quo principaliter insistebāt, atq; ludices adhęrentes habebant), non negabant veritatem dictæ moderationis, discrepabant tamen in quantitate, calculando expensas regulariter necessarias pro substentatione Prælati in Curia, vel alibi; Id autem, etiam cum sensu veritatis, dicebam nullam habere subsistentiam, quodque pater, cessante iusta causa ad aliud nō teneretur, nisi ad eas expensas quas propriæ domi erogaturus fuisset, nisi filius ab ea discessisset iuxtà traditionem *glosæ originalis in l. sed Iulianus §. quod dicitur ff. ad macedonian., cum qua pertrāseunt Salicet., Fulgos., Siccard. & alij communiter in l. macedoniani C. eodem, Surd. de alim. tit. 4. quæstione* 14. *numer.* 9. *cum seqq. Seraph. decis.* 1194.

Quod etiam habemus in materia alimentorum, quorum maior est obligatio, quia ex causa onerosa, & correspectiua
4 dotis, nō autem solùs miserationis gratia præstādorum per virum vxori, quod si iniustè hæc diuertit à viro, eique obsequia coniugalia non præstet, ad nihil iste tenetur, si autem excusabiliter, citrà verò ipsius viri culpam, hic ad aliud non tenetur, nisi ad expensas, quas in propria domo erogaturus fuisset, vt *in Neapolitana separationis thori* 4. *Iulij* 1646. *coram Peutingerio*, & in alijs, de quibus habetur in sua materia *sub titulo de matrim.*, vbi de coniugum obligationibus.

Magna verò differētia est inter illam impensam, quam paterfamilias faciat in substentationem filij propriæ domi habitantis, & in eius mensa comedentis,
5 quamuis in Prælaturæ, vel alio conspicuo statu constituti, & illam impensam, quam facere debet Prælatus exterus, qui domum aperiat, ac propriam familiam distinctam retineat, tàm ratione pensionis, quàm famulatus, ac etiam victus, adeòut expensa Prælati exteri sit in duplo, ac longè vltrà maior, quam illa Prælati Romani, seù aliàs in Vrbe domiciliū, cum suis coniunctis, vel parentibus habentis, vt aduertitur *sub tit. de Legatis* in materia alimentorū prçstandorum extrà domum; Sed quia, vt dictum est, principaliter insistebatur in affectione totiùs crediti ex primo puncto, seù motiuo, hinc proindè de hoc secundo parum actum fuit.

Quoueró ad dictum primum punctū; Cum regula patri assisteret, nè ipse pro filio, vel è conuerso filius pro patre te-
6 neatur, vt *toto titulo Nesil. pro patr. &c.*, & concordant omnes relati *per Larream alleg.* 112. *num.* 7. & 8. & *num. fin. Mantic. decis.* 308. *numer.* 1. & *passim*; Hinc restringebatur quæstio ad limitationem deducta *ex text. in l.* 2. *ff. ad municipal.*, & *l.* 3. *§. fin. ff. de pecul. l. sponte §.* 1. *ff. de*

mu-

munerib. & honorib., & l. 1. C. quod cum eo cum concordan. plenè expensis *per Larream dicta allegat. 112. num. 11. cum seqq. vsque ad fin.*, quod scilicèt si pater curat, vel consentit, filium creari Decurionem, tenetur ad omnia munera, quæ ex decurionatu resultant, et sic non solùm pro debitis necessarijs pro substentatione in eo munere, sed etiam pro tutela per filium administrata, vel alio munere Decurionibus committi solito, per quæ iura, latè cæteris relatis inferunt ad offi-
8 cia, quæ per filium familias exerceantur ex præpositione patris *Mastrill. de Magistrat. lib. 1. cap. 28. Paschal. de patr. potest. par. 4. cap. 5. Farin. quæst. 24. & alij relati per Larream dicta allegat. 112. num. fin.*; Vbi agendo de obligatione quam in Hispania habent illi, qui præsertim sunt
9 adscripti militijs, Calatrauæ, Alcantaræ, & Sancti Iacobi insequendi Regem, in bello, vel alijs occurrentijs per se ipsum, vel in casu impedimenti teneræ ætatis per substitutum, latè probat, quod patres tenentur subministrare substituti expensas pro filijs, qui ipsis petentibus in eo equestri ordine, vel statu constituti sunt; Atque ità inferebatur ad casum controuersiæ, quod scilicèt quemadmodum ex solo consensu præstito à patre super assumptione status decurionalis, tenetur ad ea omnia munera, quæ in consequentiam ex decurionatu resultant, ità dicendum sit, quando pater curat, vel consentit, vt filius assumat statum Prælati V. Signaturæ Referendarij, quoniam hic est ordo, ex quo Papa, Gubernatores, ac Vicelegatos, aliosque officiales assumit.

Non negabam ego veritatem conclusionis, seù theoricæ in abstracto; Dicebam tamen, vt in sensu omnium dictorũ
10 Iurium, ac Doctorum, de quibus supra, id procedat circa ea, quæ concernunt fauorem, vel interesse Reipublicæ per filiũ administratæ, ratione decurionatus, vel alterius muneris, quod in consequentiam ex eo resultat, non autem interesse priuati creditoris mutuantis filio in causam priuatam, vt ita conciliando iura, quæ inuicem pugnantia videntur, aduertit *Barbos. in l. si cum dotem* §. *transgrediamur n. 14. ff. solut. matrim.*

Et quamuis replicaretur, quod per eadem iura disponatur de obligatione patris erga pupillum ratione tutelæ per
11 filium administratæ, vt *in dicta l. 1. Cod. quod cum eo*; Attamen, vt ex *Salicet. & alijs* aduertit *Barbos. vbi supra*, id pariter publicã potiùs, quàm priuatam causam percutere dicitur, quoniã tutela est munus publicũ, atque pupilli, & alij qui à natura, vel accidẽti impediti, propria bona administrare nõ possunt, viuere dicũtur sub legis necessaria administratione, ac publica fide, qua elusi remanere nõ debent; Hisque terminis retentis admitti posse dicebam pro facti qualitate deducta *per Larr., & Mastrill., ac & alios vbi supra*, circa exercitium assumptæ militiæ, vel circa administrationem officiorum; Nõ autem vt teneri debeat pater ad illa debita, quæ filius, ipso non consentiente, fortiùs autem eo dissentiente, contraxerit pro nouo dispendioso munere per ipsum filiũ procurato, & assumpto, quamuis illud munus sit de ijs, quæ Prælatis conferri solent.

Non est enim bona consequentia; Aliqui officiales assumuntur ex ordine Prælatorum, ergo eo ipso, quod pater consensum præstitit, vt filius Prælaturam
12 assumat, se obligasse censetur ad expensas necessarias pro quocumque alio munere, ad quod Prælati assumi solent, quoniam ita sequeretur, vt pater, qui curauit, vel consentit, vt filius Prælaturam assumat, teneri deberet ad subministrandas illas ingentes summas, quæ necessariæ sunt pro emendo Clericatũ, vel Auditoratum Cameræ iuxta ea, quæ habentur *sub titulo de Regalibus disc. 2.*; Vel pro substinendis dispendiosissimis Nuntiaturis Germaniæ, vel Galliæ, dum hæc munera Prælatis committi solent, quod vtique omninò absurdũ est; Quamuis enim *textus in l. Macedoniani Cod. ad Macedo-*
13 *nian.* loquatur etiam de expensis Legationis, attamen ita disponitur, quia supponitur quod de patris consensu à filio Legatio suscepta esset.

Fortiùs verò, vbi iusta causa concurrat, ob quam pater assentiri recuset diuersi muneris susceptioni; Prælatura enim simplicium Referendariorũ vtriusque Signaturæ, est quædam introductio,
14 seù ianua ad illũ ordinem, ex quo deindè per gradus, ac ætates, Apostolica Sedes, viros idoneos ad gubernia, & legationes, aliaque munera assumit, tanquam

per

per ſpeciem primæ tonſuræ, quam adoleſcentes aſſumunt, ità ſe adſcribendo ordini clericali, ex quo Parrochi, & Canonici, ac Dignitates, ac etiam Epiſcopi, & Prælati aſſumuntur; Non enim ex eo quod quis curat, vt eius filius aſſumat tonſuram, atque ordini clericali in tenera ætate adſcribatur, ad effectum, vt procedentibus ætate, & virtutibus iuxtà ingenij, ac prudentiæ experimentum ad beneficia, & dignitates promoueri valeat, ſequitur, vt licitum ſit filio, inuito, 15 vel inſcio patre, accipere ſub graui penſione beneficium, vel dignitatem, aut aſſumere clericale officiū diſpendioſum eius ſtatui, ac ætati incongruum, quodque pater ità obligatus remaneat; Itapariter de Doctoratu, qui neceſſarius eſt pro ianua, ſeù introductione ad officia cum ſimilibus, cum id fabulæ ſpeciem habere videatur; Stant enim benè ſimul, quod pater curet, vt filius quamuis adoleſcens aſſumat ſimplicem Prælaturam, aliud ſecum non ferentem, niſi propoſitionem aliquarum cauſarum in Signatura Gratiæ, & Iuſtitiæ, ad quem effectum talis qualis habilitas ſufficit, vt ità experiatur ingenium iuuenis, eumque incitaret ad virtutes, in quibus benè proficiendo ad maiora munera aſſumi valeat, et tamen quod expertus mores, ac imprudentiam, eum alijs muneribus incongruum iudicet, iuxtà cōſimilia exempla clericatus, vel doctoratus.

Non ſic eſt in caſu, de quo agit *Larrea dicta alleg.* 112., quoniam onus præſtandi ſeruitium Regi per ſeipſum, vel eius 16 ſubſtitutum in caſu impedimenti eſt annexum ipſi militiæ, ad inſtar ſeruitij, quod eſt annexū feudo, vel officio, ideoque eo ipſo, quod pater obtinet pro filio feudum, vel officium, ſeù militiam, ſe obligare dicitur ad ſeruitium, tanquam conſequens proximum, & connaturale, imò neceſſarium, non autem ad adeò remota, & accidentalia conſecutiua.

Prętereà, ſcribendo in Signatura Gratiæ occaſione appellandi à dicta ſententia nō appellabili, ob commiſſionem *ap-* 17 *pellatione remota*; Dicebam grauamen eſſe manifeſtum, ſaltèm ratione exceſſus, quoniam vbi etiam præmiſſa admittēda venirent contrà patrē, locū tamen ſortiri deberent ſolùm in expenſis neceſſarijs, & congruis, nō quidem ad præciſam neceſſitatem naturæ, ſed ad neceſſitatem congruentiæ pro muneris, & perſonæ qualitate, non autem ad luxum, & ſuperabundantiam, ad inſtar eorum, quæ, in alendi, vel dotandi paterna obligatione habemus, cum ſimilibus; Et ſic pro illo apparatu, & famulatu, qui ſine præiudicio decoris prælaturæ, & officij, neceſſarius erat, ac ſufficiebat, non autem pro illis exuberantibus expenſis, quæ ad luxum, & pompam, maioremque inanem gloriā per Magnatum, ſeù valdè diuitum filios, ipſis parentibus gratum habentibus, fieri ſoleant, vt in hac facti ſpecie profuſus Iuuenis fecerat.

Cæterum, quatenùs pertinet ad articulum iuris in abſtracto, ſuper diſpoſitione 18 dictorū iurium occaſione decurionatus, ità diſponentiū; Aduertebam, quod iſtud, pro meo iudicio, videtur vnum ex Iuriſtarum æquiuocis reſultantibus non animaduertendo ad temporū diſtinctiones; Quando etenim dicta iura prodierunt, ignota erat ea peculiorū diſtinctio, quæ per ius nouiſſimum introducta fuit, atq; filius familias incapax erat habendi quid proprium, et conſequenter hæredem non habebat, neque debitum, vel creditum in eo radicari poterat, ſed iure ſerui cenſebatur, ideoque non mirum ſi lex obligabat patrem conſentientem, vt filius aliquod munus ſuſciperet, ad ea, quæ illi conſequutiua ſunt, cum aliàs conſultum eſſe non poſſet.

Hæc autem ratio hodie ceſſat, cum filiusfamilias habeat peculium aduentitiū, ac etiam habeat hæredem, atq; ſit capax debiti, & crediti; Multò verò magis, vbi agitur de filijs clericis, in quibus bona 19 aduentitia, caſtrenſibus quodammodo in omnibus aſſimilata vidētur, vt aduertitur *ſub titulo de teſtamentis diſc.* 34., *& ſub tit. de ſeruit. diſc.* 61.; Verùm abſti- 20 nui ab iſtius motiui deductione, vt euitarem conſuetū obiectū, quod eſſent mea ſolita ratiocinia de capite, ſine auctoritatibus, ſtantibus tot doctrinis in contrarium, cum quibus in cæca fide, abſque temporum, vel caſuum diſtinctionibus, mundus hodiè currit.

AN-

ANCONITANA

MERCIVM

PRO

ALIQVIBVS MERCATORIBVS

CVM

ALIQVIBVS PROXENETIS.

Responsum pro veritate.

An creditor, qui pecunias, vel merces credidit vni ex socijs, obligatos habeat omnes alios, quamuis creditum versum non esset in negotium sociale, adeoùt socius ignarus à consocio obligetur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod ista quæstio sit frequens, & quomodo decidenda sit, seù in quo cõsistat.*
3 *Inter socios vniuersales nõ datur meum, & tuum, atque vnus obligat alterum, & quando dicatur societas vniuersalis.*
4 *Et quomodo probetur &c.*
5 *In societate negotij particularis quoque socius obligat socium, si nomine sociali contrahat.*
6 *Quid in dubio, & quomodo probetur, àn in causam socialem, vel particularem.*
7 *Quando dicatur societas, vel admissio ad participationem, & de differentia.*
8 *Quod socius obligetur ex facto socij etiã post dissolutam societatem.*
9 *Quod in facti specie debitũ esset ex causa sociali.*
10 *An, & quando constare debeat de versione in causam socialem ad obligandũ socium.*
11 *An obligatio socij excedere possit capitale positum in societate.*
12 *Quid vbi vnus ex socijs dolosè agat.*
13 *De alijs controuersijs ciuilibus.*
14 *Dominus obligatur per institorem, seù præpositum.*

DISC. LXXXVII.

1 PRæsupposita consuetudine mercatorum, ac negotiantium Anconæ, vt in verbo, ac fidẽ proxenetarum credant merces exteris inferioribus mercatoribus, & negotiantibus, Oppidorum, & locorum adiacẽtium, habita fide de pretio, quamuis eorumdem mercatorum inferiorum mandata, vel litteræ non exhibeantur, quodque ex huiusmodi fide, quæ proxenetis præstatur, notabile lucrum ex hoc proxenetico exercitio reportent ob huiusmodi commissionum implementum; Cum ab aliquibus annis inita esset societas trium proxenetarum, sub conuentione ponendi in massa, singulisque annis diuidendi omnia lucra ex dicto cuiuslibet exercitio reportanda; Casus autem dedisset, vt vnus eorum mentitis nominibus dictorum exterorum mercatorum, & negotiantium, plures merces, pecunia credita habuisset à dictis mercatoribus, eisque dissipatis, vel occultatis, fugam arripuisset; Hinc ex parte dictorum mercatorum, pro veritate consultus fui, àn eis actio competeret contrà præfati proxenetici negotij duos alios socios, quamuis ipsis creditũ non esset.

Respondi, quod nisi aliæ alteratiuæ circumstantiæ facti accederent, sed cum dicto præsuppositio procedendo, plana mihi videbatur affirmatiua ipsorũ mercatorum fauore, contra dictos duos proxenetas; Quamuis enim ista materia debiti contracti per vnum ex socijs, àn alios ignaros afficiat, nimiũ frequens
2 in foro esse soleat, adeò vt (citrà exaggerationem) vltrà centesimum huiusmodi controuersiarum numerum tractauerim, (in idem tamen coincidentium, adeò vt easdem propositiones, & doctrinas, modò pro vna, & modò pro altera parte pro casuum diuersitate, iuxtà Aduocatorum morẽ, reuoluere opportuerit); Attamen expertus sum (vt ferè in omnibus alijs forensibus materijs, quæ præsertim à voluntate contrahentium, vel morientium pendent), istas esse quæstiones potiùs facti,

cti, & probationis, quàm iuris, cuius theoricæ generales videntur hodiè planæ, ac receptæ, totusque punctus est in applicatione, quæ pendet ex singulorum casuum circumstantijs.

Potissimum verò circa societatis qualitatem, àn scilicèt sit vniuersalis omniũ bonorum, vel aliquorum, seù alicuius negotij particularis; Posita enim qualitate societatis vniuersalis, nulla cadit iuris quæstio, cum absolutum sit eius principium, vt socius ex facto socij indefinitè obligetur, dum inter eos non datur distinctio mei, & tui, atque ob promiscuam generalem administrationem, generale reciprocum mandatum inter eos inesse dicitur, vnde propterea quæstiones, (& quidem frequentes), cadunt super huiusmodi vniuersitatis iustificatione, cũ illa in dubio non præsumatur, etiam inter fratres vniuersam parentum hæreditatẽ, seù maiorum bona pro communi possidentes, ac etiam vitæ, seù victus, & habitationis communionem habentes, quoniam aliud est plurium bonorum, ac hæreditatum possessio pro cõmuni, seù mensa, & habitatio communis; Aliud verò communio vniuersalis, cuius requisita sunt, vt nihil inter eos, priuatum, seù particulare detur, quod alijs non sit commune, adeòut non verificentur debitum, & creditũ, neq; meũ, & tuũ, neq; detur redditio, vel solidatio computorũ *ad text. in l. 3. & l. si fratres ff. pro socio*, cum concordantibus, de quibus cæteris relatis habetur *apud Mantic. de tacit. lib. 5. tit. 10. Felic. de societ. cap. 10. Rot. apud Buratt. decis. 397. & 998.* plenè *decis. 129. par. 10. rec.*, & habetur *sub tit. de Successionibus*.

Ex quibus liquet quod omnes quæstiones reducũtur ad factũ, seù probationẽ, quæ nimiũ difficilis, ac rara est, neq; certam, ac determinatã regulam recipit, cum probationum materia dicatur arbitraria pro facti qualitate Iudicis prudẽti arbitrio regulanda *ex supra deductis præsertim dicta decis. 129. par. 10. rec.*, vbi latè de materia.

Siuè vbi, posita etiam certa qualitate societatis particularis alicuius negotiationis, quæ non impediat alia negotia proprio, ac priuato singulorum sociorũ nomine explicanda, etiam cum ipsomet negotio sociali, & cum se ipso tanquam diuersa, & contradistincta persona, ex deductis *supra disc. 62.*; Ità proportionabiliter, posito quod debitum contractum sit in causam, seù negotium sociale, non dubitatur in iure, vt socius per consociũ obligetur etiam in solidum, ratione eiusdem reciproci mandati, quod inter eos datum dicitur, vt vnus possit alterum obligare, cum eadem sit proportio circa vniuersitatẽ totius assis in societate vniuersali, ac circa vniuersitatem negotij in societate particulari, ex ijs, quę post antiquiores habentur, *per Rotã apud Celsum dec. 6.* aliàs *decis. 193.*, *post Zacch. de oblig. camer.* cum alijs collectis *per Rocch. in eius notabil. post primũ volum. consil. notab. 7. de societat. nu. 21. & notab. 46. nu. 89. & 90.*; Idq; verũ quãuis separatim, ac in diuersis locis negotium exerceatur; Verùm quæstiones pariter facti, & probationis esse solent, vbi explicitè non constat, quod in causam socialem debitum contractum
6 sit, vel alia conuentio inita, vndè propterea agatur de præsumptione iuris, àn proprio, vel sociali nomine actus gestus esset; Quod pariter certam, ac determinatam regulam non recipit, sed pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs decidendũ venit, iuxtà eam normam, seù regulam, quàm generaliter in coniecturali, seù adminiculatiua materia habemus, præsertim omnia simul, ac vnitim ponderando cum vulgari regula *vt singula quæ non prosunt &c.*; Frequenter enim aliquæ coniecturæ in vno casu abundant, in altero autem eædem, ac maiores non sufficiunt.

Aliaque pariter facti, ac probationis quæstio esse solet super ipsa societatis qualitate, seù natura in genere, quamuis certum sit, quod ageretur de aliquo negotio particulari, àn scilicèt sit societas,
7 vel potiùs admissio ad participationem vtilium iuxtà distinctionem, de qua, alijs relatis, *apud Otthob. decis. 40. repetit. decis. 264. post Zacch. de oblig. camer., & decis. 99. post Merlin. de pignor.*, ac habetur *in Romana participationis sub titulo de Locato disc. 27.*, & insinuatur etiam *disc. seq.*; Posita enim vna, vel altera qualitate, iuris theoricæ circa effectus exindè resultantes, planæ sunt, vt in casu societatis, debitum ab vno socio in causam negotij socialis contractum, obliget alterũ, vt supra; Et è conuerso, excluſa societate, ac posita simplici admissione ad partici-

pationem, contrarium dicendum sit, vt in proximè *allegato discur.27 de Locat.& conduct.,& in dicta decis.*40.*Otthoboni,& disc.seq.*

Adeoque verùm est, vt posita societate,ac probatione,quod debitum, nõ proprio, & priuato nomine, sed in causam socialem contractũ sit, consociũ obliget, vt quamuis inter ipsos societas dissoluta
8 esset,quod tamen negotiatoribus,atque negotij socialis fidem sequentibus, pro locorum, vel regionũ stylo,non sit benè notificatum, adhùc eadem obligatio vigeat,vt aduertitur *supra disc.*62.

Applicando autem ad rem;Cum certa esset societas artis,seù negotij proxeneticí, omniumque lucrorum ex dictæ artis
9 exercitio resultantium, certumque pariter esset in facto,quod creditum ex causa eiusdem proxeneticæ artis proueniebat, ob fidem,quæ ex enunciata consuetudine eis haberur, & à qua maius huiusmodi artis,vel exercitij emolumẽtum resultat, ex prouisionibus, vel salarijs, quæ obtinentur ab exteris inferioribus mercatoribus,qui sub ipsorum proxenetarũ fide, quamuis maioribus mercatoribus ignoti,creditas merces obtinẽt,hinc proindè de plano intrare dicebam dictã receptã iuris theoricam,seù conclusionem, vt socius ex facto socij obligetur, nõ obstante quod debitũ in societatis vtilitatem versum non sit, & in cuius versionis defectu in transmissa notula supponebatur totam vim constitui per defensores dictorum proxenetarum.

In hoc enim aduertebam procedi cum æquiuoco claro, quoniam vt aduertitur cæteris relatis *in dicta decis. 6. Celsi* aliàs 193.*post Zacch.de Oblig.cam.*,ista versionis inspectio cadit, quando non constet,
10 quod debitum in causam socialem, seù sociali nomine contractum sit,sed potiùs proprio,ac priuato,(vt in dubio non data societate vniuersali,neque data expressione causæ,vel nominis est præsumptio), Tunc etenim,eatenus creditori cõtra cõsocium actio competit,quatenus constet de versione,idque potiùs vtili actione de in rem verso; Siuè quod ipsa verbo sit coniectura,vel argumentũ, vt in causam socialem debitum contractum sit, quàm ex causa dicti reciproci mãdati; Sed vbi nomen, vel causa socialis accedit, tunc versionis defectus non attenditur,neque de illa creditor sollicitus esse tenetur cũ actio non proueniat à versione, sed à reciproco mandato, quod vnus alteri dedisse censetur.

Solùmque isto casu cadit quæstio,an consocij obligatio excedere possit quan-
11 titatem,vel summam in negotio positã, adeòut vltra eam,ex reliquo eius esse teneatur; Et in hoc regula est negatiua,nisi facti circumstantiæ aliter suadeant iuxta *conf.*332. *Ancharan.nu.*4.*cum concordan. per Mantic. de tacit.lib.6. tit.22.n.*8.*Fontanell.decis.*506.*num.*11.*cum seqq.Adden. ad Thesaur.decis.*136.*Surd.decis.*213.*nu.* 8. *Rota Ianuen.decis.*14.*num.*111.,*Rota Romana apud Dunozett.decis.*402.*nu.*18., (vbi declaratur),& in alijs pluries,ideoq; pariter est quæstio facti potiùs, quàm iuris.

Et quamuis ex parte eorumdem proxenetarum motiuaretur, quod non ageretur de contractu in causam negotij, sed potiùs de dolo, & fraude, tanquam
12 per speciem furti,accipiendo sub ementito nomine mercatorum merces, atque fugam arripiendo; Dicebam tamen id quidem considerabile esse inter ipsos,ad effectum,vt socius dolosus,alios releuare teneatur,totumque damnum sit suum,nõ tamen respectu creditorũ, qui,vt aduertitur *supra dicto disc.* 62. cum ibi allegatis, sequi dicuntur fidem,non vnius,sed omnium sociorum, ipsiusque proxenetici Collegij, quod ità isti exercerant,cum aliàs vnius solam fidem sequuti non essent.

In hoc item proposito,frequenter in Curia de hoc disputari contingit, præsertim cum his,qui furnum, seù pistoriã artem exercent,quod cũ plures in eodẽ
13 furno se ingerant,atq; frumentũ pecunia credita à mercatoribus, vel dominis casalium recipiant,vno eorũ defecto, alter idoneus, qui conuenitur, obijcere solet, quod ille qui defecit,non esset socius,sed famulus;Verùm pluries in huiusmodi cõtrouersijs ego dicere consueui,& præsertim *in vna Romana pretij frumenti* disputata coram A. C. pro Duce Caffarello cũ Thoma Ceccono, quod Aut alter, qui frumentum receperat, erat socius, & de plano intrabat obligatio consocij in solidum ex supra allegatis; Aut erat institor, & pariter dominus tenebatur pro debito contracto per institorem in causam

sum negotij, cui præpositus fuit ad text. 14 *in l. 1. ff. de instit. act. cum concord. collectis per Giurb. decis. 88. & Add. ad Buratt. decis. 85.*, vt pluries in præcedentibus de obligatione domini ex facto famuli, vel præponentis ex facto præpositi; Ideoque vnũ de duobus dicere oportet, atq; quomodocumq; dicatur, idem resultat effectus, dum aliàs fraudes nimium de facili committi possent, ac fides credentiũ eludi, ità (vt vulgò dicitur) colluſiuè ponẽdo alios in medio.

MACERATEN.

SEV

FIRMANA SOCIETATIS

PRO

MARCHIONE RICCIO

CVM

PALLADINIS, vel CIPOLLETTO.

Discursus in congressu pro directione super casu pendente in Rota.

De eadem materia, àn scilicèt quis obligetur ex facto socij, adeoùt creditori competat contra eum actio directa; Et de differentia inter socium, & participem; Et àn Fiscus, vel Reipublica, seù Ciuitas in hac materia sit in aliquo priuilegiata.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Cessionarius repræsentat personam cedentis, & omnia eius iura exercet.*
4 *Creditori, vel locatori contrà participem non competit actio, atque aliud est societas, & aliud participatio.*
5 *Quando admissus ad appaltum, vel negotium dicatur socius, & contrahens ab initio.*
6 *Societas nõ præsumitur, & quomodo probanda sit.*
7 *De administratione publicæ Annonæ.*
8 *De obligatione ciuium, & particularium vendendi frumentum Annonæ publicæ.*
9 *An circa conclusionem, de qua numer. 4. detur differentia inter priuatum, & Rempublicam.*
10 *In quo consistere dicatur priuilegium Reipublicæ, & differat à priuato.*
11 *De eodem.*
12 *Quod pupillus non habeat actionem contrà ministros inferiores tutoris.*
13 *Vt in casu participationis, neque Reipublicæ competat priuilegium.*

DISC. LXXXVIII.

1 EXposito ad hastam publicam de more appaltu furni publici Ciuitatis Maceraten., cum consuetis capitulis, illo præsertim explanandi frumentum dandum à Ciuitate pro abundantia, illũ suscepit Hiacyntus Palladinus, qui ad aliquos menses assumpsit in socium pro medietate Ioannem Angelum Sambucum, cumque istorũ ministri habuissent frumentum Ciuitatis ab Abundãtierijs, qui etiam dederunt alterum frumentum, quod pro abundantia Ciuitatis per aliquos particulares datum fuerat, dictique particulares, defectis furnarijs, actiones dirigendo cõtra Riccium vnũ ex Abundantierijs, ab eo dimissi fuerint, reportata cessione iurium, tàm ab eis, quàm à Ciuitate; Hinc Riccius, vel eius hæres iudicium in Saluiano instituit super quodam prædio aliàs possesso per dictum Ioãnem Angelum, cuius hæres illud vendiderat, seù assignauerat Cippolletto possessori ex causa fideiussionis in quodam censu; Introductaque causa *in Rota coram Taia sub die 4. Maij* 1666., ac dato dubio, àn Saluianum competeret, (ne in

causa nõ scribente) negatiua prodijt resolutio ex defectu hypothecæ, sine qua certum est vt hoc interdictum non competat; Vt etiam posteriori contra anteriorem creditorem denegatur, vt in foro quotidianum, passimque receptũ habemus; In hoc autem statu ex parte actoris meum expetitum fuit iudicium in congressu præuio discursu, àn adesset, necnè hypotheca fauore Ciuitatis, ex cuius cessis iuribus actor veniebat contra dictum Io. Angelum assumptum à Hiacynto conductore, vel ab ipso die suscepti appaltus, vel saltèm à die assumptionis in socium, seù participem.

Posita enim hypotheca, ex vno, vel altero tempore desumenda ad fauorẽ Ciuitatis, planum remanebat bonum ius actoris habentis iura cessa Ciuitatis, ex
3 vulgari regula, quod cessionarius in omnibus repræsentat personam cedentis, eiusque iura exercere potest, quæ cessibilia, vel transmissibilia sint ad text. *in l. 2. ff. de hæredit. & action. vendit. cum concordant. collectis apud Capyc. Latr. dec. 16.*, & habetur pluries in præcedentibus, cum sit conclusio plana, quoties data validitate cessionis, agatur de iuribus indifferentibus, quæ transmissibilia, & cessibilia sint; Cadentibus quæstionibus in ijs iuribus peculiaribus, quæ cedi, vel transmitti non possunt.

Duo autem erant puncti in proposito cadentes; Primò scilicèt, an admissio, quàm Hiacyntus principalis conductor fecit de Io. Angelo subintrante in furno prò medietate, importaret veram societatem, vel potiùs simplicem participationem; Et secundò, àn vno, vel altero casu, Ciuitati locatrici, hypotheca, vel alia actio directa contrà dictum assumptum competeret; Vbi enim inter hos conductores adesset vera societas, tunc eadem hypotheca ad fauorem Ciuitatis contracta per Hiacyntum, afficiebat etiam Io. Angelum socium, vt infrà; Secùs autem in altero participationis, cum tunc, creditori, seù locatori, contra participem
4 nulla detur actio directa, neque intret regula, vt obligatio contracta per sociũ afficiat consocium, ex ijs, quæ cæteris relatis, plenè habentur firmata *per Rot. apud Otthob. decis. 40. repetita dec. 99. post Merlin. de pign.*, & *decis. 246. post Zacch. de oblig. cam.*, atque præsupponitur per omnes tractantes hinc inde quæstionem, de qua infra in puncto sequenti, super priuilegio Fisci, vel Reipublicæ, ac habetur particulariter deductum *sub tit. de Locato disc. 28.*, vt etiam insinuatur *disc. præcedenti*.

Primus punctus reuerà potiùs facti, quàm iuris esse videtur, decidendus cum
5 distinctione, de qua *sub tit. de Locat. disc. 27.*, ac etiam *discur. 26.*; An scilicèt ille, qui appaltum, vel aliud negotium suscepit, ab initio dixerit illud suscipere pro se, & persona, vel personis ab eo nominandis, vel potiùs suscepit pro se, cum facultate tamen assumendi socios; Primò enim casu, eo ipso quod aliquem nominauit, atq; nominatus acceptat, iste dicitur cõductor, seù contrahens ab initio, perindè ac si directè, ac immediatè ex tunc contraxisset; In altero autem, cum non intret dicta retrotractio, sed assumptio importet actum nouum ex nunc regulandum, quæstio decisionem recipit ex facti circumstantijs, àn scilicèt ista importent verã societatem, in dubio non præsumendam, sed plenè, & concludenter iustificandam per actus vniuocos, qui
6 eam sic per necesse inducant, non autem æquiuocos, ac referibiles ad simplicem participationem, ex ijs, quæ in hac materia habentur *in dicta decis. 40. Otthob. vt supra repetit.* & priùs *apud Vbald. dec. 213. & 311. cum alijs dicto disc. 26. & 27. de Locato*.

Ista igitur theorica posita in abstracto; Quæstiones desuper cadentes, videntur, vt dictum est, potiùs facti, & applicationis, quàm iuris, certam, ac determinatam regulam generalem nõ recipientes, dũ iuxtà generalem huiusmodi quæstionũ naturam, decisio pendet ex facti qualitate, eiusque singularibus circumstãtijs; His autem in hac facti specie ponderatis, ambiguũ remanebat, àn dicta admissio, formalem societatem, vel potiùs participationem redoleret; Cumque regula vrgeret in contrarium pro societatis exclusione, idcircò fui in sensu, vt curaretur in hoc coadiuuari probationes super aliquibus præsuppositis circumstantijs, quibus iustificatis, planum remanebat, vt actus importaret potiùs societatẽ, quàm simplicem participationem, et cõsequenter super hoc puncto nullũ efformari iudicium.

Quo-

Quoverò ad alterum punctum particularis priuilegij Fisci, vel Reipublicæ; ille in duas inspectiones distinguebatur; Primò scilicèt circa iuris articulum in genere, vel in abstracto, super hoc Fisci, vel Reipublicæ priuilegio; Et secundò circa applicationē ad casum, stante quod debitum non proueniebat à frumento proprio Ciuitatis, vel Abundantiæ publicæ, sed ab eo, quod à particularibus ciuibus datum fuerat eiusdem publicæ abundātiæ Administratoribus, qui *Abundantierij* vulgò nuncupantur.

In hac secunda inspectione, mihi probabilius videbatur, vt intrare quoque deberet idem priuilegium, quatenus istud adesset, nullaque differentia esset inter vnam, ac alteram frumenti speciem, quoniam vt in hac materia annonaria pluries habetur *sub titulo de Regal. præsertim disc.* 44. *&* 45., *& disc.* 125., publicæ Annonæ administratio, dicitur publici iuris, quæ penès Principem, ac Populū, seù Rempublicam residet, illaque non concernit solū administrationem illius frumenti, quod ipsa Ciuitas, vel Respublica in horreis proprijs reponere curat, ad ità conseruandā vbertatem, ac impediendam dardanariorum suffocatione, siuè ad occurrendum extraordinarijs indigētijs, sed etiam super omni alio, quod sub eorumdem publicorum administratorū fide, ac administratione cadit.

Cum etenim de iure, ciues, vel incolæ habentes frumentum, per Rempublicam, 8 vel publicę Annonæ administratores, tēpore penuriæ, seù alteriùs indigentiæ, quamuis inuiti, cogi valeant ad vendendum frumentum, etiam habita fide de pretio retrahendo ab explanatione panis, & quandoque etiā pro inferiori pretio, quod per Principem, vel maiorem Magistratū ad reprimendam dardaniorum suffocationem rectè taxari potest, ac solet, vt locis proximè citatis habetur; Hinc proindè istud frumentum, quod à particularibus ità datur, publicum quoq; dicitur, atque sub administratione publica fide cadit, quoniam particulares non sequuntur fidem furnariorum, quibus de facto traditur, ad effectum, vt ad panem reducatur, sed sequuntur illam Reipublicæ, seù administratorum ad id à publico deputatorum, ex deductis in hac materia *eisdem locis citatis præsertim dicto disc.* 125. *de Regalib.*, adeòut in hoc puncto nullam haberem difficultatem.

Ea verò cadebat in altero, àn scilicèt Fiscus, vel Respublica aliquod peculiare priuilegium in proposito haberet; Et in hoc, pro affirmatiua ponderabam eam- 9 dem auctoritatem *Angel. in l.* 1. *num.* 1. *in vlt. notab. ff. de loc. public.* quam sequuntur *Rebuff., Grat., Carleual. & alij relati dicto discur.* 27. *de Locato*; In contrarium tamen in specialibus terminis Ciuitatis ponderabantur deducta *per Tondut. tom.* 1. *resol. ciuil. cap.* 59. *num.* 1. *cum sequent.*, apud quem cæteri, qui tamen loquuntur generaliter de actione directa nō competente contra participes, vel alios ab ipso principali debitore, seù Appaltatore assumptos, non descendendo ad hoc speciale priuilegium.

Quamuis autē attento numero auctoritatū, ac etiā attentis rationibus, probabilior videretur opinio *Angeli, & sequacium* fauore Reipublicæ, seù alterius publici appaltus, vel negotij; Adhùc tamen 10 mihi supererat difficultas circa applicationem ad casum; Publicæ etenim causæ priuilegium in eo consistere videtur, quod si ex interuallo quis assumat alterū in socium, adeòut adsit quidem formalis societas, absque tamen altera circumstantia retrotractionis, quæ resultare solùm dicitur à nominatione, quoties contractus initus sit pro persona nominanda, competere valeat hypotheca legalis vt infra, quoniam in priuatis, posita etiam societate, bona consocij ex post admissi, non cadunt sub hypotheca de tempore susceptī appaltus contracta per conductorem, dum tunc non vigebat illud reciprocum mandatum, quod esse dicitur inter socios, & cuius ratione, vnus alterum, etiam in solidum obligat, quia dum de eo tempore nulla aderat societas, et cōsequenter locator, vel creditor fidem sequutus non est socij posteà assumpti, qui poterat non assumi, neque inter locatorem, vel creditorem, ac istum assumptū, aliquis contractus, vel quasi, initus fuit, ex quo actio resultare valeat, cum actio dicatur filia obligationis sine qua dari non potest, eo modo, quo naturaliter nō datur filius sine matre, ideoque meritò creditori alia non datur actio, nisi obliqua ex persona propria, ac directi debitoris, cuius dicitur legalis procurator, eiusque

eiusque iura exercere poteſt, & prout ipſi debitori competunt, ſecùs autem ſi non competat, quia nempè tempore habili, ac citrà fraudem cum ipſo directo creditore, ac debitore reſpectiuè, obligatio ſoluta non ſit, ex ijs, quæ pluries in præcedentibus habentur ad materiam textus *in l. nomen C. quæ res pign. oblig. poſſunt cum concordan.*

In Fiſco autem, vel Republica, cadere videtur aliqua ratio peculiaris, ex qua
11 reſultet ſaltèm illa tacita hypotheca, quæ de iure competit aduerſus eius debitores, quaſi quòd ità intret ratio expenſa *per Angel. vbi ſupra, & ſequaces*, quod ſcilicèt eo ipſo vt quis efficitur ſocius habẽtis publicam adminiſtrationẽ, ipſe quoque ſub ea publicitate cadat; Quod tamen difficultate non caret ex ijs, quæ in propoſito ſubappaltatorum, vel exactorum, & miniſtrorum, qui per appaltatores vectigalium, aliorumque publicorum
12 iurium deputantur, habentur *ſupra hoc tod. tit.*, ac etiã *ſub titulo de Regal. præſertim diſc. 86.*, vbi ponderatur ſimile de pupillo non habente directam actionem contra miniſtros à tutore deputatos.

Verũ quidquid ſit de his quæ ſub maturiori iudicio relicta fuerunt; Vbi etiã hoc priuilegiũ admittendũ eſſet, aduerte-
13 bã illud procedere retentis terminis ſocietatis formalis, quodq; ità admiſſus verè fieret ſocius habens ius principale, ſeù coæquale in ea publica adminiſtratione; Secùs autem vbi quæſtio nõ ſit ſuper dicto effectu reſultante à ſocietate, ſed ſuper iſtius deficiente ſubſtantia, quod ſcilicèt ille nõ eſſet ſocius, ſed ſimplex particeps, qui formale ius in ipſa publica adminiſtratione habere non dicatur, et conſequenter ceſſet priuilegium in radice, cum eius ratio nõ intret, vt *dicto diſc. 27. de Locato*; Ideoque tali caſu non intrat alia actio, niſi obliqua tanquã contrà debitorem debitoris, quatenus ipſi principali debitori contrà participem actio competat; Hæc autem omnia dicebantur in forma diſcurſiua, nihil deſuper firmãdo, ſed reſeruãdo determinationem maturatori iudicio, poſtquam firmatũ eſſet melius factũ, ex cuius particularibus circumſtantijs multa pendebant.

VITERBIEN.

PECVNIARIA

PRO

SANCTE SERCHIETTO

CVM

PAVLO CIOFO.

Caſus variè deciſus per Rotam.

De eadem materia, quando quis dicatur ſocius, vel particeps, ſiuè quando debitum contractum, vel negotium geſtum per ſocium, dicatur in cauſam ſocialem, atque obliget conſocium, nec nè.

Et quando damnum, quod in negotio ſociali contingit, vnius, & non alterius ſocij damno, ob culpam, vel aliud factum, cedere debeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *Quomodo dicatur diſſoluta ſocietas facto vnius.*
4 *Mixtura perſonæ diuerſæ, àn faciat negotium diuerſum.*
5 *Quod aliud ſit ſocietas, & aliud participatio.*
6 *De ſtylo nobilium tenentium pecunias ſuper negotiationibus.*
7 *Quod citrà nouationem antiquæ ſocietatis poſſit admitti nouus ſocius ad negotium particulare.*
8 *Domum contingens poſt ſocietatem diſſolutam culpa vnius, eſt eius tantùm.*
9 *Lucra, & damna negotij ſocialis, præparata durante ſocietate, ſunt communia etiam poſt diſſolutam ſocietatem.*
10 *Ex quibus probetur culpa vnius ex ſocijs.*
11 *De alio caſu controuerſiæ ſuper eadem concluſione, de qua num. 8.*

12 *In culpa dicitur ille, qui non præstat operam personalem, quam præstare tenetur.*

13 *An, & quando culposus teneatur de casu fortuito.*

14 *De axiomate, quod facilius impediatur faciendum, quã tollatur factum, siuè quod turpius ejicitur, quam non admittitur &c.*

DISC. LXXXIX.

1 DE anno 1647., inter Paulum, & Sanctem inita fuit societas mercium, seù fundaci ad sexennium duratura, sub varijs legibus, illa præsertim, quod ipsi habere deberent complementum, quamuis alij interesse haberent; Cumque anno sequenti magna per Italiam frumenti penuria fuerit, hinc ijdem, cum subministratione pecuniarũ datarũ per Marchionem Andream Maydalchinum, de lucris pro certis ratis participare debentem, demandarunt cuidam eorum correspõsali Abstердami, emptionem cuiusdam notabilis quãtitatis frumenti, cuius pars in itinere deprædata fuit, alia verò pars appulit portum Centũ cellarum, seù Ciuitatis vetulæ, de mense Februarij 1649., vendique cæpit cum magno lucro de mensibus Martij, & Aprilis, circa cuius finem, Paulus de facto priuauit Sãtem complemento, subrogando Carolum eius fratrem, atq; scribendo correspõsalibus, nè dicti Sãctis litteris, & subscriptionibus fides amplius præstaretur; Indeque in mensibus Maij, & Iunij respectiuè, eam partem frumenti, quæ inuendita erat, maioris lucri desiderio, Paulus trãsmisit ad Vrbem, vbi charissimo pretio vendebatur; Cumque casus dedisset, vt circa idem tempus, ad eamdem Vrbẽ appulisset notabilis quãtitas frumẽti exteri, ex prouisione Annonæ Præfecti, qui propterea, pro exitatione frumenti Annonæ priuilegiati, prohibuerat pistoribus nè aliud emerent, hinc ob frumenti deteriorationem à secunda nauigatione sequutam, ac etiam ob superuentam nouam vberem recollectam, illud vilissimo pretio vendere oportuit, ità loco magni lucri, notabilem faciendo iacturam, vt in hac merce in annis penuriosis, frequens experientia docet.

Quarè inter præfatos socios orta est controuersia, àn istud damnum deberet esse commune, iuxtà societatis naturam, 2 vel potiùs soliùs Pauli; Introductaque causa *in Rota corã Verospio sub die prima Decembris* 1659. ad fauorem Sãctis prodijt resolutio super dicti damni pertinẽtia ad solùm Paulum, confirmata 4. *Maij* 1668. *coram Catalaiù subrogato*; Sed repropositа causa coram eodem *sub die* 8. *Aprilis* 1669., recedendo à decisis, contrarium dictum fuit, vt damnum esse deberet commune; In reuisione autem *sub die* 5. *Decembris* 1670. recedendo ab vltimo, perstitum fuit in primo loco decisis, atque in hoc statu causa pendet.

In his autem disputationibus (vltrà alios punctos ad rem non facientes), de tribus actum fuit; Primò scilicèt, an constaret de præsuppositа facti circumstantia circa societatis dissolutionem sequutam ex facto voluntario Pauli cum priuatione Sãctis complemento, & administratione societate durante contrà formam conuentionis; Secundò, àn istud negotium frumẽtarium esset idem cum negotio merciũ, seù fundacario, ex cuius legibus Santi debitum erat complementũ, atq; coæqualis administratio, vel potiùs esset negotium nouum, ac diuersum, quod sub dicta cõuentione non caderet. Et tertiò circà effectum exindè resultantem, posita scilicèt dicta dissolutione societatis, quodque sub illa caderet istud negotium frumenti, cuius deberet esse damnum post dissolutionem, vt supra, sequutum.

Primus punctus erat nudi facti, in quo benè iustificabatur, quod Paulus, interdicendo de facto consocio administrationem, cõsuetas litteras circulares correspõsalibus scripsit, nè præstaretur 3 ampliùs fides promiscuis subscriptionibus sub nominibus Pauli, & Santis, vt de præterito sequutum fuerat, sed solùm illis, quæ conceptæ essent sub nominibus ipsius Pauli, & Caroli eius fratris; Ac etiã aliundè benè iustificabatur dictæ administrationis interdictio, quodque transportatio frumenti à dicto loco Centumcellarum ad Vrbem (quod causa damni fuerat) facta esset per solùm Paulum, ipso Sante dissentiente, ac expressè protestante.

Super

Super altero puncto, aliqua maior fuit quæstio; Tàm ob diuersitatem mercium, seù negotiorũ, dum prima societas
4 fuit super mercibus fundacalibus, nullam connexionem habentibus cum hoc negotio frumenti in remotis partibus empti; Tàm fortiùs ob mixturam alterius personæ, quæ in dicto negotio fundacario nullã habebat participationem; Ideoque Scribentes pro Paulo dicebant, ita claram remanere nouationem, seù diuersitatem, ex ijs, quæ in materia nouationis à diuersitate personarum resultantis, cæteris relatis habentur *infrà hoc eodem tit.* pluries.

E' conuersò, ego, & cæteri pro Sante scribentes, stantibus pluribus iustificationibus deductis per causæ Patronum (per quem iuxtà commendabilem stylum pertinet onus agendi de ijs, quæ facti sunt) vt istud negotium esset filiale, ac dependens ab altero fundaci, eodemque antiquo sociali nomine per eos initum esset.

Quatenus pertinet ad obiectum mixturæ alterius personæ, quæ difficultatem
5 inferre videbatur, deducebamus distinctionem, de qua habetur *duobus discursibus præcedentibus*, cum auctoritatibus ibi deductis, atque in causæ decisionibus huic parti fauorabilibus præsertim in illis 4. *Maij* 1668., & 5. *Decembris* 1670. *coram Catalaiù*; Quod scilicèt Aliud est societas, Aliud verò admissio alicuius ad participationem, dum particeps verè socius non est; Quodque admissio dicti Marchionis ad istud particulare, negotiũ, tàm pro submministratione promptæ pecuniæ, quàm etiam pro eius protectione (quæ attenta temporum qualitate magna erat, illaque in huiusmodi negotijs nimium proficua esse solet), im-
6 portaret simplicem participationem, nõ autem societatem, cum ipse nunquam proprium nomen accõmodasset, minusque in negotij administratione se ingessisset, quinimò etiam huiusmodi participationem occultam esse debere optasset, vt consuetudo est nobilium, & qualificatorum virorũ, qui, pecunia affluentes, ità sub negotiationibus, quæ ab alijs exercentur, ad aliquod lucrum eas tenere curant, absquè eo quod formalem societatem contrahant.

Præterea, quamuis hæc responsio sufficeret, eaque solùm Rota contenta fuerit, Ad exuberantiam tamen aduertebam Ego, quod vbi etiã dictus Marchio admissus fuisset ad formalem huius negotij frumentarij societatem particula-
7 rem, absquè aliqua mixtura in dicto altero negotio fundaci, non tamen exindè inferri poterat ad diuersitatem negotij, vel societatis inter ipsos Paulum, & Santem antiquos socios, quoniam nouitas negotij erat in ordine ad dictum Marchionem nouiter admissum, non autem quoad ipsos socios inter se; Iste siquidem nouus contractus duplicem contrahentium personam habebat, Vnam scilicèt repræsentatam à dicto Marchione; Et alteram à dicto antiquo negotio sociali, omnibusque socijs vnum corpus constituentibus, vnamque personam repræsentantibus, eo modo, quo plures pro communi, hæreditatem, vel feudum, seù alia bona possidentes, contractum cum tertio inirent, quoniam quoad tertium est nouum negotium, à communione diuersum, sed quoad ipsos socios, vel cohæredes, est effectus societatis, vel communionis, eiusque continuatio, dum ipsi quamuis materialiter plures, vnam tamen socialis negotij personam repræsentant, ideoque diuersæ personæ mixtura rectè compatibilis remanet cum continuatione antiquæ societatis inter socios quoad se ipsos.

Quouerò ad tertium punctum iuris, modica, penèque nulla fuit quæstio, quoniam certa iuris conclusio est, in contra-
8 ria intermedia decisione non negata, vt damnum in negotio sociali contingens post dissolutam societatem, facto, & culpa consocij, qui alteri administrationem prohibuit, totum sit socij culposi, non autem commune, iuxtà *textum in l. cum duobus* §. *si in coeunda* §. *damna*, & §. *quidam sagariam ff. pro soc. cum plur. concord. eodem titulo Alex. conf.* 99. *numer.* 7. & *conf.* 133. *in fin. lib.* 2. *Mantic. de tacit. lib.* 6. *tit.* 21. *numer.* 1. & *seqq. Felic. de societ. cap.* 21. *per totum*, latè *Surd. conf.* 12. *num.* 31. & *seqq.*, *Michalor. de fratr. par.* 2. *cap.* 31. cum alijs, de quibus in causæ decisionibus, præsertim prima *coram Verospio*, cum qua pertranseunt aliæ, super ista conclusione, quæ in puncto iuris est vera, adeòut in alijs disputationibus *coram Calataiù*, scribentes in con-

contrarium, eam ampliùs non controuerterent, sed principaliter insisterent in alijs punctis, potiùs facti, quàm iuris, quod scilicèt non constaret de culposa dissolutione societatis, quodque istud esset negotium diuersum ab altero.

Dictus verò recessus intermedius *sub die 8. Aprilis 1669.* prouenit ex vnico facti præsuppositi, quod damnum, quamuis de mẽsibus Maij, & Iunij detectũ, attamen inesset ab initio factæ emptionis, quãdo societas sine dubio durabat, et cõsequenter quod intraret conclusio in suo casu vera, & quã ego, & cæteri non negabamus, de qua *apud Ruin. conf. 216. num. 1. & seqq. lib. 1. Surd. conf. 65. numer. 17. Gratian. discept. 276. num. 41. & alij in decisione*, quod damnum, vel lucrum durante societate præparatum, seù originatum, commune esse debet, quamuis post dissolutam societatem detegatur, quoniam tunc rectè intrat dispositio textus *in l. adeo ff. de acquir. rer. domin.*, vbi adducitur sæpiùs insinuatum practicum exemplũ excutientis grana à spicis, quod scilicèt declaratio nõ importat nouum actũ, sed aperturam eius, quod iam inerat, sed nobis tunc ignotum erat; Meritò autem recessum fuit, ex cessante facti præsuppositi, quoniam de tempore dissolutæ societatis, ac etiam per totum mensem Maij, ac notabilem partem Iunij, pretium frumenti potiùs creuerat, atque negotium fuisset notabiliter lucrosum, ideoque damnum contigit post dissolutam societatem, ob neglectam venditionem debito tempore, vndè propterea duplex factum culposum aderat; Primò scilicèt interdicendo de facto administrationem consocio, qui rectè dicere poterat, quod si ipse in administratione continuasset, curasset debito tẽpore vendere; Et secundo ob remotionem frumenti à loco per socios destinato, eo trasportat ad alium diuersum, ob quam verè damnum contigerat; Ideoque resolutiones huic parti fauorabiles, (reflectendo etiam ad solam veritatem) iustæ, benèque fundatæ videbantur.

In proposito autem dictæ cõclusionis, vt damnum contingens in negotio sociali, esse debeat solùm socij culposi; Id pluries disputaui, præsertim in vna Romana societatis pro Georgio Chiozza cũ Emanuele Gripparo corã Camerario, coram quo prodijt sententia Georgio fauorabilis, atque præparata disputatione in Camera, seù coram Præside dohanarum de voto Cameræ, credo quod concordia item terminauerit, dum de causa ampliùs actũ non audiui; Cum enim inter Georgium, & Emanuelem inita esset societas super mercibus ferici ad quasdam remotas regiones nauigando, gratia maioris lucri exportandis, vt ibi venderentur per ipsum Emanuelem, qui operam, ac industriam in sociali negotio præstabat, Georgio præstante pecuniam; Casus autem dedisset, quod ipso Emanuele non existente in naui, tàm istæ, quàm aliæ merces in ea existentes occupatæ essent per Classem Francorum, iure belli tanquam bona Hispanorum, vndè propterea oportuit, cum notabili sumptu, eas in Gallia recuperare, ob iustificatum errorem dicti præsuppositi, atque ita negotium remanserit damnosum; Hinc dicebam scribens pro Georgio ex eisdem auctoritatibus, de quibus supra, vt damnum deberet esse soliùs Emanuelis cõ-
12 socij culposi, dum in culpa dicitur ille, qui personaliter tenebatur ire, & nõ iuit, vt apud *Cyriac. contr. 166. num. 26.*

Et quamuis replicaretur, quod id prouenerit ex casu fortuito, ad quem eatenùs culposus tenetur, quatenus culpa ordinata esset ad casum; Secùs autem vbi
13 casus ille contigisset, siuè ipse Emanuel fuisset præsens in naui, siuè non; Attamen quidquid sit de ista conclusione in abstracto, de qua habetur actum *sub tit. de Locat. & conduct. disc. 11. cum duobus sequentibus*; Cessabat difficultas ex defectù applicationis; Tùm quia præsumptio est in contrarium contra culposum, qui propterea concludenter, ac præcisè probare debet, quod etiam si culpa non adesset, casus contigisset ex collectis *per Surd. conf. 12. num. 64. & 65. Cyriac. dicta contr. 166. num. 40. Rot. decis. 266. num. 11. par. 5. rec.*; Tùm etiam quia rei euentus contrarium docuit, quod scilicèt ipsomet Emanuele iustificante, quod merces non erant inimicorum, vel subditorum Regis inimici, sed personarum neutralium, illarum restitutio demandata fuit; Vndè propterea si fuisset præsens in naui, tunc potuisset id ostendere Classis Præfecto, atque ità impedire, nè depræda-

tio sequeretur, cum facilius impediatur
14 faciendum, quàm retractetur iam factū, ex vulgari axiomate, quod multa facta tenent, quæ fieri prohibentur ex collectis *per Barbos. axiomat. 93. num. 3.*; Ac etiam ex altero dicterio, quod turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes, quo etiam Iuristæ vtuntur, vt *per Alex. cons. 213. num. 7. lib. 6. Surd. cons. 64. num. 7. & alij frequenter*; Potissimè verò ex ea circumstantia, quod agebatur de societate, in qua vnus ponebat pecuniam, alter verò operam, ac industriam personalem, ità principaliter electam.

VITERBIEN.

LAVDATIONIS

PRO

MVTIO ORPHINO

CVM

FRANCISCO FRANCESCHINO.

Casus disputatus coram Camerario, incertus est exitus, credo sopitus per concordiam.

An creditor actionem habeat contra debitoris approbatorem, seù laudatorem, qui fideiussoris loco stare dicatur; Et quatenus habeat, quomodo excussio facienda sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod laudatur non teneatur de proprio, neque laudatur efficiatur debitor.*
3 *Quid de laudatore, & approbatore in litteris cambij.*
4 *Quomodo ista quæstio decidenda sit, & quando laudator tunc teneatur.*
5 *Etiam in casibus, in quibus laudatur non tenetur, cessat accedente dolo.*
6 *De laudantibus, vel approbantibus fa. mulos.*
7 *De eadem conclusione, de qua numer. 2. & 3.*
8 *Ad quid fideiussio, vel approbatio operariorum extendatur.*
9 *Excussio principalis quomodo fieri debeat, vt agi valeat contrà fideiussorem.*
10 *Computa, & solidationes cum principali debitore afficiunt fideiussorem.*
11 *Quando, & quomodo id procedat.*

DISC. XC.

1 MVtio tenente appaltum Thesaurariæ patrimonij, de quo *sub titulo de Regalibus disc. 122.*; Cum ob segetum secationem, expediret præuentiuè conducere operas debito tēpore promptas, ratione subiectæ materiæ, quæ dilationem non patitur, ideoque soleant rustici hyberno tempore, eorum operas præuentiuè locare, recepta certa quantitate pro arra, seù impræstantia, talisque conuentio fieri soleat per vnum, vel duos à propria patria discedentes tanquam aliorum nuncios, seù mandatarios, quorum tamen fidem conductor sequitur; Atque Ioannes Lana obtulisset Mutio 400. operarios tempore messis pro conuenta mercede, cuius pars sub nomine arrhæ, vel impræstantiæ pro eorumdem subuentione tempore penurioso, vt supra præstaretur; Mutius verò illius fidem cognitam non haberet; Hinc inita capitulatione iuxta morem, promisit Mutius obseruantiam, quatenus infrà certum terminū, dictus Ioannes exhiberet litteras approbatorias eius personæ à Francisco, qui litteras cōmendatitias pro eo scripserat; Vndè propterea Frāciscus aliàs litteras scripsit, in quibus præsertim cōtinebantur hęc verba (ex materno Italico idiomate in latinum trāslata) *vndè Ego illum approbo, vt ei impræstantia fieri valeat, quoniam est persona tutissima, & tanquam talem ego eum promitto, ideoque absque aliquo scrupulo poterit ei consigna-*

re pecuniam, & assecuro quod obseruabit pacta; Cum autem ab obseruantia contentorum dictus Ioannes in parte defecisset circa numerum operariorum, ex quorum defectu notabile interesse conductor passus est, quoniam in ea operarū vrgentia oportuit alios inuenire operarios pro longè cariori mercede; Hinc idem Ioannes agnita eius obligatione reficiendi hoc damnum, in solidatione cōputorum super operis iam præstitis, se constituit, ac declarauit Mutij debitorem in certa summa, pro qua ipso Ioanne non soluente, Mutius coram Camerario egit contra Franciscum laudatorem, seù approbatorem, assumptaque desuper disputatione, quatuor erant puncti; Primò, àn ex dicta laudatione, seù approbatione fideiussoria obligatio resultaret; Secundò quatenus sic, àn intelligenda veniret solùm de pecunia tunc data, vel generaliter pro obseruantia totius contractus; Tertiò, àn obstaret excussio principalium debitorum; Et quartò àn solidatio facta cum dicto Ioanne, eiusque socijs, ipso Francisco ignaro, eum afficeret.

Quatenus pertinet ad primum, super quo principalis disputatio fuit; Scribentes pro Francisco fundamentum constituebant in auctoritate *Cephal. conf.* 437., *& Menoch. conf.* 179., qui scribendo in eodem casu probant, vt laudator, seù approbator non teneretur de proprio, deducendo in idem ea, quæ habentur *apud Ioseph. Ludouic. decis.* 33., & magis proximè plenè firmata *per Borrell. conf.* 47., vbi de approbatore scribentis litteras cambij.

Scribens ego pro Mutio, (cum sensu etiam veritatis), dicebam vt contrarium in hac facti specie probabilius esset eodē modo, quò substinueram *in Romana, seù Anconitana pecuniaria* pro Aloysio Greppio cū Cocchis mercatoribus Anconitanis, quod scilicèt istis Aloysio scribentibus, vt impleret quamdam tractam sibi faciendā per quemdam Pighettum, quoniam litteræ haberent suum finem, in illis præcisis verbis inter negotiatores vsitatis, *che bauranno suo fine*, dicto Pighetto defecto, Aloysius obtinuit contra dictos approbatores, vt de dicto casu habetur actum *sub tit. de Cambijs in Appendice post Indicem disc.* 30. *seù fin.*, vbi in specie respondetur ad dictas auctoritates præsertim ad *consilium* 47. *Borrell.*, dum in contrarium ex eiusdem testimonio iudicatum fuit; Et quoad *Cephal.*, *& Menoch.*, *& Ludouic.*, aduertebam illos loqui de simplici laudatore fideiussoris.

Quare iuxtà sæpius insinuatam hodiernam regulam forensium quæstionū, in ijs, quæ à voluntate pendent; Aduertebam 4 istā pariter esse potiùs quæstionem facti, & applicationis, quàm iuris, pro facti qualitate, & casuum circumstantijs decidendam; Aut enim agitur de accipiendo aliquem in fideiussorem iudicialem alterius, qui iuxtà frequentiorem cōtingētiam, pro causa criminali, vel ciuili relaxandus esset; Notarius autē, vel alter, ad quem fideiussorem recipere pertinet, non habens illum benè cognitum, dubitet, vndè propterea aliquis Curialis, vel alter, ad id facilitādum proferat cū Notario verba generalia laudatoria illius personæ, ità tamen, quod ex alijs circumstantijs non constet, vt laudator formalem approbationem super eius fide facere voluerit, Et tunc probabilius est vt hæc simplex laudatio nō redoleat laudantis obligationem de proprio, tanquam per speciem fideiussionis, nisi laudatio dolosa fuisset, quia nempè laudator rectè conscius de personæ laudatæ insufficientia, cum mendacio, ac falsa assertiua eum laudasset idoneum, ac probum, & in his terminis loquuntur *Ceph. Menoch.*, *& Ludouic.*; Atque docet etiā praxis quotidiana in famulis, qui accipiuntur, quoniam exquiri solet amicorū 6 sensus famulum notum habentium, eumque laudantium, quoniam nisi formalis, ac positiua approbatio obligatoria accedat, simplex laudatio non obligat, præterquam vbi ea esset dolosa, et cum falsa assertione, vt supra.

Aut verò res non remanet in terminis simplicis laudationis generalis, sed accedit formalis approbatio, Et tunc absquè dubio hæc speciem fideiussionis redolere dicitur, præsertim in huiusmodi negotiorū speciebus, ex cōmuni vsu mercatorū, & negotiatorū qui benè iustificatus fuit in dicto alio casu, de quo *disc.* 30. *de Cambijs*, ac etiam in præsenti ratione subiectæ materiæ, ob rationem assignatam *eodem discur.* 30., quod scilicèt ille,

qui contrahit cum persona ignota, non istius, sed approbatoris fidem principaliter sequi dicitur, potissimè ob amplitudinem verborum, quæ formalem approbationem obligatoriam clarè præseferre videntur, ideoque pro facti qualitate, ista quæstio decidenda est, præsertim attento cõmuni vsu, cui in hac materia principaliter deferendum videtur; Attendendo propositionem pluries enunciatam *hoc titulo, & alibi*, quod inter negotiatores non proceditur per rigorosos iuris apices, sed de bono, & æquo, sola facti veritate inspecta; Potissimùm verò attento communi eorum vsu; Ideoq; obseruabam quod in casu, de quo in infra alleganda *decisione* 169. *Otthob.*, verba ibi in principio contenta, cum istis fraternizant, & tamen habitum fuit pro absoluto, vt importarent formalem fideiussionem.

Secundus punctus omninò planus videbatur; Tum ratione subiectæ materiæ, quod scilicèt securitas non exquiratur
8 pro sola arrha, vel impræstãtia, sed principaliter, vt statuto tempore haberentur operarij prompti, ob quorum deficientiam in hac re agraria, maxima damna resultare solent; Tum etiam ob verba clara, & expressa superius insinuata super approbatione, ac obseruantia omnium pactorum.

Super tertio, pariter modica fuit disputatio, ratione Patriæ, de qua dictus Ioannes erat extrà statum, vbi cum magna difficultate, huiusmodi excussio est
9 practicabilis, ideoq; benè disponitur per textum *in Authentica præsente Cod. de fideiussor.*, vt sufficiat excussio in loco cõtractus; Ità pariter cõmuni vsu docente, quod cũ huiusmodi rusticis cõtrahitur, sequendo fidem magis approbatoris, quã eorum, quorum excussio, nedum difficilis est ratione qualitatis patriæ, cum vt plurimũ sint in Regno Neapolitano de infelicibus mõtuosis locis Aprutij, seù Apẽnini, sed etiam ratione personæ cum sint pauperes, ac miserabiles, aliud nõ habentes nisi propriam vitam, & operam.

Et demum quoad quartum, procedebam cum punctualiter firmatis *per Rotã apud Otthob. dicta decis. 169.*, vbi plenè
10 habetur, quod non concurrentibus collusionis, vel fraudis coniecturis, vel fumo, huiusmodi confessiones, ac solidationes inter creditorem, & principalem debitorẽ, afficiunt fideiussorem, vt etiam probat *Hodiern. ad Surd. decis.* 218.

Quamuis, & ista quæstio pariter certam, ac determinatam regulam non habeat, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantijs decidenda veniat, àn scilicèt adsit, nec nè aliqua collusionis,
11 vel fraudis suspicio, pro cuius tamen exclusione stat regula, donec de aliquibus suspicionibus doceatur, quæ aliquando maiores desiderantur, & aliquãdo minores sufficiunt, pro facti, ac personarũ qualitate, & circumstantijs, prudentis iudicis arbitrio pensandis; *Vt* pluries, ac pluries cum hac distinctione practicaui, modò obtinendo deferri huiusmodi confessionibus, ac solidationibus, & modò obtinendo eas reijci, iuxtà diuersorum casuum contingentias; Ideoque nimis euidens est pragmaticorum ineptia (nimium tamen frequens, ac vsu recepta) vt decisiones, & auctoritates de vno casu agentes, cuicumque alteri generaliter, ac indefinitè applicari debeant.

IANVEN.

CAMBIORVM

INTER

IOANNEM STEPHANVM, HIERONYMVM, & GOFFREDVM DE PALLAVICINIS.

Responsum pro veritate.

De obligatione fideiussoris pro eo, qui ex duobus inuicem negotiantibus remanebit debitor alterius; An restricta censeatur ad debita, & negotia iam contracta de tempore obligationis, vel etiam comprehendat alia in futurum contrahenda.

SVM-

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 Fideiussiones sunt strictissimè intelligendæ.
3 Quod quæstio comprehensionis fideiussionis sit facti, & quomodo decidi debeat.
4 Substantia veritatis debet prævalere formalitati verborum.
5 In claris non intrant quæstiones, & argumenta.
6 De eodem de quo num. 4.
7 Transactio, àn & quando restringatur ad ea, quæ sunt expressa, vel deducta in litem, vel potius alia capiat.

DISC. XCI.

1 MAria Spinola mater Ioannis Stephani, & Tobiæ de Pallauicinis, præuia narratiua, quod inter dictos eius filios, existerent computa, ad quorum solidationem tunc deueniri non poterat, & ex quibus sequi poterat, vt vnus remaneret alterius creditor, vel respectiuè debitor, intercessit, ac fideiussit pro eo, qui tunc, seù in futurũ, ex quauis causa, & occasione remaneret debitor, se obligando in solidum ad integram solutionem debiti, tàm causati, quàm causandi, eamdemque obligationem ratificauit in codicillis; Cumque de tempore dictæ fideiussionis, Tobias recepisset à Ioanne Stephano, quamdam summam sub cambijs; Successiuè autem spatio circiter trium annorum, alias summas ab eodem Ioanne Stephano receperit, vsquè ad solidationem computorum, per quam, debitum in quadam notabili quantitate constitutum fuit, deindeque obierit Tobias, & post eum Maria conditis vltimis codicillis, in quibus, seruando ordinem inteſtatæ successionis, hæredes æqualiter instituit, pro medietate Ioãnem Stephanum, & pro altera Hieronymum, & Goffredum ex dicto Tobia filio prædefuncto nepotes, cum declaratione, vt nullũ exindè præiudicium inductum censeretur iuribus Ioanni Stephano competentibus super portione filiorũ Tobiæ, iuxtà declarationem contentam in dicto instrumento fideiussionis, in quo declaratũ fuit illam præiudicare non debere portioni hæreditariæ obtingenti filio creditori; Hinc proindè orta fuit controuersia, àn & qualis actio dicto Ioanni Stephano competeret cõtra præfatos Hieronymum, & Goffredum tanquam Mariæ hæredes, àn scilicèt pro sola prima partita debiti iam contracti de tempore dictæ fideiussionis, vt prætendebant Rei conuenti, vel pro tota summa in computorum solidatione cõtenta etiam ex causis subsequẽtibus, vt prætendebat Actor, atque desuper pro veritate incertum est ex cuius parte consultus.

Respondi, quod licèt primo aspectu, pro reis conuentis respondendum videretur, vt scilicèt dicta fideiussio restringenda veniret ad solam causam de præterito, atque tunc præexistentem, ex iuris regula, quod fideiussiones strictissimè intelligẽdæ sunt, neq; de facili admittenda est earũ extẽsio, adeòut interprætari de-
2 beant, vt prejudicent quominùs fieri poteſt ad *text. in l. Blanditus Cod. de fideiuſſor.*, & *l. ſi pignora ff. eodem*, vbi *Bart.* aduertit obligationem fideiussoris esse multum stricti iuris, ideoque sub ea non venire nisi quod verbis expressis dictum est, ac cæteris antiquioribus collectis habetur *apud Menoch. conſ.* 246. *num.* 9., *Cyriac. controu.* 85. *num.* 11. & *controu.* 105. *num.* 25. latè *Mastrill. deciſ.* 182. *num.* 12. *cum ſequen.*, ac faciunt generaliter notata *in l. ſi cum hermes Cod. Locati*.

Contrarium tamen in hac facti specie probabilius respondendum videbatur; Ista enim dicitur quæstio voluntatis, quam in ambiguis desumere oportet, nedum ex verbis, sed etiam ex subiecta ma-
3 teria, ac facti circumstantijs, non singulariter, sed vnitim considerandis, cum consueta regula, in qnibuscumque ambiguis attendenda, *vt ſingula quæ non proſunt vnita iuuent*, ex copiosè deductis *per Mantic. de tacit. lib.* 1. *tit.* 2. & 3.; Ideoque subiecta materia, seù substantia verisimilis voluntatis attendenda est, vt prævalere debeat verbis, quæ in cortice
4 seù sensu grammaticali contrarium suaderent *Mantic. de tacit. lib.* 2. *tit.* 7. *num.* 1. *cum ſequen. Buratt. deciſ.* 113. *numer.* 7. *Merlin. deciſ.* 692. *num.* 96., & in terminis obligationis fideiussoris *in Rom. fideiuſſionis* 24. *Maij* 1660. *coram Verospio*, ac

alibi

alibi pluries *hoc eodem tit.*,& in omni alia materia aduertitur.

Subiecta verò materia, seù veritatis substantia, quinimò,& ipse verborũ formulæ euidenter suadere videbantur, vt actum esset de omnibus computis,seù debitis, ac respectiuè creditis tàm de præsenti,quàm de futuro; Idque suadebant; Primò illa verba, *in præsentiarum habere debet, & in futurum debebit, atque totum debitum, tàm causatum,quàm causandum*, quæ videbantur clara, itaùt rectè conueniret regula textus *in l. ille,aut ille ff. de legat.*3., quam etiam in contractibus,seù actibus inter viuos locũ habere, fuso calamo iuxtà consuetum stylum extensoris firmatur per Rotã *dec.*44.*n.*14.*p.*11.*rec.*

Idem clariùs probare videbatur contractus narratiua circa intertitudinem, quis dictorum fratrum in negotijs, quæ inter eos habebantur, remanere deberet creditor, vel debitor, vndè propterea mater interceſſit pro eo, qui sub incerto futuro euentu debitor extitisset,idq; per necessè probabat partes sentijsse de negotijs in futurum continuandis, quoniã spectato eo tẽpore constabat quod aliud inter dictos fratres negotium habitũ nõ esset, nisi illud quod eadem, vel præcedenti die prouenierat à mutuo sub cambijs ad primas nundinas, quod in certa, & determinata summa vnus alteri fecerat, vndè propterea incongrua remanebat, atq; inadaptabilis dicti instrumenti proemialis enarratio, tàm circa solidationem computorũ tunc nõ practicabilem, quàm circa incertitudinem, quisnã eorum futurus esse deberet creditor, vel respectiuè debitor,dum absquè alia computorũ dispunctione, summa erat certa, atq; vnus certitudinaliter erat creditor, alter verò debitor.

Et quod magis me mouebat,erat ipsa subiecta materia,seù substantia verisimilis veritatis, quod scilicèt ità communis mater filios allicere voluerit ad insimùl negotiandum, ac liberè prosequendam negotiationem, ex qua magnæ diuitiæ per eam Nationem parari solẽt, ità vtrũque assecurando cum bonis, quæ ex propria successione spectare debebãt ad portionem eius, qui remaneret debitor, vt ità magis liberè vnus alteri crederet; Ideoque licèt aliqui scribentes, tàm in Curia, quàm in partibus hincindè, penè volumina conficerent, cum regulis, & axiomatibus generalibus,super significatione,seù intellectu singulorum verborũ, quæ in instrumento dictæ obligationis continebantur,ea singillatim cum regulis etiam grammaticalibus,expendendo.

Attamen pro meo iudicio, semper visus est insulsus,ac irrisione dignus,tàm in iudicantibus, quàm in consulentibus,iste stylus, quoniam frequentiùs verba sunt 6 potiùs Notariorũ, qui eam ex eorũ formularijs concipiunt, quàm partium, vndè propterea magis, ac principaliter spectanda est subiecta materia,ac substãtia veritatis,pro ipsarum partium voluntate desumenda, quoties verba non sint adeò clara, & vniuoca, vt ità perneceſsè concludant, aliumque intellectum, vel interprætationem excludant, adeòut vrgeat dicta regula textus *in l.ille aut ille ff. de legat.*3.

Ad quod etiam ponderabam ea, quæ habemus in materia trãsactionis, in qua 7 regula est, vt ea inita non censeatur, nisi super ijs,quæ in litem,seù controuersiam deducta fuerunt, seù quod restringatur ad ea, quæ in parte proemiali narrantur tanquam causa eiusdem transactionis inductiua,ad text. *in l.si de certa C.de transact.*;Et tamen si,vel amplitudo verborũ, vel fortiùs subiecta materia, ac verisimilis partium voluntas ex alijs circumstantijs deducta,suadet quod partes sentierint se cõcordare,& quietare, generaliter etiã de alijs in litem non deductis,concordia capit omnia,vt ex congestis *per Greg. & Adden. decis.* 158. *&* 286. plenius *decis.* 100.*post Merlin.de pignor.* & habetur *sub tit.de feud. disc.*47. *& alibi pluries*.

IANVEN.

FIDEIVSSIONIS

PRO

HÆREDIBVS PAVLI FRANCISCI AB AVRIA

CVM

N. GENTILI.

Responsum pro veritate.

De Statuto Ianuæ perimente fideiussiones iudiciales per quinquennium; Et an fideiussor habeat actionem indemnitatis contrà principalem, si neglexit opponere exceptiones, cum quibus poterat se tueri.

Et incidenter de variatione monetæ, cuius damno cedat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Fideiussor non agit contra principalem pro damnis, vel molestijs passis ex eius culpa, vel negligentia.*

3 *De Statuto Ianuæ perimente iudiciales fideiussiones per quinquennium.*

4 *De conclusione, de qua num. 2. eiusque distinctione.*

5 & 6 *Et de eadem, & quando adhuc fideiussor actionem habeat ad damna, & interesse.*

7 *De alio Statuto Ianuæ super renouatione fideiussionis iudicialis.*

8 *De effectibus, & operatione rei iudicatæ.*

9 *Quando sententia absolutoria operetur vulnerationem viæ executiuæ.*

10 *Statutum exigens renouationem fideiussionis, an annullet acta.*

11 *De differentia inter conditionem, & modum.*

12 *De cautione præstanda per vsufructuarium.*

13 *De alia cautione ad formam auth. contra quæ supplicatio.*

14 *Et de alia præstanda per creditores, quibus liberatur pecunia.*

15 *Debitor in vno loco, an conueniri possit ad solutionem in altero.*

16 *In arbitrarijs non de facili datur iniustitia.*

17 *Mora tollit beneficium localitatis in debitore.*

18 *Quod vni non prodest, & alteri nocet, cõtinet æmulationem.*

19 *De materia alterationis monetarũ, cuius damno cedat, & in qua moneta fieri debeat, vel possit solutio.*

20 *De duplici interesse intrinseco, & extrinseco.*

21 *De interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, quando debeatur.*

22 *Et de interesse, quod resultat à mutatione monetæ.*

23 *Quando creditor per oblationem, vel interpellationem constituatur in mora.*

24 & 25 *De eodem, & de effectibus exindè resultantibus.*

DISC. XCII.

1 PRætendens Gentilis habere contra Serram actionem ad quosdam fructus iurium Hispaniæ debitos in moneta Marapatinorum, cum conuenit ad assecurationem iudicij, vndè propterea dedit in fideiussorem Saulium fideiubẽtem, contemplatione, ac intuitu Pauli Franciſci ab Auria, qui eum indemnem releuare promisit; Pulsauit deindè Gentilis Saulium fideiussorem ad soluendum summam iam à Rota declaratam, qui proindè pulsauit Auriam fideiussorem indemnitatis ad eum releuandum, atque sequuta vtriusque respectiuè condemnatione, curauit Gentilis obtinere contra Saulium æstimum quorumdam bonorũ, quæ deindè post dictum æstimum consumatum, cessit eiusdem Saulij interim defuncti filijs, & hæredibus, reportata ab istis cessione iurium contra Auriam, quẽ proindè Gentilis dicto cessionario nomine obtinuit condemnari ad soluendũ id, quod à Serra debitum erat, concessa condemnato electione soluendi, vel in Marapetinis, vel in scutis marcarũ æqualentibus, cum termino dierum octo ad declarandum, in qua specie dictam so-

lu-

tionē facere vellet, in quo termino, Auria cū debitis protestationibus præseruatiuis aliarum exceptionum sibi competentium, declarauit se habere promptos marapetinos in ea Hispaniarum parte, in qua illorum iurium fructus exigi solent, tanquàm in loco debiti, quodque in eis solutionem facere volebat, interpellando Gentilem nihil opponentem, ad recipiēdum in loco, & moneta prædictis respectiuè.

His autem ità per actis, post plurium annorum decursum, idem Gentilis in vim dictæ condemnationis, ac respectiuè mandati relaxati per Rotā lanuen., denuò pulsauit Auriam, qui sententiam absolutoriam reportauit ab obseruatione iudicij, ob non seruatam formam Statuti circa reuocatam fideiussoriam cautionem, dum prima per lapsum quinquennij expirauerat; Vndè Gentilis, dicta noua cautione præstita, executionem, seù æstimum obtinuit in bonis mobilibus Auriæ interim defuncti; Hisque sic stantibus, super pluribus ex parte dictorum hæredum Auriæ consultus fui; Primò, àn repellere possent Gentilem non proprio, sed cessionario nomine illorū de Saulijs agentem, ex eo quod isti indebitè dictū æstimum passi essent, ob non oppositam legitimam exceptionem extinctionis dictæ fideiussionis per Saulium factæ pro Serra, per lapsum quinquennij ad formā Statuti; Secundò, posito quod exceptio non releuaret, àn exequutio vltimo loco facta ad instantiam Gentilis cōtra bona hæreditaria Auriæ, retractanda esset ob non seruatam formam præstitæ nouæ fideiussoriæ cautionis, seù ob non benè sequutam mandati exequutiui renouationem, re non integra concessam; Et tertio, quatenus etiam hæc exceptio nō subsisteret, quale ius, seù qualis actio actori competeret.

Quoad primum respondi, quod vbi factum assisteret, quia scilicèt de tempore quo creditor fideiussorem iudicij pulsauit, iam elapsum esset quinquenniū, itaùt dicta statutaria dispositio intraret; Tunc plana videbatur resolutio ad fauorem reorum cōuentorum, quoniam fideiussor actionem non habet contra principalem debitorem, vel contra eum, qui indem-
2 nitatem promisit pro indebitè soluto, seù pro illis molestijs, quas culposè potiùs passus est ex propria negligentia non opponendo exceptiones sibi legitimè cōpetentes, cum quibus creditorem molestantem repellere poterat iuxtà *text. expressum in l. si fideiuſſor* 29. *ff. mandati l. etiam Cod. eodem l. exceptione ff. de fideiuſſ. ſor.*, *vbi gloſ.* plura adducit iura concordantia, & firmant *Abb. conſ.* 82. *nu.* 11. *par.* 1. *Pariſ. conſ.* 104. *num.* 1. *& ſequen. lib.* 3. latè *Menoch. conſ.* 212. *ex num.* 12. *& per tot., præſertim num.* 58. *& ſequen.*, quod videtur in materia magistrale.

Cum igitur fideiussori iudicij ob quinquennij lapsum ex Statuto *lib.* 4. *tit. de fideiuſſor. in iud. præſtit cap.* 9. dispo-
3 nente per lapsum dicti temporis fideiussorum iudicij obligationem expirare, legitima competeret exceptio expirationis suæ obligationis, cum quo creditorem repellere potuisset, ità indebitè, ac culposè molestias passus erat; Potissimè quia non agebatur de exceptione consistente in facto alieno, qualis est solutio, seù nouatio, aut similis, quæ fideiussori
4 soluenti, vel molestias patienti, potuit esse ignota, vndè propterea sit excusatione dignus, sed de exceptione iuris statutarij, cuius ignorantia non excusat, vt ità distinguendo litteraliter firmat *text. in d. l. ſi fideiuſſor ff. mandati*.

Et quamuis pro ratione dubitandi discurrendo ponderarem conclusionē, quod fideiussor etiam iniustè coactus ad so-
5 luendum, actionem habeat indemnitatis tanquam ad refectionem damnorū, quorum causa fuit fideiussio, nè quod in alterius gratiam pro officio præstitit, in eius damnum, ac iniuriam redundet; Attamen aduertebam, vt id intelligendum veniat quoties fecit totū, quod potuit ex parte sua, opponendo omnes exceptiones sibi competentes, aliasque congruas diligentias adhibendo, expectando etiam, vel actualē, vel saltem imminētem coactionem, vt *per Abb. conſ.* 60. *par.* 1. *Hypolit. de Marſilijs de fideiuſſor. qu.* 24. *num.* 186. *Menoch. dicto conſ.* 212. *nu.* 60. *& 64. cum ſeqq., & admittitur dec.* 106. *& 206. par.* 4. *rec. tom.* 2., quæ prodierunt ad fauorem fideiussoris, quamuis indebitè pulsati, dum in eis constituitur fundamentum in eo, quod faciendo totum, quod potuit, etiam carcerationem expectauit, quod in præsenti non concurrebat.

Et

Et quidem ista exceptio fuisset solida, vbi factum assisteret, ex eo potissimum quia cessabat illa æquitatiua considera-
6 tio, quæ ponderatur *in dictis decisionibus 106. & 206. par. 4. tom. 2.*, nè scilicèt fideiussor ex benevolo officio damnum reportaret, dum non agebatur cũ fideiussore, sed cum ipsomet principali creditore, in quo dicta ratio non intrat; Verùm in hac parte factum non assistebat, ideoque ista exceptio nullius releuantię remanebat.

Quoverò ad secundum quæsitum; Dicebam iustè dictam absolutoriam cõcessam fuisse circà executionem primi mandati, quamuis ad formam Statuti *lib. 2. cap. 9. de confirmatione mandatorum* singulo quoque biennio renouati, ob expirationem fideiussionis aliàs præstitæ
7 per lapsum quinquennij iuxtà præfatum aliud *Statutum lib. 4. cap. 9. de fideiussore in iudicio*, dum ex alio Statuto *lib. 3. tit. de appellat. cap. 3.* mãdata exequi non possunt, non præstita fideiussoria cautione de restituendo quidquid eorum vigore exactum esset; Verùm id non impedit, quin creditor dicta cautione de nouo præstita, executionem ex intego petere valeat, dum dicta sententia quamuis in iudicatum transacta esset, non percutiebat substantiam debiti, seù negotij principalis, sed solùm non benè seruatũ ordinem; Ideoq; dicebam quod incongrua essent ea quæ scribentes de partibus, cũ regulis generalibus late, ac elaboratè firmare curabant circa exceptionem rei iu-
8 dicatæ, atq; circa istius virtutem, seù operationem faciendi statum, siuè vt nostri dicunt, faciendi nigrum de albo, ac ens de non ente, atque præcludente quamcumq; actionem aliàs cõpetentem; Quoniam id benè procedit, vbi percutit substantiam negotij principalis, secùs autem vbi simplicem absolutoriam ab obseruatione iudicij ob istius ordinem malè seruatum, seù ex defectu probationum, cum id non impediat quin vnum, vel alterum denuo suppleri valeat.

Idquè adeò verũ, quod licèt receptissimam quotidianam propositionem habeamus, vt sentẽtia absolutoria, quamuis ab appellatione suspensa sit vulneretur
9 viam exequutiuam, quamuis ageretur de obligatione camerali, seù de litteris Apostolicis; Nihilominus id procedit, quandò talis sententia percutit substantiam negotij principalis, secùs autem si ordinem iudicij, vel defectum probationum vt supra, vt pluries habetur *hoc eodem tit.*, ac etiam *sub altero de Iudicijs*.

Insistebant quoque scribentes de partibus pro eisdem de Auria super eo, quod dictum mandatum non esset amplius ad formam dicti Statuti renouabile, stante quod ob expirationem primæ cautionis requisitę de forma, illud quoq; expirasset,
10 seù quod confirmationes post dictum quinquennium concessę ob eamdem formã non seruatam habendæ essent pro infectis; Verùm respondi quod istud fundamentum esset pariter leue; Tum quia Statutum vtitur dictione, *dummodò*, quæ potiùs modum quàm conditionem importat, ideoq; nulla subest necessitas, vt præcedat, dum sufficit adimpleri etiam postea, vt euitetur defectus qui ex non implemento resultat, cum in hoc distinguatur modus à conditione, vt alibi pluries aduertitur; Tum clariùs, quia tunc formæ, seù cõditionis implementum in forma præcisa præcedere debet, quando illud per legem, vel per hominem, ità re-
11 quiritur vt aliàs remoueat consensum ab actu, tanquam species solemnitatis, secùs autem vbi respicit certum effectum, quoniam iste principaliter spectatur, non curato, àn implementum sit præcisum, vel per æquipollens, seù àn præcedat, vel sequatur ex congestis *per Salgad. in labyrint. par. 1. cap. finali num. 135. & sequent. Adden. ad decis. 542. numer. 84. cum sequen. par. 4. rec. tom. 3. decis. 149 num. 5. & finali par. 6. & sæpius*.

Dabam in hoc plura exempla percutientia ipsos speciales terminos cautionis à iure requisitæ; Primò scilicèt illius cautionis, quæ præstanda est per vsufructuarium de vtendo, & fruendo arbitrio
12 boni viri, quoniam licèt illa omninò præstari debeat, adeoùt aliàs vsufructuarius per huiusmodi exceptionem repelli valeat, atque constitutus in mala fide nõ faciat fructus suos, vt non semel ad materiam vsusfructus *sub tit. de Seruitutibus*; Nihilominùs id non vitiat sententias, & acta, minusque mandata obtenta pro vsusfructus exequutione, cum sufficiat illam præstari post adeptam pacificam

possessionem, neque priùs ad illam compellendus est, vt benè *in Firmana Codicillorum coram Cerro decis. 290. par. 10. rec. num. 15.*, & in dicta sua vsufructus materia *sub tit. de Seruitutibus*, vbi concordantes.

Item pro obtinenda executione sententiæ Præfecti prætorio præstanda est
13 cautio ad *text. in auth. quæ supplicatio Cod. de præcib. Imper. offerend. ex deductis per Ann. & Adden. singul. 46. & alleg. 63. Franch. & Adden. decis. 138 Adden. ad Thes. decis. 181.*, apud quos habentur opiniones hinc indè super quæstione, àn illa cautio sit de forma; Verùm retenta etiam opinione affirmatiua id nō percutit sententiam, vel mandatum eius vigore relaxatum, sed solùm ipsam exequutionem, ideoque vbi ob dictæ formæ defectum, ista inualida declaretur, non indè sequitur vt sententia, vel mandatum corruat, vt proindè eadem forma impleta, noua exequutio ex integro decernenda non sit.

Prout quotidianum habemus in Curia, vbi per Constitutionem Pauli V. editam super reformatione Tribunaliū, cum clausula sublata, & decreto irritanti, inficientibus quidquid in contrarium fieret, disponitur, vt facto concursu creditorum in bonis debitoris, non liberen-
14 tur pecuniæ nisi præstita cautione de restituendo prioribus, & potioribus &c., vt pluries in præcedentibus *hoc eodem titulo*; Et tamen id percutit ipsam exequtionē non autem sententias, vel mandata cum similibus, ideoque concludebam, vt huiusmodi exceptiones prorsùs leues essent, et nihilominus scio, quod magnum negotium de eis factum fuit.

Demùm quoad tertium quæsitū, qualis scilicèt actio competeret; Pro clariori resolutione, illud subdistinguebam in quatuor inspectiones; Primò scilicèt circa locum, àn creditor pulsare posset ipsum debitorem ad solutionem faciendam in ipsa Ciuitate Ianuæ; Secundò circa speciem monetæ, in qua huiusmodi solutio facienda esset; Tertiò circa tempus, iuxtà quod monetarum valor regulandus esset, àn scilicèt de tempore primæuæ petitionis, vel de præsenti; Et quartò circa interfuria, quæ per creditorem ob solutionem à cessa die, vel saltèm ab interpellatione prætendebantur.

Quoad primum dixi, quod in arbitrio Iudicis positum est, eum qui certo loco soluere tenetur, condemnare ad soluendum in loco sui domicilij, in quo cō-
15 ueniatur, eo detracto quod debitoris interfit magis in vno, quàm in altero loco præstari *iuxtà text. expressos in l. 3. §. finali, & l. sequen., & l. centum Capuæ ff. de eo quod certo loco cum concord.*, de quibus *infra hoc eoddem tit.* ad materiam localitatis; Vndè propterea stante condemnatione ad soluendum Ianuæ, durum dicebam esse huiusmodi condemnationem
16 impugnare ex capite iniustitiæ, de qua non de facili, in arbitrarijs, sententiæ cōuinci possunt, nisi de omnimoda irrationabilitate appareat ex deductis *per Rouit. super Pragm. in Rubr. de appellat. num. 25. & sequen. Gregor. decis. 106. nu. 2. & alios*, vndè quoad hunc punctū dixi quod ille non esset substentabilis, potissimè stante debitoris mora, inter cuius effectus ille numerari solet, vt certo loco sol-
17 uere obligatus, post eam, vbique conueniri valeat *l. eum qui ff. de iudicijs*, vbi *Bart. & cæteri apud Fab. de Ann. cons. 54 num. 6.*

Quoad secundum; Licèt moneta marapetinorum, quæ erat in obligatione soluendi, esset in rerum natura, atque de facto in eadem Ciuitate Ianuę haberi vi-
18 leat, se offerendo illam transportare intrà competentem terminum (vt aliqui pro hac parte scribentes insistebant); Nihilominus, & hanc dixi friuolam, ac iniustam exceptionem, cōsulendo requirentibus, vt ab illa quoque abstinerent, cum species malignitatis, seù æmulationis videretur, cum notabili vecturæ sumptu, & incommodo, asportare velle illam monetam, quæ in loco vtriusque partis non erat impendibilis, sed omninò inutilis *ad notat. in l. altius Cod. de seruit. & aqua*; Ideoque præstandam esse dixi in moneta regionis æquiualentiam, quātum scilicèt importaret valor monetæ, quæ erat in obligatione, & sic detracto eo quod interest, in vna potiùs, quàm in altera solui, iuxtà receptam *theor. Bart. in l. Paulus ff. de solut.* cum concordantibus deductis *per Surd. cons. 335. num. 11. cum sequen. Rot. decis. 214. cum pluribus sequen. post Cenc. de cens. Gregor. & Adden. decis.*

42., & habetur *sub titulo de Regalibus ad materiam Monetarum disc. 126. & seqq.*, *& sub titulo de Benef. disc. 89.*, *& sub tit. de Pension. discur. 34. & seq.*, ac etiam infrà.

Quoad tertium; Licèt apud antiquiores ista materia satis inuoluta videatur, nihilominus hodiè plana dici potest, cũ
19 passim recepta sit dicta distinctio *Bart. in l. Paulus, vt liquet apud proximè supra allegatos, & alibi*, quod vbi alteratio monetæ prouenit ex causa intrinseca attendatur tempus solutionis ad commodum, vel respectiuè incommodum eius, cuius casus præbeat, nulla data differentia inter debitorem, & creditorem, tanquam correlatiuos.

Ista verò theorica sic stante, dum versabimur in hac parte distinctionis, quod scilicèt moneta marapetinorum quoad materiam, seù qualitatem extrinsecam ab vno tempore ad alterum, nullã receperat alterationem, notabiliter tamen sequutam ex qualitate intrinseca, & comparatiuè ad monetam grossam melioris materiæ auri, & argenti, ob istorũ excretum valorem, idcircò in hac parte pro requirẽtibus credebam assistere probabilitatem, vt non nisi ad æquiualentiam de tempore solutionis tenerentur, cum huiusmodi alteratio potuisset se habere ad commodum creditoris, non minùs quàm ad incommodum, solaque difficultas in proposito cadere posse videbatur, àn refectio eius quod interest dictam notabilem deteriorationem sequutam esse, prætendi posset sub nomine damnorum, & interesse, quod obseruabam pendere ab ijs, quæ circa interfuria habentur infrà.

Quoverò ad interesse; Dixi quod duplex interesse in iure consideratur, Vnũ quod nostri dicunt intrinsecum, seù intrà rem, ob ipsius rei deteriorationem creditori,
20 seù actori p. æiudicialem post moram ad text. *in l. si fideiussit* §. *cum per venditorem ff. de actionem empti, & l. vnic. Cod. de sententiæ quæ pro eo &c.*; Et alterum quod dicunt extrinsecum, seù extrà rem, consistens in interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, vt benè de vtroque sic distinguendo habetur *per Rot. decis. 304. à num. 5. ad 18. & per tot. par. 9. rec.*

Vtriusq; autem interesse inspectio cadebat, dum actor prætendebat interesse intrinsecum resultans ex diminutione valoris monetæ, quia si debito tempore tunc ab initio solutio facta esset, creditor istud damnum passus non fuisset; Ac etiam prętendebat interesse extrinsecum lucri cessantis, stante quod in ea Ciuitate, posita mora, alia requisita videantur notoria, & habenda pro probatis, eo modo quo habentur etiã in Regno Nea-
21 politano, ac ferè vbique præterquàm in Curia Romana, ex frequenter deductis in sua materia *sub titulo de vsuris*; Vndè propterea resolutio pendebat à pũcto morę, àn scilicèt dici posset, quod ista adesset prętati vtriusque interesse productiua, vt in specie interesse intrinseci
22 resultantis à deteriorationc monetæ *ex dicta theor. Bart.* habetur *apud Fab. de Ann. dict. cons. 54. num. 11.*

Moram verò credebam in præsenti non adesse, quoniam stante dicta alternatiua condemnatione soluendi, vel in marapetinis in loco debiti, vel in scutis marcarum in loco conuentionis ad electionem debitoris, iuxtà declarationem ab isto faciendam intrà sibi præfixum terminum, intrà quem illa facta erat, ac intimata creditori, aliud non opponenti soluendi in loco debiti, & in ea moneta marapetinorum, hinc sequebatur vt per huiusmodi oblationem, moræ incursus impeditus remaneret.

Ad plures enim effectus huiusmodi quæstio per scribentes tractatur, quid
23 scilicèt operetur interpellatio, seù oblatio, quam debitor creditori faciat; Primò nempè ad inducendã liberationem, itaùt quicumq; casusqui in re debita cõtingat creditoris periculo cedat, & in his terminis magis communis, & vera videtur, vt non concurrente præsertim creditoris expressa recusatione, sola verbalis oblatio non sufficiat, sed realis requiratur ex collectis *per Pratum obser. 25. num. 37. Capyc. Latr. consult. 37. apud quos cæteri.*

Alter effectus est circa impediendum cursum accessionum, seù vsurarum, et tũc magis communis, ac probabilis distinctio videtur, quod Aut agitur de vsuris debitis ex conuentione, seù alias iure actio-
24 nis, & sola verbalis neque sufficiat, Aut officio Iudicis iam interposito, itaùt agatur de impediẽdo vlteriorẽ cursũ actus

initiati, & pariter non sufficiat, siuè etiã agatur de initiandis, quæ tamen sint favorabiles, & non sola ratione moræ, tanquam in pœnam, sed potius ratione æquitatis debeantur, vt sunt illæ ex æquitate *l. curabit cum similibus.*

Aut de impediendo initiũ vsurarum, seù interfuriorum Iudicis officio ratione moræ potiùs penalium, ac odibilium quam favorabilium; & tunc secùs, itaut sola verbalis sufficiat; Potissimè vbi est iudicialis, quæ maioris efficaciæ, ac operationis reputatur; Et clariùs vbi creditor interpellatus nihil dicat, quoniam taciturnitas habetur pro non acceptatione ex deductis *per Cephal. cons.* 207. *num.* 25 54. *& seqq. Surd. cons.* 86. *numer.* 30., *& cons.* 331. *num.* 40. *& seqq. Rot. decis.* 228. *num.* 7. *par.* 9. *rec. Capyc. Latr. dicta consult.* 37. *num.* 15. *& sequentibus*; Et hic vltimus videbatur casus, vndè propterea dicebam imputandum esse creditori, cur interpellatus ad recipiendum in loco debiti, & in ea moneta, in vim electionis attributæ debitori in sententia ad eiusdem creditoris instantiam obtenta, diligentias non adhibuerit; Potissimè quia non agebatur cum principali debitore moroso in soluendo debitum proprium, atque in eius vtilitatem versum, sed de fideiussore adstricto ad debitum alienum, & cum quo semper benignius agendum est; Incertum verò est quid in causa sequutum sit.

MELEVITANA PECVNIARIA SEV CAMBII

PRO

ALEXANDRO INFANTINO

CVM

FRANCISCO GAVCIO, & ANGELO CVGNETTO.

Casus variè decisus per Rotam.

De obligatione fideiussoris restricta ad certum casum, vt non afficiat, nisi per creditorem doceatur de casus purificatione; Et in specie de conditione barattariæ, quando purificata dicatur; Et an ea resultet ex mutatione itineris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod propositiones certæ, & generales sunt præsupponendæ.*
4 *An ex mutatione itineris per Nauarchũ resultet culpa, & barattaria.*
5 *Aliud est culpa, & aliud est barattaria.*
6 *De casu periculi, vel culpæ ad effectum lucri cambij maritimi.*
7 *De qua culpa teneatur locator operarum.*
8 *De materia assecurationis, & de culpa Nauarchi.*
9 *De quæstione inter dominum nauis, & dominum mercium peremptarum.*
10 *De casu quæstionis fideiussionis restrictæ ad casum barattariæ, quando hæc commissa dicatur &c.*

DISC. XCIII.

ACcepit Angelus Iorch nauis dominus,à Francisco, & Angelo campsoribus Meleuitanis scut. mille ad illud cambium maritimum, de quo habetur actum *sub tit. de vsur. disc.* 3., sub diuersis legibus, & præsertim destinato loco, ac modo nauigationis, seù itineris, atque pro Angelo fideiussit Alexander, qui tamen eius obligationem ad duos casus, mortis, & barattariæ restrinxit; Cumque nauarchus contrà determinatũ modum itineris in recessu ab Insula Cretæ loco nauigationis destinato, portum Venetum appulisset, naui penè conquassata, vadè propterea amplius ad Insulã Meleuitanam non redierit; Hinc creditores iudiciũ instituerunt, atq; sententiam in partibus obtinuerunt contra Alexandrũ fideiussorem; Introductaque per appellationem causa *in Rota coram Verospio die prima Aprilis* 1658. prodijt etiam resolutio creditoribus fauorabilis; Expeditaque sententia, & commissa denuò causa *coram Beuilacqua sub diebus* 11. *Aprilis*, 1663., & 14. *Ianuarij* 1664., ad fauorem debitoris pro eius absolutoria, cũ infirmatione præcedentium sententiarum, resolutum fuit, iftæque posteriores resolutiones mihi pro debitore scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, probabiliores visæ sunt.

In his autem disputationibus; Scribẽtes hincindè cũ solito improbo, ac inani labore, chartas allegationibus replebant cum regulis, seù propositionibus generalibus, quæ poterant præsupponi; Ex hac scilicèt parte super eo, vt obligatio sub certa conditione concepta, non sit experibilis, neque afficiat, nisi probata per creditorem conditionis purificatione; Et è conuerso ex parte creditorum, vt obligatio conditionalis, purificata conditione, reputetur pura, & actionem pariat, atque exequutionem mereatur; Verùm (vt dictum est) pro meo iudicio id continebat consuetam inæptiam, ac inanem repletionem chartarum, cum dictæ propositiones sint incorruertibiles, ideoq; doctrinarũ comprobatione non indigeant; Punctus autem consistebat in applicatione vnius, vel alterius, àn scilicèt stante, quod casus mortis naturalis sequutus non erat, dici posset purificata altera conditio barattariæ, ad quam fideiussoris obligatio restricta erat, ideoq; in hoc residebat vnicus causæ punctus, reliqua verò superfluas allegationes continebant.

In hoc autem; Scribentes pro actoribus, confundendo terminos barattariæ, & culpæ nauarchi, quasi quod probata iftius culpa in nauigatione, probata diceretur barattaria, nimium insistebant in eo, quod ex mutatione itineris, resultare dicatur culpa, ac etiam dolus, deducendo in id auctoritatem *Corn. cons.* 273. *num.* 7. *lib.* 1. *Fachin. cons.* 53. *in fin. lib.* 3. *Stracch. de assecurat. glos.* 31. *numer.* 2. & 4. & 14. *Monach. decisione Florent.* 1. *num.* 29. & 40. *cum sequentib. Rocch. de assecur. post primũ vol. cõs. n.* 341. *cum seqq.*, & *num.* 358. *cum seqq.*

Et è conuerso Scribẽtes pro hac parte, præsertim causæ Patronus, ad quẽ pertinebat agere de ijs, quæ facti sunt, cum atteftationibus peritorum insistebant super exclusione eius culpæ, quodque mutatio itineris non processisset ex voluntaria electione, sed ex quodam casu excusatione digno, expẽdendo ea, quæ in hac materia mutationis itineris habentur *apud Stracch. & Monach. vbi supra*, ac alios de materia agentes.

Ego verò aduertebam, vt clarum æquiuocum esset istos terminos culpæ, & barattariæ confundere, vtpotè inter se omninò diuersos, quoniã stãt benè simul quod nauarchus esset in culpa, & tamen quod non cõmiserit barattariã, vt aduertitur *infra disc.* 106. & *seqq.*, ad materiã assecurationis; Ideoque ad hoc æquiuocum elucidandum, congruèque applicandum doctrinas, quæ desuper deducebantur, aduertebam ad id, quod hodie in omni penè forensi controuersia, pro congrua decisione videtur necessarium, vt scilicèt procedendum si cum diuersorum casuum distinctione.

Primus igitur casus est, vbi quæstio sit, àn mercium, vel nauis peremptio contigerit à casu fortuito, vel culpa, ad effectum lucri pecuniæ traiectitiæ, seù datæ ad cambium sub periculo casuum fortuitorum iuxtà deducta *dicto disc.* 3. *de vsur.*; Et tunc rectè intrat inspectio

rigo-

rigorosæ mutationis itineris redolentis culpam, talis qualis illa sit, etiam leuis, seu leuissima, quæ apta est excludere verum casum fortuitum, iuxtà ea, quæ ad materiam culpæ excludentis casum, in maritimis, ac alijs habentur *sub tit. de Locato, & conduct. discur. 11. cum seqq. ac alibi*, sed hæc nihil ad rem.

7

Alter casus est, vbi agatur inter assecuratos, ac assecuratores, àn scilicèt casus contigerit potiùs culpa nauarchi, quæ cedere debeat in damnum assecurati potiùs, quàm assecuratoris, iuxtà distinctiones, quæ habentur infrà in hac materia assecurationis *d. disc. 106. & seqq.* & pariter id remanet extrà rem, seù casum quæstionis, ideoque aliquæ ex doctrinis istũ percutientibus præsertim deductæ *per Rocc. & Monac. vbi supra*, extraneæ remanebant à quæstione.

8

Tertius casus est, vbi quæstio sit inter dominos mercium peremptarum, & ipsum nauarcum, contra quem agant ad damna, & interesse, eo quia peremptio potiùs eius culpa quã casu contigerit iuxtà quæstionem, de qua *dicto titulo de Locat. & Conduct. discur. 11. & seqq.*, et tunc rectè cadit hæc inspectio mutationis itineris, vt culpam redoleat, cum ad hunc effectum, iuxta vnam opinionem, quælibet culpa, nedùm leuis, sed etiam leuissima sufficiat ex deductis *dicto disc. 11. & sequentibus de Locato*; Sed pariter est extrà propositum, quoniam Aliud est culpa, Aliud verò barattaria, ideoque ab ista rectè arguitur ad illam, sed non è conuerso.

9

Quartus demum est *noster casus* præcisus, vbi scilicèt inito cambio maritimo, seù contractu nautici fænoris cum nauarco, vel alio sub diuersis pactis, & legibus, à quibus extranea, seù aliena sit fideiussoris obligatio, quæ præcisè re-

10

stricta sit ad solùm casum barattariæ, vndè propterea istam præcisè ac propriè verificare oporteat ex natura fideiussionis, quæ, vt alibi aduertitur pluries, hoc *eod. tit.*, est strictissimè, ac propriè intelligenda, nõ autem extendenda; Et tũc ista verificatur vbi cum malitia, & cum dolo positiuo, ac vero, fiat actus principaliter ordinatus ad peremptionem merciũ, atq; in proposito mutationis itineris est *ille*, de quo agitur *per Monac. dicta decisione Florent. prima*, quod scilicèt nauarcus, mutato itinere inter portus, & loca Christianorum, nulla ventorum, vel tempestatis vi impellẽte, progressus erat ad loca Infidelium, quod ad aliud referri non poterat, nisi ad voluntatem furripiẽdi merces, ac accedendi ad loca extra nostrum commercium, in quibus impunè, ac tutè bona quamuis aliena retinere, vel distrahere poterat, absque eo quod ciuilis, vel criminalis actio contra eum esset exercibilis; Secùs autem, vbi ex vi ventorum, seù tempestatis accedatur ad locum Christianorum, & amicorum, vbi iustitia administretur, neq; ille qui merces, ac nauim eo traduxit sit tutus iuxtà casum, de quo *sub titulo de Regal. disc. 129.*; Siuè iuxtà alios casus exemplificatos *infrà dicto discur. 106. & seqq.* vbi latiùs de hoc termino barattariæ; Et consequenter extraneæ remanebant dictæ auctoritates *Cornei*, & *Facbinei* percutientes dictos alios diuersos casus, præsertim tertium quæstionis cum nauarco, contra quem dominus mercium ageret ad damna, & interesse sibi causata ob mutationem itineris contra formam conuentionis; Hinc proindè in dies magis, ac magis experimur vt in hac facultate, præsertim quoad forensia, in quibus non disputantur quæstiones in abstracto, vt in Scholis, & Accademijs, sed in concreto, atque in casu præciso totavis consistat in applicatione congrua, ad cuius effectum ad casuum distinctiones omninò reflectere oportet, & fine quibus perpetuus erit, atque in dies semper maior efficietur æquiuocorum incursus.

RO-

ROMANA

FIDEIVSSIONIS

PRO

IOANNE BAPTISTA ANGELVCCIO

CVM

FRANCISCO VICTORIO.

Casus disputatus coram A.C., & resolutus pro Victorio, postea concordatus.

An, & quando obligatio fideiussoris cesset per mortem, vel aliam immutationem status debitoris; Et àn fideiussor de præsentando debitorem principalem intrà certum tempus, dicatur morosus ex solo lapsu temporis, vel potiùs noua requisitio necessaria sit.

Et àn creditor diù negligens sua iura experiri contra principalem debitorem aliàs idoneum, tractu temporis minus idoneum effectum, actionem habeat contra fideiussorem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Exceptio cedendarum admittitur etiam in iudicio executiuo.*
3 *Quando liber non probet.*
4 *De efficitibus contra occultantes, vel lacerantes scripturas.*
5 *De solutione præsumpta.*
6 *Creditor negligens nõ agit contra fideiussorem, & quando secus.*
7 *Quod consulentibus non sit deferendum, & de ratione.*
8 *An, & quando fideiussor de repræsentando excusetur per mortem, vel aliud impedimentum principalis.*
9 *De distinctione inter fideiussorem iudicialem, & extraiudicialem.*
10 *Quid vbi accedat iuramentum.*
11 *Et quid vbi fideiussio non est pura, sed sub certa conditione.*
12 *De alio casu super eadem conclusione, de qua num. 8.*
13 *De eodem, ac de distinctione.*
14 *De alio casu super conclusione, àn fideiussor de repræsentando admittatur, si præsentet post terminum.*

DISC. XCIV.

1 CVM Stephanus Cassonius ad instantiam Victorij, in vim mandati suspicionis fugæ, carceratus esset pro quodam debito, Ioannes Baptista Angeluccius, vt Cassonium amicũ liberaret, sciens eum tunc probabiliter idoneum esse, per apocam se obligauit, vt in euentum, in quem dictus Cassonius summam debitam non solueret intrà terminũ trium mensium, ipse teneretur, vel ad illum reducendum in carcerem, vel ad soluendum summam debitam, & non solutam, dictoque termino elapso, atque creditore aliud non motiuante, Cassonius per annum, & vltrà morã traxit in Vrbe; Post decennium verò, ac de tempore, quo per plures annos nullus dicti Stephani nuncius habebatur, adeòut incertum esset, àn viueret, imò quod probabilius mortuus crederetur, idem creditor pulsauit coram A. C. fideiussorem, tàm ad repræsentationem, quàm ad ratificationem vt supra promissas, seù loco implementi ad solutionem summæ debitæ, atque iuxtà petita relaxatum fuit mandatum, aduersus quod, habito recursu ad Signaturam, dilata fuit resolutio ob aliquam difficultatem, ab ista habitam, atque ob id sequuta fuit concordia.

In huiusmodi verò disputationibus, de tribus actum fuit; Primò de iustificatione crediti; Secundò de puncto, àn creditor diù negligens agere cõtra principalem debitorem, seù contrà fideiussorem, qui pulsatus vrgere potuisset debitorem existentem in statu valido, actionem habeat contra eumdem fideiussorem post mortem naturalem, vel ciuilẽ, seù aliàs immutatum statum debitoris; Et tertiò, àn fideiussor de repræsentando infrà certum terminum, vel simpliciter, libereretur per eiusdem principalis mortem, seù talem mutationem, vt im-

posi-

possibilis esset illius repræsentatio.

Primus punctus consistebat magis in facto, quàm in iure, dum non controuertebatur, quod necessaria esset iustificatio crediti de tempore petitionis; Tum quia obligatio fideiussoris erat conditionalis, quatenus scilicèt intrà dictum terminum trium mensium, creditori satisfactum non esset à principali debitore; Tũ etiã quia creditor qui pulsat fideiussorem tenetur ità suum creditum iustificare, vt ex ceßis iuribus, & actionibus, 2 fideiussor soluens pro principali, ius habeat repetendi ab isto, nam alias creditori obstare dicitur exceptio cedendarũ admittenda etiam in iudicijs priuilegiatis, & executiuis ex deductis *per Graff. de except. cap. 10. numer. 13. Gratian. discept. 799. num. 28. cum sequen. Zacch. de oblig. Camer. quæst. 17. num. 114. & sequen. Oleæ de cess. iur. tit. 2. quæstione 2. apud quos sateri.*

Pro dicti crediti iustificatione deducebatur quidam liber reputatus parùm sufficiens; Tùm quia non erat benè, & mercantiliter tentus, & sic non habens necessaria requisita ad probandum pro 3 scribente; Potissimè circa aliquas partitas extrà merces, & negotium fundaci; Tùm etiam quia ex eadem apoca continente obligationem fideiussoris, constabat per ipsum actorem, ac principalem debitorem, initam fuisse aliam apocam solidationis computorum in summa, pro qua ad carcerationem deuentum erat, & ad quam fideiussor se obligauerat, vndè propterea iustè fideiussor instabat pro istius apocæ exhibitione; Atque in hoc reflectendo ad veritatẽ, mihi pro fideiussore scribenti, videbatur quod iudex grauasset, dum iuxtà negotiantium stylum, in dorso, seu pede eiusdem apocæ adno- 4 tari solent illæ solutiones, quæ minutatim, & in dies à debitoribus fiunt, ideoque aduersus lacerantem, vel occultantem scripturam intrat, vel probatio, vt in deterius cum pœna amissionis actionis ad *text. in l. si de possessione Cod. de probat.*, vbi scribentes, de quibus *Genua de scriptura priuata lib. 1. quæst. 5. num. 13. Farin. de falsitate quæst. 150. numer. 33. & 168. Rota decis. 410. nu. finali par. 9. rec.*; Vel saltèm resultat vehemens præsumptio satisfactionis, cuius ratione creditor recusat exhibere scripturam sui debiti probatoriam, dum potissimè alia species probationis erat debilis, ob inuerisimilem negligentiam in ea non benè custodienda.

Istaque præsumptio magnum quoque fomentũ recipiebat à longæuo silentio, quod iuxtà secundum punctum deducebatur pro amissione actionis aduersus fideiussorem; Vbi enim negligentia non esset talis, quod istum effectum pareret, 5 adhùc tamen illa videbatur satis considerabilis in ordine ad præsumendam satisfactionem, iuxtà deducta *apud Surd. decis. 105. Merlin. decis. 124.*, ac frequenter *hoc tit.* ad materiam solutionis præsumptæ; Licèt enim quælibet ex his præsumptionibus, vna scilicèt resultans à diuturno silentio satis inuerisimili in viro diligentissimo, aduersus fideiussorem idoneum, & facilis exactionis; Et altera resultans à dicta non exhibitione, ac allegata amissione scripturæ, non sufficeret, nihilominus ambo insimul vnitæ satis considerabiles videbantur, itaùt, vt dictum est, ex isto capite grauamen adesse videretur.

Quoverò ad secundum punctum cessantis actionis aduersus fideiussorem ratione negligentiæ; Qaamuis more Aduocati deducerem conclusionem in abstracto veram, quoties talis culposa ne- 6 gligentia concurrat, quod illa sit applicabilis, vt scilicèt creditor negligens agere, ac suum creditum recuperare à principali debitore idoneo, repellatur ab agendo contra fideiussorem, postquam debitor mutauit statum, ex ea clara ratione, quod non debet eius negligentia obesse, dum fideiussor præsertim sub dicta expressa conditione obligatus, videns creditoris silentium aliàs inuerisimile, iustè credere potuit debiti satisfactionẽ, atq; si pulsatus fuisset, ipse pulsasset principalem debitorem tunc idoneum, vndè consuluisset eius indemnitati, qua ex negligentia creditoris aliàs priuatus remaneret ad *text. in l. fideiussores in id ff. de fideiussor.* vbi DD., de quibus *apud Rouit. decis. 43. num. 11. Cyriac. controu. 103. nu. 28. Rota apud Royas decis. 168. num. 15. & decis. 212.*

Attamen facti circumstantiæ non assistebant, ideoque quoad hunc punctum, reflectẽdo ad veritatem, videbatur, quod iustè nulla de eo habita fuisset ratio,

quo-

quoniam licèt per aliquod tempus, principalis debitor post sequutam excarcerationem, in Vrbe moram traxisset, nihilominùs iustificabatur, quod penè semper ipse latitasset, quodque immutatio status de tempore, quo fideiussor pulsabatur, militaret etiam de tempore tunc proximo, vndè propterea cessabat ratio conclusionis.

Demum quoad tertium, licèt magna habita fuerit disputatio super puncto iuris in genere, àn scilicèt, & quãdò fideiussor de repræsentando liberetur per mortẽ principalis repręsentandi, seù ob aliud subsequutum impedimentum, ob quod actus repræsentationis redderetur impossibilis; Nihilominus dicta disputatio inanis videbatur ob defectum applicationis ad factum, dum non probabatur ex parte fideiussoris mors, vel aliud impedimentum, quod erat fundamentũ suæ exceptionis cum iustitia proindè rejectæ; Ideoq; in dies edocemur quantum deferendum sit Cõsulentibus, qui ad causæ seruitium, & clientis oportunitatem, vel ingenij ostentationem, multa deducunt parùm subsistentia.

Quatenùs verò pertinet ad hunc punctum in genere, àn scilicèt, & quando fideiussor de repræsentando, per mortem vel aliud principalis impedimentum liberetur; Resolutio pendet à puncto moræ, qua concurrente fideiussor non excusatur, vt è conuersò liberationem obtineat *ad text. in l. si decesserit ff. qui satisdare cogantur, & l. sancimus Cod. de fideiussor.*, atque ità distinguendo firmant cõmuniter scribentes collecti *per Farin. de carceribus quæst. 34. nu. 34. & sequen.*, & tanquam absolutum præsupponitur apud inferius allegandos, ac alios tractãtes quæstionem incursus moræ ob solum lapsum temporis, iuxtà terminos *text. in l. magnam Cod. de contraben. & cõmitten. stipulatione*, vel potius necessaria sit noua interpellatio, itaùt sola dies non sufficiat.

In huiusmodi autem quæstione, scribentes pro actore, potissimum fundamẽtum constituebant in auctoritate *Cacheran. decis. 48.* aliàs *49. cum ibi deductis*, & quam decisionẽ recensẽt etiam *Farin. dicta quæst. 34. nu. 133.*; Verùm scribens pro fideiussore (cũ sensu etiam veritatis) contrarium dicebam probabilius, attentis præsertim facti circumstantijs; Tum quia magis communis in contrarium videtur, vbi præsertim non agatur de obligatione iudiciali, in qua aliqua maior viget difficultas, sed de extraiudiciali, in qua magis communiter receptum est ad moram incurrendam interpellationem requiri, vt ex *Ipol. de Marsilijs*, qui videtur in materia fideiussoria magister *in tract. de fideiussor. quæst. 18. num. 144. & sequen.* cæteris allegatis firmant *Mantic. de tacit. lib. 16. tit. 20. num. 11. Gabr. conf. 173 num. 5. & sequen. lib. 2. Valasc. de priuil. pauperum quæst. 35. num. 8. Muscatell. in pract. fideiuss. modo 5. num. 1.*, & *sentit etiam Rota decis. 11. num. 4. & 5. par. 2. diuers.*

Tum etiam quia cõtraria opinio procedit, quoties fideiussioni accedat iuramentum, quod arctius ligat, atque vim
10 interpellationis habet, atque istud est prẽcipuum fundamentũ *Cacherani*, ideoque quicquid sit de huius assumpti veritate, dum apud allegatos etiam isto casu præsertim in extraiudicialibus, magis communis videtur in contrarium, ex eo quod iuramentum eamdem cõditionem habere videtur, qualem habet ipsa obligatio, cessabat applicatio ad casum, dum promissio erat per simplicem apocam nõ iuratam.

Omnemque difficultatem in proposito remouebat illa circumdãta, quod nõ agebatur de obligatione de repręsentando simpliciter intrà certum terminum
11 facta, sed sub expressa conditione, quatenus scilicèt infrà statutum terminum principalis debitor non solueret, quæ conditio perneceſsè exigit nouam interpellationem, per quam obligatus sciat suę obligationis casum euenisse, cum aliàs contrarium probabiliter credere potuerit, vt in proposito habetur *dec. 224. par. 9.*, & *decis. 346. par. 10. rec.*

In vna verò Reatina pecuniaria pro Vecchiarellis cum M. Aurelio Carosio disputata coram A.C., cõcurrebat interpellatio dicti Carosij fideiussoris ad repræsentãdum debitorem iam viuentem,
12 qui post tres menses obierat, vndè non dubitabatur, quod mors sequuta esset post moram incursam tàm ex die, quàm ob interpellationem, sed fideiussoris exceptio erat in eiusdẽ principalis repræsentandi infirmitate, tunc non allegata,

nec probata, ideoque non excusabat ab incursu contumaciæ, vt ex *Blantio, Bossio, Claro, & aljs Farinac. in prax. quæst.* 11. *num.* 59. *& 60.*, vbi quod infirmitate non allegata, nec probata, rectè Iudex in contumaciam procedit ad vlteriora; Et licèt illi loquantur in criminalibus, & ad effectum pœnarum cõtumacialium, attamen eadem, imò maior viget ratio in ciuilibus, cum facilius admittatur excusatio pœnarum.

Est, benè verũ, quod vbi ex post iustificata esset grauis infirmitas, ob quam de recenti sequuta esset mors, agnoscebam scribens pro Vecchiarellis creditoribus, quod hic esset nimius rigor, sed punctus erat in eo, quod mors sequuta fuerat post notabile interuallum trium mensium; Si enim de tempore interpellationis, infirmitas allegata fuisset, ac etiam iustifi-
13 cata cum medicorum attestationibus, tunc integrum fuisset creditoribus mittere alios medicos, ac suas facere diligẽtias, an illa esset vera, & talis, quod impediret regressum ad carceres, cum sæpius, vt praxis docet, huiusmodi attestationes fieri soleant ad complacẽtiam, atque nisi infirmitas fuisset talis, quod impedire potuisset regressum ad carceres, quia nempè tunc esset læuis, ac potius initium futuræ grauioris, ex qua mors resultauit, ipse debitor ad effugiendam reuersionẽ ad carceres, curasset satisfactionem, seù aliàs eorum indemnitati cõsuluissent creditores, qui ignari dictæ infirmitatis, vtpotè non oppositæ, nec probatę post moram à fideiussore contractam, aliud non curarunt, confisi de iuris dispositione, quod etiã subsequens debitoris mors, fideiussoris obligationem non soluisset, atque ità (si memoria non fallit) iudicatum fuit, seù per concordiam controuersia sopita.

In eodem proposito fideiussionis de repræsentando *in vna Recanaten. indemnitatis pro Mario Massuccio cum N. Lecchio*, disputata coram A. C. actum fuit, an fideiussor de repræsentando principalem debitorem in carceribus in termi-
14 no 15. dierum, vel eo non redeunte, soluere debitũ, post lapsum termini admittendus esset ad moræ purgationem, illum repræsentando, vt ità effugeret alteram suæ obligationis alternatiuam partem de soluendo; Et quamuis scribens pro Massuccio creditore, procedendo cum distinctione tradita *per Marin. resol.* 133. *lib.* 1. inter fideiussionem conuentionalẽ, ac prætoriam, seù iudicialem continentem pœnam, vt hoc secundo casu moræ purgatio admittenda sit, secùs autem in primo ad notata per DD. *in l. Insulam ff. de verb. signif.*; Nihilominus, reflectendo ad veritatem, considerabam istã esse quæstionem potiùs facti, iuxtà singulorũ casuum particulares circumstãtias decidendam, etiam in ciuilibus, & in fideiussione conuentionali; Aut enim moræ purgatio offertur re integra, itaùt ius creditoris nullatenus effectum sit deterius, quia nempè debitoris conditio in nihilo immutata, seù alterata sit, proindeq; nil interfit iftius reditum ad carceres vno, vel altero tempore sequutum esse, & tunc moræ purgationi locus esse debeat ex triplici ratione; Primò, vt de canonica æquitate admitti debeat illa moræ purgatio, quæ re integra offertur, quandò ius creditoris effectum non est deterius, vt frequẽter habetur in materia emphyteotica; Secundò in idem, quod adimplementum infrà certum tempus præstandum, etiam post illud præstari potest, quando nil interest ei, cui præstandum est vno, vel altero tempore sequi, vt plenè *Rouit. decis.* 53.; Et tertiò quod hodiè de canonica æquitate non exigitur pœna conuentionalis vltrà id, quod interest ex deductis pluries *hoc titulo, & sub altero de Regal., & altero de Locatione, & alibi*, vndè si ob non implementum statuta, die fideiussor cogeretur effici debitor alieni debiti, diceretur ità incurrere pœnam conuentionalem ob actum, quem nil interest vna vel altera die impletum esse; Secùs autem econuersò in altero casu, in quo ex mora effectum esset ius creditoris deterius, quia nempè si statuto tempore debitor ad carceres redijsset, sequi verisimiliter potuisset debiti satisfactio, deindè ob aliquam immutationem status debitoris impedita, seù aliàs difficilior effecta; Ideoq; totũ remittendum videtur prudentis Iudicis arbitrio ex breuitate temporis, alijsque facti circumstantijs regulando, an scilicèt creditoris interfit, eiusque ius deterius effectum sit, nec nè.

CA-

CAMERINEN.

PECVNIARIA

PRO

MARCO VIGNATO

CVM N. N.

Casus disputatus coram A. C., sub incerto exitu.

An fideiussor, qui totum debitum soluit creditori, reportata iurium cessione in vim obligationis insolidum, agere valeat contra vnum, vel aliquos ex pluribus confideiussoribus ad totum debitũ, vel solùm agat contra quemlibet pro virili; Et quid vbi non sint confideiussores, sed correi; Et quæ differentia sit inter confideiussores, & correos, atq; inter casum, in quo adsit cessio creditoris, & casum, in quo, non existente cessione, agatur ex beneficio diuisionis de iure competente.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione, àn correus, qui totum soluit, agat contrà vnum ex pluribus insolidum.*
3 *De pluribus ciuibus obligatis pro Communitate.*
4 *De distinctione, àn agatur ex sola dispositione iuris, vel ex iure cesso creditoris.*
5 *De distinctione, in quæstione, de qua num. 2.*
6 *Quod correus cessionarius creditoris, non possit exigere totum, non detracta virili.*
7 *Rectè autem agit contra vnum insolidum detracta virili.*
8 *Reijcitur distinctio inter correos, & confideiussores.*
9 *Obligati pro tertio, quoad creditorem sint principales debitores, sed inter se sunt confideiussores.*
10 *An Bulla Baronum habeat locum in debitis fideiussorijs.*
11 *De æquitate seruanda in conclusione, de qua num. 7.*
12 *Quando correus agat ad totum contra correum, non detracta virili.*

DISC. XCV.

1 PRO debito contracto pro indigentijs Communitatis, plures ciues (vt frequenter contingit) ad fauorem creditoris in solidum se obligarunt; Cumque eorum vnus, totũ debitum soluisset, reportata à creditore cessione iurium contrà alios, eiusque vigore coram A. C. pro toto debito ageret contra illum coobligatum, qui tanquam Communitatis administrator, pecuniam habuerat, ad effectum eam erogandi in vsus, pro quibus debitum contractum fuerat; De duobus excipiebat Reus conuentus; Primò scilicèt, quod cum ipsi æqualiter, & principaliter, ac in solidum, se obligassent, ità dicendi essent potiùs correi debendi, quàm confideiussores, et consequenter, quod diuisionis beneficium à lege inter confideiussores inductum, in proposito non intraret, dum ità dici poterant correi debendi ex causa lucratiua, seù ex nõ correspectiua, dum pecunia ad eorum vtilitatem versa non erat, sed correos se constituerant in gratiam tertij, nempè Communitatis; Et secundò quod vbi etiã dicendi venirent confideiussores ex dicto beneficio diuisionis, adhùc tamen ad solam virilem quilibet conueniri poterat non autem vnus insolidum.

Assumpta igitur desuper disputatione; Scribentes pro Reo conuento plenè reassumebant quæstionem, quæ *ex Bart.* 2 *Bald.*, alijsquè antiquioribus tractata habetur *apud Thesaur. dec. 191. Capyc. Latr. decis. 32., Cenc. de cens. quæst. 71. Olea de cess. iur. tit. 5. quæst. 5. Rot. apud Gregor. decis. 190.*, àn scilicèt, & quando inter correos, vbi præsertim non sint ex causa correspectiua, quia nempè nihil ad eorũ manus peruenerit ex causa, pro qua obligati sunt, intret necnè, beneficiũ diuisionis, & àn correus contra correum agat.

Et in ſpecialibus terminis plurium, & obligatorum pro debito Communitatiuo, habetur *per Rotam apud Buratt. deciſ. 751. & deciſ. 487. par. 5. rec., & deciſ. 24.* 3 *poſt Merlin. de pignor.*, quæ tres deciſiones prodierunt in eadem cauſa, reaſſumendo varietatem opinionum *Bar.*, *& Bald.*, ac diſtinctiones ibi inſinuatas præſertim *apud Buratt.*, *& Add. dicta deciſione 751.*

Scribens Ego pro actore, dicebam id continere inanem laborem ſuperfluamque euagationem, quæ pro Curiæ commẽdabili ſtylo (quẽuis corrumpi cæpto) omninò abhorrenda eſt; Iſta ſiquidem quæſtio cadit, quando correus contra correum agere velit ex ſola diſpoſitione 4 iuris, atquè tunc intrant diſtinctiones inter correos ex cauſa onerosa, & lucratiua, ac aliàs apud allegatos deductæ; Secùs autem in hac facti ſpecie, in qua coobligatus, ſiuè illum dicamus correũ, ſiuè confideiuſſorem, non agebat ex perſona propria, exercendo illam actionem, quæ ex diſpoſitione legis, ac diuiſionis beneficio reſultat, ſed agebat iure ceſſo tanquam repræſentans perſonam, ac iura creditoris, cuius ceſſionarius dicitur procurator in rem propriam, ac tanquam tertius independenter à qualitate correi, vel confideiuſſoris.

Ideoque dicta quæſtio, ac auctoritates de illa agentes, extraneæ remanebant à controuerſiæ caſu, in quo propriè cadebat altera quæſtio, in qua plerique ex noſtris nimiũ ſe inuoluunt, vndè propterea 5 aliqui eam inuolutam appellare ſolent, an ſcilicèt vnus ex pluribus correis in ſolidum obligatis, qui totum ſoluendo ceſſionem iurium à dimiſſo creditore reportauit, agere valeat contrà vnũ vel aliquos tantũ ad totũ in vim dictæ obligationis in ſolidum; Iſta verò quæſtio, quã aliqui (cõfundendo caſus) inuoluunt, plana hodie videtur illam in duas inſpectiones diſtinguendo; Primò ſcilicèt vbi iſte correus, qui iure ceſſo agit tanquam tertius, ac repræſentando perſonam cedentis, exercere intendit contra aliquem ex correis actionem in ſolidum pro toto debito, abſque detractione propriæ virilis; Et ſecundo vbi facta iſta detractione, reliquum ab vno, vel aliquibus tantũ exigere velit, qui offerant propriam virilem, inſtando, vt contra alios ad euitandum circuitum diſtributiuè, ac prò rata agatur.

In primo caſu; Quamuis in ſtricta iuris cenſura, procedendo cum illa ideali, ſeù intellectuali diſtinctione plurium perſonarum formalium in eadem perſo- 6 na materiali, nonnulli præſertim antiquiores, affirmatiuam teneant, quaſi quod ceſſionarius, ità cenſeatur homo omninò diuerſus à correo, ſeù confideiuſſore, repræſentando perſonam creditoris cedentis, atque apud ſcholaſticos, cum ſummis apicibus procedere ſolitos, iſta fortè verior habeatur; In foro tamen contraria omninò recepta eſt, vt ſcilicèt, vel ex regula *dolo facis &c.*, vel ex inanis circuitus prohibitione, agere non poſſit ad totum, ſed teneatur propriam virilem detrahere, vt cæteris relatis plenè habetur *apud Cenc. dicta quæſt. 71. poſt num. 4.* et firmauit pluries *Rota* ex relatis *per Add. ad Gregor. dicta deciſ. 190.*, *& per Cenc. loco proximè alleg.*, atque hoc iure viuitur.

In altero autem, in quò actor, dicta circuitus exceptione non expectata, propriam detrahat virilem, pro reliquis autem nolit diſtributiuè cõtra omnes agere, ſed ab vno, vel aliquibus totum eligat 7 recuperare; Et tunc pariter receptum eſt, vt id ſibi liceat, neque intret obligatio diuiſionis, ex dicta ratione, quod non agat tanquã correus, vel confideiuſſor ex diuiſionis beneficio à lege tributo, ſed tanquam ceſſionarius repræſentans perſonam cedentis; Quemadmodum enim ſi ipſe principalis creditor ageret contra vnum in ſolidum, ſiuè alter extraneus ceſſionarius, ille, qui conuenitur, cõquæri non poſſet, ità vnus ex correis, vel confideiuſſoribus eſſe non debet deterioris conditionis, quàm ſit quilibet extraneus ex deductis *per Cenc. dicta quæſt. 71. num. 2. & 4. Olea dicto tit. 5. quæſt. 5. Rota apud Gregor. dicta deciſ. 190.*; Et benè in his terminis præciſis plurium coobligatorum pro Communitate *dicta deciſ. 24. numer. 10. cum ſeqq. poſt Merlin. de Pign.*

Et quamuis aliqui in hoc propoſito diſtinguant inter confideiuſſores, & correos, deducendo in id præſertim auctori- 8 tatem *Ronchegal. in l. Reos ff. de duobus reis num. 56.*; Contrarium tamen eſt verius, etiamſi de correis agatur, dum de-

ipſis

ipſis loquitur etiam *Bart. in l. Modeſtinus num. 10. ff. de ſolut.*, & ſequuntur cæteri præſertim *Parlador. lib. 2. var. cap fin. §. 6. Felician. de cenſib. lib. 3. cap. 2. num. 16.*; Idemq; verè ſentit *Ronchegal. vbi ſupra*, quamuis ex errore impreſſoris contrarium dicere videatur, dum ad eius dicti comprobationem allegat *Alexandrum conſ. 38. in fin. lib. 5.*, qui hanc opinionem tenet, illaque recepta videtur.

Et quidem merito, quoniam excepto caſu correorum ex cauſa merè lucratiua, de quo agitur apud ſupra initio allegatos, atq; particulariter diſputare occaſio adhùc non dedit; Quatenus pertinet ad
9 plures, qui pro tertio ſe principales debitores conſtituunt, atque ſe correos debendi faciunt, vt frequenter contingit in huiuſmodi obligationibus pluriũ ciuium pro Communitate, ſeù in obligatione aliquorum collegialium pro Collegio, cum ſimilibus, quamuis quoad creditorẽ ſint verè correi, ac principales debitores, eo quia creditor, omnium ipſorum, ac ſingulorum coæqualiter fidem ſequutus eſt, non curando, àn magis in cauſam vnius, quàm in cauſam alterius, debitum contrahatur, vt habetur etiam plenè actum *ſub titulo de Feud. ad materiam Bullæ Baronum diſc. 100. & ſeqq.*, occaſione agendi de puncto, ſeù quæſtione, àn dicta Bulla locum habeat in debitis verè alienis, ac fideiuſſorijs, pro quibus Baro tanquam principalis principaliter, & in ſolidum ſe obligauerit; Attamen inter ſe ipſos, ſolus principalis debitor, vel reus debendi, eſt Communitas, vel alter, pro quo ſe obligarunt, ipſi verò ſunt fideiuſſores, vt in ſpecie aduertitur *dicta deciſione 24. num. 10. cum ſeqq. poſt Merlin. de pign.*

Benè verum, quod in huiuſmodi quæſtione (quàm nimium frequenter diſputati), quod ſcilicèt vnus ex confideiuſſori-
11 bus, vel correis, detracta propria virili contra vnum, vel aliquos tantum ad ſolidum agat, quandoque pro facti qualitate in praxi obtinui ſeruari illam æquitatem, quæ in præcedentibus ad euitandũ inanes circuitus, inſinuata habetur circa auocationem pecuniæ ſolutæ poſteriori cum cautione de reſtituendo &c., quod ſcilicèt, quamuis anterior non teneatur ſeruare ordinem, atque vltimum excutere, ſed habeat electionem auocandi etiam ab intermedio, contrà quem mandatum decernitur, attamen ſuperſedetur in relaxatione, ſeù conſumatione, vt intermedius pulſatus cogat vltimũ, qui ſit pariter facilis, ac promptæ exactionis, atque ita vnicus ſequatur auocationis actus, vel effectus cũ potiùs ita ſugerat æquitas per cuius exercitium, primi creditoris deterior conditio nõ efficiatur iuxtà generalem regulam, quàm in materia æquitatiua habemus in propoſito purgationis moræ cum ſimilibus.

In hac verò facti ſpecie, ob eius particulares circumſtantias, dicebam non improbabiliter practicari debere ſupra in-
12 ſinuatam rigoroſam opinionem, de qua in primo caſu, vt ſcilicèt correus veniens iure ceſſo, neque detracta propria virili ad totum agere poſſet ex eo, quod ille, contra quem agebat, pecuniam receperat, quoties *incontinenti* non doceret de illius erogatione, quodque non haberet in manibus, cum tunc ceſſare dicatur illa æquitas, vel ratio inanis circuitus, ob quam propriam virilem detrahere tenetur, quod conſiſtebat in nudo facto, ideoque incertum eſt quid ſequutum ſit.

ROMANA

SOCIETATIS OFFICII

PRO

MARCHIONE TIBERIO ASTALLIO

CVM

HÆREDIBVS SEBASTIANI CIVCCI.

Caſus diſputatus corã A. C. ſub incerto exitu puto per concordiam ſopitus.

De obligatione fideiuſſoris reſtricta intrà certũ tempus, àn iſtud adiectum

ctum censeatur causa extinguendæ obligationis; Et quid de eadem obligatione concepta sub conditione diligentiarum prius adhibendarum per creditorem contra principalem debitorem, quando ista conditio impleta dicatur, vt contrà fideiussorem agi valeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Obligatio conditionalis non afficit non probata conditione.*
3 *An terminus censeatur adiectus causa terminandi, vel differendi obligationem.*
4 *In claris non intrant quæstiones.*
5 *Quid requiratur, vt diligentiæ dicantur benè factæ.*
6 & 7 *De eodem.*
8 *Vna determinatio respiciens plura determinabilia, debet omnia pariformiter determinare.*
9 *An, & quomodo præfinitio termini in hac materia attendatur.*

DISC. XCVI.

1 MArcellus, & Ioannes Petrus fratres de Filonardis, de anno 1647. acceperunt à Sebastiano Ciuccio scuta 1010. ad societatem officij, sub accessione Marchionis Tiberij Astallij, sub duplici conditione se obligantis; Primò quod societas prædicta disdici deberet per creditorem antè lapsum biennij, ad quod tantum obligatus esse voluit, & nō vltrà; Et secundò quod antequam contra eum agi posset, diligentiæ adhiberi deberent contra principales debitores; Cumque facta disdicta infrà biennium, creditor mandatum exequntiuum obtinuisset de anno 1650., illudque tradidisset cuidam executori referenti, quod ob quasdam inhibitiones illud exequi non potuerat in bonis dictorū debitorū existentibus in Oppido Baucli; Hinc post silentiū annorū 15., & sic de anno 1665., præfati creditoris hæredes, iudicium instituerunt coram A. C. contra prætum Marchionem fideiussorem, pro quo scribens dicebam, vt probabilius pro eius absolutoria respondendum esset, ob suæ
2 obligationis conditiones non purificatas seù impletas, cum de iure non dubitetur, obligationem conditionalem non afficere, nequè experibilem actionem producere, nisi ex parte agentis doceatur de conditionis implemento, seù purificatione, iuxtà propositiones deductas in decisionibus, de quibus *supra disc.* 93., vbi dixi quod sint vulgares, ac præsupponendæ.

Dicebāt scribētes pro actoribus quod de huiusmodi purificatione satis doceretur, eo ipso, quod docebatur disdictā infrà biennium factum esse, quasi quod altera conditio diligentiarum concepta esset in euentum, in quem dicta disdicta,
3 statuto tempore non fieret; Verùm huiusmodi assumptum cōtinebat fallaciam manifestam per Iudicem etiam agnitam, quoniam vbi dicta prior conditio infrà statutum tempus impleta nō esset, certum erat, vt quæcumque fideiussoris obligatio expirasset; Quidquid enim sit de quæstione, quæ potiùs facti, quā iuris esse videtur, àn scilicèt tempus obligationi adiectum censeatur causa differendi, vel potiùs extinguēdi obligationem, vbi agitur de principali stipulatore; Attamē vbi agitur de fideiussore, tunc nisi facti circumstantiæ aliud suadeant, in dubio præsumptio est, vt potiùs gratia extinguendi, seù terminandi obligationem tēpus adiectum sit *ad text. in l. fideiussor §. finali ff. mandati, vbi glos. & scri. benes*, de quibus *Mantic. de tacit. lib. 16 tit. 21. num. 1. & 2. Enrig. de fideiussor. cap. 20. §. 1. num. 1. cum seqq. Rot. decis. 11. num. 8. par. 2. diuers.*

Clarius verò in hac facti specie, in qua, cum ageretur de societate ad certū tempus inita, sub pacto, vt nō facta intrà statutum terminum disdicta, censeretur renouata, seù continuata; Hinc sequebatur, vt non disdicendo, occultari dicebatur noua societas, pro qua fideiussor
3 in prima præstitus non tenetur ad notat. *in l. si cum ermes Cod. Locati*, in proposito fideiussoris conductoris non obligati pro reconductione, et de quo in sua materia *sub tit. de Locat. & Conduct. disc. 36.*; Omnisque iuris quæstio cessabat circa ipsius fideiussoris liberationem

tali

tali casu sequendam, dum verba contractus erant clara, ideoque intrabat vulgaris regula *text. in l. ille, aut ille ff. de legat. 3.*, quam non dubitatur etiam in contractibus, aliisque actibus inter viuos, locum habere, vt plenè *per Rot. dacis. 44. num. 14. par. 11. rec.*, & sæpiùs; Et sic, vbi disdicta facta non esset, nil prorsùs intererat fideiussoris, an essent adhibitę, nec nè diligẽtiæ cõtra debitores, dum eius obligatio, ità soluta remansisset, ac ipse exijsset de scæna, ideoquè omninò certum erat, vt secunda conditio diligentiarum esset accessoria, & consequutiua primæ, quatenus scilicèt disdicta statuto tempore facta esset. 4

Dupliciter autem dicebam (etiam cum aliquo sensu veritatis) quod dicta cõditio impleta non esset; Primò quia diligentiæ, quæ ex parte actorum ostendebantur per simplicem obtentionem mandati exequutiui, non sufficiebant, cum ad effectum diligẽtiarum, & excussionis requiratur deputatio duorũ exequutorum, ac etiam citatio ipsius fideiussoris, qui tunc monitus indicasset bona debitorum, atq; insinuasset modum, quo mediante, debiti satisfactio sequi potuisset, vt cæteris allegatis plenè firmatur *per Rot. apud Royas decis. 168. n. 12. cum sequen., & decis. 212. nu. 8. & 13. cum sequen.*, & quæ decisiones præsertim vltima, videntur in materia magistrales. 5

Et secundo quia relatio exequutoris restricta erat ad bona Ioãnis Petri tantũ, atq; in vno solo loco, ideoq; diligentiæ erant dupliciter defectiuæ, tàm in locis, quàm in personis, dum nullæ adhibitæ fuerant contra Marcellum correũ insolidum, neq; super bonis alibi existentibus. 6

Atquè si dicta diligentiarum, seù excussionis forma requiritur, vbi illa præcedere debet ex sola iuris dispositione iuxtà terminos *text. in auth. præsente Cod. de fideiussor. cum cõcord.*; Multò magis, vbi expresè in pactum deducta est, ex certo iuris principio, vt partium conuentio, circa ea, quæ de iure disposita sunt, magis operatiua esse debeat, vt aliquid iuris dispositioni addat, ad fatuitatem euitandã. 7

Concurrebat etiam motiuum nimiæ negligentiæ comprobatæ ex silentio annorum 15. & vltrà, vndè propterea locus esse quoque videbatur conclusioni, de qua *in proximè allegatis decisionibus corã Royas, & suprà dis. 94.*, vt creditori nimiũ negligenti, actio non competat aduersus fideiussorem non morosum post immutatam debitoris conditionem.

Prætendebat etiam scribeus in facto pro hac parte, conditionem diligentiarũ restrictam quoque esse ad eumdem biennij terminum, vndè propterea dicebat, vt neque illæ diligentiæ, quæ ex parte creditoris iustificabantur, proficerent, quãuis iuxtà debitã formam factæ essent vtpotè extrà terminum, qui per eumdem sermonem vtrique casui, seù conditioni præscriptus videbatur; Atque ego more Aduocati, confouebam motiuum cum regulis, seù axiomatibus generalibus circa orationis vnitatem, ac etiam circa regulam, quod vna determinatio respiciens plura determinabilia, omnia pariformiter determinare debet, implendo chartas cum illis superfluis allegationibus, cum quibus Consulentes, ignarum vulgus decipiunt. 8

Verùm motiuũ nullã habebat subsistẽtiã, quoniã si creditor vsque ad vltimam diẽ biennij differre poterat dictæ primæ conditionis implementum, hinc proindè improbabile erat dicere, vt intrà eumdẽ terminũ diligentiæ pro exactione adhiberi debuissent, cũ post disdictam adhuc plurium dierum, & quandoque mensium interuallum requiratur, vt obtineatur mandatum exequibile, sine quo nullæ diligentiæ adhiberi possunt; Credebam tamen, (reflectendo etiam ad veritatem), quod licèt non adesset dicta restrictio; Nihilominus respectu etiam dictæ alterius conditionis, illa intelligenda esset infrà breuem terminũ arbitrio boni viri, spectata subsistãtia voluntatis fideiussoris, seù attenta ratione, ob quã ipse dictas diligentias adhiberi voluit, vt scilicèt ità infrà breue tẽpus pulsatus, suæ indemnitati consulere possit aduersus principales debitores de tempore recẽti, & priusquam eorum conditio notabiliter deterioraretur, vt infrà dictum notabile spatium annorum 15. sequutum erat. 9

CIVITATIS CASTELLI CENSVS PRO SEBASTIANO PANDOTIO, & IOANNE ANDREA ALOYSIO CVM LONGINO DE LONGINIS, & CONSORTIBVS.

Casus disputatus in Signatura sub incerto exitu.

De Statuto tribuente fideiussori actionem petendi exemptionem ab obligatione, àn, & quando locum non habeat; Et quomodo quis dicatur fideiussor, vel respectiuè principalis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De Statuto concedente fideiussori potestatẽ petendi exemptionem ab obligatione.*
3 *Idem in Vrbe.*
4 *Statuta in casibus omissis non attenduntur.*
5 *Quando dicantur correi, vel confideiussores.*
6 *Statuta de quibus num. 2. & 3. non procedunt in censu.*

DISC. XCVII.

1 CVM essent Abundantierij, seù Præfecti Annonæ Ciuitatis Castelli in anno 1664. Io. Andreas, & Sebastianus; Stãte necessitate prouidẽdi de frumẽto, arq; stãte carentia pecuniæ ad id necessariæ, Consiliarij, seù Deputati, qui eiusdem Annonæ congregationem constituebant determinarunt, vt accipi deberent scut. 4000. ad censum, ad quem effectum dicti Consiliarij dederunt mandatum eisdem Io. Andreæ, & Sebastiano, qui super eorũ bonis imposuerunt censum scut. 120. prò sorte principali bis mille, quæ in ipso actu soluta fuerunt eiusdem Annonæ depositario, seù capserio, promittentes eiusdẽ annonæ nomine, soluere fructus, ac renouare fideiussores, dictæque obligationi ijdem Io. Andreas, & Sebastianus tanquam procuratores dictorum deputatorum accesserunt, promittentes ijdem, eosdem deputatos vt supra accedentes releuare indemnes; Post aliquos autem annos, Longinus, & cæteri Consiliarij seù Deputati vt supra obligati, absquè eo quod molestias aliquas reciperent à creditore, qui integrè, ac punctualiter de fructibus erat satisfactus, pulsarunt dictos Io. Andream, & Sebastianum tanquã principales ad eos eximendum ab obligatione, freti eiusdem Ciuitatis Statuto
2 disponente, quod si aliquis fideiusserit prò aliquo, petere valeat quandocumque à fideiussione, vel obligatione extrahi, etiam antequam molestias, vel damnum aliquod patiatur, cuius statuti vigore, dictæ Ciuitatis Gubernator mandatum executiuum relaxauit, à quo interposita appellatione ad A. C., prætendentibus actoribus moderationem inhibitionis, incertum est, àn concessam, vel denegatam, per vnam, vel alteram partem adita fuit Signatura, in qua assumptus fui ad scribendum pro reis conuentis.

In hac disputatione dicebam, vt non obstante dicto Statuto claro, iniustum videretur mandatum prædictum, quoniam debitum, de quo agebatur, contractum non erat in causam dictorum reorum, quorum gratia, seù intuitu, dicti fideiussores accessisse dicerentur, (qualis est propriè casus Statuti similitudinem
3 habentis cum illo Vrbis idẽ disponente) Quoniam agebatur de credito contracto nomine, ac prò seruitio Annonæ per omnes pariformiter tanquam eiusdem officiales; Dictos scilicèt reos tanquam Abundanserios, actores autem tanquam Consiliarios, Et sic omnes quoad creditores erant pariformiter principales correi, stante obligatione in solidum, & quoad principalem debitorẽ omnes erant æqualiter confideiussores, inter quos Statutum non disponit huiusmodi

modi actionis cõpetẽtiũ, vndè propterea dicebam, quod iste censendus erat casus
4 omissus à statuto, regulandus proindè à iure communi, non autem ab eodem statuto, cuius natura est non capere, nisi casus expressos, ac litterales ad communiter not. *in l. commodissimè ff. de liber. & posthum.*, ac habetur sæpius in materia statutorum præsertim *sub tit. de Successionibus*, vbi frequentius huius materiæ sedes esse solet.

Et quamuis attento cortice, seù figura verborum instrumenti, dicti Rei conuenti viderentur principales, dũ se obligauerant fideiussores releuare, Nihilominus attenta substantia veritatis potiùs attendenda, magis principales videbantur actores, qui tanquam Consiliarij, seù
5 Deputati mandatum dederant Reis conuentis qui potiùs erant ministri, seù executores eorum voluntatis, vndè propterea durum dicebam, vt pro debito quod Ego de alterius mandato pro tertio cõtraxi, ab eodem mandante molestari debeam; Cumq; esset debitũ Annonæ à prædictis omnibus administratæ, hinc videbatur intrare clarum dilemma, quod Aut cũ effectibus eiusdẽ annonę erat cautum, aut non; Si erat cautum, vtiq; calumniosæ, ac indebitæ erant molestiæ, dum ità indemnitati consultum remanebat, atq; hæc sufficere videbatur loco alterius cautionis, qua contentatur consimile Statutum Vrbis; Aut non erat consultum, et tunc omnes Administratores, qui pariformiter debitum contraxerant, æqualiter tenebatur pati damnum, cum omniũ esset æqualis culpa *ad not. in l. fin. Cod. de magistrat. conuenien.*, *cum concordan.*, et consequenter iniustæ remanebant molestiæ.

Potissimè verò quoniam non agebatur de debito repetibili, sed de censu, cuius sors dicitur demortua, & irrepetibilis, vndè propterea impracticabilis est huiusmodi statutaria dispositio, per quã indirectè debitor inuitus cogeretur censum extinguere contra expressam dispositionem Bullæ Pianæ, cui de facili
6 fraus fieri posset, cum creditor volens habere sortem ad sui mandatum repetibilem, ità supponere posset suum manualem fideiussorem, sub cuius nomine, debitorem, ità vrgeret, vt in specialibus terminis consimilis statuti Vrbis, vt non procedat in contractu censuali habetur *apud Duran. decis. 27. & 75., & in alijs congestis per Add. ad Buratt. decis. 880. num. 7., & in Anconitana census 16. Iunij 1632. coram Pirouano*; Non potuit autem in ista causa efformari maturum iudicium super veritate, dum ignotum est quid in contrarium ex parte actorum deduceretur, Atq; Ego scripsi solùm iuxtà præsuppositа facta per causæ Patronum huius partis, ignotusq; est causæ exitus.

ROMANA

MORATORIÆ

PRO

SEBASTIANO PASQVETTO

CVM

PRINCIPE PRÆNESTRINORVM.

Casus disputatus coram A. C., postea concordatus.

Fideiussor de repræsentando, àn excusetur ob moratoriam à Principe principali debitori concessam; Et àn idem fideiussor liberetur, si ex facto creditoris, vel Iudicis, principalis debitor aufugiat, seù alias mutauerit statum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An moratoria data debitori, prosit fideiussori distinguitur.*
3 *Hodie veri fideiussores non videntur esse in vsu.*
4 *Distinguitur fideiussor debiti, à fideiussore de repræsentando.*

5 *Mors debitoris excusat fideiussorem de repræsentando.*
6 *Quid si fiat clericus, vel bannitus.*
7 *Quare moratoria debeat suffragari.*
8 *Conclusio de qua numer. 5. limitatur post moram.*
9 *Moram excusat termini susceptio.*
10, 11, & 12 *An, & quando fideiussor excusetur, si principalis positus est in fuga à creditore.*

DISC. XCVIII.

PRO Bernardino Decio debitore Principis Præneſtrinorũ, fideiuſſit Sebaſtianus Paſquettus de illiũ repreſentando in carceribus ad omnem ipſius creditoris requiſitionem, ſed iſta non facta, expediuit creditor mandatum contra principalem, cuius vigore, exequutores curarunt illum carcerare nõ ſequuto effectu, dum ab eorum manibus aufugit, atquè poſteà curauit obtinere illam moratoriam, quæ ex Pontificio decreto generaliter erat conceſſa omnibus ſe cõferentibus ad habitandum in Oppido Neptuni, quod ob peſtem in eo nimium craſſatam, penè habitatoribus deſolatum remanſerat; Hinc proindè creditor pulſauit Paſquettum fideiuſſorẽ coram A.C. coram quo de duobus articulis diſputatum fuit; Primò àn dicta moratoria cõceſſa per Principem debitori, prodeſſet fideiuſſori, eumque excuſaret; Et ſecundò, àn idem fideiuſſor à dicta obligatione liberatus eſſet, ex eo, quod idem creditor curando carcerationem debitoris, iſtũ poſuiſſet in fuga, atq; impuliſſet ad mutandum ſtatum, mediante dicta habitatione ſecumferente immunitatem, ſeù moratoriam, per quam impoſſibilis fideiuſſori reddita eſt eiuſdem principalis coerctio ad effectum repræſentandi.

Quatenùs pertinet ad primum; Scribentes pro creditore, pro negatiua, ad excludendum moratoriæ beneficium in fideiuſſore, inſiſtebant in diſtinctionibus, quæ poſt antiquiores ab eis relatos traduntur in materia *per Carol. de Graſſ. in tract. de except. cap.* 32. *Mauſon. de cauſ. executiuis limitatione* 6. *num.* 24. *& ſequen. Muſcatell. in pract. fideiuſſor. par.* 2. *quæſt.* 9. *Scannarol. de Viſitat. lib.* 3. *cap.* 3., *& Fab. de Ann. conſ.* 82.; An ſcilicèt ageretur de ſimplici fideiuſſore, cuius obligatio eſſet merè acceſſoria, Vel potiùs de eo, qui quoad creditorem, principalis correus dicendus eſſet, quia ſe obligaſſet tanquàm principalem, principaliter, & inſolidum; Siuè àn moratoria eſſet motu proprio, vel ad partis poſtulationẽ; Siuè àn ſit merè perſonalis; Vndè propterea inferebãt, quod ex pluribus verſaremur in caſu negatiuo, ex eo præſertim, quod non eſſet motu proprio, ſed ad poſtulationem; Et fortiùs quia fideiuſſoris obligatio cõcepta erat iuxtà dictam formam, facientem eum correum principalem, vt frequentiùs, ac penè ſemper hodiè vbiquè, præſertim verò in Vrbe, fideiuſſorum obligatio còcipi ſolet, adeòut videantur receſſiſſe ab aula ea, quæ in iure habemus fauore fideiuſſorum diſpoſita circa eorũ ſubſidiariam coertionem, præuia principalis excuſſione, ac alia huiuſmodi.

Pro Reo conuento ſcribens dicebã, vt huiuſmodi diſtinctiones caderent in fideiuſſore debiti, cuius obligatio cõſiſtat in dando, non autem in fideiuſſore de repræſentãdo, cuius obligatio conſiſtere dicitur in faciendo, quoniã iſto ſecundo caſu quomodocumq; obligatio concepta ſit, & per quaſcumque clauſulas, fideiuſſor nunquàm dici poteſt quoad creditorem, principalis correus debendi, cuius fidem pariformitèr, & inſolidũ ipſe creditor ſequutus dicatur, vt eſt *in* ſua præcedenti; Ideoquè in his terminis ſpecialibus fideiuſſoris de repræſentando, vt excuſetur per moratoriam à Principe conceſſam firmat in ſpecie *de Marin. reſol.* 133. *numer.* 11. *l. b.* 1., & quæ auctoritas punctualis abſquè contradicente ſufficere debebat.

Magis verò, iuxtà genium, ac ſtylum, inſiſtebam in ratione; Quod ſcilicet ſuperuenta mutatio ſtatus, vtpotè proueniens ex facto Principis, dici poteſt caſus fortuitus, qui non excuſat fideiuſſorem debiti, & tamen excuſat fideiuſſorem de repræſentando *ad text. in l. ſi deceſſerit ff. qui ſatisdare cogantur, & l. ſancimus Cod. de fideiuſſor.*, vbi de huiuſmodi ſecundo fideiuſſore liberando per mortem principalis præſentandi, per quam primus fideiuſſor non liberatur; Et ex quibus iuribus de morte loquentibus, idem firmant

mant DD. in casu quo principalis fiat bannitus, seù clericus, aut aliàs mutet statum, itaùt eius præsentatio impossibilis reddatur ex deductis *per Farin. quæst.* 34. *Muscatell. pract. fideiussor. dicta par.* 2. *quæst.* 9. *de Marin. dicta resol.* 133. *&* 134. *& alios*, ex ea ratione, quod obligatio intelligitur, rebus in eo statu permanentibus.

Alia etiam viua ratione concurrente, quod si moratoria non suffragaretur debitori, ità gratia Principis eluſoria redderetur, nàm Aut fideiussor pulsatus posset principalem vrgere, Aut non posset; Si posset gratia esset de vento, et si non posset, obstaret creditori exceptio cedẽdarum, quæ militat etiam in fideiussore debiti, quoties remaneat in terminis simplicis fideiussoris, & non transit in illam principalis correi, multò magis isto casu. 7

Istud motiuum patiebatur difficultatem, non in iure, sed in facto super applicatione, quoniam ex parte creditoris prætendebatur, quod electio dictæ habitationis cum impetratione consuetæ inhibitionis, sequuta esset post interpellationem ad præsentandum, atquè post iam contractam per fideiussorem morã, quo casu etiam mors, vel quæcumque alia casualis mutatio status non excusat, vt habetur deductum *supra disc.* 94., atquè super hac circumstantia facti, maior fuit controuersia inter causæ Patronos potiùs, quàm inter Aduocatos, dum præsertim ex hac parte fideiussoris prætendebatur, vt non posset dici quod contracta esset mora durante termino, quẽ principalis debitor susceperat iuxtà decisionem *in Romana fideiussionis de repræsentando* 16. *Martij* 1618. *coram Coccino impress. per Scannarol. de Visitat. in appendice cap.* 22. *num.* 1. *& sequen.* 8 9

Verùm quia Iudex satis inclinabat pro moræ incursu, hinc proindè opus fuit recurrere ad alterum motiuum liberationis resultantis ex eo quod ex facto, & culpa ipsius creditoris, debitor præsentandus positus fuisset in fuga, iuxtà punctualiter firmata *per Marin. dicta resolut.* 134., *& Capyc. Latr. consult.* 49. *num.* 14. 10

Pro isto fundamento euitando, insistebant etiam scribentes pro actore, in dicta distinctione super obligatione merè fideiussoria, vel æquè principaliter, & insolidum; Verùm facilis fuit solutio cum dicta distinctione inter fideiussorem dandi, & fideiussorem faciendi; Ideoquè huiusmodi distinctione neglecta, circa casum alteriùs quæstionis actũ fuit de fideiussoris liberatione ob mutationem status, quia nempè principalis fuerit bannitus, seù aliàs pro delicto capitalitèr comdemnatus, & in hoc intrat quæstio plenè agitata *per Farin. dicta quæst.* 34., et in qua distingui solet, àn bannum proueniat ex eadem causa, vel ex diuersa, cum distinctionibus apud eũ deductis; Verùm opus non fuit id examinare, dum reuera non eramus in casu. 11

In terminis verò præcisis, vbi scilicèt creditor, vel Iudex, omissa via agendi contra fideiussorem, vt reum, vel debitorem repræsentet, directè curet illum carcerare, vndè propterea ille se ponat in fuga, àn scilicèt ex eo quod fideiussori ex facto creditoris, vel Iudicis, impossibile, vel difficilè redditum sit factum promissum, inducatur eius liberatio, agit *Farin. dicta quæst.* 34 *n.* 169. *& seqq.*, vbi asserendo quod ista sit quæstio subtilis, adducit opiniones hincindè, sed nihil firmat, itaùt in eius auctoritate, (iuxtà frequẽtem dicti Auctoris consuetudinem), pro neutra partium constitui posset fundamentum. 12

Verùm quicquid sit in criminalibus; Quatenùs pertinet ad terminos ciuiles, atque ad casum præcisum, in quo non per ipsum Iudicem, sed per creditorem, principalis debitor positus sit in fuga, dum habebamus dictas auctoritates *Capyc. Latr. consult.* 49. *num.* 14. *& de Marin. resol.* 134. *lib.* 1., nequè in eisdem terminis præcisis per Scribentes in contrarium contradictor allegaretur, cum deducti percuterent dictũ alium casum in criminalibus, hinc proindè dicebã vt iuxtà præmissas auctoritates iudicandũ esset, ob duplicem rationem ab eisdem allegatam; Vnam scilicèt quod ex ipsius creditoris facto reddita est fideiussori impossibilis, seù difficilis repræsentatio; Et alteram magis stringentem, quod dum creditor directè, ac per seipsum voluit se de persona debitoris assecurare, videtur ità renunciasse illi custodiæ, & assecurationi, quàm fideiussori commiserat; Verùm istud quoque fundamentũ aliquas facti magis, quàm iuris difficul-

tates patiebatur, ex quibus, ac alijs facti particularibus circumstantijs, non improbabiliter Iudex inclinabat contra fideiussorem, qui curauit cum quodam honesto concordiæ temperamento, obtinere creditoris acquiescentiam.

ROMANA

CAVTIONIS

PRO

FRANCISCO SALVVCCIO

CVM

IO. BAPTISTA PAVLVCCIO

Casus disputatus coram A.C., postea concordatus.

Obligatio fideiussoris de iudicatum soluendo præstita coram vno Iudice, qui dedit absolutoriam, àn euanescat cum illa instantia, adeoùe nõ duret prò iudicato per Iudicem appellationis.

Demandata per Iudicem cautione hinc indè, àn cautio præstita per vnam partem euanescat, si altera pars eam non dedit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Fideiussor de iudicatum soluendo in vna instantia, àn teneatur in altera.*
3 *In reciprocis, & correspectiuis, cautio vnius non afficit, si alter eam non præstet.*
4 *De eadem conclusione, de qua num. 2.*
5 *Quid vbi fideiussor se obligauit tanquam principalis.*
6 *Et quid accedente obligatione ex deposito.*
7 *De distinctione inter cautionem voluntariam, & necessariam.*
8 *De conclusione, de qua num. 3.*
9 *Quando non curetur defectus impedimenti.*
10 *Ad quid teneatur ille, cui cautio non præstatur.*
11 *De difficultate in casu controuersiæ.*

DISC. IC.

1 IN controuersijs inter Franciscum, & Franciscam coniuges, de consensu à cohabitatione separatos; Cum mulier peteret à viro restitutionem bonorum dotalium, nec non alimenta, & expensas, et è conuerso vir, vt dicta bona cautè restitueret quando. cumque rehabenda, prætenderet ad restitutionem non teneri, vel bona deponere penès tertium, Iudex mandauit consignari, & recipi respectiuè, data cautione hinc indè in forma depositi, de soluẽdo quidquid fuerit iudicatum, in cuius decreti executionem prò muliere cauit Ioannes Baptista, qui se obligando tanquam principalis principaliter, & in solidum, vndè vir alia cautione non præstita restitutionem fecit bonorum dotaliũ, ad quam Iudex primæ instantiæ decreuerat illam teneri; Cumque interposita appellatione, Iudex secundæ instantiæ iudicasset ad fauorem viri, vt ad restitutionem non teneretur; Hinc Franciscus pulsauit fideiussorem de duobus excipientem; Primò scilicèt quod eius obligatio præstita coram vno Iudice, qui absolutoriam dederat, declarando locum fuisse restitutioni, euanuisset cum illa instantia, quodque fideiussor de iudicatum soluendo, non teneatur ad id, quod per Iudicem alterius instantiæ, in cõtra-
2 rium iudicatum esset *per text. in l. pen. ff. iudicat. soluen.*, & *firmant scribentes*, de quibus plenè *Cyriac. controu. 285. num. 28.*, & *per tot.*, *Capyc. Latr. consult. 49. num. 7.*, *Surd. decis. 212. nu. 2. Duran. decis. 211. num. 4. Thesaur. decis. 202.* & *cæteri apud eosdem*.

Et secundò, quod vbi cautio per Iudicem, hinc indè demandata fuit, tunc

præ-

præstita per vnam partem non est obligatoria, nisi altera pars eam quoque præbet *Cephal. conf.*690 *numer.*4. *cum seqq.*, 3 *Herculan. de cautione de non offenden. cap.* 31. *num.*1. *Maur. de fideiussor. in prælud. sect.*2. *cap.*4. *num.*20. *cum seqq.*, atque in hac præsertim secunda exceptione, Iudex maiorem habebat difficultatem; Quamuis autem Ego scribens pro viro grauem haberem contrà eumdem difficultatem, ex quibusdam circumstantijs facti potiùs vt infrà, vndè propterea, ei iuxtà stylum liberè insinuaui, & consului, vt acquiesceret, vel eo quo posset modo se cõcordaret; Nihilominus quoad dictos punctos, cum sensu etiam veritatis, dicebam, vt nullam haberent subsistentiam.

Quatenus enim pertinet ad primum, quoties non est expressum nomen proprium Iudicis, in quibus terminis procedit contraria opinio, verior esse videtur 4 altera opinio, quàm tenet Rota, vt talis fideiussor non liberetur per absolutoriã in vna instantia latam, in altera reuocatam *iuxtà decis.* 353. *Egidij Cæsar Graff. decis.*2. *num.*8. *de Locato*, *Penia decis.*551. *iuxtà impress. Lugdunen.*, iftamque opinionem seruatam fuisse quoque per Sac. Consil. Neapolitanum testatur *Franch. decis.*208. *in fine*, & melius *dec.*320., atq; hanc seruari in praxi testatur *addit. ad Alex. conf.*109. *circa med. lib.*7.

Clariùs verò in hac facti specie ex duplici circumstantia; Primò scilicèt quod dictus fideiussor se obligauerat tanquam principalis principaliter, & insolidum, 5 quo casu non procedere difficultatem resultantem ex dispositione *text. in dicta l. penult.*, habetur *apud Franch. dicta decisione* 208. *in fin.*, & bene *apud Gratian. discept.* 348. *numer.* 22., & *numer.*29., vbi quod hanc opinionem seruat Rota; Et secundò, quod idem se obligauerat in forma depositi, vndè vocando se depositarium 6 sequebatur, vt sola sententia non tolleret obligationem depositi, quæ non cessat nisi per effectiuam restitutionem rei *Gabr. conf.*53. *lib.*1. *nu.*7. *Franch. dicta decis.*208. *in fine.*

Item quia dispositio *text. in dict. l. pen. cum ibi not.* procedit in cautione prætoria, & necessaria, danda ab eo qui vult 7 agere, dum aliàs absque tali cautione non admitteretur, & in his terminis loquuntur *Cyriac. dicta contr.*285. *Thesaur. dicta decis.*202. *& cæteri, de quibus disc. seq.*; Secùs autem vbi agitur de voluntaria cautione data ad assequendum aliquid prò securitate alterius partis prętendentis restitutionem; Prima enim respicit solam instantiam, Altera verò dicitur potiùs respicere causam, ac securitatem *ipsius rei*, super qua est controuersia, adeòut talis cautio dicatur stare loco sequestri, & sic durat durante tota causa cuius exitus attendendus est *Gabr. dicto conf.*53. *num.*1. *& per tot. lib.*1. *Gratian. dicta discept.*348. *num.*22. *& seqq.*, idque clariùs comprobatum remanebat ex dicta circumstãtia cautionis factæ in forma depositi.

Quo verò ad alteram exceptionem, super qua maior erat Iudicis difficultas; Dicebam quod conclusio firmata per *Cephal.*, *Herculan.*, *Maur.* & alios, per- 8 cutit casum, in quo totum, & coequale ius vtriusque partis versetur circa cautionem reciprocam, ità vt præstita per vnam partem, implicitam habeat conditionem sine qua non, quatenus scilicèt per alteram præstetur, quasi quod substantia actus, ac voluntatis resideat in ipsa reciprocatione, vt contingit in cautione de non offendendo demandari solita prò cautela vicissitudinaria, cum tunc deficere dicatur voluntas partis præstantis, nisi per alteram præstetur; Secùs autem, vbi cautio respicit solùm certum effectum, prò quo requiratur, vt cautio præstetur per vnam partem, nulla verò subest necessitas, vt per alteram præstetur, quoniam tali casu, ratio dictæ conclusionis non intrat, atque potiùs locus videtur alteri receptæ conclusioni, 9 de qua *Mantic. decis.*270., *Gregor. decis.* 347. *num.*11. *& passim*, vt scilicèt non curetur implementi defectus, quoties nihil interest Partis, cui implendum erat.

Et hic erat casus, quoniam cum controuersia esset super restitutione bonorum dotalium per virum mulieri facienda, necessaria erat cautio præstanda per mulierem obtinere volentem restitutionem bonorum, vt quatenus ad fauorem viri iudicaretur, hic per eorumdem bonorum dissipationem non remaneret elusus; E' conuerso autem, nulla subberat necessitas, vt præstaretur cautio ex parte viri, qui ad aliud non tene-

batur

batur, ità vt litis prosequutio faceret eum actorem, potiùs quàm reum, ideoque non videbamur esse in casu conclusionis.

Et in omnem euentum, vbi etiam prætenderetur, quod ex deficiente voluntate cautio esset vt supra inefficax, & nõ obligatoria, adhùc tamen, vel actione de dolo, vel ex condictione sine causa, tenebatur altera pars, eiusque fideiussor remittere omnia in pristinum, restituendo id, quod in vim talis cautionis recepissent, cum non possit actus reprobatus, atque declaratus inualidus, in parte approbari, ac esse operatiuus ad fauorem eiusdem reprobantis.

Mea verò difficultas consistebat in facto potiùs quàm in iure quoad fideiussorem, quoniã tenor instrumenti confecti inter ipsos coniuges super dictorũ bonorũ restitutione ostẽdebat, quod huiusmodi actus gestus nõ esset in executionẽ dicti decreti, adeòut vir inuitus, fideiussoris fidem sequendo, tanquam sub sequestro, vel depositi, bona prædicta restituerit, et in quibus terminis præmissa rectè procederent, sed nulla facta mentione dicti decreti, vel præstitæ cautionis, potiùs tanquam per speciem concordiæ, & amicabilis compositionis, dicta restitutio facta legebatur soli mulieri, quæ è conuerso liberauerat virum à prætensione alimentorum, alijsque prætensionibus, ideoquè iuris quæstiones tollebãtur ex facto, quod frequentiùs apud iuditiosos, & accuratos Iudices, causas decidere solet.

BONONIEN.

EXPENSARVM

PRO

IACOBO ZAVARINO

CVM

HORATIO DE GVSMAN.

Casus disputatus coram Prælato Iudice Commissario, resolutus pro Horatio.

De eadem materia fideiussionis præstitæ in vna instantia, seù in vno iudicio, àn duret, si causa vlteriorem progressum habeat in alijs instãtijs, & coram diuersis iudicibus. Et in specie quid in terminis Statuti Bononiæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione, àn fideiussio iudicialis in vna instantia, duret in alijs.*
3 *De differentia inter cautionem præstitam ab actore, vel à reo.*
4 *Quod in hoc attendatur verisimilis voluntas.*
5 *Expenditur statutum Bononiæ in hac materia, & de eius materia.*
6 *Quomodo in hoc regulanda sit voluntas partium.*
7 *De quibus causis dictum Statutum loquatur.*

DISC. C.

1 ORTA lite inter Hieronymam, & Horatium, instetit iste per dictam mulierem ad formam Statutorum Bononiæ dari fideiussorem expensarum, atque datus fuit Iacobus, sed introducta causa in Curia per appellationem ab Horatio, illaque per plures instantias tractata, & sopita ad fauorem appellantis, cum solita condemnatione Hieronymæ in expensis,

sis, pro istis molestabatur coram vltimo Iudice executore, dictus fideiussor.

P. ò isto autem Ego super hoc solũ pũcto scribens; Dicebam casum videri singularem, ac dignum, vt disputaretur in causa grauioris momẽti, prò cõgrua verò eius decisione, duas constituebam inspectiones, vnam in puris terminis iuris cõmunis, et alteram in terminis Statuti.

De iure, post *Franch. decis.* 320. & *Thesaurum decis.* 202., qui hinc indè allegãtur, latè disputat articulum *Ciriac. contro.* 285., vbi profiterur omnes vtriusq; scientiæ sequaces enumerare, atq; probat quod opinio communis assistit opinioni *Bar.* cõtrà *Martinũ*, cui adherere videtur *Thesaur.*; Atq; vltrà adductos per *Ciriac.*, agunt etiam moderniores, de quibus *Capyc. Latr. consult.* 49. & plenius *Pratus in addit. ad Muscatell. in praxi fideiussoria modo* 12., vbi multos casus distinguit, ex quibus, *& alijs disc. præced.*, patet magis communem fortè assistere fideiussori, ex regula, quod fideiussio strictissimè intelligenda est, atq; quo magis fieri potest restringenda.

Atquè vt benè ex *Gugliel. de Cuneo* aduertit *Ciriac. dicta contr.* 285. *num.* 32. *& seqq.*, magna differentia est inter fideiussorem præstitum per actorem, ac illa præstitam per reum, quoniam isto secundo casu, culpa est ipsius rei condemnati appellare, ideoque non debet esse in eius voluntate cautionem eludere; Non sic est in alio casu, quoniam sibi imputet reus, cur in alijs instantijs, vel iudicijs, non instet nouos fideiussores per actorem præstari, vndè quando causa tractanda esset in terminis iuris communis, illam dicebam esse planam pro fideiussore; Atque *Ciriac. nu.* 36. allegat *Surdum consil.* 271. *num.* 9. allegantem *Bartol.*, qui dicit ità fuisse iudicatum Bononiæ.

Præsertim quia in ista quæstione, principaliter spectatur verisimilis voluntas actoris, qui fideiussionẽ præstitit, ac etiã illa Iudicis, qui eam præstari mandauit, eiusdemque fideiussoris, vt liquet ex deductis per eumdem *Thesaur. dicta decis.* 202., & aduertit *Pratus in addit. ad Muscatell. vbi supra verf.* 1. *est casus in fine*, et multò magis concurrente in idem voluntate ipsius rei satisdationem petentis.

Voluntas autem collitigantis habendi fideiussorem in illa instantia tantùm, erat clara, dum ità cantabat eius petitio in illis verbis *instetit per dictam Hieronymam tanquam mulierem, ad formam Statutorum Bononiæ idoneè caueri de expensis reficiendis in præsenti instãtia in casu succumbentiæ*, ideoquè spectatis nudis terminis iuris communis, casus videbatur indubitatus.

Difficultas autem erat in secunda inspectione, stante clara dispositione Statuti, quod *fideiussores non liberentur mutatione Iudicis, vel Tribunalis, nec ratione mutationis iudicij siue instantiæ &c.*; Ideoquè iuditiosè ad hunc punctum, per Iudicem restricta fuit difficultas.

Verùm Statutum in præsenti non obstare dicebam ex pluribus, quorum vnum sufficere videbatur; Primò quia idem Statutum ad litteram excipit casum, in quo per ipsum collitigãtem hæc satisdatio remissa esset, vt in verf. *Et si non satis dederit* ibi, *nisi petitio satisdationis ipsius remissa fuerit, vbi gl. f. litt. B.* allegat iura idem disponentia; Vndè cum collitigans restrinxisset suam petitionem ad satisdationem expensarum illius instantiæ, vt probant verba superius registrata, id sufficere videbatur, quoniam non videtur de iure dubitandum, vt qui poterat totum remittere, potuerit limitatè, atquè ad certum casum petitionem restringere.

Secundò clariùs, quoniã ista pars Statuti non percutit casum controuersum, sed solũ agit de fideiussoribus præstandis per forenses, vel alios qui dominio Communis Bononiæ subditi non sint.

Ad id autẽ clarè dignoscendũ aduertebam, vt legi deberet totũ Statutum, quoniam ab initio vsquè ad §. *Et idem intelligatur*, loquitur de satisdatione præstãda per forenses, & non subditos, qui conueniant subditos; Et in *dicto* §. *Et idem* extendit hanc dispositionem ad Vniuersitates, ac mulieres, & alios ibi expressos; Deindequè in proximè sequenti §. *Et dicti fideiussores*, ordinat nouam dispositionem super reconuentione; Et demum *in* §. *Et quia etiam fideiussores*, præcipit, vt fideiussores non liberentur mutatione iudicij, vel instantiæ.

Iste vltimus §., qui solùm præbebat causam dubitandi, non loquitur de fideiussoribus mulierũ, sed solùm de fideiussoribus contentis in § immediatè præcedenti,

denti, non solùm ex regula quod relatio facienda est ad proxima, & immediata, non autem ad remota, & mediata; Sed etiam quia illa verba *Et qui etiam*, stant continuariuè ad §. præcedentem, vt in terminis specialibus intelligẽtiæ alterius Statuti Bononiæ latè, & benè probat *Giouagnon. consil. 66. lib. 1.*, vbi adducit regulas, & axiomata generalia, quæ desuper more Collectorum de facili consarcinari possent.

Clariùs quia in eodem §. *Et qui etiam*, continuando eamdem periodum in casu peremptionis instantiæ non renouatæ infrà tres menses, explicitè probatur statuentes in hoc §. loqui solùm de fideiussoribus præstitis per non subditos ibi, *Si de nouo dicta causa infrà dictum tempus per dictum non subditum inchoata non fuerit, ipsi fideiussores liberentur &c.*, vndè propterea iste casus remanebat omissus à Statuto, ideoquè regulandus à iure cõmuni, cum versaremur in Statuto exorbitanti.

Tertiò quoniam, Aut attendenda esset voluntas illius, qui satisdationem petijt, Aut verisimilis voluntas statuentium, qui eamdẽ satisdationem de-
6 mandarunt; Primò casu voluntas erat clarè restricta ad illam instantiam vt suprà, vndè cessabat omnis quæstio; In secundo autem certa iuris propositio est, vt quælibet dispositio intelligenda sit, rebus in eo statu permanentibus, atq; retento præsuppositio, quod disponens habebat in mente, cum voluntas trahi non possit ad incogitata, & multò minùs ad nolita ex deductis *per Seraphin. decis. 1278. num. 4. Caualer. decis. 340. numer. 4. cum aliis per annot. ad decis. 523. num. 25. par. 4. rec. tom. 3.*

Ideoque cum Statutum mandet eius subditis, nè appellent ad alios Iudices, & Superiores, quam ad eos, qui ab ipso met Statuto præscripti sunt, exindè resultare videtur, vt casus appellationis ad Iudices Romanę Curiæ esset incogitatus à Statuto, et consequenter, quod remaneret extrà illius intentionem, ac dispositionem.

Neque præmissis obstare obseruabam cõclusionem deductam per Scribentes in cõtrarium, quod per statutariam dispositionem non censeatur impedita appellatio ad Papam, eiusquè Curiam, quoniã punctus non est in potestate appellandi ad effectum validitatis appellationis, & actorum, quæ in Curia Romana fiant, in quibus terminis, & ad quem effectum loquuntur allegati, sed est in voluntate statuentium, quod scilicèt nõ cogitauerint ad casum, qui proindè vt potè extrà eorũ intẽtionẽ, remanet extrà dispositionẽ, & in terminis iuris communis; Nunquam
7 enim legis beneficio iuuari potest, qui eamdem legem contemnit, eiusquè formam non seruat *l. auxilium* §. *in delictis ff. de minor., l. sancimus C. de iudic., l. fin.* §. *& si præfatam Cod. de iure deliber. Barbos. axiom. 136. nu. 21.*; Vndè cum appellans ad Curiam spernat Statutum, atque in illud quodãmodo delinquat, hinc nulla iuris ratio exigit, vt eiusdem Statuti beneficio iuuari debeat.

Et quod verè Statutum cogitauerit ad solùm casum negotiorum tractandorũ in illis Tribunalibus, non autem in Curia Romana, euidentèr liquere dicebam ex eo, quod illud principaliter emanauit contrà non subditos statuentibus, ob impotentiam, vel difficultatem eos vrgendi ad expensarum refectionem, vt liquet ex ipsius Statuti lectura, quæ ratio, adaptabilis non est, vbi causæ tractantur in Curia Romana, & coram Papa, cuius auctoritas omnes afficit.

His tamen non obstantibus, (quæ scribendo tanquam Aduocatus deducebam) contrarium iudicatùm fuit, atquè, vt audiui, Iudex processit cum verbis statuti loquentis de quacumque instantia; Non potui autem maturum iudicium prò veritate desuper efformare cum vnica informatio desuper edita sit absq; vlteriori disputatione, non vilis informationibus alterius partis, ex quibus intellectus illuminari solet, atque ità ad veritatis notitiam deuenire, neque hucusquè alia occasio se obtulit.

RO-

ROMANA OBLIGATIONIS PRO IACOBO DE SIMIGLIANO HÆBREO CVM N. N.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Iacobo.

An, & quando obligatio fideiussoris subsistineatur, non obstante inualiditate obligationis principalis, vel alia exceptione illi competente.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De iure, quod habent hæbrei in domibus, quas inhabitant.*
3 *Hæbrei dicuntur de populo, & cadunt sub statutis actiuè, & passiuè.*
4 *De regula, vt corruente obligatione principalis debitoris, corruat illa fideiussoris.*
5 *De limitatione, vbi adsit obligatio principaliter, & insolidum.*
6 *Ità obligatus dicitur fideiussor respectu debitoris, sed quoad creditorem est correus.*
7 *De stylo Curiæ circa euocationem Aduocatorum ad causas.*
8 *De Declarationibus conclusionis, seù limitationis, de qua num. 5.*
9 *De eadem limitatione, & quarè non intraret in ista causa.*

DISC. CI.

VT se liberaret Laura Hæbræa à carceribus, alijsque molestijs, quas patiebatur pro obligationibus contractis in causam viri, assignauit creditori quasdam mansiones per eam in Ghetto possessas, ex illo perpetuæ locationis, vel inquilinatus iure, quod inter hæbreos dicitur *Gazaga*, cuius mentio pluries habetur præsertim *sub titulo de Locat. disc.* 33.

2 Ad id autem facilitandum, Iacobus tanquam approbator, seù expromissor, assecurauit creditorem, quod dictæ mansiones ad Lauram spectarent ex dicto iure, quodque essent sufficientes ad debitum ratione illius maioris pensionis, quæ, detracta pensione debita domino Christiano, percipitur, siuè pro eiusdem iuris *Gazaga* æstimatione, sin minus, & pro rata insufficientiæ quoddam eius consimile ius, ac etiam se ipsum obligauit tanquam principalem, principaliter, & insolidum; Cum autem postmodum dicta Laura curasset inualidam declarari dictã assignationem ob inualiditatem etiam

3 primæ obligationis ad formam statuti 151. Vrbis, de quo pluries *sub titulo de Alienat. & Contract.*, dum receptum est, Iudæos quoque ciues, ac de populo, ijsquè suffragari statuta ex ijs, quæ habẽtur deducta *sub titulo de Seruit.* ad materiam retractus *disc.* 70., vbi præsertim de quæstione, àn etiam id procedat contrà Christianos in ijs, quæ ex sola ratione æquitatis concessa sunt, ac propterea ad dictas assignatas mansiones creditor agere impeditus esset, hinc in vim dictæ obligationis creditor Iacob pulsauit corã A.C., à quo tamen rei conuenti absolutoria prodijt.

Cum enim causæ Patronus, qui Iacobũ tuebatur, exciperet de regula, seù cõclusione, vt corruente, ac inualida, vel aliàs inefficaci existente obligatione princi-

4 palis debitoris, corruat quoque obligatio fideiussoris tãquam accessoria, & consequutiua, quoties nullitas, vel exceptio, proueniat à iure communi, non autem speciali, vt generalitèr probat *textus in l. cum principalis ff. de regul. iur. & l. cum lex ff. de fideiuss.*, vbi *Bart. num.* 4. & 5. & cæteri, de quibus ità distinguẽdo *Gregor. & Add. decis.* 221. & 560. & 564. *decis.* 510. *p. r. 6. rec. decis.* 42. *post Merlin. de pignor.*; Et in specialibus terminis fideiubentis pro muliere inutiliter se obligante est *textus in l. si mulier ff. ad velleian., & l. mulierem Cod. eodem vtrobique scribentes relati per Henrig. de fideiuss. cap* 10. *num.* 18. *Thesaur. iun. lib.* 4. *quæst.* 6. *Gait. de credit. cap.* 2. *tit.* 7. *num.* 1966. *Merlin. contr.* 55. *num.* 17. *lib.* 1., atq; supponunt supra allegatæ decisiones super cõclusione generali.

Replicabant Scribentes pro actore de recepta limitatione, de qua apud eosdē
5 supra allegatos, & *decis.* 216. & 242. *post Zacch. de oblig. cam.*, & frequentèr, vt id procedat quando agatur de obligatione, quæ etiam quoad creditorem verè, & propriè fideiussoria sit; Secùs autem vbi sit iure correi, quia se tanquam principalem, ac principalitèr, & in solidū obligauerit, quoniam tunc, vt in præcedentibus pluries aduertitur, ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 100. & 101. ad materiam *Bullæ Baronum*, quamuis quoad ipsum
6 debitorem, pro quo fideiussor se obligauit, talis dicatur pro relevatione, alijsque effectibus; Attamen quoad creditorem non intrat hæc distinctio, sed omnes dicuntur correi, ac principales debitores.

Quarè Iudice ad id difficultatem restringente, habitus fuit recursus ad operam Aduocati, quæ frequentiùs in hoc Tribunali A. C., ac alijs extrà Rotam
7 subsidiaria esse solet, quod scilicèt ad Aduocatū recurritur; Vel quando sequutum est vulnus decreti contrarij; Vel quando Iudex difficultatem promouet, quæ per causæ Patronum superari non possit, vndè propterea mea consuetudo est, appellandi Aduocatos, chyrurgos euocari non solitos, nisi post acceptum vulnus, quod tamen pro frequenti experientia aliquem abusum redolet; Non quidem, vt in omnibus euocandi sint, cum causarum, vel litigantium qualitas, vt plurimum id non patiatur, sed saltèm, vt ante introductionem iudicij, accipiatur consilium super directione actionis, vel iudicij qualitate, cū sæpiùs ob istius ineptiam, vel alia præiudicia, sera Aduocati euocatio inutilis remaneat, vt aduertitur in sua materia *sub titulo de Iudic. in relatione, ac praxi Curiæ.*

Scribens igitur pro Iacobo reo conuento, strictè super dicta limitatione, vl-
8 trà ponderationes, quæ habentur *dicto disc.* 100. & 101. *de feud.*, àn scilicèt creditori ex eodem actu, seù obligatione innotescat, àn obligatio sit merè fideiussoria, quodque clausula se obligandi tanquam principalis, & in solidum sit pro sola cautela euitandi circuitus excussionis, non alteret autem qualitatem, seù naturam obligationis, cum alijs ibi deductis (quæ tamen in his præsertim non collegiatis Tribunalibus, non de facili suaderi possunt, dum reputantur subtilitates, & ratiocinia.)

Dicebam (etiā in sensu veritatis, qualem Iudex quoque vtsupra agnouit), vt admissa etiam dicta limitatione gener-
9 liter, & in puncto iuris; Attamen cessaret applicatio ad casum, quoniam hæc obligatio nō erat generalis, ac indefinita pro ipso debito, adeòut dici valeat, quod creditor, non magis vnius, quàm alterius, sed cuiuslibet in totū fidem sequi voluerit, perindè, ac si cum eo solo contraxisset, et in qua ratione dicta limitatio fundata est, sed erat obligatio expresè accessoria, & subsidiaria; Tum quia pro debito longè antea contracto cum sola muliere, adeoùt intrare non posset dictatio, quod cuiuslibet correi fidem æquè principaliter creditor sequutus esset, et consequēter impossibile erat dicere, quod ex huiusmodi sola formalitate verborū, & clausularum, diceretur principalis correus debendi; Tùm etiam quia ista obligatio erat per quandam speciem assecurationis idoneitatis, ac sufficientiæ pignoris, restricta ad solùm factum, quod scilicèt dictum ius pertineret ad mulierem, illudquè esset sufficiens ad debitū, atquè vtrumquè ostendebatur de facto verum, vndè propterea dicebam, quod adimpleta esset fideiussoris obligatio, atque exclusio creditoris proueniebat ex alia causa, ad quam ipse non se obligauerat, ideoque versabamur extra casum dictæ limitationis, atq; ità iudicatū fuit.

RO-

ROMANA PECVNIARIA PRO IO. PETRO LVCATELLO CVM N.

Casus disputatus coram A. C.; resolutus pro N.

Fideiussoris obligatione restricta ad certam summam, seù partem debiti, àn, si deindè principalis debitor eam summam soluerit, fideiussoris obligatio adimpleta dicatur, nec nè, quia in eam causam solutio referenda sit, vel potiùs talis obligatio intelligatur pro summa residuali.

SVMMARIVM.

1 2 *Facti series. Solutio in dubio refertur ad debitum pro quo datus est fideiussor.*

3 *Declaratur quando dicta regula procedat, Et quod fideiussor administratoris datus censeatur pro reliquatu.*

4 *Quando solutum per administratorem etiam durante administratione referatur ad obligationem fideiussoris.*

5 *De abusibus vbi Iudices non sunt benè versati in theorica, & principijs iuris.*

DISC. CII.

1 INito quodã negotio pellium inter Io. Petrum, & Io. Baptistam, in quo ille pelles, aliaque necessaria subministraret, iste verò easdem pelles reduceret ad vsum aulæorum cum eius arte, ac industria, pro isto tanquam negotij administratore fideiussit N., qui tamen eius obligationem restrinxit ad certam summam; Cumque administrator post huiusmodi fideiussionem plures pecuniarum summas soluisset Io. Petro, cuius tamen in dissolutione negotij, ac solidatione computorum, debitor in quadam summa residuali remansit, ipsæquè minus idoneus esset; Hinc Io. Petrus coram A. C. pulsauit fideiussorem, qui sententiam absolutoriam reportauit.

Resolutionis fundamentum fuit regula, seù recepta conclusio, de qua 2 *apud Grat. discept. 224. num. 5. & per tot. Caualer. decis. 99., Buratt. & Adden. decis. 284. num. 1.*, et frequenter in præcedentibus, vt scilicèt solutiones, nulla expressa causa, per debitorem creditori simplicitèr factæ, cedere debeant in causam duriorem, pro qua datus sit fideiussor, ad istum liberandum.

Mihi scribenti pro Io. Petro creditore (reflectendo etiam ad solam veritatem) resolutio non placuit; Non quidem ex defectu conclusionis, vel regulæ in suis casibus veræ, sed ex fallacia applica- 3 tionis, vt frequentiùs hodiè in forensibus controuersijs experimur, quoniam vt in his terminis aduertitur præsertim supra *in Romana pro Monte pietatis discur. 50., & sub tit. de Tutor & Administrat. disc. 15.*, dicta regula procedit, quando quis est debitor ex pluribus causis, quarum vna ratione fideiussionis dicatur durior; Vel vbi etiam sit debitor ex vnica causa, quæ ipso temporis momento perficiatur, atquè pro eius parte fideiussor præstetur; Puta quia ex causa mutui, vel simili Titius sit debitor Sempronij in mille, pro quorum parte fideiussor accedat, cum in his, vel similibus casibus solutiones simpliciter factæ in hanc duriorem causam ad liberandum fideiussorem referãtur, nisi diuersæ voluntatis vtriusquè, soluentis scilicèt, & recipientis, fortiores præsumptiones accedant, cum dicta regula inducat simplicem iuris præsumptionem, nedùm contraria expressa probatione, sed etiam fortioribus præsumptionibus elidibilem.

Secùs autem vbi agatur de negotio habente tractum successiuum, ac admixtã in debitore administrationem, quæ secum ferat in dies nouas causas debiti, & crediti, siuè dati, & accepti, quoniam tunc omninò verius est, vt fideiussor, quamuis cum restrictione ad certã summam, censeatur præstitus pro reliquatu

post solidatas rationes, ac bonificatas partitas dati,& accepti hinc indè; Ex ea clara ratione, quod solutiones anteà factæ,non sunt ex pecunia, & bonis debitoris ipsi fideiussori pro eius releuatione affectis, sed ex pecunijs, ac effectibus ipsius negotij; Ad instar enim eorum, quæ in tutore,vel curatore habentur, in huiusmodi negotijs administrationem annexam cũ tractu successiuo habẽtibus, cum impossibile sit præstari fideiussorem pro toto eo,quod plurium annorũ spatio de bonis administratis ad manus peruenirent,hinc proindè vsus est accipiẽdi cautiones pro quadam summa, & verisimili quãtitate,in qua administrator, dispunctis rationibus,ac detractis partitis dati, à partitis recepti,possit remanere debitor pro reliquatu, pro quo verè, ac propriè fideiussor præstari dicitur, vt cæteris relatis habetur *apud Marin.resol.* 144.*lib.* 1. *Rot.decis.*301.*nu.*6. *par.*4.*rec.tom.*2. *apud Caualer.decis.*137. *num.*1. *Otthobon.decis.* 192.*nu.* 3. *&* 7. *& supradicto disc.*15. *de Tutor.,& alibi hoc tit.*

Nisi facti circumstantiæ probarent, quod creditori rectè conscio, solutio facta esset de bonis, ac effectibus propriis
4 ipsius debitoris, independentèr à negotio administrato, adeò vt creditor dicere non valeat se iustè credidisse,vt pecuniæ,quæ soluebantur, prouenirent ab effectibus eius proprijs, ac negotij administrati, in cuius causam inter socios,vel inter dominum, & ministrũ in dies currunt partitæ dati,& accepti,cum isto casu vrgeat ratio affectionis bonorum propriorum principalis debitoris, quorum intuitu,fideiussor se obligauit; Atq; cum hac distinctione in pluribus similibus controuersijs procedendum esse aduertebam, et vbi casus præbuit, vt causæ tractarentur coram benè versatis, vel saltèm iudicioſis iudicibus, eam admitti pluries practicaui; Secùs autem vbi coram ijs, qui scientes aliquas conclusiones generales per traditiones, & ex auditu potiùs, quã scientificè, atq; per rationes,
5 seù principia, nesciunt ab eis discedere, atque huiusmodi distinctiones credunt esse subtilitates, ac ratiocinia Aduocatorum, qui puluerem in oculos Iudicum emittere velint, adeò vt frequẽtèr,maior fama, vel existimatio ingenij, ac doctrinæ Aduocati, apud huiusmodi Iudices esse soleat causis præiudicialis, quoniam quo magis est magnus Aduocatus,eo magis credunt eos posse decipi; Vnde propterea pluries, ac pluries expertus sum, magis expedire, vt pro causarum, ac iustitiæ defensione, motiua quamuis solida,benèque fundata, quæ tamen aliquam ingenij, seù acuminis partem habeant, quamuis per Aduocatum excitata, grossolano modo,per solùm causæ Patronum deducantur, ad huiusmodi vmbram,seù suspicionem tollendam; Id autem prouenit à dicto abusu, in dies magis crescẽte, quod scilicèt, iam deserto legum studio theorico,& per principia,tota scientia reducitur ad traditiones, ac adnotationes in repertorijs conclusionum, quæ desumuntur ex studio modernarum decisionum,seù modernorum Consulentiũ, non distinguendo casum à casu, siuè (vt vulgò dicitur) leprem à lepra,dum ignorantur principia scientiæ.

ROMANA FIDEIVSSIONIS PRO MAVRIS CVM VGOLINO AMADORO.

Casus decisus per Rotam pro Mauris, postea concordatus.

An, & quando fideiussor, quamuis nullas recipiat molestias, agere possit contrà principalem debitorem, vt eum eximat ab obligatione; Et de interpretatione conuentionum, & pactorum faciendâ potiùs

potiùs ex ſubſtãtia veritatis, quàm ex figura, ſeù grammaticali ſenſu verborum.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *Ex Statuto Vrbis fideiuſſor poteſt quandocumque petere exemptionem ab obligatione.*
4 *Item vbi diù ſtetit in obligatione, & quãdo diù ſtetiſſe dicatur.*
5 *Vel vbi fideiuſſor eſt obligatus cum pactis executiuis.*
6 *Aut vbi debitoris conditio deterior effecta ſit.*
7 *Quod attendi debeat ſubſtantia veritatis, non autem ſonus, vel formula verborũ, quæ ſæpè impropriãtur &c.*

DISC. CIII.

1 CVM fratres de Mauris; pro aliquibus debitis in ſumma notabili, fideiuſſiſſent pro Vgolino viro Annæ Mariæ eorum ex fratre neptis, atque poſt aliquod tempus, eumdem Vgolinum in iudicio pulſarent pro eorum liberatione à fideiuſſione, vt ità fortè illum magis prouidum redderent, ac ſollicitum ſolutionis debiti; Deuentum eſt ad concordiam, per quam fideiuſſores promiſerunt à dicta inſtantia deſiſtere, ſub tripli-ci conditione; Primò ſcilicèt extinctionis quorumdam aliorum debitorum; Secundò pro eo tempore, quo moleſtias à creditoribus non reciperent; Et tertiò, quatenus adhùc non duraret matrimonium inter dictos Vgolinum, & Annam Mariam, per illa verba præciſa materno ſermone concepta *Et purche non duri più il matrimonio &c.*; Cumque ad breue tẽpus dicti matrimonij diſſolutio ſequuta eſſet per mulieris mortem, quæ alias controuerſias excitauit recenſitas *ſub tit. de Dote diſc.* 33.; Hinc proindè iſta quoque ex eadem cauſa exorta eſt, quod ſcilicèt fideiuſſores mandatũ exequutiuũ ab A. C. obtinuerunt ad factum contra debitorem pro exemptione ab eorum obligatione; Sed commiſſa per Signaturam Iuſtitiæ cauſa appellationis *in Rota coram Veroſpio*, cum clauſula translatiua *ſi quid exequendum*, datoque dubio ex 2 reſcripti ventre oriente, àn mandatum eſſet exequendũ, *ſub die* 24. *Maij* 1660. ad fauorem fideiuſſorum affirmatiua prodijt reſolutio, deindeque concordia, à me quoque conſulta, & facilitata, tàm huic, quàm prædictis alijs controuerſijs finem dedit.

In diſputationibus igitur deſuper habitis, tàm coram A. C., quàm in Signatura, & in Rota, nõ dubitabatur de bono iure actorum, & de competentia dictæ actionis petendi exemptionem ab obligatione, quamuis nullas reciperẽt moleſtias, quoties dicta noua conuentio non obſtaret, quoniam quatuor in idem concurrebant, ex quorum ſingulis hæc actio exercibilis remanebat, multo verò magis eis ſimul iunctis.

Primò ſcilicèt, ac de plano, abſquè alia iuris diſcuſſione, ex clara, & expreſſa diſpoſitione Statuti Vrbis *lib.* 1. *cap.* 3 152., per quod decernitur, vt fideiuſſores indefinitè poſſint quandocumque petere à debitore, vt eos liberet, ſoluendo, vel aliam cautionem creditori præſtando, & de quo Statuto agitur *per Rotam apud Caualer. deciſ.* 320. *& deciſ.* 201. *poſt Cenc. de cenſ., & in alijs.*

Secundò quia diù ſteterant in fideiuſſione, quo caſu, etiam ex ſola diſpoſitione iuris communis, eadem actio competit *Guid. Pap. deciſ.* 217. *Menoch. de arbitr. caſu* 88. *Caualer. dicta deciſ.* 320. *num.* 2. 4 *& frequenter*; Cadente ſolùm quæſtione, quando diù in obligatione ſtetiſſe diceretur, quod certam regulam, ſeù determinationem non habet, ſed remiſſum eſt prudentis Iudicis arbitrio, ex facti qualitate, & circumſtantijs regulando *Menoch. dicto caſ.* 88. *Caualer. deciſ.* 320., vbi tempus biennij ad id ſufficiens reputatum fuit, quoniã ita illius facti circumſtantiæ exigebant; Pluries tamen cum riſu expertus ſum, quod aliqui Iudices cũ huius deciſionis littera proceſſerint, quaſi quod iſte terminus biennij eſſet generaliter à lege præfinitus, ideoq; pro regula vniformi attendi deberet, non curatis circumſtantijs facti, ex quibus, in vno caſu etiam minor terminus ſufficiat, in altero autem longior non attendatur.

Ter-

Tertiò quia obligatio fideiussorum concepta erat cum obligatione camerali, aliisque pactis exequutiuis, ex quibus dicitur sequuta condemnatio, ac imminens exequutio, vndè propterea etiã de iure absquè Statuto eadem actio competit *Borrell. in summ. decis. tom. 3. tit. 13. de fideiussor. num. 378. Duran. decis. 75. num. 3. cum seqq. Add. ad Buratt. decis. 401. num. 23.*

Et quartò quia immutata supponebatur conditio debitoris in deterius, quo 6 casu idem procedere probat *text. in l. Lucius titius §. fin. ff. mandat., & l. si pro ea C. eodem cap. fin. de fideiuss.*, atquè firmant cõmuniter DD. cumulati *per Menoch. de arbitr. dicto casu 88. nu. 10. & 11. Borrell. loc. cit. nu. 373.*, & habetur in huius causæ *decisione in fine*.

Non negabantur hæc per Scribentes pro Vgolino reo conuento, sed dicebatur, quod omnia cessarent per dictam nouam conuentionem, ad quam proindè disputatio restringebatur; Cumque ex hac parte actorum, pro quibus scribebam, diceretur dictam conuentionalem dilationem resolutam esse ob purificatam dictam conditionem, eo quia non durabat amplius matrimonium; Replicabatur id esse in oppositum, vt scilicèt attento sono, seù grammaticali sensu verborum, dilatio concessa esset, dummodò adhùc non duraret amplius matrimonium, ibi, *E purche anco non duri più &c.*

Meritò autẽm istud fundamentum reiectum fuit, quoniam facti qualitas, & circumstantiæ, ad nimiam euidentiam ostendebant, quod fideiussores, eatenus à dicta instantia abstinuerint, atq; dilationem concesserint, quatenus ità impelleret affectio ergà propriam neptem, cuius intuitu, atq; vt ità eius virum à molestijs 7 eximerent id gestum fuit; Ideoque meritò, cessante causa huiusmodi beneuolentiæ, & coniunctionis, ità conuentum fuit cum dictis verbis, quorum negatiua in affirmatiuam resoluenda erat, eo modo quo *supra disc. 55.* habetur, vt copulatiua resoluatur in alternatiuam, vel è contrà, de quo etiã habetur in materia vltimarũ voluntatum *sub tit. de Fideicommiss.*

Ideoquè firmata fuit conclusio, super qua decisio edita in ista causa circumferri frequenter solet tãquam magistralis, ideoq; in omni ferè materia frequenter insinuatur, vt non cortex, & figura verborum, vel eorum litteralis, seù grammaticalis sensus attendi debeat, sed substantia veritatis, seù verisimilis voluntatis *ad text. in l. in conuentionibus ff. de verb. signif., & l. sed Celsus §. 1. ff. de contraben. empt. cum concord. per Mantic. de tacit. lib. 2. tit. 7. num. 1. cum sequentib., Rot. apud Buratt. decis. 113. num. 7., & apud Merlin. decis. 692. n. 46.*, cum alijs in dicta decisione, ac frequentèr insinuatur præsertim *sub tit. de Fideic.*, quoniam est principium verissimum, quod antè omnia per Iudices, & Consulentes ad veritatem præ oculis habendum est, cum sæpiùs verborum formulæ proueniant ab imperitia Notariorum, vel ipsarum Partium nescientium melius explicare, vel concipere earum sensum.

RECANATEN.

CENSVS

PRO

MARIO

CVM

FRANCISCO DE MASSVCCIS.

Casus resolutus per Rotam pro Francisco.

De eadem materia attendendi in obligatione debitoris, releuandi fideiussorem, potiùs substantiam veritatis, quàm sonum verborum; Et àn fideiussor, qui in gratiã debitoris in pluri se obligauit, actionẽ releuationis habeat, quamuis hæc in minori summa promissa sit.

Et

Et incidenter, àn obligatio cameralis trahatur ad omnia enunciata in instrumento, si dispositiua sit magis stricta, quàm narratiua.

Et an cessio ex interuallo, per creditorem, correo, vel fideiussori fieri valeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Obligatio est stricti iuris, & non extendenda.*
4 *Potius attendi debet pars dispositiua, quã proœmialis.*
5 *Verba præcedentia restringuntur à sequentibus.*
6 *Attendi debet substantia veritatis, non autem formalitas verborum.*
7 *Quod sit error facere instrumenta, & testamenta in lingua latina.*
8 *Standum est potiùs capitulis, quàm instrumento.*
9 *Deberent etiam vulgarizari clausulæ.*
10 *Quomodo constet de substantia veritatis.*
11 *De eodem, & vt attendi debeant potiùs facta, quàm verba.*
12 *Vndè prouenerit error Notarij.*
13 *Obligatio Cameralis, vel pacta executiua suffragari non possunt in ijs, quæ non sunt promissa.*
14 *Quod obligatio cameralis trahatur ad enunciata.*
15 *Declaratur.*
16 *An cessio possit ex interuallo reportari per fideiussorem, qui se obligauit tanquã correum &c.*

DISC. CIV.

1 FRanciscus Massuccius, & Fabritius Leprettus, ambo filij familias, indigentes scutis mille pro quolibet, inuentoque Vincentio mutuatore, qui tamen, non nisi cum vtriusque, ac eorum parentum obligatione in solidum totam summam scutorum bis mille credere volebat; Hinc eorum patres, ipsosmet filios respectiuè procuratores constituerunt ad imponendum censum, & se obligãdum in solidum pro dicta summa, hoc est, Cæsar dedit mandatum Francisco, & Marcus Antonius Fabritio filijs respectiuè, dictoque contractu inito, Franciscus, præuia narratiua, quod Cæsar pater mandatum prædictum dedisset eius intuitu, & contemplatione, quodque propterea deberet eũ indemnem releuare, in dispositiua indemnitatem promisit in scutis mille per ipsum habitis, dum alia mille habita fuerant à Fabritio; Cum autem casus dedisset, quod Francisco dictam eius ratam iam extinguente, Fabritius correus defecerit ab extinctione propriæ ratæ aliorũ mille, hinc proindè creditor pro residuali summa scutorum 800. circiter egit contrà Cæsarem Francisci patrem tanquam obligatum in solidum, qui coactus dictam summam soluit, reportata cessione iurium; Deindèque Marius dicti Cæsaris hæres, contra Franciscum iudicium exequutiuum in vim obligationis cameralis pro releuatione instituit coram A. C., à quo prodijt sententia absolutoria ab obseruatione dicti iudicij executiui tantùm, introductaque per appellationem causa *in Rota coram Carpineo*, ac dato dubio, àn & quomodo
2 dictus Franciscus, vel eius interim defuncti hęres ad indemnitatem teneretur, sub die 23. *Ianuarij* 1667., in omnibus negatiuè respondum fuit, nequè causa (quod sciam) vlteriorem progressum habuit.

In disputationibus autem habitis, tàm in Rota, quàm coram A. C., tres fuerunt puncti; Primò circa merita negotij principalis, àn scilicèt Cæsar, qui mandatum ad se obligandum in scutis bis mille dederat, pro integra summa, indemnitatis actionem haberet contra Franciscum filium, cuius præcibus, ac intuitu mandatum prædictum dederat, vel potiùs pro solis mille, quæ verè Franciscus habuerat; Secundò quatenùs dicta actio pro integra summa competeret, àn id proueniret ex dicta expressa promissione indemnitatis cum obligatione camerali, vel potiùs ex dispositione iuris, cum ex hoc penderet competentia viæ executiuæ; Et tertiò àn eidẽ Cæsari suffragaretur cessio iuriũ ex interuallo reportata à creditore per ipsum satisfacto.

Qua-

Quatenus pertinet ad primum, in quo totus cardo causæ consistebat; Dicebant Scribentes pro Francisco reo conuento, (quibus Rota in dicta resolutione adhæsit) quod, cum attento contextu instrumenti recognitionis bonæ fidei, ac promissionis indemnitatis, in parte dispositiua, Franciscus, stante quod de dictis scutis bis mille, solùm mille habuerat, pro eis tantùm ad indemnitatẽ se obligauerat, idcircò eius obligatio restricta erat ad hanc summam, pro qua eius obligationem impleuerat per extinctionem debiti, vndè propterea nullæ habebantur molestiæ; Et consequenter, quod dicta obligatio extendenda non esset ad alia scuta mille habita per Marcum Antonium, seù Fabritium; Procedendo cum regula, seù axiomate generali deducto ex vulgata *l. quidquid adstringendæ, & l. si ità stipulatus* §. *Chrysogonus ff. de verbor. obligat.*, vt obligationes dicãtur stricti iuris, ideoquè strictè intelligendæ sint, neq; extendendi debeãt vltrà voluntatem; Et in specie promissionis indemnitatis non extendendæ vltrà proprium debitum *Rota apud Caualer. decis. 99. in princ. decis. 361. num. 6. par. 3. rec. & decis. 224. num. 11. par. 5.*

Cumque ex hac parte actoris insisteretur in narratiua contenta in parte proœmiali, quod Cæsar pro integra summa scutorum bis mille intuitu Francisci filij mandatum dederat; Respondebatur, vt potiùs attendi debeat pars dispositiua, quàm proœmialis *ad text. in l. emptor*, §. *ancilla, ff. de rei vendicat. Bald. cons. 449. num. 4. lib. 3.*; Deducendo etiam regulam deductam *ex textu in l. 1.* §. *si quis simpliciter*, vbi *glos. ff. de verb. oblig. cum concordantibus apud Gregor. decis. 114. num. 5.*, quod præcedentia verba generalia restrictionem recipiunt à sequentibus, vel à ratione postmodùm adiectà cum his generalitatibus procedendo.

Mihi scribenti pro actore (reflectendo etiam ad solam veritatem) resolutio non placuit, eumdemque sensum habebat iudex primæ instantiæ, qui solùm difficultatem habuit super incompetentia viæ exequutiuæ, probabilius autem ei in bono iure videbatur, vt Franciscus pro integra summa, omnibusque resultantibus à dicto mandato, seù obligatione eius ratione facta, teneretur Cæsarem patrem releuare; Idque ex propositione, seù regula, de qua *discurs. proximè præcedenti*, quod scilicèt, in quibuscumque humanis actibus, non formula verborum, eorumque litteralis, vel grammaticalis sensus attendi debet, sed substantia veritatis, cum verba frequentiùs, vno, vel altero, etiam inepto modo, per Notarios præter intentionem Partium concipi soleant.

Potissimè verò attento vsu Vrbis & Status Ecclesiastici (quem ego semper, tam in contractibus, quàm in testamentis, ac vltimis voluntatibus, magnum abusum dicere consueui) adhibendi latinum sermonem, quem Partes non benè callent, vndè propterea verbalis stipulatio Notarij in compendio fit in diuerso sermone italico, seù materno, ideoque aliud est, quod Partes intelligunt, aliud verò, quod in scriptura continetur, quo nil absurdiùs, vbi præsertim de actibus mulierum, ac virorum illitteratorum agitur, quoniam ità non contrahunt, vel disponunt Partes iuxtà eorum voluntatem, sed Notarius pro eius formulario, vel inepto modo loquendi.

Et ex qua ratione prodijt frequens, et recepta conclusio, de qua *sub titulo de fideicommiss. disc. 179. & sub titulo de emphyt. disc. 14., ac alibi frequenter*, quod in concursu instrumenti, et capitulorum initorum inter Partes, istis potiùs deferendum est, eo quia continent verba Partium, instrumentum verò continet verba Notarij; Sanctiùs tamen esset, vt etiam instrumenta, vel testamenta continerent verba Partium in earum vulgari, seù materno sermone, in quo etiam extendi, ac distinctè vulgarizari deberent clausulæ apponi solitæ, earumque operationes, ac effectus, cum frequentiùs, ac penè semper, ex antiquis leguleicis propositionibus tribuantur verbis, et clausulis illæ operationes, illique effectus, qui nunquam per contrahentes, vel disponentes in animo habiti fuerunt.

Quod autem substantia veritatis huic parti assisteret, mihi videbatur nimium clarum ex confessione, quæ dicitur optima probatio, omnemque aliam probationis speciem superat, dum in eiusdem instrumenti parte proœmiali, seù narratiua, Franciscus, Cæsare patre præsente, in-

ingenuè fatetur veritatem, quod scilicèt Cæsar dictum mandatum dederat solo intuitu, et contemplatione ipsius Francisci filij, non autem Fabritij, vel Marci Antonij extraneorum, quorum fidem nullatenus sequutus erat, sed quilibet ex dictis patribus mandatum dederat, intuitu, et contemplatione proprij filij respectiuè; Vndè propterea incongrua videbatur dicta distinctio inter partem procœmialem, et partem dispositiuam, quoniam id deducebatur tanquam probatio veritatis per confessionem partis præsentis, quæ vbi etiam fuisset partis absentis, et extrà eam occasionem adhùc attendenda veniret.

Clariùs verò id probari asserebam ex factis, quæ magis attendenda sunt, quàm
11 verba; Tum ex verisimilitudine, vt quilibet ex patribus pro proprio filio respectiuè se obligaret; Tum etiam ex obseruantia, dum ità quilibet à proprio filio indemnitatem obtinere solicitus fuit, negligendo illam obtinere à correo extraneo contrà omnem verisimilitudinem, quod scilicèt patres solliciti esse voluerint de indemnitate à proprijs filijs, quos iuxtà ordinem naturæ eorum hæredes, ac successores credebant, negligere autem ab extraneis, vt ipse naturalis sensus euidenter probat.

Error autem Notarij restringendi in parte dispositiua obligationem indemnitatis ad sola scuta mille, prouenit ex eo, quod quilibet ex dictis filijs hanc summam receperat, et consequenter cum
12 præsuppositio, quod quilibet eorum suum debitum soluturus esset, quodque eorum patres, nonnisi ex facto, et rata proprij filij respectiuè molestias recepturi essent, ità in vtroque instrumento indemnitatis prædictorum Francisci, et Fabritij ad fauorem patrum respectiuè actum fuit de rata propria, non cogitando imperitus Notarius ad obligationem in solidum, per quam vnus pro rata alterius iure fideiussionis inter eos vrgeri poterat; Ideoque omninò magis ista substantia veritatis euidenter comprobatæ attendi debebat, quàm verborum formalitas prouenies ab inaduertentia Notarij, dum in narratiua, Partes ingenuè eamdem veritatem, prout erat, expressèrunt.

Quoverò ad alterum punctum ordinis, de quo potiùs in prima instantia coram A. C., quàm in Rota principaliter actum fuit; Aliquam maiorem agnoscebam subesse difficultatem, ideoque in
13 hac parte resolutio non improbabilis visa est, quoniam cum obligatio restricta esset ad dictam solam ratam scutorum mille, quæ cesserant in causam propriam obligatio non poterat exequi in alia rata, pro qua obligatio, seù stipulatio non legebatur, quamuis ex supra deductis, illa quoque de iure inesset, quoniam, Aliud est, vt hæc actio indemnitatis competat ex dispositione legis; Aliud verò, vt competat ex propria stipulatione, seù obligatione, cum clausulis, et pactis exequutiuis.

Et quamuis ego Scribens pro Actore tanquam Aduocatus, deducerem conclu-
14 sionem deriuatam *ex theorica Bartoli in l. si socer, §. Lucius num. 4. ff. solut. matrim. & l. ex hac scriptura num. 1. ff. de donat.*, vt obligatio cameralis operatiua sit in omnibus enunciatis, vt *decis. 741. nu. 12. par. 1. diuers.*, quæ reputatur in hac conclusione originalis, *& decis. 5. num. 8. post Zacch. de oblig.*, vbi in specie dicta theorica ponderatur, et *dec. 237. n. 4. post eũdẽ Zacch. de oblig. & decis. 397. num. 5. 6. & 20 par. 9. recent. cum alijs per add. ad dec. 666. num. 154. & seqq. par. 4. rec. tom. 3.*;
Nihilominùs vrgere videbatur alia
15 theorica *eiusdem Bartoli in eadem l. ex hac scriptura num. 9. ff. de donat.*, quod quando præcedens enunciatiua habet subsequentem taxatiuam, seù limitationem in parte dispositiua, ista potiùs attendi debet, quoniam in ea consistit stipulatio, ad quam obligatio restringitur.

Demùm quoad tertium; Decisio admittit ea, quæ plenè, ac doctè habentur fir-
16 mata *per Rotam apud Merlin. decis. 512. à num. 1. ad 13. & ferè per tot.*, quod scilicèt, quamuis in stricto rigore, per nostros maiores ponderato, vbi agitur de illis fideiussoribus, qui se obligando tanquam principales, principaliter & in solidum, potiùs correi debendi, quàm fideiussores dicendi sunt, fieri non possit hæc cessio ex interuallo, sed intret regula deducta *ex textu in l. modestinus, ff. de solut.*, quasi quod correus, non animo se releuandi à principali debitore, sed potiùs animo extinguendi propriam obli-

gationem soluisse diceretur iuxtà ponderationes, de quibus *apud Surd. decis. 308 num. 15.*; Nihilominùs, vbi verè, & realiter, spectata facti veritate, ac rei substantia, non est principalis reus, qui se obligasset in causam propriam, sed obligatio sit in causam alienam, tunc ex recepta æquitate admittatur cessio etiam ex interuallo; Dictaque opinio videtur nimium probabilis, ac fortè vbique, præsertim verò in Curia recepta, cum apud moderniores iudiciosè in multis, et quidem rationabiliter, moderati sint illi stricti, ac leguleici rigores, qui aliam non habent rationem, nisi quod ita aliqua lex, expressè, vel per argumentum disponat.

Verùm in decisione negatur applicatio ad casum, ex eodem fundamento, de quo suprà in primo puncto, quod scilicèt Cæsar se non obligasset in ordine ad Franciscum sub spe releuationis, eiusque intuitu, *(in* quo consistit potissima ratio, ob quam dicta cessio ex interuallo reportari potest); Vndè propterea id pèdet ex eodem principio, de quo suprà in dicto primo puncto principali, potissimè, quia non agebatur de solutione voluntaria, sed necessaria, & coacta, atq; pleraq; aderant argumenta voluntatis soluentis non soluendi, vt propriam dissolueret obligationem, sed potiùs vt id, quod pro alio soluere cogebatur, repeteret, vt in dubio est præsumptio, adeòut quando non obstarent firmata in primo puncto, probabiliùs crederem, vt cessio suffragaretur; Et consequenter quod ex hoc iure cesso competeret ille processus executiuus, qui non improbabiliter, iure proprio negatus fuit, iuxtà superiùs deducta in secundo puncto.

ROMANA PECVNIARIA

PRO

MVTIO MARERIO

CVM

CHRISTOPHORO CINCIO.

Causa pendet in Rota.

An, & quando fideiussor agat contra principalem creditorem pro indemnitate, seù releuatione, ob quietantiam debiti reportatam à creditore non constito de vera, & effectiua solutione, seù quomodo de ista constare debeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *An sit Baro, & cadat sub Bulla Baronum, qui emit Castrum cum pacto de retrouendendo ad exercitium deducto.*

3 *Solutio in dubio refertur ad debitum proprium non autem fideiussorium.*

4 *Aduocati in Curia non se ingerunt in ijs, quæ sunt facti.*

5 *Fideiussor non agit contra principalem, nisi doceat de solutione pro eo facta.*

6 *An fideiussor agat, si alter eius intuitu soluit.*

7 *Probatio debet esse concludens, & vniuoca.*

8 *Non sufficit, si soluta parte, creditor quietet pro residuo.*

9 *Probatio non dicitur concludens, si habet contrariam possibilitatem.*

10 *De solutione præsumpta.*

11 & 12 *Quando hæc non attendatur, & de differentia, àn agendo, vel excipiendo.*

13 *Præsumpta probatio non sufficit in actore.*

14 *Creditori sufficit negare solutionem probandam à creditore.*

15 *Sed quando probanda sit negatiua solutionis &c.*

DISC.

DISC. CV.

CONtracta per Mutium seniorem societate officij ad fauorem Patritij, sub fideiussione Felicis, cum iste esset debitor eiusdem creditoris, vel eius cessionarij ex diuersis alijs causis, atque facta solidatione computorum, quietantiam generalem ab eo reportasset; Hinc idem, vel Christophorus eius frater, & hæres, prætendendo, quod sub ista quietantia comprehensum esset etiam dictum debitum Mutij, contra eius interim defuncti hæreditatem, ac bona hæreditaria, mandatum exequutiuum ab A. C. obtinuit, deindèque ob insufficientiam bonorum hæreditariorum, delata causa ad *Rotam coram Beuilaqua sub die* 28. *Iunij* 1658. reportauit fauorabilem resolutionem super mandato, seù exequatur etiam cõtra bona propria Rhenati eiusdem Mutij filij, ob nõ benè redditas rationes bonorum hæreditariorum, siuè ob inuentarij defectum, eiusdemque mãdati vigore Mutium iuniorem Rhenati filium possidere profitentem bona à prefatis patre, & auo possessa, independenter ab eis ex fideicommissis maiorum, pulsauit in Congregatione Baronum, ex eo quod dictus Mutius quoddam castrum ad tempus possedisset, vt potè emptum cũ pacto de retrouendendo à venditore postmodum ad exercitiũ deducto, ideoque esset Baro, vndè disputatus fuit articulus, àn Bulla Baronum conueniat ei, qui ad aliquod tempus resolubilitèr, ac sequuta resolutione fuerit Baro, vt habetur deductum *sub titulo de Feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 91.

Quare dictus Mutius iunior, ad euitãdas maiores difficultates cadẽtes tã super hoc puncto, quã super altero redditionis rationum bonorum hæreditariorum dicti Mutij, de quo in dicta decisione edita 28. *Iunij* 1658., de consilio mei, aliorumque Aduocatorum, oportunum censuit, diuersam assumere disputationem super veritate, seù existẽtia crediti actoris; Ideoque *coram eodem Beuilaqua* datum fuit dubium, àn constaret de credito, eoq; proposito *sub die* 27. *Iunij* 1661. dilata fuit resolutio, quæ adhuc pendet, dum (quod sciam) causa vlteriorem progressum huc vsquè non habuit.

In hac autem disputatione, vt etiam in præparatione nouæ disputationis, pũctus videbatur potiùs facti, quàm iuris, àn scilicèt quædam solutiones ab actore vel eius hærede simplicitèr factæ creditori, vel cessionario, ad istud creditum referendæ venirent, nec nè; Siuè an quietãtia illud comprehenderet, cum ex pluribus facti circumstantijs, nimiùm probabilitèr ex hac parte doceretur de negatiua in dubio præsumenda, cum solutiones ad propria, nõ autem ad aliena, & fideiussoria debita referãtur ex deductis *per Gratian. discept.* 224 *num.* 27.

Atquè super hoc fuit maior controuersia potiùs inter causæ Patronos, quàm inter Aduocatos, parùm vel fortè nihil se ingerentes in ijs, quæ facti sunt, respõdendo de iure cum facti præsuppositis, quæ per causæ Patronos fiant; Quamuis nimium congruat ad causarum defensionem, vt etiam Iurista sit benè informatus de facto, ex quo ius pendet.

Quatenùs verò pertinet ad punctum iuris; Scribens Ego pro Mutio negante debitum, siuè actionem deducebam conclusionem, quod fideiussor non dicitur creditor principalis debitoris, nequè contra eum actionem aliquam habet, nisi doceat de solutione pro eo facta ad *text. in l. si pro ea C. mandati* vbi communiter scribentes, de quibus *apud Salgad. in labyr. p.* 1. *cap.* 20. *numer.* 24. *Henrig. de fideiuss. cap.* 20. §. 1. *num.* 40. *cum seqq. Ole. de cess. iur. tit.* 6. *in Miscellan. numer.* 37. *Rot. decis.* 462. *post Cenc. de cens. n.* 5. *& seqq.*; et tanquam absolutum supponitur *apud Snrd. decis.* 118. occasione disputandi questionem, an fideiussori contra principalem debitorẽ competat actio pro ea debiti solutione, quam tertius, ipsius fideiussoris intuitu, & comtemplatione fecerit, ideoq; supponitur certa substantia solutionis.

Istaq; probari debet concludenter, & cum probationibus vniuocis, nõ autem æquiuocis, vnde propterea, vt aduertitur apud allegatos, presertim *Henrig.*, *& Oleam vbi supra*, si creditor fateatur recipere à fideiussore aliquã summã pro residuo totius debiti, quamuis istud verbũ *residui* importet confessionem de receptione totius debiti, vnde propterea de-

bitor liberationem consequitur *Caualer. decis.* 228. *num.* 2. *decis.* 94. *num.* 20. *post Merlin. de Pign. Otthob. decis.* 201. *nu.* 21. *decis.* 74. *num.* 12., & 14. *par.* 10. *rec.*

Attamen id nō suffragatur fideiussori ad repetendum totum à principali debitore, sed solum illam summam, quam
8 creditor dixit recipere pro residuo, quoniā reliquum soluere potuit ipsemet principalis debitor, vel alter fideiussor seù correus, ideoque probatio remanet æquiuoca, & non benè concludens, qualis nō dicitur ea, quæ contrariam habet possi-
9 bilitatem *ex collect. per Barbos. axiom.* 191. *Rot. apud Celsum decis.* 161. *nu.* 3. *vbi concordantes, & passim.*

Scribentes pro actore multa deducebant argumenta, seù adminicula ad probandū, quod sub dictis quietantijs, istud quoque debitum comprehensum esset,
10 curando cum copiosis allegationibus probare assumptum deductum *ex l. procula ff. de probationib.*, *de quo latè Surd. decis.* 105. *Merlin. decis.* 124., *& infrà pluries*, occasione agendi de præsumpta solutione, quod scilicet prohibitum non sit in iure, solutionem probare etiam per præsumptiones, & adminicula.

Dicebam tamen conclusionem esse veram, fallaciam verò consistere in applicatione, cum ea procedat fauore debitoris ad ipsum liberandum, non autem quando solutio allegatur agendo tanquam fundamentum intentionis, cum tunc solutio præsumpta non attendatur, sed iustificari debeat expressa, & vera, vt ita distinguēdo in specie aduertitur *per*
11 *Henrig. dicto cap.* 20. §. 1. *num.* 41. *cum seqq.*; Et habemus etiam in proposito solutionis, quæ allegetur per debitorem contra creditorem ad effectum repetendi indebitè solutum, quod vbi etiam concurrerent lapsus temporis, ac præsumptiones, & adminicula, ex quibus debitor excipiendo mereretur absolutoriam, ea tamen non suffragantur eidem agenti ad repetitionem indebitè soluti, quoniā multa prosunt, atq; sufficiunt ex-
12 cipiendo, quæ non sufficiunt agendo ex deductis *per Buratt.*, *& add. decis.* 592. *Ciriac. contr.* 252. *num.* 44.

Et est propositio generalis, iuxta opinionem in Rota, & Curia receptam, vt præsumpta probatio regulariter non
13 sufficiat in ijs, quæ sunt fundamentum intentionis ex deductis *per add. ad Gregor. decis.* 53. *num.* 5., *& ad Buratt. decis.* 592. *decis.* 202. *num.* 4. *p.* 5. *rec.*, *& frequenter*.

Deducebatur etiam alià regula, de qua *per Afflict. decis.* 91. *n.* 2. *Gregor. dec.* 139. *Rot. in Neapolitana pecuniaria* 27. *Iunij* 1653. *coram Meltio*, edita in casu de quo *supra disc.* 60., & frequenter, quod credi-
14 tori non incumbit probare negatiuam solutionis debiti, sed sufficit eam simpliciter negare, vt fundata dicatur eius intentio, donec solutio probetur per debitorem; Sed pariter dicebam conclusionem esse veram, fallaciam autem consistere in applicatione, cum ea procedat quando creditor iam fundauit eius creditum, & actionem in instrumento, vel alia legitima probatione, quoniam tunc de-
15 bitor dicitur actor in solutionis exceptione; Secus autem vbi negatiua solutionis allegetur à tertio ad alium effectum iuxta plenè deducta *per Cyriac. cōtr.* 108. *n.* 8.; Siue vbi allegetur solutio pro purificatione obligationis cōditionalis iuxtà *decis.* 671. *p.* 3. *rec. cum similibus*; Ideoque causa restringebatur ad circumstantias facti, an scilicet ex eis resultaret probatio, quæ concluderet.

ROMANA

ASSECVRATIONIS OLEI

PRO

MARTELLIO, & VBERTINO

CVM

VIVALDO, & MONTHIONO,

alijsque Assecuratoribus.

Casus decisus per Rotam pro Assecuratoribus.

De pluribus ad materiam assecuratio-

nis

nis pertinentibus; Et præsertim, quando dicatur commissa barattaria, quæ per assecuratores excepruata sit; Et de duplici assecuratione, quando sit prohibita.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Recensentur puncti, siuè inspectiones causæ.*
4 *De materia contrahannorum remissiuè.*
5 *In dubio cogi debent assecuratores ad soluendum, & non debent audiri, nisi prius soluant.*
6 *Probatus dicitur casus assecurationis, si super sex menses, nõ habetur nuncius nauis.*
7 *Referuntur decisiones agentes de materia assecurationis.*
8 *Quomodo ista materia assecurationis decidi debeat.*
9 *Quid vbi casus assecurationis nõ contingat in toto, sed in parte.*
10 *An attendi debeat valor mercium assecuratarum in loco, à quo, vel ad quem.*
11 *Attenditur locus destinatus, vt ad eum saluæ deueniant.*
12 *Quid de casu proiectus.*
13 *Præponens tenetur de facto præpositi.*
14 *Declaratur, & de conclusione, vt fideiubens ad vnum opus non sit obligatus pro altero.*
15 *Quando præponens teneatur etiam de præposito circa opus diuersum.*
16 *De fide præstanda scribæ nauis.*
17 *Declaratur, & quod non tollat aliam speciem probationis.*
18 *De duplici assecuratione prohibita, quæ declaratur.*
19 *Possunt dari plures fideiussores pro eodẽ debito.*
20 *Quid referat, àn dentur vnitim, vel seiunctim.*
21 *De praxi, vel obseruantia plurium assecurationum earumdem mercium.*
22 *Quando detur duplex assecuratio.*
23 *An incertitudo vitiet assecurationem in totum.*
24 *De deductione octauæ partis remissiuè.*
25 *De facto casu assecurationis ob commissũ nauis accedentis ad inimicos.*
26 *Quando dicatur factus casus barattariæ.*
27 *De eodem, & quod aliud sit barattaria, & aliud culpa.*
28 *Explicatur vocabulum* barattaria *quid significet.*
29 *An, & quando culpa præstanda sit, quamuis non præordinata ad casum.*
30 *Culpa Nauarchi, àn cedat damno assecurati.*
31 *Cedit vbi ipse Nauarchus est dominus, vel particeps.*
32 *Vel est mercium institor.*
33 *Secùs vbi adest alter institor deputatus.*
34 *Non intrat assecuratio pro mala custodia.*
35 *De probatione naufragij &c.*

DISC. CVI.

1 CVpientibus Martello, & Vbertino in Vrbe negotiatoribus, assecurare quandam notabilem olei quantitatem per nauem oneratoriam transmittẽdam à portu Brundusino ad Ciuitatem Ostendæ Germaniæ inferioris; Cum non de facili reperiatur negotiator, qui solus huiusmodi magnas assecurationes faciat, hinc propterea frequentior stylus est, vt id sequatur à pluribus, qui pro diuersis summis, vel ratis diuersis diebus per ipsos assecuratores adnotari solitis, in vno, vel pluribus folijs, seù apocis impressis eiusdem tenoris circumferri solitis per proxenetas huiusmodi negotia tractãtes, se obligant; Atquè exindè sequutum est, quod Viualdus, & Monthionus, & quamplurimi alij diuersis diebus quasi per spatium mensis assecurarunt pro summa scutorum 16. m. circiter, quamuis merces importarent scuta 30. m. circiter, sub conuenta mercede assecurationis ad rationem 7. pro centenario; Cum autem in itinere, duplex casus contigisset in dictis mercibus; Primò scilicèt effusionis alicuius partis ratione tẽpestatis; Et secundò quod classis Hispanica, nauem ratione commissi accepit, exoneratis oleis in portu Cadicensi, illisquè traditis in custodiam cuidam Iacobo, quem dicti assecurati deputauerant mercis institorem,

rem, seù præpositum vulgò nuncupatum *supra carico*; Hinc assecurati de huiusmodi casibus certiorati, iudicium instituerunt contrà assecuratores, qui sententiam absolutoriam ab A.C. reportarunt, introductaquè per appellationem causa
2 *in Rota coram Priolo*, datoque dubio an, & ad quid assecuratores teneantur, *sub die 5. Decembris 1670.* eorumdem assecuratorum fauore, negatiua prodijt resolutio, cuius reuisio pendet.

In huiusmodi disputationibus, in vtroq; Tribunali habitis, plures fuerunt puncti, seù exceptiones per assecuratores deductæ, super quibus disputatū fuit;
3 Primò scilicèt facti, non benè probati casus naufragij, seù peremptionis merciū; Secundò ob non factam liquidationem, stante quod merces importabant ferè duplum summæ assecuratæ, quodque non tota merx peremptа erat, sed aliqua pars, idquè fuit potissima causa resolutionis Rotalis; Tertiò ob non benè probatam onerationem mercium in quantitate, & qualitate per attestationem Scribæ nauis, vt probari debet, sed solum per apocam oneratoriam vulgò nuncupatam *polizza di carico*, aliasquè species probationis; Quartò ob duplicem assecurationem de iure prohibitam; Quintò ob non deductionem octauæ partis; Et demùm sextò quia supponebatur casum maiorem, qui in dicto portu Cadicensi contigerat captæ nauis in cōmissum, prouenisse ratione barattariæ, commissæ per ejusdem nauis ducem, seù dominum, ob introductionem aliquorum argentorū, aliarumq; mercium in eodem portu absq; superiorum licentia, & emolumentorum debita solutione.

Primus punctus erat potiùs facti, quā iuris, an scilicèt testes desuper inducti benè concluderent casum, eiusquè causam, dum ex parte Actorum supponebatur id contigisse ob suspicionem à Duce dictæ classis conceptam, quod esset nauis onerata mercibus pro seruitio Lusitanorum inimicorum; Et conuerso autem rei conuenti prætendebant, casum contigisse ex causa onerationis dictorum argentorum, ac mercium sine debitis licentijs, ac expeditionibus, atquè vt vulgò dicitur *per contrabando*, super qua materia
4 particularem edidit tractatum *Mauson. impress. post tract. de caus. executiu.*, pluraquè de hac materia post plures ab eo relatos deducit *Rocch. in eius tractat. intitulato de officijs*, (in quo tamen contrabandorum potiùs, quàm officiorum materia tractatur.)

In hoc autem dicebam, quod, cum discordantia non esset circa veritatem, vel substantiam casus, cuius veritas in genere non controuertebatur, sed esset circa modum, seù causam, adeò vt desuper caderet dubium (quod etiam in omnibus alijs exceptionibus cadebat), hinc id sufficere deberet, vt interim retardari non deberet exequutio summæ conuentæ per
5 assecuratores soluendæ, quoniam ex ordinationibus maritimis contentis *in Consulato maris cap. 24. fol. 222.*, quarū verba regiſtrantur *per Rocch. respons. 24. nu. 21. lib. 1.*, *& in notab. post secundum volum. cons. tit. de assecurat. notab. 85. numer. 425.*, *& apud Sanfelic. decis. 162.* disponitur, vt, cadente aliqua dubietate, assecuratores non possint audiri, nisi priùs soluant, nè lites excitando, interim solutionem retardent; Et clariùs dum in ipsa apoca assecurationis concepta iuxtà consuetam formulam, idem continebatur, vt scilicèt assecuratores in eorum exceptionibus audiri nō possent, nisi priùs facta solutione; Et meritò, quoniam mos est assecuratorum mercedem recipere libentèr pro mercibus, quæ saluæ ad locum destinatum appellant, in casu autem naufragij lites assumere, ac substinere, quæ assecuratis duplicem inferunt iacturam, vt aduertitur *apud Monach. decis. Flor. 1. num. 102.*; Et stante dicto pacto dixit etiam *Rota in Romana assecurationis 17. Decembris 1635.*, *& 5. Maij 1636. coram Macchiauello*, *& in eadem 29. Aprilis 1637. coram Dunozetto inter suas decis. 470. & in alijs.*

Omnisquè difficultas in hoc puncto cessare videbatur ex alio pacto in eadem apoca contento, vt pro condemnatione assecuratorum sufficeret lapsus sex mensium, intrà quos certus nuntius nauis nō
6 haberetur, quod etiam disponitur *dicto cap. 24. ordinationum Barchionensium*, *seù Consulatus*, & aduertitur *per Stracch. de assecurat. glos. 30. Monach. dicta dec. Flor. 1. num. 101.*

Sed quamuis tàm per dictas ordinationes, quàm per expressam conuentionem ità disponatur, omniumq; Doctorū sensus

ſenſus ſit, quod in hac materia, promptè & executiuè contra aſſecuratores procedendum ſit, eorũ exceptionibus reiectis ad petitorium, quoties non ſint pluſquã claræ, & euidentes; Attamen praxis docet, quod nimium rarò huiuſmodi ſolutiones, nonniſi cum magnis, ac diſpendioſis litibus ſequuntur, vt patet ex tot litibus in hac materia agitatis in Rota in 7 ſupraenunciatis deciſionibus *coràm Macchiauello, & Dunozetta apud Gregor. deciſ. 126. apud Merlin. deciſ. 597. repetit. deciſ. 219. par. 6. rec. apud Royas deciſ. 81., deciſ. 24., 54., 64., 151., 258., 285. & 302. par. 6. rec. deciſ. 47. par. 7., & in alijs*, vltrà quamplures nimium frequentes cauſas diſputatas coram A.C. alijſquè Tribunalibus; Quod tamen in alijs mercantilibus Ciuitatibus non ità de facili contingit, dum ex iudicio mercatorum, ac negotiantium, ſeù in rebus mercantilibus 8 peritorum, ſummariè, (vt in his materijs decet) proceditur, non autem per apices iuris, vt, pro meo iudicio, non benè proceditur in Curia Romana, & in Tribunalibus Neapolis, vt alibi occaſione litterarum cambij, vel ſimilium negotiorum mercantilium aduertitur.

Quo verò ad ſecundum punctum non factæ liquidationis, ſtante quod merces (vt dictum eſt), importabant ferè duplũ, ac etiam, quia non omnes merces perierant, ſed ſolùm in aliqua parte etiam minori, dum maior cõſignata fuerat eidem inſtitori, ſiuè *ſopra carica* in repoſitorijs *dicti* portus Cadicenſis, aliqua probabilis difficultas cadebat contra actores; Quando etenim merces non pereunt in totum, ſed in parte, atquè aſſecuratio pariter non eſt in toto, ſed in parte, tunc 9 aſſecuratores non tenentur, niſi ad contributionem pro rata, dùm pro reliqua parte non aſſecurata ipſemet dominus mercium dicitur ſui ipſius aſſecurator, vel aſſecurationis ſocius, vt *apud Racch. dictis notabilibus de aſſecurat. numer. 356. & ſeq.*

In hoc autem ſcribens ego pro aſſecuratoribus, dicebam, quod Aut illiquidas deducebatur ob non probatum valorem mercis, ſuper quo faciendæ erat repartitio pro rata aſſecurationis; Aut quia ea partim perierat, & partim ſaluæ eſſet; Primò caſu, cum iam benè iuſtificatum eſſet, quid, & quantum valor importaret *in loco onerationis*, in quo oleũ emptum fuerat, calculatis ſcilicèt tàm pretio emptionis, quàm expenſis dohanarum, & expeditionum, ac vecturæ ad portum exonerationis, ità ad hanc ratam negari nõ poterat condemnatio proportionabiliter, & pro rata, quoniam, licèt in hac materia quæſtio cadat ſuper regulã- 10 do valore, àn attendi debeat locus, à quo, vel ille ad quem ex deductis *diſcur. ſeq.*; Attamen id percutit cõmodum, ac maius intereſſe domini mercium aſſecuratarũ, cuius intereſt ſibi præſtari valorem loci ad quem, in quo ſine dubio eſt longè maior, quàm in loco à quo, tàm ratione expenſarum pro traductione de loco ad locum, quàm etiam pro notabili lucro, quod detractis huiuſmodi expenſis, ac pretio periculi, ſeù aſſecurationis, traductores gratia negotiationis faciunt, et conſequenter, quod cõdemnatio in ſumma minori negari non poſſit, ex recepta propoſitione, quod in materia diuidua, per exceptiones, ſeù prætenſiones turbidas cadentes in ſumma maiori, ſiuè excedente, retardari nõ debeat exequutio pro ſumma minori certa, & liquida.

Maior autem difficultas cadebat ſuper altera illiquiditate reſultante ab exiſtentia maioris partis mercis non peremptæ, (idquè, vt dictum eſt, fuit potiſſima cauſa negatiuæ reſolutionis Rotalis ad 11 reorum conuentorum fauorem); Verùm aduertebam quod motiuum fuiſſet ſolidum, & conſiderabile, quandò merces in parte ſaluæ deueniſſent ad locum deſtinatum, qui iuxtà formam conuentionis eſt attendendus, dum vſquèquo ad dictũ locum merces adueniant, quicumque caſus, tales quales ſint (quoties non eſſent de exceptuatis) pertinent ad aſſecuratores, non autem ad aſſecuratos, quorum reſpectu omnes merces, peremptæ, ſeù naufragatæ dicuntur, eo ipſo quod non habent eas ſaluas in loco deſtinato, ideoquè deberẽt ipſi aſſecuratore (inter quos, vt ſupra, ijdem aſſecurati pro rata non aſſecurata numerandi erant), ſolliciti eſſe de recuperatione, ſeù venditione dicti olei exiſtentis in portu Cadicenſi pro eorum computo, vt ità minus eſſet damnũ, non tamen id impediebat, quin dicere- 12 tur factus caſus naufragij, ſeù periculi, commiſſaque ſtipulatio aſſecurationis, quidquid ſit de caſu proiectus, de quo

agi-

agitur *apud Sanfelic. dicta decis.* 162., ad-
dicatur importare naufragium, potissi-
mè quia non ad solùm naufragium assè-
curatio restricta erat, sed concepta prò
omnibus casibus, etiam in parte.

Et quamuis scribentes in contrarium
replicarent, quod cum dicta pars, quæ
salua erat, in portu Cadicensi consignata
fuisset eidem præposito, seù *sopra carico*,
13 quem ipsimet assecurati præposuerant,
ità inferri posset ad cõclusionem pluries
in præcedentibus insinuatam, quod præ-
ponens tenetur de facto præpositi, siue
institoris; Attamen de stricto iure non
videbatur motiuum considerabile, ex de-
fectu applicationis dictæ conclusionis ad
casum; Ea etenim procedit circa illud
opus, vel ministerium, cui sit præpositus,
nõ autem circa diuersum; Vndè propte-
14 reà *in decis.* 338. *Merlin. repetit. decis.* 156.
par. 5. *rec.* firmatur, atquè ahbi in præce-
dentibus aduertitur, quod si quis appro-
bat, etiam cum tali approbatione, quæ
formalem fideiussionem importet, perso-
nam eius, qui assumatur minister infe-
rior, siuè vt vulgò dicitur iuuenis banci,
deindè verò bancherius eum præficiat
maiori muneri capserij, vel ratiocinato-
ris, approbator, vel fideiussor non tenetur
de gestis in hoc diuerso munere; Ideoquè
cum dicta persona per assecuratos præ-
posita esset administrationi, & custodiæ
mercis in itinere, & dum erat in naui,
non poterat hæc præpositio facta non
per eos, sed per Ducem dictæ Regiæ classis,
vel alium loci Magistratum dici facta
per assecuratos, quodquè in hac parte
dictus præpositus diuersam gereret per-
sonam.

Est benè verum, quod cum dictus
Dux, vel Magistratus, præfati institoris,
vel præpositi sibi ignoti fidem, ideò,
15 (ac probabilitèr) sequutus esset, quia
cum credidit virum ab eisdem mercium
dominis probatum, vtpotè earum custo-
diæ, ac administrationi præpositũ, exin-
dè non improbabilitèr sequi videtur, vt
ista esset pars consecutiua muneris, cui
dictus minister præpositus erat; Ideoquè
in hac parte, resolutio visa est potiùs pro-
babilis, quodquè per actores liquidari de-
beret, quidnam verè saluum remansisset,
vt in reliqua parte perẽpta, fieret distri-
butio, seù contributum.

De tertio, quarto, & quinto punctis
decisio desuper edita non agit, cum reue-
rà præcipuũ resolutionis fundamentum
cõsistat *in dicto motiuo* illiquiditatis, tã
circa peremptionem in parte sequutam
ex ista causa, quàm ex alia effusionis olei
ex vi tempestatis, quod totum consiste-
bat in facto, nullamquè iuris inspectionẽ
habebat.

Quatenùs igitur pertinet ad dictum
tertium punctum, circa non benè proba-
tam onerationem mercium, earumque
quantitatem; Scribentes pro assecura-
toribus fundamentum constituebant *in*
Consulatu cap. 56., vbi disponitur, vt ad
Scribam nauis, tãquàm illius negotij No-
16 tarium spectet, fidem, vel apocam onera-
tionis conficere, cum distincta adnota-
tione in eius libro, seù memoriali, quan-
titatis, & qualitatis mercium, vt de fide
præstanda dicto Scribæ cæteris relatis
habetur *apud Castill. decis.* 73. *n.* 4. *Rocch.*
de nauib. post secundum vol. consil. num. 24.
& 25. *Giurb. obser.* 73. *numer.* 4. *Coccin.*
decis. 66.

Verum hæc exceptio nimium leuis vi-
debatur, quoniam ea, quæ dicuntur de fi-
de præstanda libris, ac notulis, seù apo-
cis Scribę nauis, benè procedunt affirma-
17 tiuè, sed non concludunt negatiuè, vt
scilicet credi quidem debeat, vbi adsint;
sed si non adsunt, non per hoc precluſa
est via, seù modus aliter probandi; Ad in-
star eorum, quæ habemus de probatione
matrimonij, vel mortis per librum paro-
chi, cum similibus; Esset enim aliàs dare
incõueniens, quod dominus nauis collu-
dere posset cum eius scriba, occultando,
seù lacerando huiusmodi libros, vel no-
tulas, atque impedire dominis mercium
modum probandi earum onerationem,
ideoque reuerà id nullum habebat fun-
damentum.

Circa quartam exceptionem duplicis
assecurationis deductæ ex duplicitate
apocarum cum diuersitate temporum;
Dicti Scribentes deducebant conclusio-
nem communiter receptam super prohi-
18 bita duplicitate assecurationis *vt apud*
Stracch. de assecurat. glos. 3. *in fin.*, & *glos.*
29. *numer.* 8., *Rota Ianuen. decis.* 55. *num.*
3., & 9. *Stipman. de iur. maritim. par.* 4.
cap. 7. *numer.* 106., & *seqq. Giballin. de*
vniuers. human. rer. negot. tom. 2. *lib.* 4.
cap. 11. *art.* 2. *numer.* 6. *Giurb. obseru.* 73.
num. 28.

Sed

Sed pariter id continebat æquiuocum clarum, non quidem in iure, quoniam data vera duplicatione, conclusio rectè procedit, sed in facto siuè in applicatione; Procedit etenim quando earumdem mercium duplicata fiat assecuratio, quæ duplicet earum valorem, adeo vt, contingente casu naufragij, assecuratus esset potiùs in lucro, quàm in damno, quia nempè pro mercibus, quæ valent, mille, obtineret bis mille, dum ita dari posset locus fraudibus, quod scilicet idem assecuratus affectaret naufragiũ pro maiori eius vtilitate, et in his terminis loquuntur supra allegatæ auctoritates ac aliæ; Secus autem vbi in effectu est vnica assecuratio, quæ non excedat mercium assecuratarum valorem, ea tamen per diuersas personas, diuersis temporibus, & per separatas scripturas, quinimò in diuersis Ciuitatibus, ac Prouincijs rectè sequi potest, cum nulla iuris dispositio, vel ratio resistat.

Ad instar eorum, quæ habemus in fideiussione, (cuius speciem assecuratio habet), quoniam pro vno, eodemque debito prohibitum non est plures præstari fide-
19 iussores diuersis temporibus, ac diuersis locis, & pro diuersis summis, cum separatis scripturis, quia nempè singuli pro certis ratis caueant, quoties omnes cautiones non excedant debitum ad *textum in l. si Titius, & Meuia, & l. si plures ff. de fideiuss. cum concord. ex dicta Rota Ianuen. decis. 55. n. 3. Franch. decis. 55. n. 10., & 11. Rota decis. 617. n. 5., & seqq. p. 5 rec., & in Rom. pecuniaria 28. Iunij 1655. coram Bichio inter suas decis. 646., & infra disc. 144.*; Cadente solum in hoc proposito plurium fideiussorum consideratione, an plures vnitim fideiubeant per vnicum actum, ac vnicam obligationem, vel ità
20 diuisim ad effectum beneficij diuisionis de iure cadentis inter confideiussores, siuè ad effectum exceptionis cedendarũ, vt procedant in primo casu, in quo vnus fideiussor censetur se obligasse ad totum intuitu releuationis obtinendæ à confideiussoribus, nõ autem in secundo casu, vt *dicto disc. 144.*

Ita etiam docente communi vsu, imò subiectæ materiæ natura, ac necessitate, quoniã vbi præsertim agitur de magnis nauigationibus, magnoq; merciũ valore,
21 pene impossibile est inuenire vnũ assecuratorem, vel etiam plures, qui contextualiter, ac insimul illud onus assumant, adeo vt quandoque contingat, vt etiam per plurium mensium interuallum, assecuratorum subscriptiones, vel obligationes ita minutatim, ac prò diuersis summis habere oporteat, etiam in diuersis Ciuitatibus, vel Prouincijs; Sufficit enim quod fiant tempore habili, quale dicitur etiam post cæptam nauigationem, imò sequutum casum naufragij, dummodo de tempore, quo casus contigit, eius notitia verisimiliter haberi non potuerit iuxta ea, quæ habentur infrà *disc. 109.*

Quinimò prohibitum non est, etiam pro eisdem mercibus, eodemque valore, verè duplicatam assecurationem recipere, quoties accedat diuersitas itineris, vel
22 diuersitas periculi, quoniam sufficit non adesse duplicitatem in eodem valore, eodemq; periculo, ex deductis *apud Giurb. dicta Obser. 73. num. 28.*; Cadente solum quæstione, de qua *disc. seq.*, an quatenus detur excessus assecurationum vltra valorem, actus corruat in totum, vel in solo excessu ex ibi deductis; Hæc autem difficultas in præsenti non cadebat, dum omnes assecurationes vix ascendebant ad medietatem valoris mercium.

Et quamuis agendo de hoc puncto, Iudex primæ instantiæ motiuaret, vt etiã isto casu actus corrueret ob incertitudinem, quoniam cum periculum nõ conti-
23 gisset in tota merce, sed in parte, incertũ remanebat, an pars perẽpta esset illa, quæ assecurata est, nec nè; Attamen hæc difficultas verè nõ intrabat, quoniã agebatur de vnica merce cõstituta sub vnico valore in totũ, tanquã per speciem vniuersitatis, in qua plures cõcurrebãt per partes quotitatiuas, vel quãtitatiuas, adeo vt omnes essent huius assumptæ aleæ socij, per partes ab initio diuisas, et inter quos socios numerandi quoque erant ipsimet assecurati tanquam sui ipsius assecuratores in parte nõ assecurata; Difficultatem autem prædictam rectè cadere posse dicebam, quando assecurationes essent per species distinctas; Putà, quià vnus assecuraſſet certa, & obsignata dolea, seù vasa, vel certas, & obsignatas mercium arcas, vel sarcinas, vulgò ballas, alter autem alias, ex quibus aliquæ perijssent aliæ non; Casus autem præberet confusionem, ità, & taliter, vt incertum remaneret, quæ nam

essent peremptæ, et quæ nō, quem casum ad huc occasio disputare non præbuit, ideoque pro laudabili stylo prohibente euagationes, assumpta non fuit formalis disputatio; Probabiliter autem dicendū veniret vt materia regulanda esset cum terminis *l. Rhodiæ de iact.* insinuatæ *sub titulo de Feud.* ad materiam *Bullæ Baron. disc. 89.*, atque ibi deducta ad rem applicabilia videntur.

Quinta exceptio deductionis octauæ partis de plano tollebatur ex facto, atque
24 de illa particulariter agitur *disc. seq.*

Maior igitur quæstio fuit super sexto pūcto, de quo, (licet nō omninò maturè), agitur in huius causæ decisione, forsan potius ex aliqua digressione extensoris, cum verè principale fundamētum resolutionis fuerit motiuum illiquiditatis vtsupra, an scilicet factus esset casus exceptuatus barattariæ.

In hoc autem puncto, duplex cadebat inspectio; Primò facti seu probationis, an scilicet casus cōmissi contigisset, ex causa illicitæ onerationis argentorum, ac mercium prohibitarum, vt prætendebant rei conuenti, vel potius ex alia causa suspicionis conceptæ per Ducem classis Regiæ, quod asportarentur merces ad inimicos, vt ex hac parte supponebatur; Et secundò, posito quod casus contigisset ex prima causa, an dici posset commissa barattaria, nec ne; Posito enim quod cōtigisset ex secunda causa, vt ex hac parte prætendebatur, pro assecuratis; Dicebam stare punctualem *decisionem* Sacri Consilij Neapolitani de anno 1519. de quà testatur *Thor. in Cōpend. decis.* verbo *assecuratores nauis* 3. *fol.* 26., *&* 27. *p.* 2. eamque refert quoq; *Rocch. in dictis notabilibus post* 2. *vol. conf. notab.* 93. *à n.* 358. *ad* 361., vbi in indiuiduo de consimili naui
25 onerata oleo, & capta per officiales eiusdem Regis ob eamdem suspicionē, cum tamen in eo casu aliqua maior vigeret difficultas ob circumstantiam mutationis itineris, quæ in præsenti non aderat.

Vbi verò procedendū esset cum sensu alterius partis, quod scilicet assecuratio contigisset ex dicta aliā causa illicitæ onerationis mercium prohibitarū, tunc scribentes pro assecuratoribus (quibus in hac parte, licet parum digestè vtsupra, adhæret causæ Decisio) dicebant ad esse barattariam iuxta indiuidualem doctrinam *Stracch. de assecurator. glos.* 31. *nu.* 2.
26 vbi plura exempla deducendo, inter alia ponit istud indiuiduale, quod nauarcus prohibitas merces in nauim introduxisset, dando vela ventis, atque iter arripiendo non solutis debitis emolumentis, neque habitis necessarijs expeditionibus, adeo vt factus esset casus commissi, deducendo in idem ea, quæ circa nauarchi culpam ob mutationem itineris, vel ob non bene refectā nauem, aliosq; defectus, habentur *apud Corn. conf.* 273. *lib.* 1. *Odd. conf.* 31. vbi plene agitur de assecuratoribus excusandis, ac etiam firmata *per Rota in Meleuitana Cambij* 1. *Aprilis* 1658. *coram Verospio cum alijs deductis per Giballin. dicto tract. de vniuers. rer. human. negot. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *art.* 2. *num.* 7., *& per tot.*, vbi etiam reassumit dictum exemplum positum *per Stracch.* de nauarco onerante merces illicitas; Cumulando in idem ea quæ apud *Odd. dicto conf.* 31. *Mastrill. dicta decis.* 284., *& alios de quibus infrà*, habentur de quæstione, an, & quando culpa nauarchi cedat potius damno assecurati, quàm assecuratoris.

Ista verò conclusionum, ac auctoritatum confusa deductio, clarè arguit, quod decisio in hac parte nō est matura, neque ex sensu Tribunalis (vt non semel cōtin-
27 git); Tùm quià à dicta decisione *in Meleuitana coram Verospio*, fuit postea recessum coram *Beuilaqua*, vt aduertitur suprà *in eadem Meleuitana disc.* 93.; Tum etiam quia aliæ auctoritates sunt nimiū inter se diuersæ, percutientes diuersos casus, ac diuersas quæstiones diuersam rationem habentes, vt etiam ad aliud propositum super hoc termino barattariæ aduertitur *dicto disc.* 93., vbi etiam habetur, quod Aliud est barattaria, Aliud verò culpa; Atque stant simul, quod dominus, vel dux nauis sit in culpa, ex quà licet non ordinata ad casum, iste contigerit, ad effectum vt idem ex eius facto culposo teneatur erga dominos mercium, vel erga assecuratores ad damna, & interesse, qualis est propriè casus, de quo agit *Corn. dicto conf.* 273.; Et tamen quod nō ad sit formalis barattaria tanquàm casus in conuentione exceptuatus inter socios super purificatione, conditionis, obligationem limitantis, quoniam non omnis culpa barattariam redolet.

Istud

Istud enim vocabulum barattariæ, neque in iure communi, nequè apud linguę latinæ professores vsitatum reperitur,
28 illudque est potius barbarum inductum ex vsu nauigantium, atque vsurpatur pro fraude seù ribalderia, & calliditate, vt de hoc vocabulo agunt *Santerna de assecurat. p. 3. nu. 82.*, *Stracch. de assecurat. glos. 31. num. 2.*, vbi multa ponit exempla supponentia calliditatem, ac fraudem, vel dolum, seù aliam præordinationem ad surripiendum merces, seù alias ad præiudicandum domino mercium, vel pecuniarum *Odd. cons. 31. nnm. 15. Ioannes de Evia lib. 3. commerc. naual. cap. 14. nu. 24., & 28. Giurb. obseru. 73. num. 25., & 27. Thor. in compend. decis. p. 2. verb. assecuratores Nauis fol. 23. Rocch. dictis notabil. de assecurat. post 2. vol. cons. notab. 44. num. 139., & seq., & notab. 89. num. 340., & seq. Monach. dicta decis. Florent. 1. n. 9. 19., & seq., & 46.*, procedentes, vt dictum est, cum dicto præsuppositio, & iuxtà casum de quo agit *Monach. vbi supra*; Quia nempe nauarcus immutato itinere commercij inter portus, & loca Christianorum, iter arripuerat, ac progressus erat versus loca infidelium, quod ad aliud referri non poterat, nisi ad voluntatem surripiendi merces, & accedendi ad loca hostium, vbi tutus à dominorū molestijs aliena possidere posset cum libero vsu; Atque in idem coincidunt exempla posita *per Stracch. dicta glos. 31. de assecur.*, cum quo alij moderniores pertranseunt, quia nempè nauarcus, colludendo cum gabellarijs, vel cōtrabanderijs, alijsque commissorum appaltatoribus, vel officialibus, merces prohibitas, vel serum Regis, ita studiosè, ac præordinatè in nauim introduxerit, & sic fraudulenter, atquè cum dolosa, & præordinata machinatione ad mercium amissionem; Secus autem vbi introductio mercium facta sit ad solum lucrum, & industriam, quæ nauigantibus, ac viatoribus solet esse cōnaturalis, ità scilicet euitando solutionem emolumentorum, ac dohanarum seù gabellarum, ideoque non est culpa ordinata ad casum.

Et quamuis Scribentes in contrarium magnam vim constituerent in auctoritate *Cornei dicto cons. 273. lib. 1. num. 7. in principio*, cum quo pertransit *Odd. dicto cons. 31. num 34.*, vbi firmatur, vt attendatur culpa, quamuis ad casum non præordinata, quoties illa fuit causa, vel occasio casus; Attamen id mihi videbatur continere fallaciam claram, quoniam *Corn. dicto cons. 273.*, de hoc agit ad effectum, vt ipse nauarchus culposus teneatur de damnis, & interesse, siuè vt dicatur incursus in pœnam statutariam, secus autem ad effectum formalis barattariæ, vt aduertitur supra *in dicta Meleuitana disc. 93.*

Assumpserunt etiam Scribentes in cōtrarium motiuum, pariter parum maturè insinuatū in causæ Decisione in fine; Quod scilicèt, ab assecuratione excepta etiam de iure censenda esset culpa na-
30 uarchi, quæ damno domini merciū assecuratarum cedere debeat, dum ità sibi imputandum videtur cur minus fidum, vel minus diligentem, seù peritū nauarchum, vel vectorem elegerit, vt sentire videtur *Stracch. dicta quæst. 31. n. 3. & 4. Thor. in compend. decis. par. 2.* verbo *assecuratores nauis, & alij collecti per Giurbam dicta obseruatione 73., & per Rocch. in dictis notabil. post secundum vol. cons. notab. 44. num. 144. & seqq., & notab. 89. num. 342.*

Verùm aduertebam, quod in hac parte procedebatur cum aliquo æquiuoco (quod frequētiùs ex modernis Collectoribus, vel Consulentibus non distinguentibus casum à casu, resultare solet, adaptādo aliquas doctrinas inter se contrarias, cum reuera tales non sint, sed potiùs diuersę), ac propterea cum distinctione casuum procedendum est.

Aut enim idem nauarchus, in quo aliqua dignoscatur culpa, quæ occasionem dedit casui, est dominus mercium assecu-
31 ratarum, vel earum particeps, vt erat casus, de quo agit *Giurba dicta obseru. 73. vt patet num. 26.*, et tunc rectè procedit opinio tenentium, vt sub assecuratione, non veniat ipsius culpa, siuè ordinata sit ad casum, siuè non, quoniam iniquum esset, vt culposus agere posset contra innocentem pro reintegratione illius damni, quod ex eius culpa contigit, siuè cuius culpa eius occasio fuit, vt clarè, ac ad literam benè probat *textus in l. cum proponas C. de nautic. fœnor.*

Aut merces assecuratæ, sunt alterius quàm nauarchi, qui tamen non simplicis vectoris, sed etiam institoris, vel prę-

positi partes gerat super mercium cura,
32 & custodia, et tunc rectè procedit dictũ assumptum, quod assecuratus approbasse dicitur in omnibus eiusdem nauarchi fidem, & diligentiam, et consequentèr, quod casus contingentes eiusdem præpositi culpa, cedere debent damno præponentis, nõ autem assecuratoris, et hoc est quod dicunt *Odd. cons.31.num.20. & alij apud Giurb.dicta obserua.73. num. 23. & 28.,& Fontanell.decis.243.numer.24. cum seqq.*, (licèt in hoc etiam dissentiat *Rota Ianuen.decis.3.nu.13.& 166.*)

Aut demùm opera nauarchi adhibita est pro simplici vectura cum naui, super qua contractus assecurationis initus
33 est, domini verò mercium assecuratarũ nõ sequentes fidem dicti nauarchi, neq; illi mercium, curam, & custodiam committere volentes, alterũ ad id pręponunt, qui vulgò *sopra carico* nuncupatur, (qualis erat casus præcisus huius cõtrouersiæ); Et tunc probabilius est casum contingẽtem ex culpa nauarchi, seù rectoris, quoties non redoleat formalem barattariam in contractu exceptuatam, venire sub casuum susceptione; Potissimè verò vbi hæc esset generalis, & cum verbo effrænato *quorumcumque*, cum tunc cesset dicta ratio in contrarium ponderata vtpotè alijs duobus casibus præcedentibus adaptabilis, dum domini mercium eiusdem rectoris fidem, ac diligentiam sequi noluerunt, nisi in solo casu barattariæ, vt præuia formali discussione, refert in specie decisum *Fontanell. decis. 224. in fin.* reuocando sententias præcedentèr in contrarium latas; Atquè tunc, ea, quæ dicuntur de culpa nauarchi, intrant in culpa ipsius præpositi, vulgò *sopra carico*, si in eius munere in aliquo deficiat, puta, quod merces perierint, vel deteriorate sint ex mala qualitate vasorum, aut
34 ex humiditate, vel alia negligentia; Vndè propterea in hac specie assecurationis olei, exceptuari solet casus illius effusionis, quæ proueniat aliàs, quàm ex vi tempestatis vulgò *spandimento*.

Percutiebant hæc omnia illam per emptionem, vel diminutionem, quæ resultauit à dicto casu nauis captæ in commissum; Quo verò ad præcedentem per emptionem alicuius partis olei ex vi du-
35 plicis tempestatis, ob quam aliqua dolea, seù vasa ob repercussionem fracta erant, id consistebat potiùs in facto, quã in iure, super probationum insufficientia, vndè propterea resultabat illiquiditas, quod scilicèt testes desuper inducti plures paterentur exceptiones personales, ac etiam in dicto, non benè distinguendo, super quo puncto certa, & determinata iuris regula dari non potest, cum materia probationum iudicis arbitrio remissa sit; Ideoquè ex hoc puncto illiquiditatis, mihi, quamuis scribenti pro dominis mercium assecuratarum, resolutio non improbabilis visa est, non tamen placuit digressio, quæ citrà necessitatem, in Decisione continetur super puncto barattariæ, cum excepto dicto puncto illiquiditatis, in reliquis clarum videretur bonum ius huius partis.

ROMANA

ASSECVRATIONIS FRVMENTI

PRO

BONIFACIO GRANARA

CVM

DIVERSIS ASSECVRATORIBVS.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura resolutus pro Bonifacio.

De eadem materia assecurationis; Et in specie de illius duplicitate; Ac de inualiditate ob non deductionem octauæ partis; Et de valore mercium assecuratarum, an scilicèt attendi debeat locus, à quo, vel ille ad quem; Et de mercium concordi valutatione.

SVM.

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 De deductione octauæ in assecuratione.
3 Quid seruandum sit vbi de hac deductione sit quæstio.
4 De iure communi ista deductio non est facienda.
5 Vndè resultet, & àn Consulatus maris in hac parte sit attendendus.
6 Qualis propriè sit Consulatus maris vbique acceptatus, & obseruandus, & de ratione.
7 De materia duplicis assecurationis.
8 Si fiat assecuratio vltrà valorem mercium, àn vitietur in totum, vel in solo excessu.
9 De liquidatione pretij, & àn loci, à quo, vel ad quem, eiusque taxa conuentionali.

DISC. CVII.

CVM Bonifacius per quãdam nauem oneratoriã, notabilem frumenti quãtitatem, à Ciuitate Rauennaten., siuè à portu Cæsenatico, transmittere vellet ad Ciuitatem Ianuæ, curauit fieri assecurationem à pluribus in Vrbe negotiatoribus, concorditèr appretiato frumento ad rationem scutorum sex pro quolibet rubro; Cumque ex naufragio nauis, dictum frumentum perijsset cum ipsa naui, hinc renuentibus de more assecuratoribus, sub varijs prætextibus, soluere valorem cõuentum, introducta causa coram A.C., post plures disputationes, contrà eos relaxatum fuit mandatum exequutiuum, canonizatum à Signatura Iustitiæ cum solita clausula *sine præiudicio*, cum bina resolutione, dum non acquiescentes assecuratores primæ, denuò audiri voluerunt.

In his autem disputationibus, vltra ea, quæ facti erant, super sufficienti probatione facti casus naufragij, super quo Scribentes pro reis cõuentis tandem dabant manus victas, adeò vt in disputationibus habitis in Signatura, de hoc actũ non fuerit; Tres erant exceptiones, vel puncti; Primò scilicèt super inualiditate assecurationis ob nõ factã deductionem octauæ partis iuxtà dispositionem *Consulatus maris cap. 8. pag. 216.*; Secundò ob alteram nullitatem resultantem à duplicitate assecurationis, dũ in facto supponebatur, quod postquam facta erat assecuratio in Vrbe pro quadam summa notabili dictæ mercis, alia facta esset in Ciuitate Ianuæ pro summa absorbente integrum valorem, quinimò in aliquo excedente; Et tertiò circa liquidationem pretij seù valoris, & àn attendi deberet locus, à quo, vel locus ad quem; Maius autẽ ac potissimũ fundamẽtum dicti scribentes constituebant in primo motiuo, seù puncto non factæ deductionis octauæ, dum in alijs duobus, factum in parte non assistebat, atquè ipsimet agnoscebant quod esset facilis solutionis.

Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum non factæ deductionis octauæ partis; Dicebant claram esse dispositionem Consulatus, qui in hac materia pro cõmuni Christiani orbis vsu receptus est pro lege, vt liquet in his terminis assecurationis ex pluribus Rotæ decisionibus de hac materia agentibus insinuatis *disc. præcedenti*, & in specie de hac octaua *apud Dunozett. decis. 460. num. 8.*; & agit *Rocch. cons. 27. nu. fin. lib. 1. Fontanell. decis. 244. num. 14.*

Remouebatur autem obiectum ex solo facto, quoniam præcedens assecuratio facta in Vrbe, de qua agebatur, erat pro summa non adæquante integrum valorem mercis, adeò vt extrà assecurationẽ, remaneret longè maior pars, quàm octaua; Et quamuis obijceretur de altera assecuratione facta in Ciuitate Ianuæ, attamen quidquid sit de puncto, de quo agitur infrà in tertia exceptione, àn scilicèt posterior diuersa assecuratio excessiua vitiet totum actum, vel potiùs ipsa vitiata remaneat, cessabat facti assistentia, dum hæc posterior assecuratio in Ciuitate Ianuæ facta erat per diuersam personam, & sub diuerso nomine, nequè constabat de Bonifacij assecurati mandato.

Verùm vbi etiam assecuratio facta esset pro integro valore, adeò vt deductio octauæ non adesset; Adhùc tamen, absquè necessitate examinandi punctum huiusmodi deductionis in meritis, insinuabam praxim seruatã *per Rotam apud Du-*

*Dunozett. dicta decis.*460., quod scilicèt relicta in suspenso rata cadente sub dicta octaua, pro reliquis septem relaxatum fuit mandatum, idquè assecuratis sufficiebat.

Quatenus verò assecuratio absorberet integrum valorem, pro quo prætenderetur commissa stipulatio, adhùc, etiam cũ
4 sensu veritatis, dicebam friuolam esse exceptionem; Attenta siquidem dispositione, vel ratione iuris communis, nullibi cautum reperitur, vt hanc deductionem facere oporteat; Siuè enim istum contractum, (iuri cõmuni fortè ignotũ), iuxtà magis communem sensum DD. assimilemus fideiussioni; Siuè societati; Aut veriùs sponsioni, quæ super illius nauis itinere, seù nauigatione ineatur, in quacumquè specie versemur, nil prohibet super integro valore pacisci.

Dicta verò deductio resultat ab ordinationibus maritimis Barchionensibus, quas ex duplici fundamento dicebam at-
5 rendi non debere; Primò scilicèt quia locales pro dicta Ciuitate, eiusquè ditione, ideoquè sine dubio non attendendæ in Vrbe, alijsquè Prouincijs, & ditionibus tanquam leges, vel ordinationes; Et si prętendebatur eas attendi debere tanquam consuetudines in hac regione receptas, id formitèr probari deberet; Et secundò quia eædem ordinationes *cap.* 20. disponunt, vt id non procedat in frumento, & hordeo, alijsquè frugibus, vndè propterea illæ non possunt diuidi.

Et quamuis responderetur, quod *dictum cap.*20. loquitur de frugibus introducendis in dictam Ciuitatem Barchinonæ, attamen nimium leuis consideratio erat, dum dictæ ordinationes pro eiusdem Ciuitatis, ac adiacentiũ locorũ nauigationibus, & negotijs factæ sũt per eius officiales, qui nullam habebant potestatem præscribendi leges in alijs ditionibus, ideoquè intrabat dilemma, quod Aut huiusmodi ordinationes, vtpotè impressæ in Consulatu maris, sunt vbiquè receptæ; Aut non; Si non sunt, de eis agendum non est; Si verò sunt, diuidi non possunt.

Prætereà ad elucidandũ æquiuocũ, cũ quo procedi solet circa cõtenta in eo libro impresso, qui *cõsulatus maris* dicitur,
6 aduertebam quod in eo in principio à folio primo ad 181. iuxta impresionem Venetam anni 1637. continentur 294. capitula, atq; in istis propriè cõstitit antiquus consulatus maris pro directione, seù regula nauigationis, eaque per omnes ferè nationes Christiani orbis commercium inter se habentes, diuersis temporibus acceptata supponuntur, & præsertim per Romanos in Ecclesia Lateranensi de anno 1075., vt patet ex huiusmodi acceptationum serie, seù cronologia registrata ante paginam primam eiusdem libri; Et meritò quidem oportuit, vt negotiatores, ac nauigantes, huiusmodi leges, seù ordinationes conderent, ac respectiuè acceptarent, dum eo tempore legum ciuilium, & canonum vsus non habebatur, quoniam legum inuentio est posterior iuxta legalem historiam de quà *sub tit. de seruit. dis.*1., prout posterior est compilatio Decretaliũ, vndè propterea viuebatur sine legibus communibus, sed cũ Statutis particularibus, Aut si quæ leges cõmunes aderãt, erant illæ Logombardorũ, quæ post inuentas leges Romanorũ, Asininæ appellantur, ac videntur, vndè fortè magnũ resultabat commercij præiudicium, dum in vno loco viuebatur vno modo, & in alio viuebatur altero, ideoquè oportuit huiusmodi vniformes vbiquè seruandas leges, tanquam ex quadam negotiantium conuentione ordinare, vel recipere, atquè in istis capitulis 294. propriè constitit Consulatus maris vbiquè seruandus, vtpotè per omnes nationes vsu receptus; Alia verò contenta in hoc libro, qui moderno tempore impressus est, sunt quædã ordinationes Regis, vel Consulum Ciuitatis Barchionensis, aliæquè ordinationes, vel consuetudines, seù regulæ, priuata auctoritate ibi insertæ, circa quas deferendum est singulorum locorum cõsuetudini, vel vsui; Erroneum verò est, omnia, quæ in dicto libro registrata sunt, regulare tanquam Consulatum maris; Vndè propterea nisi formiter probaretur, quod in assecurationibus, quæ in Vrbe fiunt, deductio octauæ pernecessè facienda sit, cum de iure id cautum non sit, remanebat exceptio nulli innixa fundamento; In casu autem *Fontanell. dicta dec.*244. meritò de hoc agitur, vtpotè in Ciuitate Barchinonæ.

Quo verò ad duplicem assecurationẽ, priorem scilicèt in Vrbe, ac posteriorem

in

in Ciuitate Ianuæ, dupliciter ex solo facto cessabat obiectum; Primò scilicèt, quia non constabat, àn posterior vtpotè sub diuerso huius mercis domini nomine facta, contineret idem negotium; Et secundò quia eadem erat potiùs suppletiua illius partis, quæ remanebat non assecurata, et consequenter nullus aderat excessus, cuius ratione intrare posset incõueniens consideratum *disc. præcedenti*, vt eiusdem mercis duplicatum, ac excessium pretium obtineretur in casu naufragij, vel alterius accidẽtis, quod ità expediret affectare.

Et nihilominùs, vbi etiam aliquis excessus ex hac secunda resultaret, Dicebam quod non exindè inferri posset ad *primam*, diuerso loco, diuersoquè tempore, iam validè, ac perfectè sequutam, quoniam si quæ difficultas desuper cadere posset super puncto, àn vtile per inutile vitietur, procedit vbi agitur de vnico actu, vel de pluribus correspectiuis, vnde intrare posset ratio indiuiduatis animi seù voluntatis, (quod ex commendabili stylo Curiæ prohibente superfluas euagationes examinare nõ oportuit), cũ huiusmodi difficultas nullatenus intret in actibus merè separatis, tàm in tempore, quàm in loco, & personis, adeout nulla adesset connexio, vel correspectiuitas; Ad instar eorum, quæ habemus in pluribus obligationibus diuerso tempore cũ diuersis personis factis per mulierem habentem potestatem id agendi intrà dimidiam dotis, quod si excedant, excessus non vitiat obligationes, vel alienationes præcedentes intrà summam licitam, ac permissam factas; Ità pariter in alienationibus, vel obligationibus, quæ fiant per possessores feudorũ, seù maioratuũ, & fideicommissorum in vim beneplaciti, seù facultatis concessæ per Principem, vel Magistratũ hanc facultatem habentem cum limitatione infrà certam summam, cum similibus.

Demùm quoad alterum punctũ liquidationis pretij, an attendi deberet pretium loci à quo, vel illud loci ad quem, & de qua quæstione cæteris relatis habetur *per Rot. decis. 258. parte 6.*, & *decis. 47. p. 7. rec.*; Et quæ reuera certam, 9 & determinatam regulam non recipit, cum decisio pendeat ex facti qualitate, ac singulorũ casuum circũstantijs, attento potissimùm loco, *in* quo casus contingat, an vni, vel *alteri* termino magis approximet, ac etiam circa locum ad quem, ponderando an ista assecuratarum mercium noua introductio aliquam alterationem facere posset iuxtà ponderationes de quibus *sub titulo de regalib. disc. 117.*; Attamen quia super hoc plures quæstiones oriri solent, idcirco ad eas dirimendas, prudenter solent Partes cõcorditer pretium taxare, ad cuius proportionem assecuratores obtineant prætium assecurationis, idque nõ est in iure prohibitum, vt aduertitur pluries *sub tit. de societ. effic.*, ac etiam sub alijs *de vsur.*, *& de camb. eod. libro 5.*

ROMANA
SEV
NEAPOLITANA
ASSECVRATIONIS
PRO
CIMARA, & ALIIS ASSECVRATORIBVS
CVM
ANTONIO MARINARA.

Casus disputatus coram A. C., & resolutus pro Antonio vt infra.

De eadem materia assecurationis; Et àn error in expressione loci, seù portus, in quo merces onerandæ sunt, vitiet, nec nè assecurationem.

Et si sunt merces diuersarum specierum cum distinctis pretijs, àn dicantur plures diuersæ assecuratio-

nes,

nes, vel potiùs vnica, pro casu, quo periculum contingat, in vna, & non in altera specie, ad effectum compensationis mercium existentium cum peremptis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quod totus sinus maritimus versus Ciuitatem magnam, illi attribuatur, quamuis rigorosè diuersa sint territoria.*
4 *Non cortex, & formula verborum, sed substantia veritatis attendi debet.*
5 *Declaratur ista propositio, & quando illa procedat, & de generali nauium vocabulo.*
6 *De diuersitate vocabulorum nauium inter nautas, & mercatores, & quod assecuratio super naui non conueniat fregatæ, vel barchæ &c.*
7 *Attenditur etiam ipsa nauis identifica.*
8 *De sponsionibus.*
9 *De differentia frumenti nauigati, & euecti per terram.*
10 *De eodem.*
11 *Merces saluæ debent cedere cõmodo assecuratorum, & compensari.*
12 *Quando sit vnica assecuratio, vel sint plures.*
13 *De liquidatione valoris.*
14 *De alijs casibus circa liquidationem.*
15 *Quid vbi non constet de mercibus.*
16 *De eodem, ac vsu dandi fidem mercatoribus.*

DISC. CVIII.

1 ONeratis per Antonium in quadam naui in portu Neapolitano versus Hispanias nonnullis mercibus serici, ac etiam quadam frumenti quantitate, taxato ex conuentione pretio distincto in mercibus, ac frumento respectiuè; Cum casus dedisset, quod frumentum, vtpotè aliàs naurigatum, ac repositum in Ciuitate Puteolana, ob nouam nauigationem in parte corruptum esset ex calefactione, istequè casus sub assecuratione quoquè veniret; Hinc Antonio assecurato pulsante coram A. C. assecuratores ad frumenti pretium conuentum; De duobus præsertim excipiebãt sub iuris theorica cadentibus (cum alia disputata inter causæ Patronos, consisterent in nudo facto); Primò scilicèt, quod inutilis esset obligatio, vtpotè facta in Vrbe sub expressione, quod frumentum onerandum esset in portu Neapolitano, dũ id sequutum erat in Puteolano; Et secundo quod lucrum aliarum mercium, quæ integræ, ac saluæ appulerant ad destinatum locũ, compensari deberet cum hoc damno, adeò vt reficiendum esset solum id, in quo, facta peræquatione, assecuratus damnificatus remaneret; Quarè assumpta desuper disputatione, Iudex primam exceptionem reiecit, alteram verò *admisit* de iure, non autem de facto, ob defectũ liquidationis, quia scilicèt ex hac parte 2 iustificatum non fuit quanti merces venditæ fuissent in loco à quo, seù valerent, ad effectum vt facta deductione, tàm pretij erogati in earum emptione, quàm omnium aliarum expensarum, & gabellarum, dignosci posset, quid importaret augumentũ, quod quandoque nullũ adesse solet, imò iactura inesse.

In disputationibus autem desuper habitis; Quatenus pertinet ad primam exceptionem falsæ narratiuæ loci onerationis; Dicebant Scribentes pro actore (quibus Iudex adhæsit), quod ob magnã adiacentiam Ciuitatis Puteolanæ cum Neapolitana, quarum vtraq; est ad eiusdem sinus oras, præsertim apud exteros negotiatores, denominatio generaliter fieri solet à maiori, ac dominante Ciuitate, vbi est portus, ad quem naues appel- 3 lant, totumque est mercimonium illius maritimi sinus, dũ parua Ciuitas Puteolana nullatenus est mercantilis, atque distinctio territoriorum inter Ciuitates adiacentes, vel Oppida, cognita solùm est ciuibus, & incolis ad alios priuatos effectus, non autem apud exteros negotiatores, quoniam si (ex. gr.) fiat emptio vini, quod vernoticum nuncupatur, colligi solitum in territorio Nolano, siuè illius, quod nuncupatur græcum, seù lacrima de territorio oppidi Summæ, aliorumq; locorũ in planitiæ, vel pendicibus montis Vesuuij, adhuc in Vrbe, totum dicitur vinum Neapolis, cum similibus; Idemquè sinus maritimus totus apud exteros

teros dicitur Neapolis, quamuis in oppidis, vel castris Turris Octauæ, ac Resinæ, alijsque adiacentibus locis aptis oneratio sequatur, eodem modo, quo apud exteros negotiantes cum mercatoribus Romanis habetur sermo de portu maritimo ad oras Tyberinas, tãquam de portu Romano, quamuis illius territorium non sit de agro Romano, sed de territorio Hostiensi, vel Portuensi, quæ sunt diuersa sub diuersis Episcopis, cum similibus; Ideoquè dicebant quod rectè intraret propositio per me frequentèr, etiã oretenus, in causarum defensione in consuetudine habita, & declamari solita, vt non cortex, & formula verborũ, sed substantia veritatis attendi debeat.

Admittebam ego scribens pro assecuratoribus, veritatem huius propositionis, vtpotè mihi prædilectæ; Dicebam tamen, eam rectè procedere, quãdo nulla vrgeat probabilis ratio, inter vnius, vel alterius loci expressionem, adeò vt tota quæstio reducatur ad eam solam verborum formalitatem, vel rigorosam significationem, de qua grãmaticorũ est disputare, magnasque retexere quæstiones; Sed vbi aliqua considerabilis differentia esse potest, quæ percutiat substantiam consensus, seù voluntatis contrahentium, tunc formalitas verborum, seù vocabulorum attendi debet; Vt puta (ex. gr.), apud poetas, ac etiam oratores, recti, vel elegantis sermonis gratia, sub eodem nauium generali vocabulo, explicari solent, tàm magnæ naues oneratoriæ, quàm mediæ, ac paruæ, siuè longam, siuè rotundam habeãt formã, quoniã sufficit significare instrumẽtum nauigationi aptum, non descendendo ad illas diuersarum specierum distinctiones, quæ habentur apud nautas, & negotiatores, inter naues magnas (vulgò *vascelli*) contradistingui etiam solitas in mercantiles, & militares, ac inter triremes, fregatas, barcas, bergantinos, leutos, barconos &c.

Inter nautas, autem, ac negotiatores, in ista præsertim assecurationis materia, in qua tanquam specie fideiussionis, strictè, ac rigorosè proceditur, prohibita extensione de casu ad casum, nimium sistitur super vocabulis iuxtà quæstionem
6 disputatam *apud Mastrill. decis.* 182. cum alijs relatis collectis *per Giurb. obseru.* 73. *nu.* 7., & *Rocch. de assecurat. post* 2. *volum. consil. notab.* 61. *num.* 217., quod scilicèt assecuratio merciũ vehendarum per nauem, nõ capiat merces, quæ transmittantur per fregatam, vel barcam, ex differẽtiæ ratione, percutiente substantiam voluntatis, quia nempè magis tuta sit nauigatio cum vna, quàm cum altera specie nauis, vel instrumenti nauigatorij.

Quinimò, etiam in nauibus eiusdem speciei, cum assecuratio contineat sponsionem super alea, seù fortuna illius nauis, si pluribus eiusdem speciei nauibus in
7 portu existentibus, conueniatur de assecuratione merciũ oneratarum, vel onerãdarum in naui (ex. gr.) nuncupata S. Antonij, recta per talẽ ducem, vel nauarcũ, nõ trahitur assecuratio ad easdẽ merces oneratas in diuersa naui, quamuis simili quoniam rectè assecurator dicere potest quod ex genio, vel alio motiuo, super vnius magis, quàm alterius nauis fortunam sponsionem facere voluerit, iuxta ea quæ in materia sponsionis habentur *sub tit. de*
8 *alien.*, & *contract. disc.* 47., & 48.; Atque in dies docet experientia in ijs, qui faciunt sponsiones super lusoribus, vel participationem aliũquè contractũ ineunt super ludo, ob genium cum vna magis, quàm cum altera persona, ideoque non insistitur in identitate rationis, quæ non intrat in ijs, quæ à genio pendent, seù fortunæ committuntur.

Applicando autem ad rem; Dicebam quod magna *differentia erat, attenta subiecta materia*, seù *qualitate mercis*, vt exprimeretur veritas loci, prout erat, ex ratione percutiente substantiam voluntatis, quoniam, licet ad Ciuitatem Neapolis deferri etiam soleat frumentum ab
9 Apulia, alijsque partibus per mare iuxtà casũ, de quo *sub titulo de regal. disc.* 125. Attamen frequentiùs, ac fortè pro maiori parte, vbi præsertim non agitur de annis penuriosis, vehitur per dorsum animalium à partibus mediteraneis ipsius met Campaniæ, seù Terræ laboris, ac Apuliæ, & Lucaniæ, quod iuxta frequentiorem contingentiam verificabile non est in Puteolana Ciuitate, quæ territorium proprium non habet, vbi colligatur frumentum in magna quantitate ad vsum mercantilem, neque ad eam confluunt vectores, & mercatores, sed solum quandoque ibi, gratia maioris commoditatis, reponi solet

frumentum nauigatum, quod per mare traductũ sit à remotis regionibus; Cumque in indiuiduo casus calefactionis, qui in merce contigerat, notabilis, ac magna differentia sit inter frumentum nauigatum, & non nauigatum, vt etiam aduerti-
10 tur supra in *Viterbien. discur. 89.*; Hinc proindè substantialis est expressio vnius potiùs, quàm alterius loci, quoniam exteri negotiatores in Vrbe existentes, benè tamen informati de vnius, ac alterius loci qualitate, dum istum etiam casum corruptionis, seù calefactionis in se assumserunt, facilius id egerunt in frumento onerando in Ciuitate Neapolis, cum probabili spe, vel credulitate, quod esset frumentum traductum per dorsum animalium à partibus mediterraneis, quàm fecissent si specificans fuisset alter locus, in quo repositum esse non solet ad mercaturam, ac extractionem, nisi frumentum aliàs nauigatum; Et quidem motiuum fuisset solidum, benèque fundatum, nisi illud eneruassent aliquæ facti circunstantiæ, ex quibus desumebatur ipsorum assecuratorum notitia super ipsa merce indiuiduali, vndè propterea quæstio remanebat potiùs facti, quàm iuris.

Quo verò ad alterum punctum, seù inspectionem, an scilicet assecuratorum comodo cedere deberẽt alię merces, quę saluæ ad locum destinatum appulerãt, vt ita istarum commodum cum peremptarum incommodo compensetur; Non-
11 negabant scribentes pro assecurato, vt id fieri deberet, quando vnica esset assecuratio omnium mercium, tanquàm eiusdem vniuersitatis nauigationis, seù mercimonij; Insistebant verò in eo, quod essent duæ diuersæ assecurationes pro mercium diuersitate, idque comprobari dicebant ex diuersitate, seù distinctione pretij.

In hoc autem, regulando materiam cũ terminis emptionis, & venditionis, cum quibus in proposito regulandam esse aduertitur apud *Giurb. dicta obseru. 73.*, vbi pro consueto stylo elaborato concordãtes colliguntur, ac iuxta ea, quæ haben-
12 tur pluries *sub tit. de empt.*, & *vendit. præsertim disc. 17.*, & *18.*, ac etiam *sub tit. de seruit. ad materiã retractus disc. 74*; Ista quæstio, an in eodem contractu, pluribus diuersis rebus, vel mercibus, sub vnico, vel distincto pretio, deductis, dicatur vna, vel potius dicantur plures venditiones, verè est potius facti, quàm iuris, ideoquè certam, ac determinatam regulam generalem non recipit, sed tanquàm in quæstione voluntatis, determinatio in singulis casibus facienda est pro eorum qualitate, ac particularibus circunstantijs, quæ vnam, vel alteram voluntatẽ suadeant; Applicando autem ad rem, in hac facti specie, clarum videbatur, quod vnicus esset cõtractus, facta solum pretiorũ distinctione, quoniam ità per necessè subiecta materia exigebat; Eumdemque sensum habebat Iudex, sed quoniam pretium iam ex conuentione taxatum erat, id circò cessabant illæ quæstiones, quæ in materia liquidationis cadere solent iuxta deducta *duob. discur. præced.*

Et quamuis ex hac parte replicaretur, quòd taxa pretij, seù valoris facta solum esset, ad effectum sciendi, quid pro mercibus peremptis, vel deterioratis reficiendum esset, id autem non excluderet
13 lucrum, quod ex mercibus saluis in loco ad quem reportaretur; Attamen difficultas erat, cuinam incumberet onus probãdi hoc maius lucrum, vtpotè incertum, ac euentuale, adeò vt ista illiquiditas, vel incertitudo, apta esset retardare, nec ne, solutionẽ assecurationis in processu executiuo intrante, tàm ratione obligationis cameralis, quàm ex natura assecurationis ob dispositionem Consulatus.

Et in hoc, quamuis ego scribens moræ Aduocati, plura deducerem circa huiusmodi illiquiditatis exceptionem, de quibus *supra disc. 106.*; Attamen reflectendo ad veritatem, mihi videbatur, quod stante cõuentionali taxa, seù liquidatione prudentèr fieri solita, tanquam super pretio verisimiliter, sperato in loco ad quem, ità fundata esset intentio actoris, quodquè spes seù possibilitas maioris pretij, & lucri, esset fundamentum exceptionis rei conuenti, ideoquè intraret vulgaris, ac recepta propositio, quod vbi actor benè fundauit eius actionem, reus gerere dicitur partes actoris circà onus concludentèr probandi id, quod deducit pro fundamento suæ exceptionis; Potissimè verò quia ex parte actoris, cõcludens probatio, vel saltèm vehemens fumus dabatur, quod merces in loco, ad quem non haberent maiorem valorem, quàm concorditer taxatum.

In

In hoc autem proposito liquidationis mercium peremptarum, ad effectum cõdemnandi assecuratores ad solutionem; In plerisquè alijs consimilibus controuersijs, quæ in Curia sunt frequentes, disputari contigit, àn sufficeret assertio ipsius domini mercium, super earum quantitate, & qualitate, descripta in apocas oneratoria, quæ vulgò *di carico* dicitur, siuè in notulis scribę nauis, quamuis mẽsurario, vel numeratio sequuta non esset, quia nempè in arcis, vel sarcinis, vulgò bailis, clausis, & obsignatis, essent reclusæ, adeò vt sequuto naufragio, vel alio casu peremptionis, impossibile esset rei veritatem comprobare; Atquè in hoc puncto, contra assecuratum vrgere videbantur; Tùm dicta regula, seù conclusio generalis, de qua supra *dicto discur.* 106. super onere incumbente assecurato actori, liquidandi pretium, & quãtitatem; Tùm etiam ratio fraudis, quæ ità de facili committi potest, supponẽdo merces magni valoris in arcis, vel sarcinis plenis rebus inutilibus iuxtà quæstionem disputatam *per Santern. de assecurat.*, *& Io. de Euia in tract. de reb. maritim.*, quos refert, ac reassumit *Rocch. in notabilib. de assecurat. notab.* 10. *num.* 25. *& seqq.*

E' conuersо autem, vt huiusmodi assertionibus deferendum sit, dabantur attestationes plurium negotiatorum de communi vsu, præsertim portus Pisani, seù Lyburnien., ac Ciuitatum Venetiarum, & Ianuæ; Ideoquè intrat pluries insinuata conclusio, quod in rebus mercantilibus deferendum est vsui mercatorum; Atquè ego ponderabam huiusmodi consuetudinis probabilitatem inter mercatores, & negotiantes, ex rationibus, de quibus occasione solutionis dohanarum, & gabellarum habetur *sub titulo de Regal. disc.* 69., quoniam aliàs materia esset impracticabilis; Adhùc tamen occasio non præbuit id formiter disputare, sed quando casus contingeret, crederem quod ista, tanquam quæstio potiùs facti, quàm iuris, pro facti, & personarum qualitate, alijsquè circumstantijs decidenda sit, attendendo adminicula huiusmodi assertionem coadiuuãtia, sine quibus difficilè esset, vt ipsa nuda assertio sufficiens reputari deberet.

ROMANA

ASSECVRATIONIS MERCIVM

PRO

IO. PAVLO SANZONIO, ET ALIIS

CVM

LOPEZ DE SYLVA.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura, resolutus pro Sylua, & pendet.

De eadem materia assecurationis; Et àn facta de tempore, quo casus periculi iam sequutus erat, valeat, nec nè; Et cui incumbat onus probandi verisimilem notitiam casus iam sequuti, àn assecurato, vel assecuratori.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *Materia probationum est iudici arbitraria.*
3 *Assecuratio sequuta de tempore, quo poterat haberi verisimilis notitia casus sequuti, est inualida.*
4 *Secus dicta notitia cessante, licèt tunc casus esset sequutus, & quid in sponsionibus.*
5 & 6 *De materia verisimilis notitiæ.*
7 *An damnum causatum ab inimicis assecurati cedat periculo assecuratoris.*

DISC. CIX.

1 SVB die 3. Decẽbris 1666. inter Lopez de Sylua Ianuæ degentem, & Io. Paulum Sanzonium, mediante proxeneta, in Vrbe inita fuit assecuratio quarũdam mercium Zaccari, & similium, oneratarum, vel onerandarum in portu Vlixiponensi super quadam specificata naui

vehendarum ad Ciuitatem Ianuæ; Cum autem tunc, atquè per 45. dies antea dicta nauis capta fuisset per classem Hyspanicam iure belli tunc vigentis; Hinc Sylua assecuratus, habitis iustificationibus sequuti casus, contra assecuratorem egit coram A. C., atquè mandatum exequutiuum obtinuit, commissaque per Signaturam causa alteri Prælato cum clausula translatiua *si quid exequendum* (vt audio) demandata fuit exequutio ex defectu probationum ex parte assecuratorũ non benè factarum verisimilis scientiæ in assecurato de casu iam sequuto.

In disputationibus autem habitis præsertim in prima instantia coram A. C., & in Signatura, quæstio erat potiùs facti, quàm iuris, super huiusmodi probatione, àn adesse diceretur, necnè, Et super qua materia certum iudicium non de facili *effor*mari potest, vtpotè reposita in Iudicis arbitrio iuxta celebrem
2 *text. in l. 3. ff de test.* ibi, *tu enim scire potes quanta fides testibus adhibenda sit*; à quo deriuat hæc recepta conclusio, vt in Iudicis arbitrio repositum sit, àn probationes concludant, nec nè *Ancharan. consil. 172. nu. 3., & cons. 27. in fin. Mantic. decis. 338 num. fin.*, & communiter, vt habetur in sua materia *sub titulo de Iudic.*

Idquè si procedit generaliter etiam in expressa, seù explicita probatione, quæ per testes, vel documenta sequatur, àn fides eis adhibenda sit, necnè, multò magis, & absquè dubio, vbi agitur de præsumpta, seù adminiculatiua probatione, iuxtà ea, quæ frequentèr *hoc eoaem titulo*, ac ferè in omni materia, præsertim verò in illa fideicommissorum, & vltimarum voluntatum in coniecturalibus, & adminiculatiuis habentur; Atquè exindè resultat, quod in arbitrarijs, præsertim super coniecturalibus, & adminiculatiuis, quorũ certa, & determinata veritas verè nobis obscura est, non de facili iudicatũ de positiua iniustitia redargui potest.

Posita etenim in assecurato scientia certa, vel præsumpta, casus iam sequuti de tempore assecurationis, adeò vt dolus verus, vel præsumptus in eo concurrere diceretur, non dubitabatur in puncto
3 iuris de actus inualiditate, vt vltrà generalem regulam, seù conclusionem super nullitate contractus emptionis, & venditionis, vel cuiuscumquè alterius conuentionis ex causa doli positiui, vel præsumpti, de qua *sub titulo de empt. & vendit. & alibi*.

In his specialibus terminis assecurationis sequutæ de tempore facti casus, cuius notitia expressè, vel præsumptiuè in assecurato probaretur cæteris relatis firmant *Stracch. de assecurat. glos. 27. nu. 5., & per tot. Scacc. de camb. par. 2. quæst. 7. ampliat. 10. §. 1. num. 20. Rocch. in collectan. seù notab. post secundum volum. cons. sub tit. de assecurat. notab. 51. numer. 175. & seqq.*, & latiùs *notabil. 78. numer. 291. & seqq.*, vbi in specie, prædictorum, ac aliorũ auctoritate firmatur, quod huiusmodi notitiæ probatio præsumpta resi. det in Iudicis arbitrio, quod circà istud factum interponendum est; Eo enim posito non dubitatur in puncto iuris de inualiditate, vt punctualiter firmat etiã Rota *apud Gregor. decis. 126.*, & tanquam in iure certum admittitur *apud Merlin. decisione 597., & apud Royas decis. 54., 81., & 95.*

Ex quibus è conuerso patet, in iure prohibitum non esse huiusmodi contractum, quamuis casus periculi iam sequu-
4 tus esset, quoties in assecurato desit dicta verisimilis notitia, ex qua mala fides, ac dolus resultet, licèt in contractu sponsionis id fieri non possit, quia si tunc casus iam euenerat, contractus non tenet, vt habetur *sub titulo de alienat. & contract. disc. 47. & 48.*

Igitur ista non est quæstio iuris, sed nudi facti, prò istius qualitate, ac particularibus circumstantijs, ex prudentiar-
5 bitrio decidenda; Quamuis enim in supra allegatis *decis. coram Royas*, ac etiam in altera præcedenter edita coã *Merlino*, nimium disputatũ fuerit, àn attendi deberet certa regula trium milliarium qualibet hora per mare, vel altera per terram, attamen in eis firmatur, quod vbi præsertim agatur de itinere maritimo certa, ac determinata regula desuper tradi non possit, cum sæpe contingat breuissimo spatio longum iter perfici, et è conuerso ad breuissimum non sufficere longum tempus; Ponderando præsertim qualitatẽ temporis, àn scilicèt agatur de ll› veris, vel autumni siue è conuerso de hyberno, vnde resultet iteneris maior facilitas, vel respectiuè difficultas, quæ

etiam

etiam metiri solet ex maiori, vel minori facilitate comercij ratione belli diuini, vel humani, vt præsertim ponderatur in dictis *decis. coram Royas*, in quibus neglectum fuit aliquod notabile spatium, intra quod alias verisimilitèr notitia haberi potuisset; Tum ex eo quod ageretur de mense Ianuarij, & sic de tempore hyberno minus nauigationi apto; Tum etiam quia pestis grassabatur, ideoquè comercium per terram nõ habebatur, cum similibus circumstantijs, ex quibus hoc arbitrium regulandum esse firmatur *apud Stracch. Scacc., & Roch. vbi supra, & in dictis decis. coram Royas, Merlin., & Gregor.*

Conferrè in idem quoquè videntur ea, quæ habentur apud Beneficialistas ad materiam regulæ de verisimili notitia
6 ex deductis *sub tit. de Iurepatr. disc.* 71.; Quamuis etenim termini non sint omninò æquales ob rationis diuersitatem, quoniam in dictis terminis regulæ beneficialis attenditur sola possibilitas ad effectum excludendi delictũ, in istis autem è conuerso agitur in oppositum ad illud includendum, attamen adhuc data proportione, illi termini adhibendi veniunt, prout eos adhibitos fuisse cõstat ex *dicta decis. Merlini*.

Applicãdo autẽ ad rem, cum ageretur de tempore autumnali quod itineri terrestri est oportunũ, atq; iter esset per terram liberam pacificum, illudquè etiã per ordinarios cursores haberetur ab Hispanijs ad Ciuitatem Ianuæ intrà dimidiatum fortè terminum, quàm istud, de quò agebatur, hinc notitia videbatur nimium verisimilis, quamuis actor curaret eam excusare ex quibusdam circumstantijs per Iudicem admissis, quæ mihi nõ videbãtur sufficientes; Verũ quia materia est arbitraria, idcircò de iniustitia positiua iudicatum non de facili redargui potest.

Actum quoquè fuit in ista causa de alijs punctis in facto potiùs, quàm in iure consistentibus, præsertim circa probatio-
7 nem onerationis mercium; Et quãuis ego ponderarem, quod cum casus non prouenerit à tempestate, vel alio accidenti naturæ, minusquè à pyratis, sed à classe Hispanica ratione belli cum Lusitanis, qualis erat assecuratus, ideoquè dici posset casus sequutus in eius odium, atq; ab eius inimicis, attamen reflectẽdo ad veritatem agnoscebã, quod motiuum non subsisteret, cum ageretur de bello publico, & nationali citra culpam assecurati, ex ijs, quæ in hac materia habentur *sub titulo de Empt. disc.* 6., *& sub tit. de Regal. disc.* 118.

IANVEN.

ASSECVRATIONIS

PRO

BERNARDO DE AMICO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia assecurationis, cuius inualiditas prætendatur ex defectu mandati, seù facultatis, ratione qualitatis nauis, quia nempè data sit facultas super vna specie nauium, & assecuratio facta sit super altera; Atque si super ea specie fieri tantùm poterat in certa summa, et facta sit in maiori, an actus vitietur in totum, vel potiùs in solo excessu.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Subsequens approbatio declarat mãdatum ambiguum.*
3 *De assecuratione strictè intelligenda, quomodò, & quando procedat.*
4 *An clausula posita in fine mandati referatur ad omnia præcedentia.*
5 *Quando in materia assecurationis vtile per inutile vitietur.*
6 *Et quando secus, atque vitietur solus excessus.*

7 *De*

7 *De conclusione, vt assecuratio strictè intelligenda sit, & facta in vna naui non capiat nauem diuersam &c.*

DISC. CX.

SVB die 23. Iunij 1666. Stephanus in Ciuitate Ianuæ constituit procuratorem Io. Baptistam ad faciendas assecurationes eius nomine in genere, sub ea tamen lege, vt in qualibet cymba, talis qualis sit, sub generali vocabulo *d' ogni Vascello*, assecurare posset vsquè ad summam scutorum 1500. auri, super qualibet verò naui magna, seù qualificata explicata sub vocabulo *di vascello da conuoglio* assecurare posset in summa duplicata scutorū 3. m. auri; Sub die verò 10. Nouembris sequentis, aliud eidem Io. Baptistæ mandatum dedit pariter generale ad faciendum assecurationes, specificata dicta summa scutorum 1500. in nauibus inferioris ordinis explicatis cū dicto vocabulo generali *d' ogni vascello*, & vsquè ad summam 10. m. super nauibus maioribus explicatis cum dicto vocabulo *vascelli da conuoglio*, addita etiā clausula, *plus, & minus*, ad eiusdem procuratoris arbitrium, seù beneplacitum; Cumque dictus procurator, super naui inferioris ordinis cadente sub dicto generali vocabulo *d' ogni vascello* fecisset assecurationem cū Bernardo pro summa scut. 3000.; Hinc facto casu naufragij, atquè assecurato agente contra Stephanū mandantem, excipiebat iste de inualida assecuratione facta per mandatarium vltrà fines, ac formam mandati; Quare desuper ex parte Bernardi consultus,

1

Respondi, duplicem in hoc cadere inspectionem; Primò scilicèt àn facultas in secundo mandato ampliatiuo attributa excedendi summam præfinitam, percuteret vtrumquè casum, tàm scilicèt assecurationis faciendæ super paruis nauibus, quarum respectu summa contenta in primo mandato, per secundum ampliata non fuit, sed repetita eadem scutorum 1500., vel potiùs percuteret alteram speciem assecurationis super nauibus magnis, in quibus adeò notabilis ampliatio facta erat à scutis ter mille ad decem mille; Et secundò, posito quod dicta facultas non percuteret dictam primam speciem, cuius respectu continuaret limitatio in dicta summa scutorum 1500., àn dicta assecuratio facta pro summa duplicata, corrueret in totū, vel potiùs subsisteretur pro rata permissa.

Prima inspectio erat potiùs facti, quā iuris, super interprætatione verborum, ex quibus, etiam attento sensu litterali, clarum videbatur, quod ampliatio percuteret vtrumque casum, multò verò magis ob plures facti circumstantias id nimium conuincenter comprobantes, præsertim ob eas, quæ denotabant in mandante scientiam, ac approbationem eorum, quæ in dies à dicto mandatario circa hoc negotium gerebātur, & per quam omnis cessare videbatur difficultas, quoniam si ex pluries insinuata certa, & frequenti iuris propositione, ratihabitio æquipollet mandato, eiusq; vicem habet, etiam in ijs, in quibus illud requiratur speciale, multò magis illa attendenda venit pro declaratione, seù interprætatione mandati ambigui.

2

Ponderabam item nimiùm, rationis identitatem, seù non vrgentiam diuersitatis, imò potiùs argumentum à fortiori, quoniam cum in primo mandato, inter vnam, & alteram speciem nauium, solam differentiam mandans constituerit in dimidio, duplicando scilicèt summam; In secundo autem illam de secunda specie adeo notabiliter auxisset, hinc proindè nulla videbatur subesse ratio, cur subsequens amplior facultas, ad vnam, & non alteram speciem referenda esset, quoties non vrgeat ratio affectionis, vel genij erga aliquam nauem indiuiduam, quo casu admittebam rectè procedere conclusionem *in disc. prox. præcedentibus* super hac materia insinuatā, vt assecuratio dicatur stricti iuris ad limites verborum strictissimè intelligenda, adeo vt facta super naui, non capiat merces oneratas super fregata, vel parua cymba, cum similibus, cum isto casu dici valeat, quod assecurator voluit, vnius, & non alterius generis nauiū fidem, vel fortunam sequi ex generica ratione frequentioris periculi, cui subiacent magis naues paruæ, quàm magnæ, tàm ratione tempestatis, quàm piratarum; Sed vbi mandans vtriusquè generis fidem, vel fortunam sequi

3

voluit,

voluit, atquè super vtroquè mandatum dedit, cum congrua, ac proportionata discretione summarũ, tunc non videtur subesse ratio, cur subsequens indefinita ampliativa facultas, magis ad vnum, quàm ad alterum casum restringenda esset, ideoquè in proposito deducebam conclusionem, de qua supra *in Rom. pecuniaria seù versionis discur. 72.*, eam comprobando cum auctoritatibus, & decisionibus ibi deductis, de clausula, vel facultate generali adiecta in fine mandati, referenda ad omnia præcedentia, quando peculiaris ratio restrictionem non suadeat. 4

Hinc proindè non videbatur opus assumere alteram inspectionem, àn scilicèt posito excessu finiũ mandati, actus corrueret in totũ, vel potiùs in solo excessu; Verùm vbi de hoc agendum esset, aduertebam, quod vbi dictus excessus esset circa certum genus, vel certã speciem citrà voluntatem mandantis, tunc probabilis dubietas cadere potuisset super inualiditate totius actus, quodquè vtile, per inutile vitiaretur, ob indiuiduũ voluntatis, putà, quia mandans dedisset facultatem faciendi assecurationes vsquè ad certam summam super nauibus magnis, quoniã si mandatarius eam feciſſet super naui parua onerare solita merces in medietate, vel alia quantitate minori, non per hoc intraret proportio ratæ, quoniam dici potest quod deficeret volũtas in genere non faciendi assecurationes nisi in nauibus magnis, ideoquè rectè intret ratio indiuidui voluntatis, prò vt intraret quando excessus esset circa aliam circũstantiam, in qua eadem ratio cõgrueret; Sed cum vtrumquè genus pariformiter in mandato expressisset, cum sola discretione summarũ, atquè excessus esset circa quantitatem recipientem functionem in genere, adeo vt eadẽ esset ratio totius quoad totum, ac partis quoad partem, rectè intrare dicebam conclusionem, de qua cæteris relatis *apud Cenc. de cens. quæst. 110. Merlin. decis. 822. cum concordantibus per add. ad decis. 454. par. 4. rec. tom. 2.*, & habetur pluries *sub titulo de Censibus*, & sub altero *de Societate Officij*, vt scilicèt vtile per inutile nõ vitietur, sed actus substineatur intrà summã permissã; Vnde propterea non intrarent plenè firmata *apud Mastrill. decis. 182. cum alijs*, 5 6

de quibus in præcedentibus, super prohibita extensione assecurationis de casu ad casum, cum illa percutiat dictos diuersos terminos, in quibus vnum nauium genus volitum sit, & alterum non, eodem modo quo neque extẽderetur, vbi omnimoda identitas concurreret, quia nempè facta assecuratione super vna naui, merces oneratæ sint super altera omninò eiusdem qualitatis, quoniam rectè dici potest, quod in vna habebatur genium, & in altera non, cum similibus. 7

ROMANA PECVNIARIA SEV CAMBII MARITIMI

PRO

ABRAHAM IACOBO SEDIQVE

CVM

AVGVSTINO LATIOSO,

& alijs Assecuratoribus.

Casus disputatus coram A.C., & resolutus pro assecuratoribus, pendet appellatio.

De eadem materia assecurationis, quæ fiat de pecunia data ad cambium maritimum, àn exigat præcisam probationem onerationis pecuniæ, seù mercium cum ea emptarum, et quid propriè iste cõtractus contineat.

Et aliqua de modo probandi casum naufragij.

SVM.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De deductione octauæ partis remissiuè.*
3 *Ad effectum agendi contrà assecuratores debet probari oneratio mercium.*
4 *Qualis sit vera assecuratio, in qua dicta probatio fieri debet, & aliæ cadunt quæstiones.*
5 *De materia sponsionis super fortuna nauis.*
6 *De nautico fœnore pecuniæ traiectitiæ.*
7 *An in isto fœnore intret vsura prohibita.*
8 *De cambio maritimo, seù nautico fœnore per viam societatis.*
9 *De assecuratione periculi negotij initi cum altero.*
10 *De contractu trino.*
11 *Super cambio, de quo num. 8. non est opus probare identitatem pecuniæ.*
12 *Casus naufragij, vel periculi quomodo probetur.*

DISC. CXI.

1 ABraham hæbreus negotiator in portu Liburnensi, dedit ad cambium maritimum ad rationem scut. 20. pro centenario Francisco, & Antonio nauarchis scut. 4000. circiter super eorum nauium accessu, ac recessu, mercaturæ gratia ad Insulam Cipri, & Ciuitatẽ Bisantij, respectiuè; Deindè verò idem Abraham, mediante persona cuiusdam proxenetæ corresponsalis, sollicitus fuit de dictorum cambiorum assecuratione, à pluribus negotiatoribus Vrbis, vnius scilicèt prò scut. bis mille circiter ad rationem octo cum dimidio, & alterius pro scut. 1500. ad rationem sexdecim prò centenario; Cumquè vtraque nauis vi tempestatis perijsset, hinc exorta est consueta lis, quæ istius contractus in Vrbe inseparabilis comes esse videtur; Introductaque causa coram A.C., plura erant assecuratorum obiecta; Primò nullitatis actus ob non deductionem octauæ partis; Secundò ob prætensam nauarchi barattariam in vna ex dictarum nauium peremptione; Tertiò ob non probatam onerationem dictæ pecuniæ datæ ad cambium super dictis respectiuè nauibus; Et quartò ob non benè probatum casum naufragij.

Super primo obiecto, modica cadebat difficultas, tàm ex facto, quàm etiam ex ijs, quæ circa hunc punctum deductionis octauæ habentur *supra discur.* 107. 2 Prout nulla penè difficultas adesse videbatur super secundo barattariæ, cũ nullo pacto factum assisteret; Ideoq; causæ disputatio restringi videbatur potissimum, ac principaliter ad tertium obiectum, ob quod assecuratorum absolutoria prodijt.

Quatenus igitur pertinet ad dictum tertium obiectum nõ factæ probationis onerationis pecuniæ, quam esse necessariam dicebant Scribentes pro assecuratoribus reis conuentis, ex præsuppositis 3 *apud Coccin. decis. 66.*, & plenè, atquè ex professo firmatis *per Rotam decis. 571. par. 5. rec.*, quæ videtur in hoc puncto magistralis.

Dicebam scribens prò assecurato actore, vt clarum æquiuocum esset, in ista causa, seù specie contractus, procedere cum terminis ordinariæ assecurationis mercium, cum reuerà ageretur de cõtractu diuerso, sub diuersis terminis cadente; Ideoquè aduertebam, quod pro æquiuocis tollendis, oportebat procedere cũ distinctione casuum, quinque species assecurationis ad rem constituendo.

Prima etenim assecurationis species est illa, de qua pluries in discursibus, præcedẽtibus, vbi scilicèt agitur de assecuratione mercium, quæ nauigationis 4 periculo prò earum euectione de loco ad locum exponuntur, atquè in hac specie, tres personæ considerari solent; Vna scilicèt domini mercium, qui de earum assecuratione est sollicitus; Altera assecuratoris; Et tertia nauarchi tanquàm earum vectoris; Et tunc assecurationis contractus substantiari dicitur in ipsis mercibus, quæ sunt subiectũ contractus, et consequenter necessaria est probatio onerationis, ac existentiæ mercium in naui de tempore naufragij, vel periculi, vt ità probatus dicatur casus periculi ipsarum mercium, de quo actum est, dum assecuratio non est de naui, sed de mercibus, atq; in his terminis loquuntur tot decisiones, quas in hac materia habemus

præ-

præsertim *par. 5. rec. dicta decis. 571.*, & *par. 6. decis. 24., 54., 64., 151., 229., 258. 285.*, & *302.*, & *par. 7 decis. 47.*, & *apud Coccin. dicta decis. 66.*, & *apud Dunoz. dicta decis. 460.*, edita in eadem causa, in quâ prodierunt aliæ *17. Decembris 1635.*, & *3. Martij 1636. coram Macchiauello*, & *in Romana assecurationis 5. Decembris 1670. coram Priolo.*

Altera est species assecurationis, quæ in solo vocabulo talis dici solet, in effectu autem non est talis; Vbi scilicèt inter dominum nauis, & negotiatores, vel etiã inter ipsos negotiatores, nullum interesse in naui habentes, fiat contractus super bono, vel malo euentu ipsius nauis in aliqua mercantili, vel belligera nauigatione, quàm eo anno, vel tempore factura est; Et tunc non intrat inspectio, àn, & quæ merces in ipsa naui oneratæ sint, sed fit contractus cambij maritimi super fortuna ipsius nauis tanquam per speciem sponsionis, quæ fiat super fortalitio obsesso, vel super persona, quæ itura sit ad bellum, iuxtà ea, quæ de huiusmodi sponsionibus habẽtur *apud Criuell. decis. 57. Dec. conf. 115. Franch. decis. 113. Magon. decis. Florent. 8.*, *Scacc. de camb. §. 1. quæst. 1. numer. 97.*, *Thesaur. iun. lib. 2. quæst. 14.*, *Rocch. de assecur. post secundum vol. conf. notab. 73. numer 269. & seqq.*, & *notab. 74. numer. 276. & seqq.*, & habetur *sub tit. de vsur. disc. 36.*, & *sub tit. de alienat. & contract. disc. 47.* & *48.*; Istoquè casu opus non est docere de aliqua onerationc merciũ, cum nullus super eis initus sit contractus.

Tertia est species illius cõtractus nautici fœnoris, qui cognitus est à iure cõmuni *in l. 1. & toto tit. Cod. de nautic. fœnor.*, quod scilicèt habens quis pecuniam traiectitiam de vno loco ad alterum per iter maritimum, curat eam assecurari, eo modo, quo assecurari etiam solet pecunia, quæ per terram in dorso animalium vehatur de loco ad locum, vt in dies practicatur à Prouincia Marchiæ, vel Vmbriæ ad Vrbem, siuè ab Vrbe ad Ciuitates Florentiæ, & Neapolis, & è contra, et de qua specie assecurationis pecuniæ vehendæ, seù traijciendæ de loco ad locum agitur *dicto tit. Cod. de nautic. fœnor. cum concord. per Rocch. vbi supra notab. 75. num. 281. cum seqq.*; Solumquè vbi admixtum sit mutuum, intrat inspectio, àn intret vsura ad terminos *textus in cap. nauiganti de vsur.*, de quo latè agitur *sub tit. de vsur. disc. 3.*, vbi allegantur *Gibal. lin. & Fagnan.*, qui plenè materiam tractant; Et tunc procedit idem, quod dictum est supra in primo casu, quoniã cõtractus subsistantiatur super ipsa pecunia, quæ est subiectum assecurationis, ideoq; procedit idem, quod in mercibus.

Quarta est species cambij maritimi, quod cõtrahatur per quamdam speciem societatis, quod scilicèt super naui piscatoria, vel piratica, seù etiam mercantili ineatur societas, in qua vnus ponat pecuniam, & alter nauim, & industriam sub mutuo periculo, et tunc non intrant termini assecurationis inter ipsos met principales contrahentes, sed potiùs dicti termini societatis iuxtà casum præcisum, de quo agitur *dicto disc. 3. de vsur.*, vbi de materia.

Quintus demùm est casus præcisus, ac individuus huius controuersiæ, vbi scilicèt, postquam initus est contractus cambij maritimi inter Titium, & Semproniũ iuxtà proximè insinuatam speciem societatis, & de quo cambio propriè agitur *in Meleuitana pecuniaria, seù fideiussionis 30. Aprilis 1663. & 14. Ianuarij 1664. coram Beuilacqua*, & in alijs editis in eadem causa, de qua *supra discur. 93.*, post contractum initum, ille, qui dedit pecunias huic societati, & periculosæ negotiationi expositas, contentus de modico lucro, vt ità de isto, ac de sorte se tutum redderet, curat cum eiusdem lucri notabili parte assecuratori assignata, se assecurare; Et tunc, subsistantia huius assecurationis, cõsistit in ipsius negotij bono, vel malo euentu, per quandam speciem sponsionis super fortuna, et sic non ipsa indiuidua pecunia, vel in mercibus, sed super ipso periculo negotiationis in genere, iuxtà illam speciem assecurationis, quæ apud Canonistas, & Morales nimium frequens habetur super eo contractu, quem trinum dicunt, de quo ad satietatem agitur *eodem tit. de vsur. discur. 1.*; Quod scilicèt fiat primus contractus societatis, per quem dat vnus alteri pecuniam ad negotiandum, seù traficandum iuxtà *decis. 304. & 556, par. 2. rec.*, ille verò, qui dedit pecunias, sub conuentione, vel spe alicuius notabilis lucri ex illa negotiatione reportandi, curat se assecurari

vari facere ſub certa mercede de periculo ſortis, et iſte dicitur ſecundus contractus, deindequè curat etiam aliam habere aſſecurationem de certo moderato lucro, aliud ſperatum remittendo aſſecuratori, & iſte dicitur tertius contractus, vndè reſultat dictus terminus contractus trini, in quo dubitatio ſolùm cadit, àn ille fieri poſſit inter ipſoſmet primos, ſeù principales cõtrahentes, ob fraudem, quæ vſuris fieri poteſt, ſed vbi primus contractus ſocietatis ſit cum vno, alij verò duo contractus duplicis aſſecurationis ex interuallo fiunt cum tertio, tunc nemo eſt, qui dubitet, vt patet ex plenè deductis *dicta diſc. 1. de vſur.*, atque de hac ſpecie propriè agit *Valaſch. conſult. 18.*, licèt diſcurrendo de alijs ſpeciebus, agat de materia *text. in cap. nauiganti de vſur.*

Iſte autem videbatur proprius, ac præciſus caſus controuerſiæ, quod ſcilicèt poſtquam Abraham, dictæ ſocietatis cõtractum inijt cum Franciſco, & Antonio nauarchis, ſub taxa notabilis ſperati lucri ſcutorum 20 pro centenario, contẽtus modico lucro, voluit reliquum dare aſſecuratoribus, vt ità ſe tutum redderet de periculo ſortis; Et cõſequenter eo ipſo, quod ſors de facto periculum ſubijt, commiſſa eſt ſtipulatio, ideoq; extranei remanere videbãtur termini aſſecurationis mercium, de quibus agunt ſupradictæ deciſiones, aliæquè auctoritates, cum termini ſint diuerſiſſimi.

Obſeruando etiam in materia dicti contractus nautici fœnoris redolentis ſocietatem iuxtà dictum quartum caſum,
11 quod opus non eſt, vt illa pecunia, quæ datur nauarco, vel alteri nauigaturo ad negotiandum, identificè debeat aſportari, ſeù probari verſa in merces, quæ aſportentur, id enim mihi videbatur æquiuocum clarum, nullo iuris fundamento innixum, in quod inciderunt pleriquè Morales in propoſito contractus cambij, cum quibus erroneè proceſſum fuit *in Romana cambij 4. Julij 1642.*, & *18. Aprilis 1644. coram Peutingerio*, et qui error deindè agnitus fuit etiam in ipſa met cauſa de ordine Rotæ concordata, & poſteà in alijs præſertim *in Romana cambij 1. Julij 1658. coram Meltio*, adeò vt ſit punctus, qui hodiè non habet ampliùs controuerſiam, vt aduertitur *ſub tit. de camb. diſc. 1. 5. & 6.*, & in alijs pluries; Si enim Titius ſuſcipit à Sempronio mille ſcuta ad cambiandum, ſeù girandum per nundinas, vel plateas, opus non eſt, vt illa pecunia indiuidua, cambiari, ſeù girari debeat, quoniam rectè poteſt ille, qui eam ſuſcepit, erogare in alios vſus, vel in extinctionem æris alieni, quoniam contractus adimpleri poteſt cum æquiualenti, dum pecunia recipit functionem in genere ſuo, atquè nil refert, àn vna, vel altera pecuniæ ſpecies cambietur, vel traficetur, ideoque omnia, quæ dicebantur de non probatione onerationis ſpecificæ, mihi videbantur extrà caſum quæſtionis.

Quouerò ad alterum punctum probationis naufragij, ſeù facti caſus *periculi*, illius onus ſubijt alter doctus huius partis Aduocatus, ità labores diuidendo, quod ſcilicèt ego aſſumpſi ſupraſcriptũ primum punctum, alter verò iſtum, ſuper quo dicebar (& benè), quod cum
12 iſta ſit materia difficilis probationis, idcircò ſufficiunt probationes etiam nemine citato per atteſtationes nautarũ iuxtà notabilem doctrinam *Bar. in l. 2. Cod. de naufrag. lib. 11.*, quàm cæteri ſequuntur relati *per Capyc. latr. deciſ. 60.*, vbi de hac materia probationis; Et quamuis *apud Coccin. d. deciſ. 66. in fin.*, præſupponatur quod nullũ eſſet examen teſtiũ parte non citata, vndè propterea facta fuit formalis repetitio, attamen id ſequi potuit ad vberiorem cautelam, ideoquè in deciſionibus, vel dictis Doctorum non *intrant* argumenta à contrario ſenſu; Ac viterius in eo caſu probabiliter id prætendebatur, dum examen factum erat in ipſamet Anconitana Ciuitate, in qua erant aſſecuratores, ideoq; dum pars erat præſens, atquè citari poterat, ceſſabat ratio, cui innititur dicta doctrina *Barti*. Quamuis in hac materia probationum certa, & determinata regula dari non valeat, cum ſit repoſita in ludicis prudenti arbitrio, ex facti qualitate, ac ſingulorũ caſuum circumſtantijs regulando; Potiſſimè circa fidem nautis præſtandam, àn agant de ſe exonerando, vel etiam de exculpãdo ducẽ, ſeù dominũ nauis, cuius ſunt famuli, cum ſimilibus circumſtãtijs, quæ poſſint eorũ fidem minuere, et àn ſit ſpecies probationis, quæ etiam per alios teſtes non ſuſpectos haberi valeat &c.

IN,

INTERAMNEN.

SEV

ROMANA PECVNIARIA

FRO

VALENTINO, & FRATRIBVS DE LEONCINIS

CVM

IOSEPHO FRATRE.

Casus disputatus in Signatura Iustitiæ, resolutus vt infra.

An creditor ante diem agere possit contra debitorem suspectum ad solutionem, vel saltèm ad assecurationem; Et incidenter, àn creditori, qui ex processu inordinato, seù nullo possideat bona debitoris, concedenda sit retentio eorumdem bonorum ratione manis circuitus, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Factum Iudicis nullam, vel iniustum non priuat possessorem, cui competit manutentio.*
3 *Quare potius sit in vsu remedium manutentionis, quàm reintegrationis.*
4 *Quando manutentio non admittat appellationem suspensiuam.*
5 *Etiam vbi iudicium est executiuum solet Signatura rescribere de appellatione.*
6 *Quod possit agi antè diem contrà debitorem decoctum, vel suspectum.*
7 *An per decoctionem rescindatur contractus censualis, vt sors sit repetibilis.*
8 *Quid practicet Curia Romana.*
9 *Qualis effectus resultet à dicta rescissione.*
10 *Quod creditori immisso ex processu inordinato, adhuc debeatur retentio.*
11 *Contrariũ, cum distinctione, quando vna, vel altera opinio recipi debeat.*

DISC. CXII.

1 POssidentibus fratribus de Leoncinis drogheriam in paterna hæreditate remanfam, tres ex eis eorum portiones vendiderunt Iosepho alteri fratri, distributo pretio soluendo in certis terminis, seù paghis, quibus adhuc pendentibus, ob deterioratum dicti Iosephi statum, obtinuerunt creditores mandatum executiuum, cuius vigore subhastata fuerũt quędã debitoris bona, pro quibus, cum maior oblatio facta esset pro scutis 2200., ipsi autem creditores æstimarent bona mãioris valoris, hinc proindè ad faciendam debitoris cõditionem meliorem obtulerunt scuta 3000. circiter, cum eorum credito excomputanda, atquè ità eis deliberata fuerunt; Ad aliquod verò tempus debitor ex capite nullitatis dictę subhastationis, ac deliberationis, ex eo quod debiti dies adhuc nõ cessisset, obtinuit ab A. C. manuteneri in possessione dictorũ bonorũ, ex pluries insinuata cõclusione in Curia quotidiana, vt etiam aduersus possidentem facto Iudicis, quod nullum, vel notoriè iniustum sit, ratione
2 ciuilis possessionis animo retentæ, priori possessori concedatur interdictum retinendæ, quod sub manutentionis vocabulo ex cõmuni vsu explicatur.

Id autẽ ex moderno vsu frequens esse cæpit, cũ apud nostros maiores (vt liquet ex Rotę decisionibus antiquioribus sęculi pręcedentis) aduersus factũ Iudicis applicareturremedium reintegrandæ; Ob eam
3 differentiæ rationem, quod alia remedia possessoria adipiscendæ, & recuperandæ, quæ attenta dispositione iuris ciuilis nõ admittunt appellationẽ suspensiuam, de iure canonico sunt appellabilia ad vtrũq; ideoquè exigunt tres conformes; Istud autem remedium retinendę, (quoties tamen decernatur per decretum interloquutorium, à quo Iudex quandocumque
4 reponere potest, secùs autem si per sententiam diffinitiuam), dictã suspensiuam appellationem non admittit, etiam attenta dispositione iuris canonici iuxta opinionem in Curia magis receptam, vt distinguendo inter casum quo concedatur per decretum, ac alterum quo per

sententiam, atquè ita conciliando decisiones, ac doctrinas, quę desuper pugnare videntur plenè firmatur *per Rotam decis. 20 par. 10. rec.*, quę in Signatura, & Curia quotidiè circumfertur tanquam magistralis in materia, et habetur pluries in sua sede *sub tit. de Iudic.*

Quānis autem ista sit huius iudicij regularis natura; Attamen, quia sucumbētes generaliter in omnibus iudicijs quantumuis executiuis, ac priuilegiatis, etiam
5 prò executione obligationis cameralis, seù litterarum cambij, aut litterarū Apostolicarum, vel trium conformiū, adeunt Signaturam, ad effectum obtinendi cōmissionem appellationis ad vtrūque, vel cum clausula exequutionis translatiua ratione nullitatis, vel iniustitiæ, iuxtà plenius enarrata in dicta sua sede *de iudic.*; Hinc proindè dicti actores post iam relaxatum dictum mandatum de manutenendo, Signaturam adeuntes, Aduocati operam (vt frequenter contingit) adhibuerunt, atquè obtinuerunt intentum, vt rescriberetur de appellatione in Rota, cum clausula translatiua exequutionis, eius tamen præseruatiua, quatenus Iudici ad quem videatur, nempè *cum facultate manutenendi quem de iure*; Incertumquè est, àn causa vlteriorem progressum habuerit, dum de illa amplius actum non audiui, forsan cōcordia ei finem dederit, vel defensores mutauit.

In disputationibus igitur habitis in Signatura, duo erant puncti; Primò scilicèt super dictæ subhastationis nullitate deducta ex eo, quod debiti dies adhuc non cesserat; Et secundò, posita etiā dicta nullitate, àn actoribus pro dicto eorū credito, cuius dies intermedio tempore cesserat, eorumdem bonorum retentio competeret.

Quatenus pertinet ad primū; Quæstio videbatur potiùs facti, quàm iuris, àn scilicèt de tempore exequutionis, aut subhastationis, debitor dici posset decoctus, Atquè super hoc maiores disputationes fuerunt, cum decisio penderet ex circūstantijs facti, istam controuersam qualitatem includentibus, vel excludentibus; Ea etenim posita, clara exindè resultabat dispositio iuris, vt etiam antequā debiti dies cedat, creditor agere valeat, etiam ad effectum solutionis, quamuis anticipatè, deducto interesse medij temporis, iuxtà vnam opinionem in plerisquè Tri-
6 bunalibus frequentius, ac rationabiliter receptam; Vel saltèm ad effectum assecurationis, & nè aliàs dū interim diem creditor expectat, bona dilapidētur, seù alias trāseant ad tertias manus, à quibus ea cū maiori difficultate vōdicare oporteat *ad textum in l. quæsitum ff. de pign. vbi glos.* verbo *quia interest Azo in summ. eod. tit. de pign. n. 17. Roman. singul. 656. Stracch. de decoct. par. 3. num. 56. Salgad. in labyr. par. 1. cap. 8. num. 24., & seqq. Rota apud Merlin. decis. 387. num. 2., & 3. Caualer. dec. 653., decis. 211. num. 11. par. 10. rec.*, vbi solus timor ponderatur *decis. 217. num. 27. par. 11. repetit. post Salgad. in labyrint. decis. 3., & inter illas Bichij decis. 492., & in alijs pluries*.

Idquè adeò verum, quod, vt aduertitur *sub titulo de censibus*; De stylo Tribunalium Regni Neapolitani, data decoctione debitoris, seù aliàs positis eius bonis
7 sub concursu, etiam instrumenta censualia rescindantur, atquè sors census de sui natura irrepetibilis, ità fiat repetibilis, quod etiam apud Hispanos videtur magis receptū ex deductis *apud Salgad. vbi supra*, quamuis id Romana Curia hucusquè recipere noluerit, admittendo solùm in cōcursibus creditores censuarios
8 prò sorte, ad effectum assecurationis, vel reinuestimenti, quod tamen non placet, atquè videtur quidam rigor habens (per quemdam modum loquēdi) speciem iudaismi, dum ità magis refert sortem restitui, ideòq; ista veritate agnita frequentiùs id practicari solet mediante Congregatione Baronum, cui hæc facultas prò eius arbitrio competit, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de Feud. ad materiā Bullæ Baronum*, vel mediante Chirographo Pontificio, id decernente in gratiā creditorum, vel ementium bona posita sub concursu.

Licèt enim effectus alijs creditoribus, eidemq; debitori proficuus, qui ex dicti rescissione resultat, quod s. ità fructus cēsus (quos ibi *tertias* appellant) nō producūt illud interesse, quod ibi datur, sed solū
9 ad eamdem fructuū rationem currit primum interesse tanquàm pro credito pecuniario, & simplici; Quod in Curia nihil refert, dum perpetuò reprobata est dicta opinio præstandi interesse fructuū census, vt in dicta sua materia *sub tit. de*

cen-

censibus, & sub altera de vsur. ; Attamen id etiam refert ob cursum fructuum pro tempore, quo sors depositata remaneat, vt inuestiatur, siuè pro ea reuiuiscētia, de qua habetur actum *sub dicto tit. de Feud.* ad materiam *dictæ Bullæ disc.* 81., ac etiā in dicta sua materia *sub tit. de cens.*, quod absurdū videtur ex rationibus ibi ponderatis.

Quia verò subsequens euentus in hac facti specie docebat, quod vbi etiam debitor de tempore factæ dictæ subhastationis dici non posset, constitutus in tali statu, quod prefata iuris conclusio super exercitio actionis ante diem de stricto rigore intraret ; Attamen probabilis fuerat creditorum opinio, quod actus, ex quibus ipsi decoctionem crediderunt, saltim eius præparationē redolerēt, vnde propterea in bona fide versati fuerint, nō attendendo apices iuris, sed procedendo cum illa æquitate, cum quà inter mercatores procedendum est ; Hinc proinde dicebam (etiam in sensu veritatis) quod ratione dictæ bonæ fidei deductæ, non solum à præfata iusta opinatione ab euentu cōprobata, sed etiam ab alia sinceritate, quod non reperto iusto oblatore, ipsi in sūma excedente pro iusto pretio bona obtinere curarunt, concedenda esset eis retentio iuxtà celebrē *decis.* 46. *Surd. cum ibi deductis*.

Quamuis enim Romana Curia, in hoc cū aliquo rigore procedere soleat, neq; sit facilis ad concedendam hanc retentionē illi, qui cū processu inordinato possessorem spoliauit, *vt apud Caualer. decis.* 539., & 543. *apud Carill. decis.* 272. *in fin. repetit. decis.* 208. *par.* 9. *rec.*, & *in alijs* frequenter ; Attamen id rectè procedit, ac rationabiliter practicatur, quando nullitas est omninò patens, & inexcusabilis, presertim ex defectu iuris naturæ ratione omissæ citationis Partis, siuè quod creditum sit turbidum, aut quod aliàs spoliator in mala fide versatus sit ; Secus autem vbi creditū sit omninò certum, ac liquidum, atquè nullitas iudicij, seu processus proueniat potiùs à quadā scrupulosa subtilitate iuris, nequè ille, qui Iudicis auctoritate possessionē obtinuit, dici valet in mala fide, adeout intret ratio inanis circuitus, cum tunc probabilius videatur, vt retentio concedi debeat, vt quandoq; Rota practicauit presertim *in Romana, seù Veliterna affictus, seù restitutionis in integrum* 15. *Decembris* 1659. *coram Verospio*, & *in alijs*, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de iudic.*, vbi est huiusmodi quæstionum sedes ; In hac verò facti specie, mors debitoris substulit huiusmodi quæstiones, aliam verò contra creditores solidiorem produxit super fideicommisso, cuius ratione eiusdem debitoris filij hæc bona vendicare curarunt ; Et de quo fideicommisso habetur actum in sua sede *sub tit. de fideicommiss. disc.* 47.

INTERAMNEN.

PECVNIARIA

SEV

ROMANA NVLLITATIS

CAPTVRÆ

PRO

LEONCINIS

CVM

VALENTIBVS.

Casus decisus per Rotam pro Leoncinis.

Dè debitore suspecto de fuga, & quando creditor procedere possit ad exequutionem de facto, non seruato debito, & consueto iuris ordine.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutione.*

2 *Vt debitor possit iurari suspectus de fuga, debitum debet esse certum, & liquidum.*

3 *Cla-*

3 *Clariùs id procedit in Vrbe ob Constitutiones Apostolicas.*
4 *Ablatiuus absolutus importat conditionẽ, quæ debet præcedere.*
5 *An probatio debiti debeat præcedere antequam debitor iuretur suspectus, vel sufficiat posterior iustificatio.*
6 *Sufficit sequens iustificatio, dummodo præcedat iuramentum, quod ità debet esse duplex.*
7 *Vt possit debitor iurari suspectus, debet suspectio superuenire post contractum.*
8 *Non datur mandatum suspicionis fugæ contra possidentem bona stabilia.*
9 *An ista debeant haberi in loco iudicij.*
10 *De eodem, ac de distinctione inter eumdem, ac diuersum Principatum.*
11 *De eadem distinctione, & quomodo debeat practicari.*
12 *An Iudex incompetens possit dare hoc mandatum, si coram alio causa pendeat.*
13 *De eodem.*
14 *Quomodo hæc materia decidi debeat.*
15 *Declaratur conclusio, de qua num. 7.*
16 *An malè captus benè retineatur.*

DISC. CXIII.

1 OBtento per fratres de Valentibus mandato suspicionis fugæ à Curia Gubernatoris, contra fratres de Leoncinis negotiatores Interamnenses, casualitèr in Vrbe morantes, ibiquè carceratos, introductaq; per appellationem causa *in Rota coram Albergato*, datoque dubio, àn dictum mandatum, & captura subsistineantur, *sub die* 11. *Decembris* 1651. negatiua prodijt resolutio, quæ habetur *impress. apud Scannarol. de visit. carcer. decis. ultima, seù cap.* 23. *in appendice*, neque, quod sciam, causa vlteriorem progressum habuit.

Scribens ego pro Leoncinis, plura deducebam fundamenta ad hu-usmodi nullitatem probandam per Rotam admissa *in dicta decisione*, quæ in hac materia circumferri videtur tanquam magistralis; Primò scilicèt, quoniam non cõstabat de credito liquido, sed potiùs illud prætendebatur, nèdum illiquidum, sed nimium turbidũ, ac sub lite coram A.C.; Et tamen attentis etiam terminis generalibus iuris communis, *istud* est vnum de requisitis essentialibus, vt debitor de fuga suspectus allegari valeat, atque de
2 facto appræhendi non citatus, non præuio consueto ordine iudiciario, vt firmãt *Bald. & Salycet. in l. apertissimi Cod. de iudic.*, & alij communiter relati *apud Roman. cons. 65. nu. 18. lib. 3. Rot. decis. 490. numer. 5. par. 1. rec. apud Buratt. decis. 531. num. 1. & 653. num. 5. Otthob. decis. 205. n. 5. & 6. cum alijs in decisione.*

Multò verò magis in Curia, vbi vltrà dictam dispositionem iuris communis, habetur *Constitutio 71. Pauli V.* super re-
3 formatione Tribunalium, impressa etiã in praxi *Ridolph.*, & *apud Fenzon. ad Flatur.*, & *apud Scannarol. de visitat.*, per quam *in rubrica de Iudic. in causis ciuilib.* §. 16., per ablatiuum absolutum, (qui cõditionem importat) disponitur, vt huiusmodi mandata non concedantur, nisi constito de credito; Cum etenim, (vt dictum est) ablatiuus absolutus formalem cõditionem importet; Hinc proindè sequitur, vt debeat priùs impleri iuxtà
4 regularem cõditionis naturam, atq; habemus quotidianum occasione clausularum *parito iudicato*; Siue *refectis expensis*; Aut *purgatis attentatis*, ac similibus, de quibus in sua materia *sub tit. de Iudic.*, *& alibi*.

Licèt enim sub quæstione sit inter DD. super modo dictæ probationis, ac liquidationis, àn scilicèt ea de forma præcisa præcedere debeat, vt ex præmissis ego probabam; Vel sufficiat quod
5 subsequatur iuxtà opinionẽ, quàm Scribẽtes pro altera Parte dicebant in praxi de facto magis receptam esse, ex eo probabili fundamento, quod sæpiùs non habentur præ manibus instrumẽta, vel aliæ iustificationes crediti, atquè interim periculum est in mora, dum debitor suspectus, fugam arripere poteft; Et quã opinionẽ (reflectendo ad veritatem), in hac parte, ego admittebam esse veriorem, quodquè dicti Scribẽtes benè dicerent; Attamen (eodẽ sensu veritatis retento,) dicebam id rectè procedere, quatenùs
6 præcedat super crediti veritate creditoris iuramentum, vt cæteris relatis habebetur *apud Buratt. dicta decis. 531., & in hac decisione*; Ideoquè vbi dicta crediti iustificatio nõ habetur de tempore, quo debi-

debitor ſuſpectus iuratur, tunc duplex iuramentū præcedere debet; Vnū ſcilicèt actui connaturale, ac ſemper neceſſarium, etiam vbi dicta probatio præceſſerit, quod habeat debitorem de fuga ſuſpectum; Et ſecundò ſuper crediti veritate, ſuper qua tamen poſt executionē probatio ſubſequi debeat, hæc autem duplicitas in præſenti ceſſabat.

Alter erat defectus ſubſtantialis non iuſtificationis, vel ſaltèm non benè præſtiti iuramenti, quod debitor ſtatum in deterius immutauerit poſt contractum
7 debitum, quoniam ſi eadem ſit condito nunc, qualis erat tunc, tali caſu, imputandum eſt creditori, cur contraxerit cum perſona ſuſpecta, ſeù minus tuta, ideoquè cum eius fidem (cum eo contrahendo), approbauerit, ad huiuſmodi iuramentū admitti non debet iuxtà *theoricam Angel. in l. ſi arbitro §. qui ex cauſa n. 2. ff. qui ſatisdar. cogant.*, quam ſequuntur communiter *DD. apud Grat. diſcept. 785. num. 13. cum ſeqq. Thomat. deciſ. 85. num. 3., & 4. Rot. dicta deciſ. 490. num. 5. par. 1. rec. apud Peniam deciſ. 1164. nu. 4. Burat. deciſ. 531. num. 5. cum ſeqq., & deciſ. 908. nu. 8.*; Et poſteà dictum fuit *in Bonon. pecuniaria 1. Martij 1666. corā Beuilaqua.*

Tertius magis ſubſtantialis defectus conſiſtebat in eo, quod, non ſolum creditores non iuſtificaueranr, minuſquè ex poſt iuſtificabant, quod debitores non
8 poſſiderent bona ſtabilia, vt tàm de iure communi, (vt apud ſuprà allegatos, & alios de quibus infrà, quàm clariùs ex dicta Conſtitutione Pauli V. ſuper reformatione Tribunalium, eſt præcisè neceſſarium), ſed potiùs ex hac parte iuſtificabatur contrarium, quod ipſi in propria patria plura poſſiderent bona ſtabilia notabilis valoris, enunciata etiam *diſc. præcedenti*.

Super hoc autem fuit maior diſputatio, quoniam Scribentes pro creditoribus (docti quidem, atq; Aduocati primi nominis, cum tunc ego eſſem de iunioribus) dicebant ſufficere, quod non poſſiderent bona in loco, in quo mandatum relaxatur, ac apprehenditur ex auctoritate *Baldi conſ. 312. nu. 4. lib. 5.*; Et ſic quod ſufficeret, vt iſtud requiſitum iuſtificaretur in Vrbe; Aſſignata ratione, quod nō
9 tenetur creditor inquirere per totum mundum, àn debitor poſſideat bona ſtabilia, nec ne.

Verùm, (in ſenſu etiā veritatis), dicebā, quod dicta doctrina eſſet in ſuo caſu verà, malè tamen applicabatur ad factū; Procedit etenim, vbi debitor poſſideret bona in diuerſo Principatu, dum *Bald.*
10 procedit cum doctrina *Bart. in l. fin. C. de princip. agent.*, vbi exemplificat in cōuento Peruſij, qui habeat bona in Ciuitate Senarum; Atquè ità reſpondendo *ad dict. conſ. Bald.*, ſiuè illud explicando *ex eod. Bald. conſ. 285. lib. 1.* aduertitur *per Rotam deciſ. 478. par. 1. rec. nu. 30., & 31.*

Secùs autē, vbi debitor poſſideat bona in eodem Principatu, præſertim autem ni foro ſuo, quoniam ſi caſualiter in alio loco reperiatur, magnum abſurdum eſſet, vt *ibi*, vt potè non poſſidens bona ſtabilia, tanquàm ſuſpectus de fuga apprehendi poſſet, dum ità quilibet in propria patria ditiſſimus, accedendo de loco ad locum, huic moleſtiæ, vel iniuriæ ſubiectus eſſet, quod ridiculum dicit *idem Bald. conſ. 285. num. 4. lib. 1.*, vbi exemplificat de capto in Ciuitate Peruſij poſſidente bona in Ciuitate Camerini; Dictumquè conſilium eſt paſſim receptū, *vt apud Natt. conſ. 430. num. 15. Farin. conſ. 155. num. 24. lib. 2. Grat. diſcept. 865. num. 10. Thomat. dicta deciſ. 85. num. 27. Rot. apud Pen. deciſ. 1074. num. 4., apud Celſ. deciſ. 361. num. 7., & in dicta Bonon. 1. Martij 1666. coram Beuilaqua.*

Eſt benè verum, quod vtramquè aſſumptū, de proprio, vel reſpectiuè diuerſo Principatu, diſcretè intelligendum eſt pro facti qualitate, inſpiciēdo quomodo
11 debitum contractum ſit; Si enim agatur (ex. gr.) de debito contracto *in* Vrbe, vbi etiam deſtinata, ſit ſolutio, adeo vt creditor ſuquutus fuerit fidem incolæ, ſeù domiciliarij Vrbis, tunc ſi haberur ſuſpicio, quod debitor ſit diſceſſurus, nō curatur an poſſideat bona ſtabilia in propria patria, quāuis intrà eumdem StatūEcclesiaſticū eſſet, quoniā iſto caſu creditor nō ſequitur fidem illius tanquā de tali loco, taliſq; eſt praxis; Secùs autem vbi (vt in præſenti) creditor contraxerat in eius patria, vel domicilio, vbi bona habebat.

Prout diuerſitas Principatus, cum eadem diſcretione intelligēda eſt pro facti qua-

qualitate, quoniã esset aliàs dare magnũ absurdũ, vt qui recreationis, vel negotiorũ gratia, de vna Ciuitate, vel Prouincia ad alteram accederet, quamuis in patria ditissimus, ita posset de facto arrestari, atquè hanc iniuriam pati, quod non est dicendum, nisi ibi reperiretur, quia profugus à patria transitum faceret, vt latitaret, atquè creditores fraudaret, verisimiliter non reuersurus, cum aliàs esset maximum inconueniens.

Quartus erat substantialis defectus attentatorum, quoniam inter has partes super credito lis pendebat coram A.C., á quo licet relaxatum fuisset mandatum executiuũ, attamen postmodùm concessa fuerat supersessoria, ideoquè non poterat creditor citrà vitium attentatorum
12 adire Curiam Gubernatoris, per quàm ipsum mandatum suspicionis fugæ relaxatum fuerat, vt in specie *apud Bald. dicta cons. 285. num. 1. lib. 1. Roland. cons. 65. nu. 28. lib. 3. Grat. dicta discept. 875. nu. 1. cum seqq. Thomat. dicta decis. 85. num. 24., & decis. 110. nu. 13. Rot. decis. 478. nu. 3., & 4. par. 1. rec., & apud Cels. dicta decis. 361. num. 7.*

Et quamuis Scribẽtes in contrariũ, in eo insisterent, vt regula, quod pendente lite coram vno Iudice, alter adiri non possit, procedat in alijs actibus iudicialibus ordinarijs, non autem in hoc mandato suspecionis fugæ, quod per quemcumquè Iudicem, non obstante lite corã
13 alio, relaxari potest, in id allegando *Cacialup. de debitor. susp. de fug. quest. 4. n. 4. ac alios apud Grat. dicta discept. 875 n. 7., & 8., & Rot. decis. 742. num. 4., & seqq. par. 4. rec. tom. 3.*, vbi in specie ità respondetur ad dictam *decis. 478. par. 1.*; Attamen dicebam, quod pariter fallacia consistebat in applicatione; Procedit etenim, quando ità exigat ratio irreparabilis præiudicij, ac periculi resultantis à mora, ne scilicèt interim quod oporteat adire Iudicem cõpetentem, corã quo lis pendeat, debitor fugam arripiat; Secùs autem in hac facti specie, quod ita promptè adiri poterat vnus, ac alter Iudex.

De his omnibus conclusionibus, vel requisitis pro huiusmodi mandatis suspicionis fugæ, nimiùm frequẽter agere occasio dedit, præsertim in Tribunali A.C.,
14 modò scribendo prò creditoribus, & modò prò debitoribus; Omnia enim coincidunt in idem, atquè disputationes percutiunt applicationem, quæ pendet ex facti qualitate, & circumstantijs, adeo vt certa, & determinata regula desuper dari non valeat.

Præsertim verò, circà requisitum probandi deteriorationem conditionis post contractum debitum; Aduertebam inuisacti cõtingentia, quod illius defectus nõ attenditur, quoties posset in prõptu con-
15 tra debitorem accipi mandatum executiuũ, cuius vigore potuisset pariter carcerari, quoniam tunc si idem effectus sequi poterat, conquæri non potest, àn eadem carceratio, quæ vno modo sequi poterat, ex altero sequuta sit, vt aduertitur *decis. 118. post. Zacch. de oblig. Cam., & per add. ad Buratt. decis. 531. num. 9.*; Quod tamen raró praxis docet, quoniam qui habet promptum mandatum executiuum validum, nõ de facili ad hoc aliud remedium confugit.

Item posito credito omninò certo, & liquido, ac potissimũ alia circumstantia, quod debitor esset exterus, atquè diuersi Principatus, qui bona nõ habeat in Statu Ecclesiastico, vnde propterea euidens remaneat periculũ amissionis, tunc obtinui practicari cõclusionem, vt malè cap-
16 tus, benè retineatur, de qua ex *Caccialup. & alijs, Cornazan. decis. 2. num. 18. & seqq. Rot decis. 151. num. 5. par. 2. diuers., & decis. 742. num. 25., & seq. par. 4. rec. tom. 3.*, cum refrænatum non sit Iudicis arbitrium, ex iusta causa quandoquè interponendum, retinere huiusmodi carceratos tanquàm de fuga suspectos, quamuis de stricta iuris censura, mandatum esset malè relaxatum, ideoq; desuper certa regula generalis non cadit, sed decisio pendet ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, pro Iudicis prudẽti, benèq; regulato arbitrio pensandis

ROMANA

PARTITORVM

PRO

ANTONIO FRANCISCO FARSETTO

CVM

HÆREDE HORATII FALCONERII.

Casus disputatus in Camera, & resolutus pro Falconerio.

An prætensus creditor pro credito adhùc illiquido, & litigioso, petere possit à collitigante, quem prætendat debitorem, assecurationem iudicij, vel sequestrum bonorum, ob mutationem domicilij lite pendente.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *Sequestrum est regulariter prohibitum.*
3 *Quandoque tamen ex causa apponi solet, sed quando id procedat.*
4 *Vbi non agitur de sequestro ipsius rei, quæ est in lite, sed de credito in actione personali non intrant termini sequestri, sed illi assecurationis iudicij.*
5 *Cautio de iudicio sisti recessit ab aula.*
6 *Mandatum suspicionis fugæ non datur sine debito liquido.*
7 *Neque vbi conditio debitoris non sit immutata.*
8 *Quod quandoque sequestrum, vel assecuratio concedatur ex causa.*
9 *De conclusione, de qua num.6.*
10 *Quando dicatur immutata conditio debitoris.*

DISC. CXIV.

1 PEndente lite in Camera inter Farsettum, & Falconerium occasione socialis negotij inter eos habiti super partitis initis cũ Camera quorumdam locorum montium in magna summa tredecim centenorum millium scutorum iuxtà seriem, de qua *sub tit. de camb. disc.* 14. Cum ea pendente Farsettus, Venetæ nobilitati cooptatus, ad eam Ciuitatem domicilum transtulerit; Hinc Falconerius petijt in eodem Tribunali Cameræ, pro iudicij assecuratione, sequestrari quædã loca montium, quæ in Vrbe possidebat Farsettus pro summa scutorum 20. m., atquè assumpta desuper disputatione, iuxtà petita prodijt resolutio, in alia disputatione ex interuallo habita, quoque confirmata.

In his autem disputationibus, scribens ego pro Farsetto dicebam, quod in puncto iuris indebita erat petitio, vtpotè nulli iuridico innixa fundamento; Aut enim ea fiebat in ratione sequestri, et istud in iure est regulariter prohibitũ,
2 quoniam à sequestro incipiendum non est, vt *totò tit. Cod. de prohib. sequestr. cum concord. per Rot. apud Gregor. decis. 9. num.* 2., vbi *add., Buratt. decis.* 105., & frequenter, cum regula sit certa, limitari solita, vbi agatur de possessione vacua, vel attẽtata, seù quod ratio scandali nimium vrgeat, ex deductis in sua materia *sub tit. de Iudic.*, ac etiam insinuatur *sub tit. de Benef. disc.* 98., vbi de materia sequestri.

Et nihilominus, quando etiam accedat iusta causa, ob quam prohibitum non sit interponi Iudicis arbitriũ pro sequestri
3 appositione iuxta firmata *in Romana vineæ* 24. *Aprilis* 1643. *coram Bichio* inter eius impress. *decis.* 121., ac etiam *in Romana vsusfructus* 28. *Iunij* 1662. *coram Beuilaqua*, & in alijs deductis *per Add. ad Buratt. vbi supra*; Attamen id procedit circa sequestrum ipsarum rerũ, quæ sint in lite, puta, mercium, vel animalium, vel etiam fructuum, ac aliorum bonorum, in quibus cadere valeat timor dilapidationis, vel deteriorationis pendente iudicio, quod ità eluforium remanere possit; Secus autem vbi pendente lite in actione

personali super debito, & credito, quod ex rationibus socialis negotij, vel ex alia causa prætendatur, agatur de sequestro aliorum bonorum differentiũ collitigantis, tunc etenim dicebã, quod non intrant 4 termini sequestri, sed vel termini satisdationis de iudicio sisti, vel termini assecurationis iudicij ob suspicionẽ fugæ iuxtà ea quæ habentur *disc. præcedenti.*

Neutrum tamen in hac facti specie competere dicebam; Non quidem primum satisdationis de iudicio sisti, quoniã 5 hæc licèt in iure cognita sit; Attamen in Curia præsertim non est in vsu, sed recessit ab Aula, vt habetur *decis.* 326. *nu.* 4. *par.* 2. *rec. Burate. decis.* 398. *numer.* 5., vbi *addent. littera A.*, cum concordantibus.

Minusquè alterum remedium exercibile videbatur, ex dublici fundamento; Primò scilicèt ex deficiente essentiali requisito certitudinis, ac liquiditatis crediti, quod esse necessariũ habetur *disc. præ-* 6 *cedenti*, dum Farsettus prætendebat, suæquè prætensionis probabilem fumũ præbebat, quod ipse potiùs in aliquo creditor remaneret, cum tamen sufficeret pluries insinuata, & recepta conclusio, quod vbi agitur de materia administrationis, seù de debito pendẽte à calculis, ac rationibus dari, & accepti, nõ potest quis dici debitor, nequè creditor, donec sequatur rationum dispunctio.

Et secundò quod, vt aduertitur *eodem disc. præcedenti*, non conceditur hoc remedium, quando debitor, inter tempus 7 contractus, & illud, in quo istud remediũ intenterur, conditionem non immutauerit, vt in præsenti verificari dicebã, dum Farsettus erat in meliori statu nunc, atq; attento etiam tempore contractus erat æquè forensis non possidens stabilia in Vrbe, vbi eius mora erat accidentalis occasione negotiationis, et cõsequenter dici nõ poterat, quod debitoris, vel contrahẽtis conditio, ità immutata esset.

His tamen non obstantibus, contrariũ resolutum fuit, atquè mihi quamuis scribenti pro succumbente, resolutio nõ im- 8 probabilis visa est, quoniã licèt veræ sint regulæ superiùs insinuatæ, attamen coarctatum non est Iudicis arbitrium, ab eis, quandoquè ex iusta causa recedere pro facti qualitate, vt pluries practicari obtinui præsertim per Signaturã Iustitiæ occasione agendi, àn ad instantiam debitoris, vel collitigãtis rescribendum esset de appellatione cum clausula suspensiua, apposito tamen sequestro, vel aliàs assecurato iudicio, quod frequentiùs, ac facilius (atquè cum tanta facilitate, vt fortè abusum redolere videatur) practicant Sacr. Consilium, aliaquè Tribunalia Neapolis, vt insinuatur supra *in Neapolitana pignorum disc.* 22.

Nequè obstare videbantur dicti dun defectus; Non quidem primus illiquiditatis, siuè incertitudinis, quoniam iste, considerabilis est, ad effectum, vt decerni 9 non possit mandatum pro ea summa, quę sit in lite, & à creditore prætendatur, sed vbi lis sit super re magni momenti, vnde eius exitus magnam summam importare possit, Iudex autem decernat assecurationem pro aliqua summa moderata *per*sonæ conditioni, ità proportionata, vt sequestrum, vel impedimentum sibi notabile præiudicium nõ afferat, quia nempè, secluso etiam impedimento, illos effectus ibi retenturus esset, nequè distrahẽdi necessitas vrgeret, tunc dicti arbitrij interpositio prohibita non videtur; Ideoquè id non recipit certam regulam, sed pro facti, ac singulorũ casuum qualitate, hoc arbitrium est regulandum.

Quouerò ad alterum requisitũ immutatæ conditionis, illud rectè verificari videbatur ex immutatione domicilij; 10 Quamuis enim de tempore contractus, ac etiam initiatæ litis, iste esset forensis, ac pariformiter stabilia in Vrbe non haberet, attamen habebat domicilium cum magno negotio ibi aperto, & introducto, quod pro magna cautela æquipolente possessioni stabilium sufficiens videbatur, ideoquè dissolutio negotij, ac domicilij desertio, cum transmigratione ad diuersũ Principatũ, in cõspicuo, magisq; qualificato statu longè difficilioris conuentionis, notabilem conditionis mutationem præseferre dicitur, dum ità sequi dicitur mutatio status in deterius, ac in meliùs, spectato effectu; Ideoquè ista dici non potest regula iuris, quæ certam, ac vniformem regulam generalem recipiat, sed potiùs facti, pro istius qualitate, & circumstantijs, ex prudenti, benèque regulato arbitrio practicanda.

ROMANA

PRETII OFFICIORVM

PRO

BENEDICTO GASTALDO

CVM

N. GHERARDO.

Casus disputatus coram A. C., credo sopitus per concordiam.

An, & quando creditor conuenire possit debitorem in diuerso loco, quàm in illo contractus, vel destinatæ solutionis; Et incidenter, de fructibus recompensatiuis pretij officiorum vacabilium, àn debeantur, & quomodo; Et quid vbi illud conuersum sit in alium contractum.

SVMMARIVM.

3 *Facti series.*
2 *Vndè proueniant alterationes cambiorum.*
3 *De distinctione, àn debitum conuentum in vno loco peti possit in altero.*
4 *Morosus amittit electionem.*
5 *Petitio excessiua debiti excusat à mora.*
6 *Creditor potest petere solutionem in alio loco, deducto eo quod interest.*
7 *An, & quando peti possit debitum antè diem.*
8 *An pro pretio officiorum vacabilium debeantur fructus recompensatiui ad eamdem rationem.*
9 *Si pretium conuersum est in alium contractum, seù aliam causam debendi, non debentur amplius fructus recompensatiui.*

DISC. CXV.

1 FActa in Vrbe per Gherardum, Gastaldo, venditione quorumdam officiorum, pro statuto pretio in moneta, quod conuentum est, vt solui deberet per litteras cambij in scutis marcharum pro primis nundinis Nouarum, atquè ad huius conuentionis normam Gastaldo transmittente litteras pro solutione marcharum 3060., Gherardus eas recipere noluit, ob prætensionem, quod summa conuenta pro dicto pretio importare deberet scutos 3160. marcharum, huiusmodi differentia cadere solita ob alterationem, quàm in dies dictus scutus recipit, & ex qua alteratione resultant maiora, vel minora interfuria 2 cambiorum, vt pluries habetur *in* sua materia *sub titulo de cambijs*; Cum itaquè ista discrepantia causaret alicuius tẽporis decursum; Hinc vẽditor emptorem pulsauit coram A. C. ad soluendum dictum pretium in Vrbe, vna cum fructibus recompensatiuis, qui ex æquitate *text. in l. curabit Cod. de empt.* per emptorẽ debentur venditori pro pretio rei fructiferæ, incertumquè est, àn iudicialis determinatio sequuta sit, puto autẽ, quod potiùs concordia ei finem dederit.

In disputationibus autem desuper habitis, duo erant puncti; Primò scilicèt super localitate solutionis, dum emptor ad formam conuentionis prætendebat eam facere in dictis nundinis, & in scutis marcharum, non autem in Vrbe; Et secundò super fructibus medij temporis à venditore prætensis.

Quatenus pertinet ad primum; Iuris theorica videbatur certa, ideoquè reducebatur quæstio, potiùs ad factum, seù applicationem, quis nempè contendentium dici posset in culpa, seù mora, nesolutio in loco destinato sequuta esset, ob 3 claram, ac litteralem dispositionem *text. in l. 1. ff. de eo quod certo loc.*, & *l. eum qui ff. de Iudic.*, vt scilicèt si solutio in loco destinato facta non est ex mora, seù culpa debitoris, possit iste, etiam extrà locum cõueniri, cum inter moræ effectus, iste recenseatur, ac alter priuandi alternatiua loci, quæ regulariter (cessante cõ-

traria conuentione), est debitoris, qui tamen per morã eam amittit, vt cæteris relatis aduertunt *Fab. de Anna cons.* 95. *per tot.*, & *cons.* 54. *n.* 8. *Rot. apud Buratt. decis.* 287. *add. ad Gregor. decis.* 316. *n.* 3. *in Auximana dotium* 6. *Februarij* 1654. *coram Richio inter suas decis.* 588. *nu.* 29.; Multo verò magis vbi debitor, qui posset vbiquè conueniri, cõueniatur in foro dupliciter competente, domicilij scilicèt, & contractus, cum tunc cesset omnis dubitatio, quæ aliàs in petitione indiscreta, extrà prouinciam cadere potest, vt in eisdem iuribus disponitur.

Hinc proindè, quæstio, (vt dictum est) restringebatur ad factum, seù applicationem, quis nam scilicèt contendentium, dicendus esset in mora, idquè pendebat à liquidatione, seù valutatione dictorum scutorum marcharũ arretro eo tempore; Posito enim quod verè importarent sũmam minorẽ contentam in litteris, quas emptor statuto tempore, ac oportunè transmisit venditori pro dictis nundinis, (vt benè iustificari videbatur, ex parte Gastaldi emptoris, prò quo scribebam), exindè de plano resultabat, vt culpa fuisset potiùs creditoris petentis plus debito, per quam speciem petitionis mora non contrahitur, quamuis accedat
5 expressa, & formalis interpellatio *Bartol. & Imol. in l. quæ solidum ff. de leg.* 2., & *cæteri plenè collecti per Surd. cons.* 142. *num.* 6. *cum seqq. Rot. decis.* 70. *num.* 11. *post Merlin. de pign. repetit. decis.* 228. *num.* 16 *par.* 9. *rec.*, & *in alijs frequenter*; Secùs autem in casu conuerso, quod verè debitum importaret summam à venditore prætensam; Ideoquè decisio pendebat ab hoc facto, cuius circumstantiæ Gastaldo debitori potiùs assistebãt, quod scilicèt verè tanti, & non vltrà, attento eo tempore importaret debitum,

Habita verò fuit hæc disputatio, potiùs ex quadam lege honestatis, atquè vt diguosceretur, quod non implementum non prouenisset ex defectu emptoris, qui cum debita punctualitate datam fidem impleuerat, quodquè indebita fuisset creditoris recusatio; De reliquo etenim hæc disputatio, modicæ, ac fortè nullius operationis erat, quoniam vbi cesserit dies, adeo vt non duret dilatio conuentionalis, vndè propterea sola quæstio reducatur ad localitatem, tunc creditor admittitur ad petendum à debitore in vno loco solutionem in altero destinata,
6 facta deductione eius, quod interest, magis in vno, quàm in altero loco solutionem fieri, ex ijs, quæ habentur supra *in Ianuen. disc.* 92., cum ista æquitas, quæ respectu loci, vel etiam qualitatis monetæ admittitur, vbi alterius partis ius in nihilo deterius fiat, ex regula, vt *quod vni prodest, & alteri non nocet* &, difficiliùs admittatur in die, seù tempore, vt scilicèt creditor debitorem conuenire non possit ante diem, quamuis aufferat deductionem eius, quod interest, cui id reputari soleat priuilegium Fisci, vel Reipublicæ, ex ijs, quæ in hac materia ha-
7 bentur deducta *sub tit. de camb. disc.* 14.; (Quamuis etiã fauore priuati præclusum non sit Iudicis officium ex iusta causa hoc arbitrium interponere.)

Quo verò ad alterum controuersiæ punctum super fructibus; Deducebant Scribentes pro actore, circa substantiam, seù debitum dictorũ fructuum in genere, ea quæ habentur pluries deducta *sub tit. de vsur.* ad materiam textus *in l. curabit. Cod. de act. empt.*,
8 quod scilicèt illi non debentur ratione moræ, sed ex æquitate, ne detur retentio rei, & pretij eodẽ tempore, et consequenter, vt iusta excusatio non suffragetur ex ibi pluries deductis; Et quoad taxam, seù quantitatem deducebant *decis.* 714. *Seraph. num.* 4. cum alijs, de quibus habetur actum *sub tit. de Regal. disc.* 17. super hoc puncto, àn scilicèt prò pretio huiusmodi officiorum, vel iurium vacabilium, debitis essent fructus recõpensatiui ad proportionem fructuum ipsius officij, atque in contrarium ego deducebam eadem ibi ponderata.

Verùm aduertebam quod hęc deducebãtur ad superabundãtiã, atq; extrà causę necessitatem, cum neque fructus prædicti de iustitia debiti essent in genere, vel substantia, & quod consequenter inanis
9 remanebat inspectio taxæ, vel quantitatis, dum istud debitum ex causa pretij conuersum fuerat in diuersum contractũ cãbij adimplendi, in diuerso loco, atq; in diuersa moneta, et consequenter cessabat dispositio *textus in dicta l. curabit* ad terminos *textus in l. emptor ff. de nouat. cum concord. per Surd. cons.* 369. *numer.* 18. *Ciriac. contr.* 252. *num.* 52. *Testay. alleg.*

16.

16. Leotard. de vsur. quæst. 27. num. fin., & habetur pluries eodem tit. de vsur.

Idq; ex duplici ratione; Primò scilicèt novationis, per quam iuris ministerio lex fingit primũ debitũ ex causâ pretij verè solutũ esse, deindequè brevi manu denuò datũ eidem debitori in diversam causam; Et secundò, quia ex diverso contractu cambij, venditor lucrum, & fortè maius, quàm importent fructus recõpensatiui, reportare poterat; Et consequenter eadem æquitas non patitur, vt pro eodem pretio duplicatum lucrum eodem tempore obtineri debeat, ideoq; ex hoc motiuo cessabat necessitas assumendi dictas alias inspectiones.

MONOPOLITANA PECVNIARIA PRO IOSEPHO PALMERIO CVM PIO PEPE.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura, resolutus vt infrà.

An, & quando creditor actionem habeat contra debitorem in processu exequutiuo, vel potiùs eius actionem experiri teneatur in iudicio ordinario; Et in specie de iudicio exequutiuo iuxtà formam Ritus M. Curiæ Vicariæ Neapolis, àn sit exercibile cum clerico, & in foro ecclesiastico, quamuis accedat pactum; Et quid de obligationibus penès acta.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Commissio facta simpliciter declarat causam appellabilem, etiam cum retrotractione.*
3 *Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ super liquidatione instrumentorum non est practicandus contra clericos.*
4 *De decisione desuper edita laborante Auctore.*
5 *De abusu intelligendi doctrinas ad literam.*
6 *Instrumenta etiam iurata, de iure non habent executionem paratam.*
7 *De clausulis adijci solitis pro via executiua.*
8 *De simplici iudicio executiuo diverso ab altero ad formam ritus.*
9 *Istud iudicium non exigit solemnitates ritus.*
10 *In iudicio ritus instrumentum debet esse in forma probante solemni.*
11 *Debet item instrumentum esse liquidum, non indigens iustificatione extrinseca.*
12 *Non practicatur pro procuratorem, vel cessionarium.*
13 *Creditor debet iurare, & subiacet pœnæ.*
14 *Debitor non auditur per procuratorem, ac nonnisi in vinculis, vel facto depositi.*
15 *Est iudicium criminale, & famosum.*
16 *Possunt partes pacisci ad formam statuti, cui non subiaceant.*
17 *Ritus procedit etiam si partes non pacisc antur.*
18 *Quæ sit ratio conclusionis, de qua num. 3.*
19 *In foro Ecclesiastico est prohibita exactio pœnæ.*
20 *Potest practicari aliud iudicium executiuum, de quo num. 8., etiam vbi non sit practicabilis ritus.*
21 *Quando admittatur etiam in clerico pactum super forma ritus.*
22 *De obligationibus penès acta.*
23 *Citatio est de iure naturæ, & non potest tolli, & quando possit.*
24 *De eisdẽ obligationibus penès acta &c.*

DISC. CXVI.

1 Erenta facti serie, de qua *in hac eadem causa sub tit. de alienat. & contract. disc.* 43.; Cum Ioseph obtinuisset ab A.C. vigore clausularum, & pactorum contentorum in instrumento, decerni mandatum contra Pium, habito per istū recursu ad Signaturam, rescriptum fuit *de appellatione in Rota simpliciter*, ità declarando non competere processum exequutiuum, sed causam esse appellabilem ad vtrumque, atquè in iudicio ordinario tractandam; Ista enim est virtus huiusmodi rescripti, adeò vt talis declaratio vim habeat retrotractiuā, vndè propterea remaneant attentata omnia, quæ ad formam iudicij executiui per Iudicem, 2 à quo, gesta sint, *vt apud Buratt. & add. decis.* 902. *numer.* 2. *&* 6., plenè *decis.* 20. *numer.* 46. *& seqq. ad fin. par.* 10. *rec.*, *& sæpiùs*, ac habetur in sua materia *sub tit. de Iudic.*, quoniam est propositio recepta, & quotidiana.

Huius resolutionis fundamentum fuit assumptū, quod priùs nō discusso articulo, firmatū fuit *per Rotā apud Royas decis.* 3 138. *repetit. decis* 173. *post Zacch. de obligcam.*, postmodum verò magis ex professo firmatum *decis.* 348 *par.* 9. *rec. repetit. decis* 180. *post eumdem Zacch.*, quod scilicèt forma Ritus M. C. V. super incusatione, seù liquidatione instrumentorum, seruari non debeat, neq; possit contra clericos, seù personas ecclesiasticas tanquam exemptas à statuto laicali, cui nequè volentes, possunt se subijcere, ob præiudicium ordinis clericalis, & ecclesiasticæ iurisdictionis.

Scribens ego pro Iosepho creditore, dicebam (etiam in sensu veritatis) quod admissa veritate *dictæ decisionis* 348. *par.* 9. in casu suo, & quæ ex meis primis laboribus forsan composita fuit pro amico, de tēpore, quo accedendo ad Curiam 4 pro negotijs concernentibus meum munus Vicarij Generalis in patria, adhùc indeterminatus eram, àn deberem Curiā sequi, atq; huic pessimæ occupationi me addicere; Adhùc tamen æquiuocū manifestum erat in applicatione, quodquè erat accipere quid pro quo.

Ad hoc æquiuocum autem continē- dum, quod tamen cum bina, seù trina acerrima disputatione sequi non potuit, 5 ob pragmaticū abusum, adeò imperantē attendendi decisiones, ac doctrinas in littera, atquè reputandi Aduocatorum subtilitates, & ratiocinia, illas distinctiones casuū, quæ pro congrua applicatione omninò necessariæ sunt.

Aduertebam, quod in Regno Neapolitano, quamuis retineatur tanquam verior opinio, vt publica instrumenta, cessantibus pactis exequutiuis, vel statutis, ac legibus aliàs disponentibus, non habeant viam executiuam, sed in iudicio ordinario eorum implementum tractandum sit, quamuis accedat iuramentum, quod aliquod maius robur obligationi 6 tribuit, pluresquè iuris positiui defectus supplet, hoc tamen priuilegiū, ex *veriori* sententia non inducit, vt reiecta opinione *Frecciæ*, & aliorum, ex Regnicolis firmant *Galeott. lib.* 1. *controu.* 63. *numer.* 3., *Franch. decis.* 118. *num.* 5., *& Rouit. super pragm. in rubr. de liquid. instrum.*; Istamque opinionem tenet etiam Rota, & Curia Romana, vt patet ex eisdem supra allegatis decisionibus, & passim.

Hinc proindè cupientes Partes, vt cō- uenta, promptè, & executiuè suum habeant implementum, ac fortiantur effe- 7 ctum, solent eadem instrumenta muniri cum ampliſſimis clausulis, & pactis executiuis, cumulando in idem plures species iudiciorum executiuorum, vt scilicèt liquidari, & incusari possint iuxtā formam ritus M. C. V., ac etiā habeant executionem promptam, ac paratam more obligationum penès acta, siuè apocarum banci, vel pensionum domorum &c. iuxtà verba regiſtrata *in eadem dec.* 348. *par.* 9. *recent.*, aliàs *decisione* 180. *post Zacch.*, & iuxtà quam formulam, ac forte ampliorem, istud instrumentum conceptum erat.

Praxis autem demandandi instrumē- torum executionem, ibi duplex est; Vna scilicèt ad formam dicti ritus M. Curiæ; Et altera in iudicio simpliciter executiuo in vim pactorum, & clausularum, 8 dicta forma Ritus non seruata, eo modo, quo iudicium executiuum, citrà dictam formam, practicatur pro obligationibus penes acta, siue pro litteris cābij, & apocis banci, cum similibus, vt in specie aduer-

uertit *Rouit. super pragmatic. in dicta rubric. de Instrument. liquidat. num.* 12., vbi quod, Aliud est forma Ritus; Aliud verò iudicium simpliciter executiuum, eo modo, quo (ex. gr.) in Vrbe practicamus iuditium executiuum in vim obligationis cameralis, seù litterarum cambij.

Magna siquidem differentia est inter vnam iudicij speciem, & alteram; Vbi etenim agitur de simplici iudicio executiuo, citrà dictam formam, illud coram quocumquè Iudice tractari potest, etiam per procuratorem, vel cessionarium, neq; opus est, vt instrumentum habeat illam solemnem formam probatoriam, quæ iuxtà Constitutiones Regni requiritur in alio iudicio Ritus; Debitor autem seù reus conuentus audiri potest per procuratorem in suis exceptionibus, quarum discussio, seù examen pro earum qualitate, quandoq; admitti solet eodem adamussim modo, quo in Curia sequitur in processu executiuo in vim obligationis cameralis, & in Hetruria, ac alibi in vim Guarantigiæ &c., atque de facili datur terminus in causa.

Forma verò ritus prædicti magis solemnis, ac rigorosa est, tàm in creditore, quàm in debitore; In creditore scilicèt, qui in pluribus oneratur; Primò nempè vt habere debeat instrumentum publicū
10 in ea forma probanti, in charta scilicèt pergamena subscriptum à Notario, & Iudice ad contractus, ac duobus testibus litteratis, si est infrà 12. vncias, à tribus verò si est supra, vt in sua materia *sub tit. de iudicijs*.

Secundò, vt sit omninò liquidum, aliamque extrinsecam liquidationem non desideret, vndè propterea inoleuit mos pluries enunciatus *sub titulo de dote*
11 *disc.* 161., & alibi, quod quando promittitur dos in quantitate sub certis dilationibus, fieri solet quietantia per virum dotanti, qui incontinenti in eadē quantitate se constituit debitorem viri ex causa mutui, vt ità instrumentum remaneat liquidum, atquè iuxtà dictam formam incusari, seù liquidari valeat, quod practicabile de facili non est vbi agatur de instrumento dotali prò matrimonio contrahendo, quoniam debitum dicitur conditionale, quatenus scilicèt ipsum matrimonium cōtrahatur, ideoq; oportet de illo docere per fidem parrochi, seù alias probationes, super quibus cadunt difficultates, àn tanquàm extrinsecæ admitti possint, necnè.

Tertiò ista forma practicari nō potest per procuratorem, vel per cessionarium, sed oportet vt incusatio fiat per ipsummet principalem creditorē, cuius fauore
12 debitor, vt ibi dicunt) sit obligatus de facie ad faciem; Et quartò idem creditor in actu incusationis instrumenti debet iurare illud esse verum, & liquidum, dum aliàs, vbi conuincatur contrarium,
13 ipse luere debet eamdem pœnam, cui regulariter subiacet debitor, cum alijs formalitatibus receptis ab ea praxi, de qua meum non est formiter agere.

E' conuerso autem, onus debitoris est, quod audiri non potest per procuratorē, sed citatus ad respondencū super tenore instrumenti contrà ipsum præsentandi, ac liquidandi, tenetur in statuto perem-
14 ptorio termino personaliter comparere, atque nisi de solutione, vel quietantia incontinenti doceat per aliud instrumētum æquè liquidum, & ineadem forma probanti, in alijs exceptionibus non auditur, nisi in vinculis, vel facto deposito; Ac vlterius subiacet pœnæ Fisco applicandæ ad rationem scutorum 10. pro centenario debiti, quæ pœna subrogata est in locum antiquæ corporalis ampu-
15 tationis manus dexteræ pro delicto periurij; Vnde propterea istud dicitur iudicium criminale, quod tractatur in Vicaria criminali, atq; reputatur iudicium famosum; Ideoque non admittitur eius praxis pro filio contra patrem, vel contra alios, quibus debita sit reuerentia, ex ijs, quæ minimū frequenter apud Regnicolos de forma huius Ritus tractata habentur, *ac etiam dicta decis.* 348. *par.* 9. *num.* 37., *& seqq.*

Meritò autem Rota in dictis, ac alijs decisionibus damnauit hanc iudicij formam in foro ecclesiastico contra clericos, & ecclesiasticos; Non quidem ex dicta ratione, quod sit statutum laicale, cui clerici, quamuis volentes, nō possunt se supponere, ista enim ratio parum congrua est, quoniam vbi id deducitur in pactum, tunc iudicium non prouenit
16 à statuto, sed à pacto, quod ità similiter ordinariè conceptum est iuxtà *conf.* 33. *lib.* 2. *Abbat.*, et habetur *sub tit. de dote, & sub altero de success.*, ac alibi, vt prohibi-

hibitum non sit pacisci de obseruantia alicuius Statuti, cui cõtrahentes nõ sint subiecti, quoniã subiectio prouenit à pacto, non autem à Statuto.

In hoc autem differunt laici subditi illis ritibus, & legibus, ab ecclesiasticis exemptis, quod cum laicis, & subditis dicta forma practicari potest, quamuis in cõuentionem deductum non sit, quo-
17 niam sufficit, vt sit instrumentum publicum, cum dictis requisitis, *vt apud Franch. decisione 366. numer. 6., Prat. discept. 15. num. 58., & 60.*, & admittitur *per Rotam decis. 343. numer. 12. par. 10. recent.*, dum rigor emanat ab ipsa lege; In clericis verò, & exemptis, requiritur pactum speciale, à quo, non autem à lege id prouenit.

Vera igitur, & congrua ratio est, quod cum agatur de iudicio criminali famoso ratione periurij, non debet practicari
18 contra clericos ob dedecus, quod toti ordini resultat, iftaque est vera ratio, ob quam merito ità determinatũ est; Prout etiam Sacra Congregatio pluries damnauit tanquàm illicitàm dictam exactio-
19 nem pœnæ prò debito, quæ in illo Tribunali Nuntiaturæ, alijsq; Tribunalibus ecclesiasticis practicabatur.

Applicãdo autem ad rem; Aduertebã vt tunc præmissa rectè procederent, quãdo dicta rigorosa forma seruaretur, vt seruata erat in casu, de quo in dicta *dec. 348. par. 9. recent.*, & in alijs de materia agentibus; Sed vbi ea negligatur, atque
20 creditor adhibeat alteram speciem simplicis iudicij executiui ab ista discretam vtsupra, tunc non videtur quid hoc prohibeat, cum ex amplitudine huiusmodi pactorum, & clausularum, constet de voluntate Partium, vt procedi debeat in iudicio exequutiuo pro conuentorum obseruantia; Ideoquè id, quod ampliatiuè cõuentum est, explicando dictam magis rigorosam formã, tollere non debet vim aliorum pactorum, & clausularum, cum inducta ad ampliandum, ac ad maiorem cautelam, operari non debeant restrictionem.

Clariùs verò in hac facti specie, quod debitor erat laicus, siuè clericus in minoribus coniugatus, vndè propterea, quidquid sit de puncto, àn clericatu non obstante, subiaceret huic Ritui, alijsq; legibus laicalibus, attẽta ea opinione, vt clerici coniugati gaudeant priuilegio fori in criminalibus tantùm, non autem in ciuilibus; Adhùc tamen poterat dimitte-
21 re habitum, ac se constituere in statu laicali de tempore, quo cessa die, per creditorem conueniendus erat, ideoquè nil prohibere videtur, vt cõueniendo de via, seù processu executiuo, cumularentur plura iudicia seù remedia, non vnitiuè, sed copulatiuè, seù disiunctiuè pro statu personæ, & qualitate loci, in quo contingat debitorem à creditore conueniri; Vt puta, non solent Tribunalia laicalia in Regno Neapolitano admittere contra laicos iudicium exequutiuum obligationis cameralis; Et è conuerso non solent Tribunalia ecclesiastica admittere cõtra clericos, dictũ iudicium in forma ritus; Siuè in aliquibus regionibus non practicatur alter processus executiuus, nisi ille ad formam guarantigiæ, cum similibus; Hinc proindè prudens cautela est, ità cumulare plures vias, pluraquè remedia disiunctiuè, seù discretiuè, vt adhiberi valeant pro contingibili statu, seù qualitate personæ, vel loci, quoniam debitor tunc clericus potest fieri laicus, & è conuerso; Siuè mutare potest domicilium ab vna prouincia in alteram, vt ità pro omni casu consultum remaneat.

Si etenim cõceptũ esset pactũ simpliciter, ac indefinitè, vt instrumentũ haberet exequutionem paratam, vtiq; dubitandũ non esset de pacti validitate in quocumque statu, vel loco debitor reperiretur; Ità nulla ratio prohibere videtur, deducere ad speciem plura, diuersaq; remedia in idem tendentia pro maiori cautela, atquè ad magis ampliandũ dictũ pactũ, quodq; id debeat præiudicare, quoniam plura remedia, seù iudicia intelligenda veniunt compatibiliter, & discretiuè, singula singulis congruè referendo; Ac propterea nõ leuem admirationem ex istius causæ exitu concepi, ità experiendo pernicios issimos effectus ex moderno pragmatico abusu resultãtes, attendendi auctoritates, & decisiones in vno casu benè proditas, in sola littera generaliter pro quibuscumquè alijs, non reflectendo ad diuersitatem, seù congruam applicationem.

Pluries quoquè in Tribunali A.C., ac etiam in Signatura, disputare occasio dedit de altero processu executiuo in dicta

Ma-

Magna Curia Vicariæ, alijsquè laicalibus Tribunalibus practicato, super executio-
22 ne obligationum penès acta, quoniam Curiæ Ecclesiasticæ in eodem Regno, ad instar, eamdem praxim vsurparunt, cum nimiũ inordinato rigore relaxandi mandata executiua, seù litteras exequutoriales ad solam creditoris incusationem, nulla debitoris, nec quidẽ vnica citatione precedẽte, quod redolet abusum manifestũ, in puncto iuris nullatenus subsistentabilem, quoniam citatio quoad substãtiam est de iure naturæ, ideoquè per positiuam legem scriptam, vel non scriptam tolli non potest, cum solùm tolli possit eius forma,
23 vel solemnitas ab ipsa lege positiua inducta, iuxtà communem, ac receptam distinctionem, de qua cæteris relatis *Vestr. & add. in prax. lib. 3. cap. 2., & lib. 5. cap. 13. Rouit. pragm. 2. de ord. iudic. Capyc. Latr. decis. 188. numer. 34. & seqq. Rot. apud Caualer. decis. 396., & apud Buratt. decis. 118.*, & in alijs frequenter.

Et quamuis Regnicolæ id referant iuris principio vero, vt id proueniat à calore iudicij, quodquè in confessum co-
24 ram Iudice, aliæ non sunt partes, nisi cõdemnandi, vel cogendi; Attamen fallacia est in applicatione, quoniam id procedit in ea confessione, quæ in forma, & calore iudicij coram Iudice fiat; Putà quia citatus debitor coram Iudice ad soluendũ, atquè à Iudice interrogatus, àn sit debitor, ipse purè, ac liberè fateatur se esse talem, quoniam tunc alia citatio desideranda non est, rectèque dictum principium intrat; Malè autẽ applicatur ad casum, in quo agatur de illa confessione, quæ fiat per contrahentes in contractibus voluntarijs in ipso actu contrahendi, adeò vt Actuarius gerat quamdam personam Notarij conficientis instrumentũ super eodem contractu, quoniam licèt ex recepto stylo, Actuarij dicantur habere quamdam generalem Iudicũ delegationem ad istos actus, qui coram ipsis Iudicibus, ità initi dicuntur, attamen semper sunt actus voluntariæ, non autem contentiosæ iurisdictionis, atq; super futuro adimplemento, quod medio tempore sequi, vel remitti potuit, siuè ahã accipere congruam exceptionem obligationis elidibilem; Ideòque omnis ratio, ac intentio vtriusquè naturalis, ac positiuæ legis exigere videtur, vt saltèm vnica citatio præcedere debeat; Nisi dicamus, quod cõgruat illud medicorũ aphorisma, quod magnis, & exquisitis morbis, magna, & exquisita remedia adhibenda sunt, vt scilicèt pro consuetudine debitorum non de facili eorum obligationes adimplentium, siuè ob dilationes, & calumnias dari solitas, congruat pro bono publico, ac publici commercij facilitate, & libertate, adhibere huiusmodi rigores, qui nulla præuia citatione pariter adhiberi solent in litteris cambij protestatis; Id autem vtroquè casu Romana Curia nunquam admittere voluit, ac propterea semper huiusmodi processus exequutiui, ità de facto irritati fuerunt.

ROMANA

PECVNIARIA

PRO

IOSEPHO PANZANO

CVM

MARCHIONE DE MAXIMIS.

Casus disputatus coram A. C., & in Rota resolutus vt infra, postea concordatus.

An, & quando creditor, per silentium 30. annorum, amittat viam executiuam sibi aliàs competentem, quæ præscribatur; Et de eiusdem viæ executiuæ vulneratione resultante à sententia absolutoria, quando intret, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Congregatio Baronum abstinet; sit*

Iudex reuocat, vel suspendit mandatum.

3 *Resolutio causæ.*

4 *Via executiua præscribitur per lapsum triginta annorum.*

5 *Neque in hoc obstat mala fides.*

6 *In Regno Neapolitano hæc præscriptio inducitur per minus tempus.*

7 *Nun intrat conclusio, de qua num. 4. vbi defectus proueniat à Iudice.*

8 *Minusque vbi cæpta est exequutio.*

9 *An, & quando sententia absolutoria vulneret viam executiuam.*

10 *Sententia reuocatoria est appellabilis ad seruandam æqualitatem.*

11 *De clausula* cum facultatibus A.C. *posita in commissione Rotali quid operetur, & an tollat vulnerationem.*

DISC. CXVII.

1 OBtento per Iosephi maiores ab A.C. mandato executiuo contra bona hæreditaria Lælij, eoque exhibito in Congregatione Baronum, vt ad formam Bullæ Baronum exequutioni demãdaretur super castris, & bonis, quamuis iure primogenituræ possessis per Marchionem de Maximis, post plures disputationes in eadẽ Congregatione habitas, super puncto, àn idẽ Lucas fuerit possessor bonorum, & castrorũ, et cõsequenter Baro, iuxtà seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de Feud.* ad materiam dictæ Bullæ *disc.* 90.; Præfati Marchionis defensores, agnoscentes subsistentabilem nõ esse dictum punctum in Congregatione assumptum, vt belli diuersiuum facerent, redierunt ad eumdem A.C., vel successorem in officio, petendo dicti mandati reuocationem, vt sequutum fuit mediante sententia absolutoria ab obseruatione iudicij, declarando viam executiuam, creditori, aliàs competentem, vtpotè per silentium 30. annorum præscriptam, amplius non competere, vndè propterea siluit iudicium in dicta Congregatione,

2 cum hæc sit executrix mandatorum à Iudicibus ordinarijs relaxatorum, quatenùs hæc exequibilia sint; Quare interposita appellatione, & commissa causa *in Rota coram Albergato*, in congressu habito pro directione, Ego scribens pro Actore, quamuis crederem quod dicta sententia iniustè prodierit, agnoscendo tamen vulnus, quod ex ea resultabat, eram in sensu, vt assumeretur solitum dubium in bono iure, *an scilicèt constaret de credito*, dum in isto pro certo speranda erat resolutio fauorabilis, qua obtenta, cogitandum esset de remedijs acceleratiuis; Placuit tamen alijs in idem conuocatis, contrarium concludere, vt scilicèt fiante rescripto Signaturæ in commissione *cum facultatibus A.C.*, ità, non obstante dicta sententia, adhùc competeret processus effectiuus, ideoquè iuxtà hunc sensum, assumpto dubio *coram eodem Albergato*,

3 àn mandatum esset relaxandum *sub die* 29. *Ianuarij* 1661., ex dicto fundamento vulnerationis à me formidato, negatiua prodijt resolutio, neque causa vlteriorem progressum habuit, quoniam concordia ei finem dedit.

In disputationibus autem in ista causa habitis tàm coram A.C., quàm in Rota, duo fuerunt puncti; Primò scilicèt super præscriptione viæ executiuæ per silentium 30. annorum; Et secundò super eiusdem viæ executiuæ aliàs competentis vulneratione à dicta sententia resultante, cum in meritis negotij principalis, nulla caderet disputatio, dum de debito constabat ex publicis instrumentis nullam patientibus exceptionem.

Primus igitur punctus erat potiùs facti, quàm iuris, àn scilicèt constaret, nec nè, de continuato silentio 30. annorum ex negligentia creditoris, ex quo dicta

4 præscriptio resultaret; Eo enim posito, ego met scribens pro creditore, admittebam iuris conclusionem super dicta præscriptione, quæ cadere non dicitur super ipso debito iuxtà terminos textus *in l. omnes, & l. sicut C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*, sed cadit super ipsa actione exequutiua, seù verius super officio Iudicis, ex quo processus executiuus resultat, iuxtà theoricã *Innocentij in cap. fin. de exceptionib.*, cuius dictum notabile reputat *Bald. ibidem*, & sequuntur cæteri collecti *per Marant. in praxi par. vlt. tit. de exequut. senten. num.* 54., & tenuit semper Rota, *vt apud Achill. decis.* 5. *de præscript.*, *Martin. Andr. decis.* 42. *num.* 7. plenè *decis.* 1. *num.* 4., *&* 5. *par.* 7. *recent. decis.* 3. *par.* 8., *Afflict. controu.* 49. *n.* 30.

Ne-

Nequè in hoc intrant termini textus *in cap. fin. de præscript.* super impedimento præscriptionis durante vita principalis debitoris, vel etiam (iuxtà vnam
5 opinionem) illa primi hæredis ratione malæ fidei; Minusquè ea, quæ habemus de restitutione in integrum, ex capite iustæ ignorantiæ, vel ætatis, aut alterius impedimenti, competente aduersùs præscriptionem, quoniam hæc omnia percutiunt præscriptionē ipsius crediti, vel actionis in negotio principali, non autem istud remedium, seù Iudicis officium, ad cuius effectum, attenditur sola negligentia de facto per tempus longissimum 30. annorum, quamuis agatur de obligatione camerali, vel quocumq; alio pacto executiuo, siuè de litteris Apostolicis, ac etiam de executorialibus vigore rei iudicatæ, de quibus propriè agitur *dicta decis.* 1. *par.* 7. *recent.*

Quinimò in Tribunalibus Regni Neapolitani, hæc species præscriptionis, faciliùs, atquè cum breuiori tempore inducitur, quoniam in obligationibus penès acta resultat ex solo silentio longi tē-
6 poris annorum decem, & in instrumentis publicis, nè liquidari possint iuxtà formā Ritus, de quo agitur *disc. preced.* lapsus 20. annorum obstat iuxtà *Ritum* 128., vt est receptissimum apud Regnicolas.

Ex facti tamen circumstantijs credebam dictam cōclusionem non applicari, et scio quod eumdem sensum habebat *Rota*, cuius resolutio vnicè innixa fuit alteri motiuo vulnerationis, quoniam dicta conclusio fundata est in negligen-
7 tia creditoris, qua cessante, quia nempè creditor suas actiones direxerit, mora autem proueniat ex negligentia Iudicis, vel ex impedimentis, ac protractionibus præstitis à collitigante, tunc talis præscriptio non intrat, quoniam ità executio effecta dicitur litigiosa, et consequēter remanet perpetua, attenta dispositione iuris canonici, per quàm instantia nunquàm perit, vt *apud Achill. dicta decis.* 5. *de præscript. cum concord. decis.* 52. *nu.* 25., *& seqq. par.* 12. *recent.* edita in casu de quo *sub tit. de dote disc.* 22. vbi de præcepto executiuo instaurato post longissimum tempus ferè vnius sæculi.

Et in his terminis vtriusq; limitationis potiùs, quàm in regula versabamur, ideoquè (reflectendo etiam ad solam veritatem) dicta sententia absolutoria improbabilis visa est, quoniam creditor diligens fuerat in obtinendo mandatum executiuum contra bona hæreditaria debitoris, super quibus exequi non potuit ex defectu materiæ, quoniam ea non aderant, vndè propterea adire oportuit dictā Congregationē Baronum prò extraordinario beneficio à Bulla Baronum resultāte, atq; super huius beneficij competentia fuerunt moræ, ob impedimenta præstita à Barone possessore castrorum iure proprio, independenter à debitore, negando qualitatem baronalem eiusdem debitoris iuxtà deducta *dicto disc.* 90. *sub titulo de Feud.*

Et vlterius docebatur in facto, quod cepta esset exequutio mediāte sequestro per dictam Congregationem Baronum apponi solito, vndè propterea eadem
8 præscriptio cessat, *vt apud Pen. decis.* 145. *num.* 7. *dicta decis.* 1. *num.* 20. *par.* 7. *rec.*, *Carpentoraten. transactionis* 27. *Ianuarij* 1653. *coram Bichio inter suas decis.* 544., ideoquè duæ intrabant limitationes, quarum vna sufficiens videbatur.

Quo verò ad alterum punctum vulnerationis viæ exequutiuæ resultantis à dicta sententia absolutoria; Dicebam scribens pro creditore, quod recepta, & frequens conclusio, quàm desuper habemus, tàm circa exequutionem obligatio-
9 nis cameralis, ac alterius processus executiui in prophanis, quàm circa executionem litterarum Apostolicarum in spiritualibus, rectè procedit, quando sententia percutiat ipsius debiti, vel negotij principalis substantiam, cum tunc, excepto casu nullitatis, vel iniustitiæ notoriæ, quæ nullitatem quoq; causat, intret vulneratio sine dubio; Secus autē vbi percutiat accidentia circa ordinem processus, ac iudicij puta (ex. gr.) quia declaret litteras non esse benè iustificatas, ideoquè exequutionem non mereri; Siuè declaret mandatū esse malè relaxatum; Aut instrumentum debiti non esse in forma probanti; Aut personam non esse benè ligitimatā, cum similibus, cum tunc nulla resultet vulneratio iuxtà receptā distinctionē de qua *apud Pen. decis.* 700. *nu.* 4. *Coccin. decis.* 78. *in fin. Burait.*, *& add. decis.* 329. *in fine, in Rom. Census*

11. *Martij* 1652., & 4. *Februarij* 1653. *coram Corro Comen. Beneficij* 12. *Maij* 1659. *coram Priolo*, & in alijs; Et consequenter cum in hac facti specie sententia nõ percuteret negotium principale, neque substantiam crediti, sed solum incompetentiam processus executiui, ita scribendo moræ Aduocati, dicebam quod versabamur in secunda parte distinctionis.

Verùm reflectendo ad veritatem, resolutio Rotæ super hoc puncto probabilis visa est, quoniam isto casu appellabilitas non proueniebat à dicta formali vul-
10 neratione, sed à diuersa ratione æqualitatis in iudicio seruandæ, quod scilicèt, quemadmodũ ipsi actori licitum fuit appellare à dicta sententia absolutoria, ita licitũ esse debebat reo appellare à sententia reuocatoria huius sentẽtiæ absolutoriæ, quæ cum firmet statum super incompetentia processus exequutiui, idcircò oportet eam tollere cum tribus cõformibus, vel cũ re iudicata, vt generaliter de quacumquè sententia reuocatoria, etiàm eorum, quæ in processu exequutiuo exequutionem habuerunt, receptũ habemus vt apud *Buratt. decis. 37. in fin.*, & *decis. 330. num. 11. decis. 395. par. 5. rec., add. ad Gregor. decis. 581. num. 10. Gonzal. ad reg. 8. gl. 6. num. 202.*, & *208. Scacc. de appell. q. 17. limit. 9. num. 58. & seqq.*

Alij prò hac parte Scribentes siuè in dicto congressu conuocati, admittebant huius conclusionis veritatem, credebant autem difficultatem tolli per dictã clausulam cõmunicatiuam facultatum A. C.; per quam maioris partis Curialium opinio est, vt hic effectus resultet cuiusdam
11 implicitæ circumscriptionis sententiæ, vnde propterea integrum remaneat iudicium exequutiuum, perinde ac si causa Iudici, adquem commissa esset ex integro; Verùm id continet æquiuocũ, quoniam cum in Curia exequutio obligationis cameralis priuatiuè pertineat ad A. C.; neq; Rota in ea se ingerat, hinc proinde, ad effectum, vt causa commissa in Rota, possit ista dictam exequutionem decernere, communicantur dictæ facultates A. C.; quarum vigore ad eam procedit etiam ex integro, suppositis tamen terminis habilibus, quatenus scilicèt iudicium non sit vulneratum, sed integrũ non tamen sanat vulnus, vt in specie aduertitur apud *Coccinum dicta decis. 78. num. 9., & seqq.*; Clariùs verò vbi adesset clausula apponi solita, *quatenus de iure*, &c., cum tunc cesset omnis ambiguitas, àn Signatura voluerit committere causam in Rota ex integro cum facultatibus A. C., cum sensu scilicèt, vt ità per quamdam magis modestam, ac implicitam circumscriptionem sententiæ, causa censeretur commissa ex integro; Idcoquè ista clausula potest esse operatiua in casu quo sententia, quamuis tangat substantiã negotij principalis, sit euidenter nulla, vel laboret vitio illius iniustitiæ notoriæ, quæ æquipolleat nullitati, adeò vt sententia habenda sit pro non extante, cum tunc sine dicta clausula, neque posset Rota ex integro dictam exequutionem decernere, dum ista facultas resultat ab ista clausula, vel ab altera *si quid exequendum*, vt in sua materia *sub titulo de Iudicijs*.

ROMANA

LIBERATIONIS A MOLESTIIS

PRO

DOMITILLA,

& alijs Creditoribus

CVM

ANTONIO.

Causa pendet in Rota indecisa.

De priuilegio debitoris, nè conuèniri possit vltrà quàm &c.; Seù de beneficio *deducto nè egeat*, competente clericis, àn ad instar, competat professoribus militiarum ecclesiasticarum.

SVM.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De obligatione creditoris dandi alimenta debitori in carcere.*
3 *Etiam Iudæis, & quomodo hodiè in Sfitt practicetur.*
4 *Distinguuntur puncti causæ.*
5 *An milites Sancti Stephani sint Ecclesiastici.*
6 *Quod in clericis in minoribus desiderentur requisita Concilij Tridentini.*
7 *Qualis sit habitus militum.*
8 *De ratione, ob quam etiam dictis militibus competat hoc beneficium.*
9 *An milites nostri temporis sint veri milites ad effectum priuilegiorum.*
10 *Pro quibus debitis milites gaudeant beneficio* deducto &c.
11 *De exceptione hostica remissiuè.*
12 & 13 *De incompetentia* benef. cap. Odoardus *ratione doli, & qualis dolus requiratur.*
14 *In quo consistat peritia Iudicum, Consulentium, & Aduocatorum.*
15 *Quod aliud sit agere de hoc beneficio ad effectum, vt debitor non possit carcerari, aliud verò ad effectũ relinquendi congruam per alimentis denegandam, si potest debitor aliundè victum quærere.*

DISC. CXVIII.

1 POstquam Antonius, ære alieno pressus, à creditorũ directis, atq; à promptis molestijs, assecuratuit bona per eum possessa, vtpotè iudiciali auctoritate, iure fideicommissi translata in Matthæum filium legitimatum, quãuis adhùc factus non esset eiusdem fideicõmissi restitutorij casus per dispositionem *text. in l. Imperator ff. ad trebellian.*, iuxtà seriem, de qua *sub tit. de fideicom. discur.* 170.; Vt personam quoquè assecuraret, tanquàm miles Sancti Stephani, obtinuit in Tribunali Vicarij, admitti ad beneficium *deducto &c.* ex dispositione *textus in cap. Odoardus de solut.*, *vel ex altero in l. Miles ff. de iudic.*; Vndè propterea creditores, appellatione interposita, obtinuerunt causam committi *in Rota coram Albergato*, dictaquè commissione secuta, habitus fuit Aduocatorum congressus ex parte creditorum super causæ directione.

In hoc autem congressu, ego eram in sensu, vt prius assumi deberet punctus colluſiuæ, ac indebitæ restitutionis fideicommissi ex motiuis, de quibus *dict. disc.* 170., neglecto pro nunc puncto huius beneficij, vtpotè nihil, vel parùm proficuo, 2 quoniam nil intererat obtineri determinationem super eius incompetentia, dũ ità debitor nil possidebat, eiusquè carceratio creditoribus potiùs damnosa esse potuisset, ob nimiam (fortè pernitiosam) æquitatem, cum qua Romana Curia procedit erga debitores carceratos, cõdemnando creditores ad eis suppeditandum alimenta, et quam æquitatem seruandã esse quoque erga Iudæos à creditoribus Christianis, determinauit *Rota dec.* 269. 3 *par.* 4. *rec. tom.* 2., vt aduertitur incidenter *sub tit. de seruitut. disc.* 70., occasione agendi de articulo, àn Iudæi dicantur ciues, atquè gaudeant omnibus priuilegijs, etiam ijs, quæ ab æquitate emanant contra Christianos; Quamuis circa hunc punctum alimentorum Vrbanus VIII. prouiderit, ad id obligando eorumdem hebræorum vniuersitatem, vt aduertitur *sub tit. de vsur. discur.* 6.; Quia tamen alijs (qui omnes erant seniores) contrarium visum est, hinc proindè assumpto hoc puncto, in bina disputatione desuper habita, nulla capta fuit resolutio, quę pendet.

In his autem disputationibus, duo fuerunt puncti; Primò scilicèt, àn dictus professor ecclesiasticæ militiæ, sub clericorum nomine veniret, atquè clericalibus 4 priuilegijs gauderet, adeò vt sibi cõgrueret dispositio *dicti tex. in cap. Odoardus de solut. & cap. peruenit de fideiuſſor.*; Et secundò, àn excluso hoc beneficio, idem effectus resultaret ex dispositione dicti alterius textus *in l. miles ff. de Iudic.*

Quatenus pertinet ad primũ; Quamuis ego scribens moræ Aduocati ad causæ opportunitatem, deducerem ea, quæ 5 deducta habentur *sub titulo de Iurisdict. disc.* 92., super quæstione, àn huius militiæ professores dicendi essent personæ ecclesiasticæ, probando negatiuam, ibi quoquè ex illius casus circumstantijs firma-

matam; Attamen reflectendo ad veritatem (vt ab initio in dicto congressu motiuabam), contrarium verius in Vrbe, & Statu Ecclesiastico esse credebam, quoniam vt aduertitur *eodem disc.92. de Iurisdict.*, & alibi, in hac materia nimiū defertur obseruantiæ, quæ in Statu Ecclesiastico, iuxtà aliquas declarationes Sacræ Congregationis Immunitatis, istis militibus assistere videtur, vt aduertitur etiam *sub tit. de Regal. disc.84.*

Deducebam quoque alia motiua, de quibus agitur *disc. sequenti*, super incompetentia huius beneficij in clericis constitutis in minoribus, potissimum verò concurrentibus tribus requisitis præscriptis à Concilio Tridentino *sess.23. de reformat. cap.6.*, quodquè propterea isti milites, iure laicorum viuentes, ac incedētes in habitu sęculari, in altero ab alijs laicis non discreti, nisi in gestatione signi huius militiæ, non deberent esse melioris conditionis, quàm clerici in minoribus, quibus huiusmodi militiarū professores, qui solemnia vota regularia non emittunt (vt faciunt professores militiæ Sancti Ioannis Hierosolymitani), impropriè assimilantur, & nè sit melioris conditionis exemplum, quàm exemplar.

Verùm pariter de motiuis dubitabā, quoniam ex deductis *discur. sequenti*, verius est, vt etiam clericis in minoribus istud beneficiū competat; Et quoad incessum in habitu, sufficere videtur habitus militaris, eo modo, quo incedunt milites, quando resident in ipso maiori Conuentu Pisano, siuè in triremibus, vel in expeditione, eorum institutum exercendo; Et consequenter, quod excepto motiuo doli, de quo infrà, quod omnibus clericis etiam in sacris est commune, nimium dubitandum erat; Potissimè pōderata eorumdem Canonū ratione fundata in præiudicio seù dedecore totiùs ordinis clericalis, ista quoquè ratio benè congruere videbatur, pro dedecore, seù præiudicio totius ordinis militaris, qui saltèm ratione obseruantiæ, & communis opinionis, in hoc Principatu, reputatur verè ecclesiasticus.

Quouerò ad alterum punctum beneficij resultātis ex qualitate militari iuxtà terminos dicti textus *in l. miles ff. de iudic.*, inanis labor videbatur de illo agere, quatenus probabilius videretur, vt ex prœmissis locus esset dicto tutiori, ac ampliori beneficio clericali; Et nihilominus, pro consueto improbo Iuristarum labore, (freqùentèr citrà necessitatem, seù causæ punctum), cum copiosissimis allegationibus hinc indè disputata fuit quæstio insinuata *sub titulo de testamentis disc.28.*, occasione agendi de materia testamenti militaris, & de qua cæteris relatis agunt *Aponte de potest. Proreg. tit. de assens. reg. §.7. num.41. Chrispolt. de re militar. cas.44. & alij relati per Rotam decis.150. par.12. recent.*, àn scilicèt milites nostri temporis gaudeant, necnè, antiquis militum priuilegijs, & àn eis congruerent ea, quæ de militibus Hierosolymitanis, ac alijs sub formali obedientia Magni Magistri viuentibus, habentur *apud Aponte vbi supra Castagn. hoc tract. de benef. deducto &c. qu. 8. Scannar. de carcerat. lib.3 cap.6. num.31.*

Verè siquidem iste labor inanis erat, quoniam; Aut huiusmodi militibus iure clericorum censendis, atquè ob rationis identitatem, cōgruebat dictum clericale priuilegiū, quod resultat *à cap. Odoardus, & cap. peruenit*, et tunc frustrà de hoc altero priuilegio agebatur; Aut verò dictum clericale beneficium non intrabat, adeò vt militare solùm cōpeteret, et tunc neq; istud suffragabatur, quoniam rectum est, vt istud non intret nisi pro debitis contractis occasione militiæ, siuè dum sunt in castris, vel in expeditione, non autem pro ijs, quæ contracta sunt, euagando per mundum, aut pro causa merè priuata, seù paganica in priuatis domibus, priuatorum iure viuendo *iuxtà gloss. in ead. l. miles*, quam sequuntur *Alberic., Odofred., Bart. & alij, vt apud Aponte vbi supra num.42. Castagn. dicto cap.8. fallent. 1., & 3. Scannarol. dicto lib.3. §.7. cap.6. numer.33.*; Nisi carceratio pro istis debitis præiudicium inferret Principi, vel Duci militiæ, vt milites in occasionibus belli promptos haberet, et sic quando casus contingeret iuxtà terminos exceptionis hosticæ, de qua *Graff. de except. cap.3.*

Vnicum igitur motiuum, ob quod (etiam in seusu veritatis) in hac facti specie credebam, vt istud beneficium non competeret, erat illud doli, non quidem præsumpti, ac resultantis ex eo, quod debita imp rudēter, & sine iusta causa contracta

tracta essent, iuxtà aliquorũ insipiduras,
12 de quibus *discur. sequenti*, (super quibus tamen Aliqui Scribentes pro hac parte, nimium insistebant) sed ex dolo vero, qui desumi videbatur euidenter ex voluntaria affectata legitimatione filij naturalis, vt ità declararentur fideicommisso subiecta ea bona, quæ aliàs remansissent libera, & creditoribus affecta; Et fortiùs ob aliam colluſiuam fideicommissi præuentiuã restitutionem ex affectato motiuo dilapidationis iuxtà terminos *dicti textus in l. Imperator ff. ad trebell.*, cum verè, nec de facto, nec de iure, isti termini intrarent præsertim in præiudicium creditorum ex insinuatis *dicto disc. 170. de fideicommissis*.

Posito etenim dolo vero deducto ex actibus callidè, ac studiosè præordinatis ad creditorum exclusionẽ, ac fraudẽ, intrat de plano exclusio huius beneficij ex
13 deductis *per Castagn. dicto tract. quæst. 10. fallent. 2. num. 1. Bellett. disquis. clerical. tit. de cleric. debitor. §. 2. num. 4. Scannarol. dicto §. 9. cap. 3. numer. 15. & 16.*, vbi exemplificat plures modos, ex quibus dolus resultet, ac probetur; Atquè tenuit semper *Rota apud Caputaq. decis. 278 par. 1. & 183. par. 3. apud Royas decis. 475. repetit. post Castagn. decisione 12.* cum alijs latè *per addent. ad decisionem 16. nu. 36. & seqq. par. 8. rec.*, & post has disputationes dictum fuit in decisione edita in casu, de quo *disc. sequenti*, & patet etiã ex *decisionibus Putei* expensis in alio discursu post sequentem.

Ad hunc igitur effectum, creditoribus magis proficuus mihi videbatur (vt reuerà fuisset) supra insinuatus meus sensus, primò scilicèt insistẽdi super retractatione eorũ, quæ super fideicõmisso colluſiuè inter patrem, & filium gesta erant, cum ità probatus remaneret dolus, quo concurrente omnis dubietas cessabat, siuè de vno, siuè de altero beneficio ageretur; Et fortiùs quia, vt supra aduertitur, præcipuus punctus erat in bonis, super quibus exequutio fieri posset, non autem in exclusione huius beneficij pro debitoris carceratione, quæ creditoribus potiùs damnosa, quã proficua in Vrbe esse solet.

Hinc proindè edocemur, quod in profitentibus forum, tàm in iudicãdo, quàm in cõsulẽdo, atq; causas defendẽdo, maior peritia consistat in applicando congruè actiua passiuis, benèquè dirigendo cau-
14 sas, ac deducendo, & eligendo motiua magis proficua, & stringentia, non autẽ in replendo cum improbo labore inaniter chartas, cum superfluis conclusionibus, & regulis, adijciendo super eis etiam notorijs copiosas allegationes transcriptas ex repertorijs, vt modernus pragmaticorum vulgus facere profitetur, siuè idẽ vulgus laudat, & optat, cum eruditorum, ac litteratorum risu, istiusq; legalis facultatis contemptu.

Ponderabam quoq; in idem, quod scilicèt parùm oportunum erat istam quæstionem assumere, quoniã, Aut agitur de hoc beneficio ad effectum, vt eo denegato, debitor posset in carcerẽ detrudi; Et hoc non expedit creditoribus vt supra; Aut ad effectum, vt ex bonis congrua portio prò alimentis relinquenda esset; Et hoc de iustitia competere non debe-
15 bat, (licèt malè in contrariũ seruet vsus, qui potiùs abusus nomen meretur), quoniam præsertim in Vrbe, etiam clerici qualificati, ac nobiles viri huiusmodi militiarum, etiam illius Sancti Ioannis Hierosolymitani, citrà huius gradus præiudicium, promptas habent occasiones familiaritatis Cardinalium, & Magnatum, vndè congruum victum parare possint; Ideoquè nulla, nec legalis, nec humana ratio suadere videtur, cur vitã otiosam, atquè frequentiùs vitiosam, creditorum sumptu ducere debeant, quo prò meo iudicio nil absurdius, nihilq; detestabiliùs; Absurdius verò, ac detestabilius est id, quod enunciatur *dicto disc. 170. de fideicommissis*, circa adeò priuilegiata alimenta Ipsiusmet, qui debita culposè, ac luxuriando contraxit &c.

RO-

ROMANA

BENEFICII *DEDVCTO &c.*

SEV

CAP. ODOARDVS

PRO

FRANCISCO

CVM

PAVLO.

Casus disputatus in Rota, & resolutus pro Paulo.

De eadem materia beneficij *deducto &c.* competente clericis *ex cap. Odoardus*, àn locum habeat in debito proueniente ex causa administrationis; Siuè vbi aliàs debitum culposum dici valeat; Et àn hoc beneficium competat clerico in minoribus, præsertim coniugato; Et quid in debito contracto cum obligatione camerali.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De probabili fundamento resolutionis, & num.* 8.
4 *De vsu togæ in Curialibus.*
5 *Quod non de facili hoc beneficium admitti debeat.*
6 *De differentia inter nostra tempora, & antiqua in hac materia.*
7 *In quo solum dictum beneficium debeat practicari.*
8 *De bonis fundamentis resolutionis causæ.*
9 *De aliquo abusu circa decisiones.*
10 *Quod pro debito ex causa administrationis non competat hoc beneficium.*
11, 12, & 13 *Reijcitur, & quis sit auctor opinionis expenditur dictum* Anchara-ni.
14 *Doctor quam opinionem tenere dicatur.*
15 *De eodem, de quo num.* 11. & 12.
16 *Quando propriè procedut conclusio, de qua num.* 10.
17 *De tutela clericis probibita, quando procedat.*
18 *Differunt tutores à ministris subordinatis.*
19 *An clerici coniugati gaudeant hoc beneficio.*
20 *Obligatio cameralis tollit hoc beneficium, & quando competat.*
21 *Quando dicatur adesse dolus, vel culpa, quæ hoc beneficio priuet.*
22 *Ad quid considerari debeat, àn debitum proueniat ab infortunio, vel a culpa.*

DISC. CXIX.

1 DEputato Francisco procuratore ad exigendum nomina debitorum, aliosque effectus hæreditarios N. Poloni in Vrbe defuncti, ad commodum Pauli pupilli eius hæredis; Cum ex concordi rationum dispunctione sequuta cum nouo procuratore, remaneret debitor scutorum 1600. circiter, per apocam, confecta obligatione camerali vallatam, promisit dictam summam soluere intra certũ terminum, quo elapso, pulsatus ad solutionem, opposuit de beneficio, deducto nè ægeat, sibi tanquam clerico coniugato competente, atquè sententiam in Tribunali Vicarij desuper reportauit; Introducta verò causa *in Rota coram Otalo-*
2 *ra*, datoquè dubio, àn dictum beneficiũ competeret, sub die 5. *Martij* 1668., negatiua prodijt resolutio, neque (quod sciam), causa vlteriorem progressum habuit, forsan concordia ei finem dedit.

Resolutio mihi licèt pro Frẽciſco scribẽti, ex facti qualitate, eiusquè particularibus circumstãtijs, (reflectendo ad veritatẽ), nõ improbabilis visa est, præsertim
3 ob nõ bene iustificatã paupertatẽ, ac etiã quia tractabatur de clerico in minoribus coniugato, qui potiùs sæcularis figuram faciebat, potissimè quia, ex proprio sensu, ac genio, huiusmodi debitorum confugia perpetuò abhorrui, præsertim verò in Vrbe; Vel quia ob vsum togæ, qui plerisquè Curialibus, & professoribus quamuis sęcularibus est communis, ex rationi-

bus

bus,de quibus *sub tit.de Iurisdict. discur.* 93., verificari non videtur ratio *textus in cap. Odoardus*, dedecoris scilicèt vniuerso ordini resultantis, dum ob clericorum præsertim in minoribus nimiam frequentiam, fortè vsquè in abusum, etiam vbiquè, eadem ratio,vbi non agatur de clericis constitutis in conspicua dignitate,vrgere non videtur; Ideoquè magna differentia est inter hodiérna tempora,& illa, in quibus prodijt dicta Decretalis, quando circa manuum impositionem, atq; clericorũ numerum (fortè laudabilius) seruabatur id,quod benè deducit *Belarmin. in eius opusculo de man. impos.* aliàs *intitulat. Admonitio ad nepotem*; Atquè vigebant considerationes, de quibus *sub tit.de testament. discur.*34., adeò vt si de hac Decretali abolenda ageretur, libentèr consilium, seù assensum præberem,saltèm ad effectum non relinquendi congruam pro alimentis, ea firma remanente solùm, quo ad exemptionem à detrusione in carceribus, ex ponderatione,de qua *disc. præcedenti* in fine, ità practicando hoc priuilegium ad solum effectum euitandi ignominiosam bonorum cessionem, quæ, iuxtà regionũ diuersos mores, diuersimodè explicari solet, præsertim verò in Vrbe est cum obligatione gestandi pileum viridem; Quod tamen raró, & fortè nunquã practicatũ videmus, cum in reliquis,sit fraudis fomentum.

Retẽta verò eiusdẽ Decretalis dispositione,ac recepta praxi; Quamuis (vt dictum est), resolutio placuerit ex circumstantijs facti, ex quibus resultabat quod debitor volens,poterat cum personalibus honestis operibus ingenij,vel cũ bonis quæ possidebat, saltim paulatim, cum aliqua dilatione debitum soluere,ac etiam quia agebatur de clerico coniugato,qui in forma,seù figura laici potiùs viuebat; Non tamen placuerunt aliqua fundamenta per scribentes prò creditore deducta,& admissa in decisione; Venerando etenim in reliquis, auctoritatem, ac stylum decisionum Rotæ, nunquam captiuare potui intellectum laudandi hunc stylum apponendi in decisionibus ad Partium complacentiam fundamenta non necessaria, quæ in puncto iuris minus tuta sint, ob inconueniens,quod exinde resultat apud alios Iudices,& quandoq; etiam in ipsamet Rota attendendi prò decisionibus omnia,quæ in eis continentur, quamuis præter causæ necessitatem, ad superabundantiam deducta sint, verè in disputatione causæ formiter nõ discussa,quod in dies multa producit inconuenientia, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de iudicijs in relatione,& praxi Curiæ*.

Præsertim verò nullatenus placuit motiuum, vt istud debitum proueniret ex causa administrationis rei pupillaris, quæ clericis interdicta est *in cap. 2. nè Clerici,vel Monaci*, et cõsequenter, quod pro debito ex causa administrationis, hoc beneficium competere non deberet, vt in specie firmant *Carol. de Graff. de effect. Cleric. effect.7. num.*53. quem referunt, & sequuntur *Castagn. hoc tract. q.* 10. *fallent.* 9. *numer.* 10. *Barbos. in cap. Odoardus num.*22., *& de vniuerso iure Ecclesiæ lib.*1. *cap.*39. *num.* 33. *Squillant. de priuil. Cleric. cap.*10. *num.*44., *& alij moderni*.

Id autem, prò meo iudicio,continere videtur æquiuocum clarum; Siquidem *Castagn.*, *Barbos.*, *& Squillant*, alijquè forsan moderni eiusdem farinæ, quorũ frequentius munus est,Collectoris potius,quàm Doctoris partes facere, cumulando indigestè auctoritates,non autem discurrendo articulos per principia,sunt simplices relatores *Caroli de Graff. vbi supra*,qui videtur Auctor originalis huius generalis propositionis, vt debitor ex causa administrationis hoc beneficio indignus sit.

Hic autem se fundat in auctoritate *Ferretti conf.* 144., quæ ad rem non facit, quoniam vltra genericam frequenter enunciatam considerationem super modica fide præstanda Consulentibus, quorum scripta conductitia,atq; venalia sunt ad requirentis oportunitatẽ,ac frequẽter cõtra propriam opinionem; Hic Auctor nunquam cogitauit id firmare, quoniam in facti serie, enarrat quidem causam debiti ob quãdam administrationem, non tamen in hac circumstantia fundamentum constituit, sed in alijs, ex quibus Consulens,debitoris culpã,ac dolum probare conatur, ideoquè clarum æquiuocum est,ex ista auctoritate huiusmodi propositionem deducere.

Et quamuis idem *Carol. de Graff.*, de-

ducat quoquè auctoritatem *Ancharani in cap. 1. de depositio nu. 6.*, quæ in decisio-
3 ne quoq; deducitur; Attamen id pariter continet æquiuocum clarum, quoniam *Anchar.* refert opinionem *Io. Andr.*, vt clericus gerens alterius administrationem, malamque reddens rationem, detineri possit in carcere, postmodum verò refert contrariam opinionem *Hostien.*, ipse autem nihil firmat; Et consequenter iste Auctor prò neutra opinione stare dicitur, vel potius pro hac secunda, ex propositione quod Doctor qui relatiuè loquitur, tenere videtur opinionem vltimo loco relatã, vt ex originali dicto *glosin l. qui filium §. Sabinus ff. ad Trebell.*,
14 aduertunt collecti *per Surd. cons. 122. nu. 22. Bellete. disquis. Cler. tit. de exempt. Cler. muner.* §. 2. *num.* 4.; Quod tamen non placet, cum id frequenter à casu proueniat, atque alias recipiat declarationes de quibus *Arias de Mesa lib. 2. var. cap. 23. numer. 24. Rosenthal. de Feud. cap. 7. cons. 35. num. 7.*, *& alij*.

Melius verò quæstionẽ examinat *Abb. in dicto cap. 1. de depositi. num. 7.*, vbi relatis dictis diuersis opinionibus *Io. Andr.*,
15 & *Hostien.*, concludit pro hac secunda opinione pro dicti beneficij competentia quoties nõ cõstet de administratione meré dolosa, atque hanc sequitur grauis Doctor *Lopez ad part. Hispan. par. 1. l. 23. tit. 6. glos. cum Clerico*, et affirmat etiam (quamuis de more leuiter, & non examinato articulo) *Borgnin. Caualcan. de tutor. & curator. num. 322. & seqq.*

Clarius verò in hac facti specie, in qua rectè dici poterat, quod versaremur extrà casum quæstionis, verè, & propriè procedentis in suscipiente tutelam, seù
16 aliam laicalem administrationem clericis illicitam, vt potè per sacros canones prohibitam *in dicto cap. 2. ne Clerici, vel Monaci*, in cuius dispositione se fundat *Io. Andr.*, vt refert *Anchar.*, quasi quod dici valeat debitum proueniens ex delicto, pro quo certum est, beneficiũ non intrare; Et sic vbi agatur potius de punitione actus illiciti, quam de simplici debito, atquè actus illicitus deducatur potius à fraude, in qua versetur administrator, adeo vt scandalum in Ecclesia generetur iuxtà *textum in dicto cap. 2. nè Clerici, vel Monaci*, cum quo *Ancharan.* procedit,

Id autem ad rem applicabile non erat; Tum quia (vt aduertitur *in sua materia sub tit. de tutel.*), ea quæ de tutela in clericis habentur, percurrunt potius eorum
17 fauorem, nè inuiti subiaceant illi necessitati, quæ resultat à dispositione iuris ciuilis volentis hoc munus esse necessarium, vnde propterea iustas excusationis causas desiderat; Siuè vbi esset munus susceptum ad industriam, ac negotiationem, quod à diuino seruitio diuertere posset, secùs autem vbi bono animo seù fine illud suscipiatur, cum potius tunc dicatur actus charitatiuus, ac laudabilis. Tum etiam quia in presenti nõ agebatur de principali munere tutelæ, vel curæ, sed potius de simplici mandato ad exigendum, quod clericis, præsertim in
18 minoribus, & coniugatis, fortius verò in Curia ex eius vsu, non est prohibitum; Neque ea, quæ *in iure* habentur de tutoribus, & curatoribus, cõgruunt huiusmodi subordinatis ministris, seù administratoribus, qui ab eis deputantur, vt aduertitur *sub tit. de Regal. disc. 86. in fin. & alibi*.

Actum quoq; fuit de puncto, an hoc beneficio gaudere debeant clerici in-minoribus coniugati; Et quamuis *Fagnan. in cap. Odoardus num. 22., & seqq.*
19 teneat affirmatiuam, iuxtà quam testam fuisse decisum per Sacram Congregationem, attamen in hac parte, negatiua resolutio potius placuit, quoniam clerici coniugati, de facto, & communi opinione, laicorum potius figuram faciunt, adeo vt non intret ratio, cui priuilegium innititur; Imò probabilius videretur, vt nequè intrare deberet in clericis in minoribus, dum possunt, dimisso clericatu, assumere statum laicalem, atq; exercere artes, & negotiationes, Aut extrà Curiã, in locis, in quibus in clericis nõ de facili est practicabilis famulatus compatibilis cum clericatu (vt est in Curia) alteri exercitio se addicere, vndè propterea vt aduertitur *disc. præced.*, æquitas, quæ in hac materia adhibetur, iniquitatem potius redolere videtur,

Firmatur etiam in huius causæ decisione altera limitatio, de qua plenè apud
20 *Castagn. hoc tractat. cap. 10. fallent. 9. Bollett. disq. Cleric. §. 2. numer. 7. Farin. q. 27. num. 70. Scannar. de visit. §. 9. cap. 3. nu. 36. add. ad. Buratt. decis. 97. nu. 9.*

vt

vt obligatio cameralis, ex Apostolicis præsertim Constitutionibus, adimat hoc beneficiũ; Atque respondendo ad contrariam praxim Vrbis, dicitur vt id proueniat à commissione, quæ desuper à Sanctissimo per Signaturam Gratiæ obtineri solet, per quàm, vt aduertitur *disc. sequent.*, tolli solent illæ difficultates, quæ alias in hac materia cadunt.

Nullatenus verò placet eiusdem decisionis digressio, quę probabiliter ex mente *extensoris* potius, quam Rotæ esse videtur, vt scilicèt nõ constito de infortu-
21 nio, paupertas præsumatur culposa ex ludo, seù vita luxuriosa, et consequenter quod intret dolus, qui semper inesse dicitur eò ipso quod quis citrà infortunij casum aliena bona dissipat; Ità enim esset *eluso*riã reddere præfatæ Decretalis dispositionem, cum recursus ad huiusmodi miserabilia, (si non de iure, saltim de facto,) ignominiosa beneficia, frequentius, ac penè semper sit vitiorum, ac sensualitatum effectus, ideoq; quidquid dicant *Ferrett. dicto cons.* 144., *& Carol. de Grass. vbi suprà, ac alij*, omninò verius videtur, vt dolus debeat esse positiuus, atquè culpa studiosè ordinata ad casum, vt bene firmat *Fagnan. dicto cap. Odoardus numer.* 41., *& seqq.*, *& aduertitur per Castagn. dicta quæstione* 10. *Fallent.* 2. *numer.* 1., et habetur *disc. præcedenti*, & insinuatur etiam *in sequenti*, vbi de illo, qui alias ad idem beneficium admissus fuit, deindèq; breui recidiuam fecit.

Siuè quod ista distinctio, àn paupertas proueniat à non culposis infortunijs, seù quibusdam naturali nõ peccaminosa imprudentia, ex intellectus imbecilitate, vel potius à vitijs, & peccaminosis sen-
22 sualitatis, nimium ponderabilis est in ordine ad regulandum arbitrium super æquitate desuper adhibenda circa taxam alimentariam, non autem circa omnimodam priuationem; Quodq; culpa debeat esse ordinata ad casum, cõferunt, quæ generaliter ad effectum priuationis beneficij inuentarij, vel alterius beneficij à lege tributi, habentur *apud Surd. decis.* 216. *cum similibus*.

ROMANA

ADMISSIONIS

AD BENEFICIVM *DEDVCTO &c.*

PRO

PHILIPPO

CVM N.

Casus disputatus coram Prælato Iudice Commissario, resolutus vt infrà.

De eadem materia beneficij deducto &c. competente clerico *ex cap. Odoardus*, àn suffragetur condemnato per tres sententias conformes, Et quid pro expensis iudicialibus; Et quaudo dicatur debitor dolosus, vt sit hoc beneficio indignus, præsertim si aliàs ad illud admissus fuerit.

Et de taxa, seù congruat alimentaria debitori reseruanda.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod clericis sint prohibita cambia.*
3 *Quod pro expensis trium conformium non competat beneficium ex decis. Patei.*
4 *Declaratur quando id procedat.*
5 *Et quod pro his competat beneficium.*
6 *Ad quid profit commissio Papæ.*
7 *Non debent istæ commissiones concedi parte non citata.*
8 *Vt debeat beneficiũ denegari ei, qui aliàs ad illud admissus fuit.*
9 *Quod cum decoctoribus criminaliter procedendum esset.*
10, & 11 *Quomodo taxa alimentaria fieri debeat.*
12 *Vt attendi debeat vsus taxæ patrimonij.*
13 *De ratione, ob quam hoc beneficium non debet concedi clericis in minoribus.*
14 *Vbi concedatur, concurrere debent requisita cum cambijs.*

15 *Dari non debet ei, qui accepit clericatum in fraudem.*

DISC. CXX.

1 Xorta lite inter Philippũ, & N., ex causa cambij, eiusquè fructuum, seù cambiorum decursorum, ad fauorem Philippi debitoris prodijt sententia absolutoria ab A.C., ex contractus inualiditate, ob incapacitatem creditoris tãquam clerici, stantibus tunc iam editis decisionibus, de quibus *sub titulo de Cambijs disc.* 18., firmãtibus vt ista censenda sit negotiatio clericis prohibita; In alijs verò instãtijs, (dicta sententia reuocata) tres conformes ad fauorem creditoris prodierunt, canonizatæ per Signaturam Iustitiæ, cum solita clausula, *sine præiudicio executionis trium conformium*, vndè propterea expeditis litteris executorialibus, Philippus debitor, præuia commissione Sanctissimi directa Cardinali Vicario, vel eius Locumtenenti, obtinuit per sententiam admitti ad beneficiũ deducto &c., *ex cap. Odoardus*, à qua interposita per creditorem appellatione, Iudex secũdæ instantiæ pronunciauit eum non esse admittẽdum ad dictum beneficium, nisi priùs refectis expẽsis iudicialibus trium conformium, moderando etiam taxam alimentariam à menstruis scutis decem pro tempore, quo debitor esset in Vrbe, & octo, quando esset extrà, ad scuta sex; Vndè commissa causa appellationis alteri Prælato, in hac tertia instantia requisitus fui ad scribendum pro Philippo debitore.

Cum autem circà cõpetentiam beneficij in genere, sententiæ essent conformes, difformitas autem esset super dicta refectione expensarum, ac super moderatione taxæ; Hinc proindè de his duobus punctis solum actum fuit, non controuersa dicti beneficij competentia, dũ agebatur de sacerdote, qui in loco domicilij quandam ecclesiasticam dignitatem qualificatam possederat, dimissam cum reseruatione pensionis, super cuius exequutione tota cadebat quæstio, cum aliud debitor non possideret.

2 Quatenus igitur pertinet ad primum punctum expensarum; Iudex secundæ instantiæ motus fuit ad ità sententiandũ 3 *ex decis.* 54. *Putei lib.* 1. in correctis *aliàs decis.* 56. in non correctis, vbi examinatur quæstio, àn hoc beneficium competat debitori sucumbenti per tres conformes, & præsertim pro istarum expensis; Licet enim allegaretur altera *decis. eiusdem Putei* 214. *eodem lib.* 1. in correctis *aliàs* 221. in non correctis, ea tamen non ità stringebat, cum ageret de altero beneficio cessionis bonorum, in quo strictius proceditur, *in dicta verò decis.* 54. agitur *in specie* de isto beneficio *capit. Odoardus*, atquè concluditur contrà debitorem.

Prò isto autem scribens, dicebã quod vbi etiam ageretur de huiusmodi beneficij competentia ex sola dispositione iuris absque fomento specialis commissionis Sanctissimi, ad huc tamen, firmata *in dicta* decisione (quamuis eius veritas admitteretur) non obstabant ex defectu applicationis, ob diuersas circumstantias 4 inter casum, de quo ibi agitur, ac præsentem, ad quod principaliter est aduertendum; Præcipuum siquidem vtriusq; decisionis fundamentum consistit in dolo, qui in debitore dupliciter ibi desumitur; Primò nempè ex pertinacia temerè litigandi, ac defatigandi creditorem per tres instantias; Et secundò in idẽ, ex manifesta iniusta causa litigandi, delictũ redolente, dum agebatur de spolio, in quo spoliator cum euidenti mala fide per tres instantias se confouere voluit, ideoq; ità conuinci videbatur de dolo, cuius ratione hoc beneficio indignus censendus erat ex deductis *suprà disc.* 118., ac etiam *disc. præcedenti, & seq. ac infra.*

Hæc autem circumstantia in præsenti non verificabatur, quoniam debitor, iustam, vel saltim non temerariam habuit litigandi causam; Tum ob sententiam fauorabilem in prima instantia obtentam, ob quàm iustè credere potuit bonã causam fouere, ideoquè non tenebatur acquiescere diuerso iudicio in alia instantia; Tum etiam quia eius prætensio munita erat tot Rotæ decisionibus firmantibus in clerico (qualis erat etiam creditor) hanc inhabilitatem faciendi contractum cambij, et consequenter cessantibus circumstantijs, ex quibus resultet dicta ratio doli, ac positiuæ temeritatis, nulla subest ratio, cur ob condẽ-

natio.

nationem per tres conformes, eorumq; expensas, istud beneficium competere nõ debeat, vt in specie quod illud competat in casu trium conformiũ, & expensarum, cæteris relatis benè habetur *apud Castagn. hoc tract. cap. 10. ampliat 1.,& limit. 5.*, vbi reassumit dictã *decis. Putei, & Scanar. de visit. lib. 3. cap. 6. n. 3. & 4.*

Clarius verò, atque pro meo iudicio, extrà omne dubium, quoniam non agebatur de competentia huius beneficij ex sola dispositione iuris, sed aderat etiam specialis commissio Papæ, in qua narra-6 tur dicta circumstantia trium conformium; Vt enim aduertitur *discur. præcedenti*, ac in decisione in eo casu edita in fine, occasione agendi de obligatione camerali hoc beneficium admittente, illę *difficultates*, quæ in solo puncto iuris cadunt, cessant quando accedit specialis commissio, in quâ facta sit mentio illius qualitatis, vel circumstantiæ, quæ de iure præstaret impedimentum, quoniam cum ob assistentiam peritissimorum officialium in suis respectiuè materijs, in Papa non detur ignorantia iuris, ità censetur dicto impedimento dispensare.

Hinc proindè huiusmodi commissiones concedi non solent, neq; debent, absquè pręuia citatione creditorũ, illisquè 7 auditis, non solum in Camera per Auditorem, sed quandoquè per ipsummet Papam in plena Signatura Gratiæ, vt pluries mihi disputare contigit, modò scribendo pro debitoribus, & modò pro creditoribus; Et præsertim in altera *Romana* prò Emilio Lauro, cum quodam Iacobo Philippo, ego scribens prò creditore se opponente concessioni commissionis, dicebam (etiam in sensu veritatis) illam denegandam esse, vt credo sequutum, ex motiuo doli, qui ex pluribus circumstantijs desumi videbatur, præsertim verò ex eo quod idem paulò antea, vix vnius, vel duorũ annorum spatio intermediante, ad idem beneficium pro alijs debitis admissus fue-8 rat, ideoquè contrahendo posteà debita, quando sciebat eius malum statum, excusari non poterat cum illa spe, vel credulitate, quam homines habent, sed rectè sciebat se non esse idoneum, quodquè idoneitas, quam sperare poterat in futurum, cedere debebat ad cõmodum priorum creditorum, vt à simili de beneficio cessionis bonorum non concedendo ei, qui alias non erubuit illud obtinere, habetur *apud Marches. de commiss. par. 3. de commiss. ad benef. cess. bonorum* §. 1. *num.* 37. 86., & 87. *fol.* 291., & 301.

Vndè propterea, mea fuit dicendi consuetudo, quod quando agitur de debitis contractis postquam quis iam certificatus est, quod nihil habet in bonis, quodq; ea quæ possidet, iam exuberãter absorbẽ-9 tur à debitis, tunc deberet apponere manus Iudex criminalis, eos puniendo tanquam latrones, etiam quandoquè cum pæna ordinaria furcarũm ad aliorum exemplum, iuxtà laudabilissimam Cõstitutionem Pij, de facili eius praxim admittendo; Et potissimè vbi ex breuitate temporis, atq; ex notabili summa debiti contracti, liquet illud contractum non esse pro sola indigentia, vel suffocatione, quo casu aliqua excusatio intrare videtur, sed ad furandum, ac dissipandum aliena.

Quo verò ad alterũ huius causæ punctum, super taxa scilicèt congruæ alimentariæ, relinquendæ debitori ad hoc beneficiũ admisso; Dicebam, quod certa, & determinata regula desuper dari non 10 potest, cum materia alimentorum dicatur circa taxam meràe arbitraria, pro loci, ac personarum qualitate iuxtà deducta apud *Merlin. decis. 5.,& passim*; Ac iuxtà ea, quæ habentur *sub. tit. de dote disc. 144.* in proposito taxæ dotis congruæ.

Ad duo autẽ, istius, & quãpluriũ similium controuersiarum occasione aduertendum esse dicere consueui; Primò nempè ad qualitatem personæ iunctam cum qualitate ioci, & àn apta esset com-11 patibiliter cum decore habitus clericalis, ex famulatu, vel alio personali exercitio victum sibi cõparare, vt tunc abusus videatur commissereri huiusmodi, vt plurimùm perditis hominibus, vt aduertitur *supra disc. 118.*; Et secundò ad causam debiti, vel paupertatis, & àn ista proueniat ex non culposo infortunio, vel potius ex culpa, quamuis non ordinata ad dolum, vel casum; Siquidem Aliud est considerare culpam in ordine ad omnimodam priuationem huius beneficij; Aliud verò in ordine ad regulandum taxam, ac interponendum arbitrium, pro magis, vel minus commoda debitoris vita, dum iustum est, vt culposus quantum fieri potest compatibiliter

cum

cum decore ordinis clericalis, si non potest in ære, luat in corpore.

Regulariter autē ista taxa in cōstitutis in sacris, metienda videtur ab ea, quæ in loco præfinita est in patrimonio, ad cuius
12 titulum quis ad ordines promouetur, dum ea generaliter ad id sufficiens reputatur, nisi aliqua peculiaris circumstantia diuersimodè suadeat, vt erat in hac facti specie, dum agebatur de sene octuagenario, qui sensibus visus, & auditus penè destitutus erat, et non aptus ad famulatū, vel aliud exercitium, quinimò alieni famulatus præcisam habebat necessitatem ideoquè ista dicitur quæstio facti pro singulorum casuū qualitate decidenda.

Ex dicta verò consideratione quod Canones, vel Concilium Tridentinum in
13 promouendis ad ordines sacros tantùm, desiderant cōgruam prouisionem beneficij, vel patrimonij pro decore ordinis clericalis, non autem in promouendis ad minores; Mihi ad euidētiam probari aliàs obseruabam id, quod insinuatur supra *disc. præcedenti*, vt quoad clericos in minoribus, ad summum admitti debeant ad istud beneficium *cap. Odoardus*, pro euitanda detrusione in carceribus, & nè cogantur recurrere ad miserabile beneficiū formitèr ignominiosæ cessionis bonorum, non autem ad alium effectum eis reseruandi congruam alimentariam, idenim continere videtur errorem manifestum, dum Canones, & Ecclesia de istorum prouisione non sunt folliciti, ex clara ratione insinuata *dicto disc. præcedenti*, quod scilicèt sunt in statu retractabili, ideoquè in statu vitæ laicalis victū cum labore sibi comparare debent.

In proposito autem clericorum in minoribus; Vbi etiam recipienda sit opi-
14 nio, vt ipsi compræhendantur sub dispositione *cap. Odoardus*, quodquè hoc beneficio gaudeant, probabilior, beneque è fundata videtur opinio volentium, vt in ijs, qui non habent beneficium ecclesiasticum, concurrere debeant requisita S. C. T. *sess. 23. de reform. cap. 6.*, vt plu-ries firmauit Rota, præsertim *apud Roias decis. 475. repetit. post. Castagn. decis. 12.*, *& in Nullius Baren. coram Cerro apud Castagn. decis. 13.* edita in casu, de quo *disc. seq.*, *& sub tit. de dote disc. 59.*, ac etiam *in Romana coram Otalora*, edita in casu de quo *disc. præcedenti*, in qua in speciæ respondetur ad quandam contrariam declarationem Sacræ Congregationis *impræss. post dictam decis. 13. post Castagn.*, vt non sit authentica; Et conferunt ea, quæ circa dicta requisita habētur *sub tit. de testamen. disc. 34.*

Atquè *in dicta decis. 475. Roias*, aliàs *decis. 12. post. Castagn.* benè firmatur, vt hoc beneficio indignus quoqè censeri debeat ille, qui imminente exequutione, atquè in fraudem, clericatum suscipit, ad
15 terminos *text. in cap. fin. de homicid.* de occidente aliquem propè Ecclesiam sub spe confugiendi ad immunitatem, cum similibus.

NVLLIVS,

SEV

BAREN. PECVNIARIA,

seù

DOTIS

PRO

IO. BAPTISTA, & POMPEO DE CONTINISIIS

CVM

IO. ANDREA MIRTO.

Casus decisus per Rotam pro Io. Andrea posteà concordatus.

De beneficio deducto &c. competente fratri, vel patri, seù alteri, præsertim debitori ex causa dotis; Et quid vbi sit debitor ex altera causa magis correspectiua; Et àn interet quando creditor est etiam pauper.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Paupertas est probanda.*
4 *De beneficio l. 2. quod cum eo remissiuè.*
5 *Clericatus in minoribus non sufficit ad beneficium* cap. Odoardus *sine requisitis Concilij.*
6 *An frater teneatur vltrà quam &c.*
7 *Quod procedendum sit cum distinctione.*
8 *Quoad districtionem personalem non tenetur.*
9 *Etiam si creditor sit pauper.*
10 *Quando contra fratrem procedatur ad carcerationem, vel censuras.*
11 *Quando dos per fratrem data sorori dicatur ex causa onerosa.*
12 *Ratione doli frater non gaudet dicto beneficio.*
13 *Vbi creditor est æquè pauper non intrat beneficium quoad bona, seù alimenta.*
14 *Pro debito ex donatione, & liberalitate non datur coactio in solidum.*
15 *Dos quoad mulierem est ex causa lucrativa, sed quoad virum, est ex causa onerosa.*
16 *Vbi habetur motiua magis honesta, in istis est immorandum.*

DISC. CXXI.

1 PRæsuppositâ facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de Dote discur. 59.*; Cum Io. Baptista, & Pompeus fratres, ac dotantes opposuissent de beneficio deducto &c., sibi dupliciter competente, ratione scilicèt clericatus, ac etiam quia erant fratres non conueniendi à sorore vltrà quàm facere possent; Proposita causa *in Rota coram Cerro, sub die 23. Ianuarij 1654.* contrà dictam exceptionem prodijt resolutio, quæ habetur impressa *post Castagn.* moderneę impressionis *in tract. de beneficio &c. decis. 13.*, nequè causa vlteriorem progressum habuit ob subsequutam concordiam, quæ illi finem dedit.

Fundamentum resolutionis præcipuum, ac fortè vnicum, fuit non probata asserta paupertas, quæ tanquam fundamentum intentionis, probanda est per eum, qui ad hoc beneficium recurrit; Incidentèr verò potiùs, atquè ad superabundantiam actũ fuit de beneficio deducto &c. competente filijsfamilias sc. obligãtibus cum Patre ad terminos textus *in l. 2. ff. & Cod. quod cum eo*, de quibus *sub tit. de alienat.*, *& contract.*, occasione agendi de obligatione filiorum familias; Ac etiam circa alterum beneficium ratione clericatus *ex cap. Odoardus* respectu Pompei clerici in minoribus firmatum fuit id, quod insinuatur *disc. præcedenti*, vt solus clericatus non sufficiat in non possidente beneficium ecclesiasticum, nisi etiam requisita Concilij Tridẽtini iustificẽtur; Verùm hęc omnia (vt dictum est), potiùs incidenter, atq; ad superabundantiã deducebãtur, cum principale fundamentum fuerit non iustificata paupertas, quin imò contraria iustificatio diuitiarũ, seù idoneitatis ex parte actoris etiam per publicam attestationem Cõmunitatis, quodquè de huiusmodi beneficijs opponeretur ad defatigandum actorem, atquè ità impediendum processum exequutiuum, vt sæpè contingit.

Hinc proindè decisio negligit agere de articulo per Scribentes hincindè disputato, àn frater, præsertim ex causa dotis promissæ sorori, conueniri possit in solidum, vel potiùs gaudere debeat hoc beneficio deducto &c., ex ijs, quæ generaliter de fratre non conueniendo ab altero fratre *ex Fabr., Angel., & alijs in §. sunt præterea Instit. de action.* deducta habentur *per Paschal. de patr. potest. par. 2. cap. 9. num. 18. & seqq., Castagn. hoc tract. quæst. 13. per tot., Zacch. de oblig. camer. quæst. 36. num. 17. & seqq., Thesaur. decis. 119. & 153. Giurb. decis. 45.*, apud quos etiam præsertim vltimos descenditur ad hos terminos speciales fratris pulsati pro dote constituta sorori, & potissimè cum patre, vt præsertim *dicta decisione 45. Giurb.*

Istius verò causæ, pluriumquè aliarum occasione, præsertim in vna *Romana pecuniaria* pro Marco Antonio Scannardo cum sorore, disputata coram A. C., & in alijs; Quamuis vt patet ex allegatis, aliqua opinionum diuersitas (vt ferè in omni materia) dignosci videatur, attamen

cre-

credebam, vt cum distinctione casuum, ac effectuum, ea tractanda esset, vt in omnibus forensibus quæstionibus, pro meo iudicio, verùs est decidendi modus.

Aut enim agitur de hoc beneficio ad solum effectum, vt frater pro debito fratris, vel sororis non debeat pati detrusionem in carcerem, neque cogi recurrere ad miserabile beneficium ignominiosum cessionis bonorum, absque tamen præcipua reseruatione eius congruæ alimentariæ, adeo vt, non impedita exequutione in bonis, quæ adsunt, agatur ad solum effectum euitandi personalem districtionem; Et tunc, vt etiam dicebam in altera *firmana* disputata coram A. C., prò tribus puellis, quæ pro earum dote in concursu creditorũ pulsabant Petrum Sanctem Ferrettum earum auum paternum, prò restitutione dotis earum auiæ, de hoc beneficio opponentem, id admitti debeat indefinitè, non curata limitatione, de qua infrà, vbi scilicèt creditor sit etiam æquè pauper, quoniam ea quidem vera est, rectequè procedit respectu bonorum, ac dicti alterius effectus, non autem quoad istum districtionis personalis, quæ verè, (cessante possibilitate,) importare dicitur quandam luitionem pœnæ in corpore non admittendam in ijs, in quibus ratio reuerentiæ, vel sanguinis, aut charitatis vrgeat.

Quamuis enim *ex decission. 165. post Zacch. de oblig. cam.* pateat processũ fuisse contra fratrem etiam ad relaxationem censurarum, quæ important quid magis, quàm carceratio ob illaqueationem animæ, quæ nobilior est corpore, attamen id prouenit ratione pertinaciæ, dũ agebatur de fratre diuite, & Magnate, qui soluere nolebat, atquè ratione potentiæ, non poterat contrà eum practicari executio in bonis, et sic ex circũstantia particulari, quæ ipsum reddebat hoc beneficio indignum.

Aut verò agitur de altero effectu cõgruæ alimentariæ, et ad quem effectum huiusmodi quæstiones frequentius haberi soleut; Et tunc distinguendum est, àn debitum proueniat ex causa onerosa, & correspectiua, vt etiam in dote sororis frequentiùs contingere solet, loco scilicèt portionis aliàs ei debitæ in successione parentis, seù ex simili causa correspectiua; Vel potiùs ex beneuolentia, & liberalitate, cuius iure censetur etiam illa dos, quam ex sola legis dispositione frater diues sorori pauperi dare tenetur ex deductis in sua materia *sub tit. de don. disc. 142., & alibi.*

Vbi etenim debitum est onerosum, & correspectiuum, tunc decisio pendet qualitate creditoris, ac debitoris respectiuè, àn scilicèt intret, nec ne, ratio circuitus, ob quàm istud beneficium conceditur fratri, vel ascendenti, cui inopi per fratrem, vel descendentem &c. idoneum debita sint de iure alimenta, quoniam inanis circuitus esset eum in solidum cõuenire, vt de indè de proprio alimenta suppeditaret, et consequenter huic beneficio locus est, excepto casu doli, qui ratione delicti eum reddat indignum, inxtà ea, quæ generaliter de huius beneficij priuatione ratione doli, habentur in præcedentibus, & in his specialibus terminis fratris pulsati à sorore prò dote firmatum fuit *per Rotam in Romana fructuum dotis 4. Iunij 1669. 27. Iunij 1670. & 4. Martij 1671. coram Taia.*

Hinc proindè quãdo ista ratio cessat, quià nempè creditor sit etiam pauper, ideoquè non obligatus ad alimenta, cessat absque dubio hoc beneficium, quoniã in pari causa potior in hoc esse debet conditio creditoris, ac etiã quia charitas incipit à se ipso, vt est communis sensus DD. ex collectis *per Castagn. dicto tract. quæst. 1. fallen. 4. per tot., & per Rot. decis. 231. num. 2. com seqq. par. 6. rec.*; Multo verò magis, vbi indigentia sit maior, vt contingebat in superius insinuata *Firmana*, quod neptes puellæ agebant contrà auum, quoniam maior erat earum indigentia tàm ratione alimentorum, quàm fortius ratione honestatis, vt collocari possent; Ideoquè dicebam quod minus malum erat, vt auus senex mendicaret, dum culposus erat in consumptione dotis vxoris, quàm vt puellæ mẽdicarent, cum periculo euidenti honestatis.

Aùt verò agitur de debito ex beneuolentia, & liberalitate, et tunc indefinitè pro dicti beneficij competentia respondendum venit, dum duplex ratio concurrit, vna sanguinis, & reuerentiæ, et altera gratitudinis, ac obligationis quam donatarius habet alendi donatorem, ideoquè in isto æquali concursu, quam-

quamuis creditor esset æquè pauper, prò debitore potius respondendum videtur, quoniam tunc in oppositum se res habet, dum creditor cõtendit de lucro captando, debitor autem de damno vitando.

Est bene verum, quod id rectè procedit respectu fouentis causam lucratiuã, non autem eius, qui foueat causam onerosam, quamuis debitum quo ad ipsum
15 debitorem ex liberalitate, & causa voluntaria proueniat; Vt frequenter contingit in ea dote, quam frater, vel mater, seù alter, sorori, vel alteri mulieri constituat, quoniam in ordine ad ipsam mulierem, cui dos promissa est, dicitur debitum ex causa lucratiua, sed in ordine ad virum, qui correspectiuè ad dotem in se suscipit onera matrimonij, dicitur debitum ex causa onerosa, & correspectiua, vt pluries, ità distinguendo inter virum, & mulierem habetur in sua materia *sub titulo de dote*; Nil enim refert viro, àn dotans constituat dotem ex necessitate, vel ex liberalitate, dũ eius respectu effectus est idem, neque ipse, præsertim non valdè diues, tenetur alere cognatum.

Atquè ex hoc motiuo honestiùs istud beneficium denegari poterat fratri, in
16 casu, de quo in supra enunciatis decisionibus *coram Taia*, absquè necessitate assumendi alterum punctum magis odiosũ doli; Istudquè motiuum in præsenti causa, mihi pro fratribus dotantibus scribenti, maiorem inferebat difficultatem, quamuis per scribentes pro viro actore nõ tactum, dum ipsorũ diligentia esse videbatur in studio indigestæ consarcinationis doctrinarum, ac decisionũ de materia agentium, non reflectendo ad has distinctiones, quas ignarus leguleicus vulgus vocat subtilitates, & ratiocinia, vt est magis cõmune vitiũ pragmaticorũ.

PERVSINA PECVNIARIA PRO BERNARDINO CVM CREDITORIBVS.

Casus disputatus coram A. C. incertus est exitus, credo, sopitus cum concordi temperamento.

De eodem beneficio deducto &c. quod de iure competit Doctoribus, & professoribus, An sit in vsu, & ad quem effectum admitti debeat; Et de eodem beneficio competẽte senibus, quod sub vocabulo *septuagenarie* vulgò explicatur.

SVMMARIVM.

1 *Doctores, & professores gaudent beneficio deducto &c.*
2 *De quibus professoribus priuilegia intelligantur.*
3 *Non sunt assumendæ quæstiones iuris extra factum.*
4 *Quod dictum priuilegium non sit in vsu.*
5 *Quomodo procedãt ea, quæ habentur numer. 12.*
6 *Nisi adsit Statutum particulare, & quid istud operetur.*
7 *De distinctione inter Doctores litteratos, & illiteratos.*
8 *De doctoratu ex solo priuilegio.*
9 *Quod docti sint moderati, indocti autem elati, & petulantes.*
10 *Examen solet esse modicæ operationis.*
11 *Virtus suffocata à vitijs non est digna priuilegio.*
12 *De distinctione, & quod istud beneficium ad solum effectum personalem concedi debeat.*
13 *Et quando pauperi docto commiserandum sit.*

14 *De priuilegio ſenum vulgò ſeptuagenaria.*

15 *An præcisè neceſſaria ſit ætas 70. Annorum, & qualis ſufficiat.*

DISC. CXXII.

1 VIſatus Bernardinus I. V. D., atquè in patrio Peruſino gymnaſio profeſſor, à creditoribus in Tribunali A. C., oppoſuit de beneficio deducto &c. profeſſoribus de iure competente, vt diſponitur *in l. medicos Cod. de profeſſor. & medic. lib.* 10., per quem ità firmant cõmuniter Scribentes relati *per Farin. qu.* 27. *numer.* 77. *cum ſeqq.*, *Paſchal. de patr. poteſt. par.* 2. *cap.* 5. *numer.* 74., *Caſtagn. hoc tract. quæſt.* 9., vbi plura deducit de præſtantia doctoratus, quodquè Doctores dicantur milites, vndè propterèa eis rectè congruat diſpoſitio *textus in l. miles ff. de iudic.*, *de qua ſupra diſc.* 117.; Atquè ex his ſcribens ego pro debitore, ità dicebam fundatam remanere eius intentionem ſuper dicti beneficij competentia.

E' cõuerſo autem ſcribentes pro creditoribus (pro conſueto vitio aſſumendi quæſtiones euagatorias præter cauſæ
2 neceſſitatem) nimiùm ſe diffundebant in quæſtione, de qua occaſione nobilitatis, particulariter, ac ſufficienter habetur actum *in Venuſina ſub tit. de præeminent. diſc.* 35., àn ſcilicèt priuilegia contenta *in dicta l. medicos*, & alibi, competant ſolùm illis profeſſoribus, qui legendo, ac docendo, Reipublicæ inſeruire dicuntur, vel etiam ijs, qui practicè profeſſionem exerceant ex ibi deductis; Iſta etenim (vt dictum eſt), ſuperflua quæſtio erat, præter Curiæ ſtylum continens inanem euagationem, dum hic debitor erat profeſſor in eo gymnaſio, in munere docentis, vulgò Lectoris, ideòq; difficultas ceſ-
3 ſabat ex facto, quo aſſiſtente, manifeſta forenſium ineptia, vel imprudentia eſt, aſſumere quæſtiones iuris.

Et nihilominus, vt latiùs aduertitur *in dicto diſc.* 35. *de præemin.*, dicta quæſtio intrat, quando agatur ſolùm de profeſſoribus, qui gradu, vel dignitate doctoratus non ſint prædicti, adeò vt, priuilegium, ſeù prærogatiua proueniat à
4 ſola ratione profeſſionis, ſecùs autem vbi accedat etiam doctoratus, qui præferet dignitatem ex deductis *dicto diſc.* 35., & *per Caſtagn.*, & *Paſchal. vbi ſupra*, et quæ circumſtãtia etiã in præſenti accedebat, vndè propterèa ob concurſum vtriuſquè qualitatis in puncto iuris, res erat plana.

Maior autem difficultas reſultabat ex traditione *DD. apud Farin. & Caſtagn.*
5 *vbi ſupra*, vt ſcilicèt priuilegiũ ob nimiã frequentiam Doctorum, de facto nõ eſſet in vſu, vt quotidiana praxis docet; Pro huiuſmodi autem difficultate euitanda, duo ponderabam; Primò ſcilicèt huius
6 Ciuitatis particulare Statutum, de quo *apud Gilianum in compend. ſtatut. Peruſ. verb. Doctores litt. B.*; Vel ex recepta propoſitione, quod Statutũ particulare præualet iuri, aut conſuetudini vniuerſali; Vel quia aſſiſtente diſpoſitione iuris cõmunis profeſſoribus, vndè propterèa cõſuetudo ſit contra ius, ità hoc Statutum non ſit exorbitans, minuſquè noui iuris inductiuum, ſed iuris ſcripti conſeruatiuum, ſiuè impeditiuum, nè dictum ius cõſuetudinarium in hac Ciuitate natum ſit, iuxtà eas ponderationes, quę habentur *ſub tit. de ſeruitut. diſc.* 1., & frequentèr *ſub tit. de ſucceſſ.*, vbi eſt maior Statutorũ ac peculiaris ſedes.

Et ſecundò deducebam diſtinctionem, quæ tradi ſolet inter Doctores ſolo nomine, vel priuilegio, nullam vel modicam doctrinam habentes, ac doctos, & excellentes, quaſi quod iſti, non autem illi Do-
7 ctorum, ac profeſſorum priuilegijs digni cenſendi ſint; Verùm iſta diſtinctio, quę per noſtros (vno alterum tranſcribente) communiter dari ſolet, in praxi videtur idealis, quoties agatur de illis, qui verũ, ac legitimum doctoratus gradum, cum conſuetis ſolemnitatibus, in publica, & probata Vniuerſitate obtinuerint, cum id ſupponat examen, ac probationem probatam doctrinæ, ad excludendam in publica Vniuerſitate turpitudinem, ac delictum; Cadente ſolùm difficultate in ijs, qui eſſent Doctores ex nudo priuilegio iuxtà ponderata *eodem diſc.* 35. *de*
8 *præem.*, ac etiam *ſub tit. de benef.*, & *ſub altero ibidem annexo de Canonicis & Capitulo*, occaſione agendi de doctoratu requiſito in primis dignitatibus, vel in vicario capitulari, & ſimilibus.

Poſito enim gradu ſolemni, deueniri

non

non ſolet ad examen, ad effectum dignoſcendi, àn quis ſit Doctor excellens, necnè, quoniam vt plurimum magis indocti, ac debiles, aliquam talem qualem infarinaturam habentes, ſe reputant excellentiores, dum quò magis homines in doctrina ſolidi, ac profundi sũt, eo magis moderati eſſe ſolent, dum petulantia, vel immoderata ſui ipſius exiſtimatio frequentius eſſe ſolet ignorantiæ comes; Et nihilominus, vbi etiam ad iſtum, & alios effectus examen introduceretur, experientia docet, vt id tractu temporis meram formalitatem, ac ceremoniam importet, dum etiam in quibuſdam magnis, ac ſolemniſſimis examinibus, approbari videmus, ad magna, & grauiſſima munera, perſonas vix prima rudimenta legum, vel Canonum, ſeù Theologiæ callentes; Ac etiam quia ad iſtum præciſum effectum, idealis videtur hæc diſtinctio, quoniam dato Doctore excellenti, vix dari poteſt caſus, vt hoc miſerabili beneficio indigeat, niſi virtus, vel doctrina, adeò magnum vitiorum comitatum habeat, vt ea obſcurata, omninò remaneat, adeòut quocumquè virtuoſorum priuilegio indigna cenſenda ſit; Dictaquè ponderatio magnæ, ac notoriæ excellentiæ, vt aduertitur *eodem diſc. 35. de præem.*, rectè procedere videtur in illis, qui ſint profeſſores, ſed ſolemnis doctoratus gradum, vel dignitatem non habent, ad alios tamen effectus, quàm iſtum.

Quare iſtius cauſæ occaſione (reflectendo ad veritatem) mihi videbatur, vt procedendũ eſſet cum eadẽ diſtinctione inſinuata in præcedentibus, & quam verius videtur attendi debere in clericis in minoribus, quamuis beneficium eccleſiaſticũ, vel Concilij requiſita habeant, ob libertatem ſe conſtituendi in ſtatu ſæculari (vndè propterea Eccleſia de eorum prouiſione ſollicita non eſt), vt ſcilicèt, Aut agitur de hoc beneficio ad ſolùm effectum euitandi detruſionem in carcerem, ac neceſſitatem recurrendi admiſerabile beneficium ignominioſæ ceſſionis bonorum, competens cuilibet vili plebeo; Et ad hunc effectum, vbi debita non ſint doloſa, ſeù aliàs proueniant ex delicto, quod ad debita ordinatum ſit, rectè gradus doctoratus ad id ſuffragari debeat ob decorẽ totius ordinis Doctorum, ac etiam ob ſupra inſinuatam communicationem priuilegiorum militariũ, dum Doctores dicuntur quoque milites; Aut verò ad alterum effectum congruæ alimentariæ ipſis relinquendæ, et tunc ſæcùs, cum tunc rectè congruere videatur dicta diſtinctio, inter Doctores, qui rè ſint tales, ac illos, qui in ſolo nomine, vel priuilegio, rectèque cum eis adhiberi poſſit dilemma, quod, Aut eſt doctus, et tunc cũ doctrina, ſeù profeſſione, victũ ſibi ſuppeditare poteſt; Aut eſt indoctus, et tũc nõ meretur dici Doctor, ideoq; doctoralibus priuilegijs indignus eſt; Niſi particulares facti circumſtantiæ huiuſmodi regulæ limitationem ſuadeant, puta, quia ſit verè doctus, ac probus, ex aliquo tamen non culpoſo infortunio in illum ſtatum redactus, ità tamen, quod ob ætatem, vel infirmã valetudinem, aut ſimile impedimentum, ſua doctrina, vel profeſſio parum proficua remaneat, vt quandoq; expertus ſum in ijs, qui ex cauſa publica, vel ex grauibus vrgẽtijs à propria patria, vel prouincia in graui ætate exulare coacti ſunt; Ideoquè nimium in hac materia reflectendũ videtur ad cauſam debiti, & àn ea cõmiſeratione digna ſit, nec nè.

Iſta verò diſtinctio inter vnum, ac alterum huius beneficij effectum, vt ſcilicèt illud de facili admittatur ad primum coercitionis perſonalis, non autem ad alterum reſeruationis congruæ alimentariæ, praxis docet in ijs, qui in graui ætate conſtituti ſunt, & quibus concedi ſolet illud priuilegiũ, quod vulgò *ſeptuagenaria* dicitur, atq; à iure communi ignotũ ex quadam DD. traditione reſultat, quæ originaliter *Ancharano* tribui ſolet ex deductis *per Gratian. diſcept. 728. num. 9. Paſchal. de patr. poteſt. par. 2. cap. 9. numer. 83. Rouit. ſuper pragm. 5. de fid. memor. num. 3.*, vbi plures alios allegat *Scannarol. de viſit. carc. lib. 3 cap. 4. nu. 31. Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 14. num. 646.*

In propoſito autem huius beneficij, ſeù cõmiſerationis, pluries conſultus fui, ac etiam in iudicio tractaui, àn ſtante praxi admittendi ad illud conſtitutos in ætate ſeptuaginta annorum, non poſſit, nec debeat priùs competere, quamuis mala valetudo, ſeù alia circumſtantia di-

uersimodè suaderet; Atquè respondere cõsueui pro affirmatiua; Ad instar eorũ, quæ *sub titulo de benefic.* habemus in materia coadiutoriæ, quod certa grauis ætas reputetur infirmitas, quamuis ista nõ adsit, ex axiomate, quod ipsa senectus morbus est, non autem, vt debeat esse præcisa, quoniam ætas etiam minor sufficit, quando cum infirma valetudine iuncta est, non spectata verborum, vel ætatis præcisa formalitate, sed spectato fine, seù effectu iuxtà terminos *textus in l. maiores ff. de iur. immunit.*, vbi Scribentes ex deductis *per Menoch. de Arbitr. cas. 59. Gratian. discept. 328. numer. 2. & 506. Ricc. collectan. 2215. Narbon. de ætat. qu. 3. & quæst. 10. & communiter*; Ideoque est quæstio facti potiùs, quàm iuris, certam, ac determinatam regulã nõ habens, sed pro facti qualitate, & circumstantijs, prudenti arbitrio decidenda.

quando admittenda veniat, atque creditori obstet.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Obligatio sine causa corruit.*
3 *De forma donationis in Vrbe.*
4 *Obligatio cameralis non admittit exceptionem ex defectu causæ.*
5 *Declaratur quomodo id procedat.*
6 *De stylo non immorandi in dilatorijs.*
7 *Quare in foro rara sit ista quæstio obligationis sine causa.*
8 *An iuramentum tollat hanc exceptionem.*
9 *Non attenditur si dicatur pro residuo, vel solidatione computorum.*
10 *Neque inter negotiatores facientes paruas schedulas vulgò* pagarò.
11 *Etiam ex coniecturis, & præsumptionibus causa desumi potest.*
12 *De obligatione ex falsa causa, vel falso præsuppositio.*
13 *De inualida obligatione ex turpi causa, præsertim ex causa ludi.*
14 *Quod istæ obligationes solent esse magis cautelatæ, & cohonestatæ à causa.*
15 *Quod sit causa sufficiens gratitudo &c.*
16 *Exitus causæ.*

ROMANA PECVNIARIA SEV PRÆTENSÆ DONATIONIS PRO BARTHOLOMÆO CAMERESIO CVM PHILIPPO FRATRE.

Responsum datũ in causa pendente corã A. C. cum exitu vt infrà.

De exceptione per debitorem allegata inualidæ obligationis sine causa; Vel ex ista falsa, seù turpi, àn, &

DISC. CXXIII.

1 PRomisit Philippus (alia debendi causa non expressa, nisi illa gratitudinis) soluere Bartholomæo fratri annua scuta 20, pro eo tempore, quo declararet Franciscus communis patruus, qui declarauit huiusmodi obligationem durare debere ad solam vitàm vtriusquè, adeo vt, vno, vel altero moriente cessaret; Cumquè defuncto patruo, controuersia super huiusmodi præstationis continuatione inter fratres exorta esset, hinc introducta causa coram A. C., seù Prælato particulariter deputato; Scribentes prò Philippo Reo conuento dicebant, quod, cum ista promissio nullam debendi causam contineret, id circò obligatoria nõ esset, tanquàm obligatio sine causa, iuxtà dispositionem textus *in cap. si cau-*

tio

tio de fid. instrumen., vbi communiter *Canonistæ*, et ex quo idem quoquè affir-
2 mant Legistæ ex deductis *per Mantic. de tacit. lib.* 14. *tit.* 13. *Graff. de except. cap.* 40. *Zacch. de oblig. cam. quæst.* 17. *num.* 129., *& seqq. Cavaler. decis.* 263. *num.* 3., & 4., & admittitur *per Rot. apud Duran. decis.* 259. *repetit. decis.* 382. *par.* 5. *rec.*, *& apud Marin. resol.* 73. *lib.* 1.; Et quarenus, attenta aliquorum opinione, ea resolvenda esset in donationem, adhuc
3 eam invalidam, atq; non obligatoriam dicebant ob nõ seruatam formam statutorũ *Vrbis cap.* 149., & 150. continentium decretum annullativum, vt de vtroquè statuto pluries habetur in sua materia *sub titul. de donat.*

Requisitus ego, per actorem (etiam cum sensu veritatis) dicebam friuolam videri huiusmodi exceptionem, ratione obligationis cameralis, inter cuius vir-
4 tutes, vel operationes, ista recensetur, vt huiusmodi exceptionem non admittat, vt *apud Grat. discept.* 423. *numer.* 48. *Rot. decis.* 82. *num.* 2., *& decis.* 104. *num.* 3., *& seqq. post Zacch. de oblig. cam.*, cum concordantibus plenè relatis per eumdem *Zacch.* in illis modernæ impressionis *dict. quæst.* 17. *num.* 156. *cum seqq.*

Verùm quia ista videbatur responsio potius concernens ordinem, vel priuilegium iudicij, quàm rei substantiã, ideoq; non adeo proficua erat, dum obligatio cameralis, vel aliud pactum executiuum
5 hanc exceptionẽ, tollit ad effectũ, vt in eo iudicio, vel processu executiuo admitti non debeat, nequè retardationem inducere, sed non tollit substantiam exceptionis super obligationis inualiditate postmodum in iudicio ordinario examinanda; Ego verò ex stylo negligerẽ cõsueuerim ea, quæ concernunt iudiciorum formalitates, ac ordinem, sed prin-
6 cipaliter insistere in concernentibus iustitiam, non de facili confouendo has formalitates contra regulam *dolo facis &c.*; Hinc proindè, isto cameralis obligationis effectu, vel priuilegio insinuato; Dicebam quod, eo etiam secluso, atque agendo de meritis, perindè ac si essemus in petitorio, adhuc tamen, exceptis casibus, in quibus agatur de personis priuilegiatis, seù in quibus alienationes, & obligationes, alijquè contractus prohi-
7 biti sint absquè iusta et sufficienti causa, vt de iure communi sunt tutores, & curatores pupillorum, vel minorum, seu amentium, ac Prælati, & administratores Ecclesiarum, et ex iuribus municipalibus esse solent mulieres, & minores, ac similes, ex ijs, quæ habentur *in sua materia sub titulo de alienation.*, *& contract.*; Nimiùm rari, ac ferè nulli sunt casus, in-
8 quibus ista conclusio verificetur; Vel quia frequentiùs causa adijci soleat; Vel quia iuxta vnam opinionem, super quà plura colligunt *Graff.*, *& Zacch.*, *& alij vbi supra*, iuramentum in omni fere actu hodie adijci solitum, causam suppleat; Vel quia dicatur pro residuo, seù prò solidatione computorum iuxtà *dictam*
9 *decisionem* 259. *Durani*, quàm registrat, ac reassumit *de Marin. dicta resol.* 63. *lib.* 1.; Vel quia sic exigat communis
10 vsus, vt præsertim contingit inter negotiatores, inter quos paruæ schedulæ, seù pagellæ vulgò nuncupatæ *pagarò*, nullã continentes causam, habentur prò pecunia numerata, nullamquè admittunt exceptionem; Vel demum quia coniecturæ, & præsumptiones ex personarum qualitate probabiliter suadeant, quod sinè causa obligatio facta non esset, cum
11 ad hunc effectum etiam coniecturæ, & præsumptiones sufficiant, *vt ex Abb.*, *& Felin. in eodem cap. si cautio*, ac alijs de quibus *Mantic. de tacit. lib.* 14. *tit.* 12. *nu.* 28., & 29., benè *Rota apud Celsi. decis.* 238. *num.* 5., adeo vt ratiò id reducatur ad praxim.

Frequentiùs autem ad praxim est reducibilis ea species infectionis, quæ resultet à causa falsa, seù falso præsupposito, cum tunc intret infectio ex deficiente consensu, qui in errante adesse non dicitur, quoties tamen constet de errore, qui non de facili in facto proprio præsumitur, ideoquè recepta est conclusio, vt
12 indigeat perfecta, & concludenti probatione excludente contrariam possibilitatem iuxtà propositiones, quas in foro habemus vulgares, ac frequentes, et super quo tanquàm in quæstione potius facti, quàm iuris certa, & determinata regula dari non potest, cum totum pendeat ex facti qualitate, & circumstantijs.

Quamuis enim frequenter detur casus obligationis ex causa turpi, ac à iure pro-

hibita

hibita iuxtà casum, de quo *apud Cavalcr. dicta decis.* 263.; Siuè, (& frequenter) ex causa ludi, prò quo nulla competit actio ex deductis *sub tit. de alienat., & contract. discur.* 49., seù ex causa simoniæ, vel contra Apostolicas Constitutiones de datis, & promissis; Vel pro Iudicum sordibus, & corruptela &c.; Attamen rarò, vel nunquàm id ad praxim deducibile est, quoniam, quo magis actus est turpis, 14 prohibitus, eo magis esse solet cautelatus, ac præsertim ex causa totidem receptorum vulgò *per altretanti*, siuè quod id sequatur mediantibus campsorum cedulis in forma depositi, siuè in dicta forma vulgò *pagarò*, ideoquè totum pendet à probationibus.

In hac verò facti specie cessabant huiusmodi quæstiones, cum obligatio haberet expressam causam gratitudinis, quæ inter non prohibitos probatur per solam assertionem, atquè est sufficiens causa- 15 obligationis, ex pluries deductis in materia donationis remuneratoriæ in sua materia *sub tit. de donation., & sub tit. de Feud.* ad materiam Bullæ *Baron. disc.* 94. potissime quia dicta assertio comprobata remanebat, ab approbatione seù laudo patrui, & à subsequuta obseruantia; Antequàm autem responsum darem, Iudex protulit sententiam absolutoriam 16 ad fauorem rei conuenti, his non visis, neque examinatis, ideoquè nullam disputationem desuper habui, et cõsequenter iudicium maturum desuper efformare non potui.

ROMANA PECVNIARIA SEV FRVCTVVM PRO DVCE CAFFARELLIO CVM CHRISTOPHARO CINCIO.

Casus decisus per Rotam pro Duce.

De promissione facti alieni, àn, & ad quid obliget promittentem, seù debitorem promissi implèmenti.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Distinguuntur puncti siuè inspectiones.*
4 *An, & quando transactio comprehendat etiam non deducta in litem.*
5 *De vulneratione viæ executiuæ ex sententia absolutoria.*
6 *Promissio facti alieni non obligat, nisi ad diligentias.*
7 *De agentibus de limitatione huius regulæ.*
8 *Quod procedendum sit cum distinctione casuum.*
9 *Quando dicatur promissio facti proprij potiùs quàm alieni.*
10 *De diligentijs ad quas tenetur promissus de beneficio, vt euitet pensionem, ad quam se obligauit cum clausula* habita, vel non habita &c.
11 *De viro nõ excusando ob diligentias, promittente, quod vxor renunciabit.*
12 *Nisi renunciatio contineret læsionem.*
13 *Quid vbi adest clausula* ità quod, *vel similis.*
14 *Declaratur quãdo dicta clausula sit operatiua, & quomodo intelligenda.*
15 *De eodem, & quomodo ista materia regulanda sit.*

DISC. CXXIV.

CVM Regius Fiscus Neapolis per aliquod tempus sequestrata tenuisset castra Astergij, Filetti, & Peschæ maioris, in prouincia Aprutina possessa per Ioãnem Baptistam, & fratres de Cincijs, ob prætensionem, quod caderent sub ea confiscatione, quam Fiscus Romanus pro paricidio fecerat, *vt apud Capyc. Latr. consult.* 131.; Dicti fratres pro conuento pretio ea vendiderunt Marchioni Io. Petro Caffarellio promittenti diligentias adhibere, tàm pro remotione sequestri in ipsis castris, quàm pro recuperatione fructuum ipso sequestro durante perceptorum; Cum autem prima, non autem secunda pars sequuta esset, quod scilicèt recuperata solùm essent castra, non autem fructus; Hinc post multorum annorum decursum, Christophorus dicti Io. Baptistæ hæres, vel ab eo causam habens, iudicium instituit contra Ducem dicti Marchionis filium, ac hæredem ad damna, & interesse loco dictorum fructuum non recuperatorum, liquidatorum in summa scutorum 6500. circiter in Tribunali A.C., à quo prodijt sententia rei conuenti absolutoria, introductaquè causa *in Rota coram Beuilaqua*, ac dato dubio ad instantiam actoris, àn relaxandum esset mandatum, *sub diebus* 24. *Nouembris* 1659. *& 17. Martij* 1662. negatiuæ prodierunt resolutiones ad fauorem eiusdem rei conuenti, quibus actor acquieuit, nequè hucusquè causa vlteriorem progressum habuit.

In his autem disputationibus, quatuor fuerunt puncti; Primò ordinis, àn scilicèt competere posset processus executiuus stante dicta sententia absolutoria lata in prima instantia; Secundò ad quid dicta promissio obligaret; Tertiò àn constaret de adhibitis diligentijs; Et quartò, àn concordia postmodum inter venditores, & emptorem sequuta de anno 1629. occasione solutionis, ac respectiuè inuestimenti pretij cũ generica remissione aliarum prætensionũ hinc indè, compræhenderet hanc actionem.

Duo vltimi puncti, præsertim tertius consistebant in nudo facto, tàm circa quædã acta facta in illis Regijs Tribunalibus, ex quibus de sufficiẽtibus diligentijs cõstabat, quã circa dictæ concordiæ tenorem, seù contextum, ex quo, alijsq; facti circumstantijs sufficienter constare videbatur de huius prætensionis compræhensione; Quamuis enim regula sit, vt in transactione non veniant nisi ea, quæ erant in lite, seù in ea deducta fuerunt; Nihilominus istà regula limitationem patitur ex verborũ amplitudine, vel alijs coniecturis, & circumstantijs diuersam transigentium voluntatem suadentibus; Istamquè limitationem faciliùs in hac facti specie intrare dicebam, cum ista prætensio non esset extranea, sed potius connexa, seù dependens, ex ijs, quæ ad materiam dictæ regulæ, eiusquè limitationis habentur præsertim *sub titulo de Feudis disc.* 47., *& sub titulo de alienat., & contract. disc.* 50., vbi de pluribus ad materiam transactionis; Vnde propterea, Aduocatorum partes esse solum videbantur in primis duobus punctis, quorum primus circa ordinem, seù competentiam iudicij dependentiam habebat à secundo.

Non negabant etenim Scribentes prò actore veritatem conclusionis, quàm deducebamus ego, et cæteri Scribentes pro reo, vt scilicèt sententia absolutoria, quoties concernat subsistantiam, inducat vulnerationem viæ exequutiuæ *iuxtà decis.* 28. *Millini, Coccin. decis.* 78., & frequenter, cum sit receptissima conclusio, vt alibi etiam aduertitur; Insistebant verò in limitatione, quam è conuerso tanquàm veram in puncto iuris, ego non negabam, vbi scilicèt sententia esset manifestè nulla, vel notoriè iniusta, cum iniustitia notoria æquipolleat nullitati, eiusquè effectus operetur, vt in sua materia *sub tit. de iudic.*, & est propositio in Curia quotidiana; Verùm punctus erat in applicatione, quæ pendebat à dictis alijs punctis facti, & iuris, concernentibus iustitiam negotij principalis, àn scilicet, & ad quid promittens teneretur, & àn constaret de implemento eius, ad quod tenebatur.

In hoc autem, ego, et alij scribentes pro hac parte, insistebamus in regula, vt promissio facti alieni, de iure ad aliud nõ obliget, nisi ad diligentias, quibus adhibitis dicitur eius obligatio adimpletà

iuxtà

iuxtà ea, quæ antiquioribus relatis, habē-
6 tur *apud Afflictum decis.* 295. *conciuem Robert. Marant disputat.* 7. *post praxim Franch. decisione* 624. *Rot. apud Buratt. decis.* 64. *num.* 7., *& per tot. latè adden. ad Gregor. decis.* 241. cum alijs, de quibus infrà, & in causæ decisionibus, cum sit conclusio vera, quam Scribentes in contrarium non negabant, insistebant verò in defectu applicationis, seù iustificationis; Cadente solum aliqua iuris quæstione super qualitate diligentiarū, àn deberent esse exactę seù exquisitæ, vel sufficerent tales, quales; Atquè ex verbis promissionis, alijsquè facti circumstantijs constare videbatur, vt sufficerent diligentiæ tales quales, quodquè eędem, ac etiam maiores iam adhibitæ essent, vndè propterea causa, vt dictum est, consistebat potius in facto, quàm in iure.

Cumquè Scribentes in contrarium super istà diligentiarū obligatione plures deducerent decisiones, & auctoritates, ac præsertim deducta apud *Ciriac. contr.* 103., *& per add. ad Gregor. decis.* 241., *& Dunoz. decis.* 1008., *ac etiam Lotter.*, & alios Beneficialistas deductos loco, de quo infrà, percutientes casus, vel terminos diuersos; Hinc proinde respōdendo dicebam ea, quæ adeo frequenter, et quotidiè declamare oportet, (sed cum modico profectu) super huiusmodi moderno adeò detestabili pragmactico abusu, totum studium constituendi in indigesto doctrinarum, & auctoritatum
8 cumulo, replendo chartas inanibus allegationibus, nullatenùs autem reflectendo ad casuum distinctionem, ex qua resultat congrua applicatio; Distinguendo siquidem casus.

Primus est, vbi promissio sit magis propria, quàm aliena, quamuis pro implemento alienum factum admixtum sit, ac requiratur, putà, quia promiserit quis facere consentire, vel facere accedere
9 aliquem contractui, siuè aliquem in fidei iussorem præstare; Tunc etenim, licet in verbis promissio videatur facti alieni, tamen, verè est potius promissio facti proprij, quod promittens adimplere tenetur, aliàs ad quanti interest; Et de hoc agitur apud *Dunozett. dicta decis.* 1008. *num.* 3., vbi concordantes, & est de iure absolutum.

Alter casus est, vbi implementū pendet quidem ab alijs, sed ipse promittens tenetur ad positiuas diligentias, ac ad fa-
10 ciēdum totū posse, ad effectū se eximēdi ab obligatione iam contracta, vt est præsertim casus, de quo agunt *Lotter.*, & alij Beneficialistæ, de quibus *sub tit. de pensionibus disc.* 32., vbi scilicèt quis se obligauit soluere pensionem cum clausula *habita, vel non habita possessione*, ex ibi deductis, ad quæ relatio sufficit.

Tertius casus est vbi, licet agatur de promissione facti alieni, attamen ea est correspectiua ad contractum, qui fiat cum ipso promittente, qui aliàs commo-
11 dum ex actu non reportasset, nec reportaret, adeo vt coincidere videatur cum primo, de quo supra, iuxtà exemplum frequens, et practicum promissionis renunciationis faciendæ per puellam ad fauorem patris, vel fratrum, aliorumquè dotantium postquàm tradu-cta erit ad domum, ac in posse ipsius sponsi, quoniam ex veriori magis-què recepta modernorum opinione, diligentiæ non excusant, quamuis apparenter constaret, quod essent exactæ, & exquisitæ, ex duplici ratione in idem tendente; Primò scilicèt correspectiuitatis actus, cum aliàs matrimonium sequutum non esset, vel saltim non cum tanta dote; Et secundò quoniam ità de facili inter sponsum, & sponsam, seù virum, & vxorem fieri posset collusio cum dolo, & fraude tertij aliàs non contracturi, ideoquè spectandus est effectus, vt benè *per Apont. de potest. Proreg. tit. de succes. mulier. in rubr. numer.* 9. *Caualer. decis.* 64. *Rota in Asculana renunciationis* 22. *Maij* 1651., *& 1. Iunij* 1652. *coram Cerro*, quarum prima est *decis.* 150. *p.* 11. *rec.*, *& in alijs, per add. ad Gregor. dicta decis.* 241., cum sit conclusio hodiè recepta, aliam non recipiens limitationem
12 nisi traditam apud *Franch. decis.* 247. *num.* 2., *& apud Buratt. decis.* 64. *num.* 10., *& 11.*, vbi scilicèt renunciatio contineret magnam læsionem, seù aliàs de iure actus promissus prohibitus, ac infectus esset.

Quartus demùm est casus, vbi promissio sit facti merè alieni iuxtà regulam, sed contineret clausulā *ità quod &c.*, vel equipollentem, putà *aliàs de proprio &c.*,
13 ex qua cōstaret partes cogitasse ad dictā excusationem diligentiarum, quibus nō ob-

obſtantibus, promittens voluit alias ſe obligare ad id quod intereſt, et de iſto caſu agitur *apud Ciriac. dicta contr.* 103., *& dicta deciſ.* 1008. *Dunozett. cum alijs per add. ad Gregor. dicta deciſ.* 241., ac admittitur *apud Buratt. dicta deciſ.* 64., & in huius cauſæ deciſionibus, cum ſit pariter in foro frequens, ac receptum, Verũ iſta clauſula in hac facti ſpecie non concurrebat, ideoq; cõcluſio nõ intrabat.

Verùm occaſione plurium controuerſiarum ſub hac inſpectione cadentium, tàm ſcribendo ad cauſam, quàm reſpondendo prò veritate; Aduertere conſueui quod, quamuis, accedente dicta clauſula, iſta ſit regula, ſiuè (vt vulgò dicitur) iſta ſit via mulatteriorũ; Attamen principaliter prò meo iudicio, reflectendum videtur ad huiuſmodi promiſſionis cauſam, procedendo cum vera propoſitione, quæ in iudicando, & conſulendo ante oculos perpetuò habenda eſt, vt nõ cortex, ac formalitas verborum, ſed ſubſtantia veritatis, ſeù veriſimilis voluntatis attendi debeat; An ſcilicèt promittens ad id ſe obliget correſpectiuè ad cõmodum, quod ex promiſſione reportet, nec nè; Ac etiam àn ille, cuius factum promiſſum eſt, ità dependeat à voluntate, vel auctoritate promittentis, quod alias fraudi, & colluſioni locus eſſe poſſet, iuxtà dictum exemplificatum caſum ſponſi promittentis prò ſponſa, cum ſimilibus; Secus autem vbi iſtæ, vel ſimiles circumſtantiæ deficiant, adeo vt promiſſio concernat ſolam gratiam promiſſarij abſquè correſpectiuitate, atquè ità benè conciliari videntur diſſidentes opiniones relatæ, ac benè de more expenſæ *per add. ad Gregor. dicta deciſ.* 241.

In hac verò facti ſpecie verſabamur in vltimo caſu, dum emptio facta erat pro pretio congruo, iſta verò promiſſio recuperationis fructuum in gratiam vẽditoris, verè non continebat illam correſpectiuitatem, ſinè qua aliàs actus initus non fuiſſet; Et quod magis, promiſſio erat de facto Regij Fiſci, & ſic perſonæ, cum qua promittens auctoritatem non habebat, vnde propterea quando etiam adeſſet dicta clauſula *ita quod &c.*, adhuc ſperni meruiſſet, vt potè potius de ſtylo Notarij, cum queſtio ſit potius facti, & veriſimilis, voluntatis, quam iuris, ideoq; ità ex facti qualitate decidenda.

VRBINATEN.

PECVNIARIA

PRO

HIERONYMO, & CAROLO DE ALBANIS.

Reſponſum pro veritate ſuper caſu ſopito per concordiam.

De exceptione indebiti, ſeù præſumptæ remiſſionis; Vel de materia conditionis dati ſine cauſa, vel ob cauſam ea, non ſequuta &c.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De controuerſia iuriſdictionali, ſeù competentiæ fori remiſſiuè.*
3 *An pecunia ſimpliciter alicui data referẽda ſit ad mutuum, vel donationem.*
4 *De præſumpta ſolutione.*
5 *De concluſione, de qua numer. 3., quando procedat.*
6 *Non intrat hæc præſumptio in debito impugnato.*
7 *De materia conditionis ob cauſam non ſequutam, quando intret, datur diſtinctio.*
8 *De ſalario debito ijs, per quos non ſtat quominus inſeruiant.*
9 *Quando ceſſet conditio, de qua num. 7.*
10 *De præſumpta donatione, ſeù remiſſione, de qua num. 3. & 5., eiuſquè præſumptionibus, & argumentis.*

DISC. CXXV.

1 CVM ob imminẽtem Status Vrbini deuolutionem enunciatam *ſub tit. de feudis diſcur. 1. & 3.*, atq; ob alia negotia, Frãciſcus Maria vltimus Dux, de anno 1624., in eius Oratorem, vel Reſidentem in Curia apud Vrbanũ Octauũ, deputaſſet Horatium Albanum nobilem Vrbinatenſem, virum ſatis qualificatum, cum conſueto ſtipendio, mandauit idem

Dux eius Thesaurario, vt ei soluere deberet annualitatem vnam anticipatam, ad effectum parãdi necessarium sumptũ pro dicto munere, excomputandam, quãdo ab eodem Duce mandaretur, absque eo quod interim eiusdem stipendij cursus retardaretur; Cumquè in tertio dicti muneris anno, (expletis fortè negotijs), dictus Horatius per Ducem euocatus esset, eiusdemquè Ducis vita durante nihil motiuatum esset de præfata anticipata annualitate, de qua post mortẽ aliquid motiuatũ quidẽ fuit absq; vlteriori progressu; Post quadraginta annorum decursum, & vltrà, ministri M. Ducissæ Hætruriæ præfati Ducis ex filio neptis, & hæredis (cuius etiam mentio habetur *dicto disc. 3. de feud.*), coram Iudice particulari, ad formam concordiæ in illis partibus deputato pro bonis, & iuribus allodialibus, pulsarunt Hieronymũ, & Carolum dicti Horatij filios, ac hæredes, quibus dictum iudicem declinantibus vigore *Eugenianæ*, ob ipsorum, seù eorum alterius curialitatem (me pro ipsis scribente) accerrima habita fuit disputatio in Signatura iustitiæ super fori competentia, in qua reis conuentis fauorabilis prodijt resolutio pro *Eugenianæ* obseruantia, vt habetur in hac eadem
2 causa *sub tit. de iurisdict. & foro compet. in supplemento*; Istaquè disputatione pẽdente, ex parte eorumdẽ, cõmunicatis aliquibus respõsis, quæ circa tempora proxima morti dicti Ducis per tunc, seniores, ac primi nominis Aduocatos hincindè desuper edita fuerunt, pro veritate consultus fui, àn petitæ repetitioni dictæ annualitatis locus esset, necnè.

In dictis autem responsis, ex parte dictorum de Albanis, duo deducebantur fundamenta; Primò scilicèt præsumptæ, seù implicitæ donationis, iuxtà tunc æditam *plenam decisionem 692. Merlini repetit. decis. 69. par. 7. recent.*, à qua prosciptura ornatu penè totum desumebatur,
3 et ad cuius materiam conferunt, quæ posteà firmata fuerunt *decis. 315. par. 11. rec., & decis. 389. apud Celsum*, in quibus agitur de casu enunciato *sub tit. de Regal. disc. 1.*

Et secundò deducebatur motiuũ præsumptę solutionis iuxtà terminos *text. in*
4 *l. procula ff. de probat.*, de quibus *apud Affict. decis. 13. Surd. decis. 105. Merlin. dec. 124. Capyc. latr. consult. 46.*, & *infrà disc. 132.*; Atquè super his confutandis è cõuerso, respondentes pro M. Ducissa, multum se diffundebãt, præsertim super requisitis dicti textus *in l. procula* examinatis *apud Capyc. Latr. dicta consult. 46.*

Mihi verò visum est, vt huiusmodi termini, tàm præsumptæ donationis, quàm præsumptæ solutionis, extranei essent à casu, quodquè ambo motiua essent parùm tuta; Non quidem illud donationis, quoniam in claris, & expressis
5 nunquam intrant præsumptiones, & argumenta ad sæpiùs enunciatam vulgarem regulam *textus in l. ille aut ille ff. de legat. 3.* plenè exornatã *per Rotam decis. 44. num. 14. par. 11. rec.*; Dicta siquidem *decisio 692. Merlini* aliàs *decis. 69. par. 7. recent.*, percutit casum, in quo pecunia simplicitèr data sit, nulla expressa causa, vndè propterea ambiguum remaneat, àn in illam mutui, vel potiùs in alteram præsumptæ donationis referenda veniat; Idemquè est casus, de quo in dictis alijs decisionibus, ac *dicto discur. 1. de Regal.*, cum concordan.; Secùs autem vbi datio pecuniæ, certã habeat causam expressam, cum tunc huiusmodi quæstiones cessent in radice; Vt habemus etiam in proposito solutionis factæ per eum, qui debitor esset ex diuersis causis, vt quæstio, àn in antiquiorem, vel duriorem, solutio referenda veniat, procedat vbi nulla causa expressa sit, sed iustius expressione accedente, omnis quæstio cessat, vt *pluries* hoc eodem titulo aduertitur, cum similibus; Et consequenter cum in hac facti specie expressè diceretur, quod pecunia soluebatur in causam anticipatæ annualitatis, ad effectum excomputandi, quando ordines desuper darentur, hinc proindè euidẽter excluſus remanebat titulus donationis.

Minusquè intrare poterat præsumpta solutio; Tùm ob breuitatem temporis, quo Dux superuixit, ac etiam ob motiuata paulò post mortem, vndè propterea ex facti circumstantijs clarè excludebatur verificatio requisitorum, siuè præsumptionum, & adminiculorum, quæ ad hunc effectum ponderari solent; Tùm
6 clarius ex vera propositione, de qua *decis. 192. num. fin., & decis. 219. num. 11. post Zacch. de oblig. cam.*, & *decis. 844. in fin. Dunozett.*, & frequentèr in alijs, vt

solu-

solutionis præsumpta probatio, quæ resultat à dispositione iuris iuxtà dictos terminos *textus in l procula*, siuè à Statutis præscriptionem inducentibus, nunquàm intret fauore eius, qui debitum negauit, atquè se debitorem non esse cõtendit, quoniam præsumendum nõ est quod solutum sit id, quod prętendebatur indebitum, ideoquè ista duo motiua videbantur inter se contradictoria.

Veri igitur, ac præcisi huius controuersiæ termini, mihi videbantur illi, de quibus *tot. tit. ff. de condict. causa dat.*, *& causa non sequut.*, *& tit. Cod. de condict.* 6 *ob cauſ. dator. &c.*, àn scilicèt id, quod in certam causam datum est, condici, seù repeti possit, quatenus ea non sequatur.

In hoc autem dicebam, vt distinguendũ esset iuxtà punctualiter determinata *per textum in l. si pecuniam 5. ff. dicto tit. de condict. causa dat. &c.*, vbi benè *glos.* ex- 7 pendit iura concordantia, *& in l. penult.*, *& fin. Cod. dicto titulo de condict. ob cauſ. &c.*, cum quibus communiter pertranseunt D.D., qui non solent, nec possunt loqui contra id, quod expresè per leges determinatum est, cum illæ contineant doctrinam necessariam.

Aut etenim res est integra, quia nempè datorem pecuniæ pœnituerit eam causam amplius sequi, ille autem, qui eam recepit, in nullo damno sit, quia nempè nullam fecerit impensam prò ea causa paranda, vnde propterea contendat de mero lucro, meraquè locupletatione de alieno sine causa, et tunc intret condictio; Aut verò è conuerso, res omninò integra non est, quià nempè, opus cæptum sit, siuè ille, qui causam implere debebat, sumptus præparatorios fecerit, adeo vt cesset dicta ratio meræ locupletationis de alieno sinè causa, et tunc, quoties non implementum non sequatur ex culpa, & nuda voluntate implere debentis, sed ex casu, vel iusto impedimento, multo verò magis vbi ex voluntate dantis pecuniam, locus non est condictioni.

Atquè hinc inferunt DD. ad materiã salarij præstandi Aduocatis, Procuratoribus, vel Medicis, quoties per eos non 8 stat quominus conuentum opus præstetur ex deductis *apud Marcian. iun. disput. 70, & per Rotam in Vrbinaten. salarij decis. 40. post Paitell. repetit. apud Zacch. hoc tract. quæst. 23., & dec. 286. par. 11. rec.* de qua causa habetur actum *sub tit. de tutor., & administrator. lib. 7. post tit. de donat. disc. 18.* cum similibus.

Applicando autem ad rem; Certum esse dicebam, quod versaremur in hac vltima distinctionis parte, quod scilicèt dicta pecunia anticipatè soluta, erogata esset in expensas longè maiores, quæ pro itinere, aljsquè præparamentis, necessariæ sunt, vnde propterea rectè verificari 9 dicebam verba textus *in dicta l. si pecuniam ff. de condict. causa data &c.*, ibi, *vel sumptus ad profectionem iam feciſti, vt manifestum sit plus fortè, quàm acceperis, te erogasse, condictio cessabit.*

Rectèque intrare dicebam terminos præsumptæ donationis, vel remissionis, de quibus dicta *decis. 692. Merlin. & dec. 389. Cels., & decis. 315. par. 11. rec.*; Non 10 quidem ex tunc, & à parte antea, siuè in ipso traditionis actu, vt in dictarum decisionum casu, dum in contrarium causa expressa habebatur; Sed à parte posteà, & per viam subsequutæ remissionis, quæ probabiliter in animo datoris ab initio habita fuit, reuocabiliter tamen, seù conditionaliter, quatenus minister in sibi demandato munere benè se gereret, iuxtà Principum consuetudinem; Idque obseruabã benè probari ex pluribus, quæ vbi singula non sufficerent, simul tamen iuncta rectè concludebant iuxtà vulgarẽ propositionem *in coniecturalibus attendendam, vt singula, quæ non prosunt &c.*

Primò scilicèt ob formam ordinis circa excomputationem, quia non purè, ac simpliciter id demandatum fuit, sed cõditionaliter, quando ità mandaretur; Secundò ob subsequutum factum, quod scilicèt nunquàm talis ordo datus fuit; Tertiò ob communem notorium vsum Principũ dandi oratoribus, & ministris vnam, vel plures annualitates anticipatas pro sumptibus extraordinarijs, qui in primò ingressu necessarij sunt; Quartò quia de facto iustificabatur quod dictus Horatius longè maiores sũptus de proprio in dicto munere fecerat; Et quintò fortissimè, quod eundem Horatium à dicto munere ad patriam regredientẽ, ob illud nimiũ laudabiliter gestum, idem Dux donec vixit, benevolè recepit, ac tractauit, nunquam de hac repetitione aliquid motiuãdo; Et quod magis, eidẽ

soiui, vel compensari mandauit quasdam extraordinarias expensas in notula datas; Quarè de super edito responso, atquè dictæ, M. Ducissæ ministris communicato, quædam satis honesta concordia cõtroversiam terminauit.

ROMANA PECVNIARIA PRO DVCE SFORTIA CVM CARDINALI PATRVO.

Casus disputatus coram A. C., & in Congregatione Baronum, vbi pendet.

De exceptione circuitus, quæ per tertium possessorem, vel secundum creditorem, ac etiam per eumdem debitorem opponatur creditori habenti in manibus bona debitoris, nè super alijs bonis agere valeat, ad materiam textus *in l. creditoris arbitrio ff. de distract. pignor., & in l. 2. Cod. de pignor.*; Et quando prius fieri debeat excussio bonorum specialiter hypothecatorum; Et incidenter de aliquibus ad materiam Bullæ Baronum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De facultate priuatiua Congregationis Baronum.*
3 *Dicta Congregatio non seruat ordinem super bonis.*
4 *De facultate creditoris eligendi bona ad materiam* l. creditoris arbitrio, *& de limitatione* ex l. 2. Cod. de pignor.
5 *Obligatio cameralis facit cessare dispositionem* dictæ l. 2.
6 *Quod Bulla Baronum tollat, vt nunc, vel vt tunc.*
7 *Contrarium, vt tollat fideicommissa, & faciat bona libera.*
8 *Quod procedendum sit per casuum distinctionem super conclusione, de qua num. 4.*
9 *Distinguuntur casus.*
10 *Quod Bulla Baronum fraternizet cum* Auth. res quæ.
11 *De facultate variandi in executiuis.*
12 *De limitatione facultatis eligendi, resultantis* ex l. creditoris arbitrio.
13 *Facilius intrat limitatio cum secundo creditore, vel tertio.*
14 *An materia tex* in l. creditoris arbitrio, & in l. 2. Cod. de pignor. *intret in bonis fideicommissarijs.*
15 *Possessor partis fideicommissi non potest ex beneficio* Auth. res quæ *molestare alterum fideicommissarium.*
16 *Quod extranea sit à casu quæstio, an Bulla Baronum operetur, vt nunc, vel vt tunc.*
17 *Verius est, vt operetur vt nunc.*
18 *Quid operetur Bulla circa fideicommissa.*
19 *Fideicommissum est reintegrandum ex alijs bonis Baronis.*
20 *De excussione bonorum specialiter hypothecatorum, quæ præcedere debeat.*

DISC. CXXVI.

1 EXistens Cardinalis Sforcia, ex quibusdam iustis causis, creditor Ducum Alexandri patris, & Marij fratris, mandata executiua ab A. C. cõtra eorum hæreditates, ac bona hæreditaria obtinuit in forma, eaque exhibuit in Congregatione Baronum, ad effectum, vt ad formam Cõstitutionis 41. Clementis VIII., quæ *Bulla Baronum* vulgò nuncupatur, & de qua habetur particulariter actum *sub tit. de feud.*, illa executioni demandarentur super aliquibus castris,

ſtris, quæ ex antiquis inueſtituris, ac primogenituris reſpectiuè poſſidebãtur per Ducem Ludouicũ nepotem, præfati Ducis Marij filium; Cumquè idem Cardinalis actor poſſideret palatium, (quod apud chroniſtas celebre eſt, ob donationem de illo factam alteri Cardinali Sforciæ ſeniori per Alexandrum VI., qui dum eſſet nepos Caliſti IV. ſub nuncupatione Cardinalis Valẽtini, illud cõſtruxerat), et quod, ex eiuſdem Cardinalis acquiſitoris diſpoſitione, Cardinalitũ, ac Prælatorũ de familia habitationi deſtinarum eſt; Hinc proindè cum illud à prætatis Ducibus Alexandro, & Mario, pro temporibus, in quibus nullus adfuerat Cardinalis, vel Prælatus, poſſeſſum fuiſſet, ideoque in eo pariformiter, ac in dictis caſtris, & bonis intraret eadem bulla Baronum, vtpotè locũ habens in omnibus bonis quomodocumq; per Barones debitores poſſeſſis, quamuis fideicõmiſſa, aliaquè vincula per Cardinales, imò & per Summos Pontifices iniuncta eſſent; Hinc proindè Dux reus conuentus excipiebat, quod actori obſtaret exceptio circuitus, dum habebat in manibus bona valoris longè excedentis eius creditum, ideoquè ipſum aliorũ bonorũ poſſeſſorem moleſtare nõ poterat; Verũ his nõ obſtantibus Iudex ordinarius, à quo mandata relaxata fuerunt, fuit in ſenſu, vt eius partes eſſent, relaxandi ſimpliciter mandatum contra debitores, eorumquè bona hæreditaria, de quorum genere non erant, nequè caſtra, nequè palatium, ſuper quibus cum eius auctoritate dictum mandatum exequi non poterat, ſed ſolùm id fieri poterat priuatiuè ad omnes per Cõgregationem Baronum, ad quã proindè (non improbabilitèr) remiſit, vt diſcuteret, àn in vna, vel altera bonorum ſpecie exequutio fieri deberet, vt de dicta priuatiua facultate ad materiam huius Bullæ habetur *ſub tit. de feud.*

Potiſſimè verò quia in terminis huius bullæ, receptũ eſt nõ intrare ordinẽ, qui habetur in terminis *Auth. res quæ Cod. commun. de legat.*, ſuper neceſſitate excutiendi prius bona libera debitoris, vt exerceri poſſit ſubſidiarium remedium ad bona fideicommiſſaria, ex deductis in ſua materia *ſub tit. de dote diſc.* 145., *& in alijs*, quoniam Congregatio, inſtantibus creditoribus, pro eius arbitrio procedit ad exequutionem, ſuper caſtris, & alijs, quamuis fideicommiſſi, vel inueſtituræ vinculum habeant, non obſtante quod adſint bona libera, quæ, ex eiuſdem Bullæ diſpoſitione, ipſo iure ſubintrabunt ſub dicto vinculo, per ſpeciem implicitæ ſubrogationis, vt aduertitur ad materiam dictæ Bullæ *ſub tit. de Feudis pluries*.

Aſſumpta igitur diſputatione in dicta Cõgregatione; Cum ſcribẽtes prò Actore inſiſterent in regula deſumpta ex diſpoſitione textus *in l. creditoris arbitrio ff. de diſtract. pign.*, quod ſcilicèt in arbitrio creditoris repoſitum eſt eligere bona, ſuper quibus eius hypothecam, & iura exercere velit pro debiti conſecutione; E' conuerſo autem Alij Scribentes prò hac parte Rei conuenti, inſiſterent in limitatione deriuante ex diſpoſitione *textus in l. 2. Cod. de pignor.*, vt ſcilicèt non poſſit creditor habens pignus, vel hypothecam ſpecialem, non facta iſtius diſcuſſione agere ad alià bona generaliter obligata; Hinc proindè multa deducta fuerunt ad materiam dictorum iurium, & præſertim *dictæ l. 2.*, cuius diſpoſitionem non intrare dicebant Scribẽtes prò actore contra creditorem habentem pro ſe obligationem cameralem, cuius virtus, & operatio, inter quamplures, ea eſt, vt in eius ventre contineat clauſulam *ita quod ſpecialitas generalitati non deroget &c.*, iuxtà veriorem opinionem, quàm Rota, & Curia ſequitur, ex deductis *apud Buratt., & add. deciſ. 441. num. 8. deciſ. 30. num. 25. par. 10. recent.*, & in alijs.

Ac etiam quià deficiebat in facto ea circumſtantia, in qua dictæ legis fundamentũ cõſiſtit, quod ſcilicèt adſint bona ſpecialiter hypothecata prius excutienda, quoniam imo palatium nullatenus de iure cadebat ſub hypotheca, vt potè maiorum fideicommiſſis ſubiectum ad fauorem Cardinalium, & Prælatorum, vel reſpectiuè primogenitorũ de familia.

Atquè reſpondentibus noſtris, quod hoc fideicommiſſorum obſtaculum ſublatum remanebat per bullam Baronum; Replicabant Scribentes de propoſitione per me pluries firmata ad materiã dictæ Bullæ *ſub tit. de Feudis præſertim diſc. 78. & 82., & alibi*, vt bulla prædicta, nullum tribuat ab initio ius creditoribus, ſed

ſolum

ſolum operetur, vt nunc, non autem vt tunc; E' conuerſo autem Scribentes pro hac parte, firmiter ſubſtinebant cõtrariam opinionem, innixi auctoritati Rotæ in deciſionibus editis *in Romana contributionis*, de quâ habetur actum *eodem titulo de Feudis diſt. 89.*, quod ſcilicèt bulla ſubſtulerit de medio illud vinculum, quod in fideicommiſſis induxit Auguſtus, ideoquè bona fideicommiſſoria reduxerit penes Baronem ad naturã allodialium, ac liberorum, et conſequenter quod ab initio cadant ſub creditorũ hypothecis; Vel ſaltim quod nõ vrgente ſpeciali prohibitione hypothecandi bona fideicommiſſaria, durante iure poſſeſſoris bulla predicta confirmet hypothecam, ſeù impediat illius reſolutionem, quę aliàs facto caſu fideicommiſſi de iure ſequitur.

Scribens ego prò eodẽ Reo conuento obijciente actori exceptionem circuitus; Aduertebam ad meam ſolitã cãtilenam, quod oportet, prò congrua applicatione
8 concluſionum, ac doctrinarum, diſtinguere caſus, quodquè damnabilis error eſt, in forenſibus controuerſijs, examinare concluſiones, vel quæſtiones generaliter, ac in abſtractò; Ideoquè dicebam quod in hoc propoſito tres diuerſi caſus diſtinguendi ſunt; Primò ſcilicèt, vbi iſta quæſtio habeatur cum ipſomet debitore, vel eius hęrede, per quem creditori obijciatur, vt non poſſit exercere
9 arbitrium, ſeù electionem reſultantem *à dicta l. creditoris arbitrio*, ſed debeat excutere prius pignus ſpeciale.

Secundò, vbi eadem quæſtio ſit cum ſecundo creditore, vel alio tertio poſſeſſore bonorum debitoris, in quibus creditor dictum arbitrium, ſeù electionem exercere velit, cum præſuppoſito tamen quod agatur de bonis eiuſdem debitoris, quæ debito affecta ſint; Et tertiò, vbi quæſtio ſit inter creditorem, & tertium poſſeſſorem, independenter à debitore, ſuper bonis, ad quæ iuris communis diſpoſitione attenta, creditor nullam actionem habeat, ſed per legem communem, vel ſpecialem ei concedatur actio ex quodam extraordinario beneficio, ſeù priuilegio; Vt (ex. gr.) contingit in bonis fideicommiſſo ſubiectis, ad quæ lex pro dote conſtituenda, vel reſtituenda, vbi agatur de fideicommiſſo aſcendentis, tribuit ſubſidiarum priuilegiarum regreſſum, quod alijs creditoribus hæredis grauati, vel poſſeſſoris fide-
10 commiſſi negat, quibus terminis nimium approximare iſtos bullæ Baronum pluries aduertitur *dicto tit. de Feud.* ad huius bullæ materiam, quaſi quod, ea fideicommiſſorũ derogatio, quæ fauore dotis per *dictam Authenticam* inducitur, ità in Baronibus per hanc bullam inducatur fauore omnium creditorum.

Primò caſu; Regula aſſiſtit creditori iuxtà terminos textus *in l. creditoris ar-*
11 *bitrio*; Clariùs verò vbi accedat dicta clauſula *ità quod ſpecialitas &c.*, vel obligatio cameralis, quæ non ſolum ſub ſe continet eamdem clauſulam, per quam tollitur obſtaculũ, quod reſultat *ex dicta l. 2. Cod. de pign.*, verùm etiam concedit creditori priuilegium variationis, vt ſcilicèt, facta electione exequutionis realis, conuolare poſſit ad perſonalem, et è contrà, ſiuè quod facta exequutione in vna re, non impediatur eam facere in altera; Vt generaliter competit cuicumquè iudicio executiuo, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur deducta *deciſion. 161. par. 6. rec.*, quæ reputatur in materia magiſtralis, *& deciſ. 197. nu. 4. poſt Zacch. de obllg. Franch., & add. deciſ. 200. & communiter.*

Et nihilominus etiam iſto caſu, impeditum non eſt Iudicis arbitrium, quandò ità ſuadeat æquitas, hunc rigorem moderari, quodquè ſi commodè, ac promptè creditor ſatisfieri poteſt in bonis minoris valoris, quæ debito proportionata
12 ſint, admitti nõ debeat ad exequendum, ac ſubhaſtandũ bona magni valoris; Siuè ſi id ſequi poteſt ex pignoribus, aliſquè bonis mobilibus, permitti non debeat diſtractio ſtabilium; Vel inter iſtà ſeruari debeat ordo, inter magis, & minus nobilia, putà inter priuata, ſeù allodialia, & feudalia, ſeù iuriſdictionalia, atquè inter ipſamet feudalia, inter titulata, & non titulata, ſeù magis, vel minus qualificata, iuxtà originalem ſenſum *Bart. in eadem l. creditoris arbitrio*, de quo cæteris relatis *Gamm. deciſ. 40., & 77. de Marin. reſol. 58. lib. 2. num. 10., & 11.*

Quamuis enim de ſtricto iure hic ordo procedat ſolum in perſonis, vel caſibus priuilegiatis, putà in alienatione bonorum pro debitis, aliſquè neceſſitatibus pupilli, vel Eccleſiæ ex deductis in ſua mate-

materia *sub tit. de alienation. & contract.*, vel in subsidiaria alienatione bonorum fideicommissi prò dote constituenda, vel restituēda iuxtà dictos terminos *Authen. res, quæ* ex deductis *sub tit. de dote diso.* 145, & in alijs; Attamen à simili ex æquitate extenditur.

Prout licèt huic ordini seruādo, subiecta esse nolit Congregatio Baronū vt supra; Attamen id rectè procedit, ad effectū, vt dici nō valeat, quod Iudex ligatas manus à lege habeat, quodquè aliter faciendo, malè faciat, vndè propterea, id quod factum est, mereatur retractationē, vt cōtingit in dictis casibus priuilegiatis; Sed hoc nō tollit quin, dū res est in fieri, Iudex, nedùm possit, sed etiam debeat, si non ex præcisa lege scripta, ex quadam tamen non scripta lege æquitatis, & congruentiæ, suum arbitrium pro rigoris legalis moderatione interponere, ideoq; laudabilis est stylus relatus *per Marin. dicta resol. 58.*, & pluries enunciatus *sub dicto titulo de Feud.*

Fortiùs præmissa locū habent in altero casu, in quo cōtentio non sit cum ipso 13 debitore, sed cum secundo creditore, vel cum alio possessore, quamuis obligatio cameralis, aut clausula *ità quod specialitas &c.*, vel alia æquipollens cessare faciat limitationem resultantem *ex dicta l. 2. C. de pign.*, ac tribuat libertatem emanantem *ex dicta l. creditoris arbitrio*, dum fauore tertij magis vrgere videtur dicta æquitas, ac ratio inanis circuitus.

Verùm quidquid sit de his (quæ ità obiter, ac discursiuè insinuabantur, ad desumendum exinde argumentum à fortiori iuxtà vulgarem *Authent. Multo magis &c.*); Aduertebam quod in neutro dictorum casuum versabamur, sed in tertio supra exemplificato, quod scilicèt, non ageretur de bonis debitoris, neque intraret distinctio inter hypothecam generalem, vel specialem, dum iuris communis dispositione attenta, neutra aderat in bonis, quæ per vtramquè Partem respectiuè possessidebantur iure proprio 14 independenter à debitoribus, quorum ius per eorum mortem resolutum fuerat; Sed versabamur in remedio extraordinario, quod ex Principis suprema auctoritate, creditoribus conceditur; Ideoquè cum bona essent eiusdem naturæ, pariformiter scilicèt de iure exempta à debitis contractis per debitorē, atq; pariformiter illis subiecta ex bulla Baronum, ità intrabat æquitas resultans, si non ex dispositione, saltim ex ratione textus *in dicta l. 2. Cod. de pignor.*; Vel melius ex æquitatiua ratione inanis circuitus, vt benè in dictis proximis terminis *Auth. res quæ*, ponderata *per Rotam decisione 242. nu. fin. par. 10. rec. repetit apud Bich. decis. 366.*, vbi in specie quod creditori agenti ad aliqua bona fideicommisso subiecta pro debito priuilegiato, non possit fideicōmissi possessor obijcere de alio eius credito æquè priuilegiato anteriori, dum alia bona pariter affecta longè maioris valoris in manibus habebat.

Hic autē videbatur casus præcisus, quoniā vbi reus, & possessor (qui etiā creditor eorumdem Ducum Alexandri, & Marij erat) pati cogeretur exequutionem, ac subhastationem castrorū ab ipso possessorum, tunc in vim mandatorum, quæ ipse quoque habebat, exequi potuisset 15 super ipso palatio; Hinc propterea, si (ex. gr.) mulier, quæ pro dote ex beneficio *dictæ Auth.* possideat partem fideicōmissi, admittenda non videtur ad exercendum dictum remedium contra confideicommissarium, vel alium possessorem, cui regressus competeret ad ea bona, quę ipsa habet, ex dicta clara ratione circuitus inanis.

Atquè hinc dicebam, extraneam videri à casu controuersiæ suprainsinuatam quæstionem, àn scilicèt bulla Baronum, aliquod ius tribuat creditoribus, atque operetur vt tunc, vel vt nunc; Tum quia 16 vbi etiam intraret opinio, vt operaretur vt tunc, atque creditoribus ius quæreretur ab initio, nequè intrabat conclusio deducta *ex dicta l. 2.*, dum non aderat hypotheca specialis contradistincta à generali, et consequenter disputatio remanebat extrà propositum; Tùm etiā quia, idem ius ex tunc acquisitum auctoribus actoris in castris, ità acquisitum quoquè erat auctoribus rei conuenti in palatio, vndè propterea effectus erat idem, semper tamen retentis terminis dicti remedij extraordinarij, de quo in tertio casu supra exemplificato; Adhuc tamen resolutio non prodijt super hoc puncto.

Cæterùm quatenus pertinet ad dictū punctum, àn bulla Baronum operetur, vt

nunc,

nunc, vel vt tunc; Quò magis post æditũ
17 *primum librum de feudis*, vbi de hoc puncto, ac de tota huius bullæ materia agitur, aliarum controuersiarum occasione, ad illum reflectere occasio dedit; Eo magis ex rationibus *ibi* deductis, quæ solidæ videntur, in hac opinione me confirmaui.

Quamuis enim plerisq; (pro consueto inepto stylo attendendi decisiones, ac auctoritates in littera) contrarium veriùs videretur ob suprainsinuatas decisiones æditas *in Romana contributionis, de qua dicto discur. 89. de feud.*; Attamen mihi in ea causa scribenti, (atquè inuentori, ac promotori motiui, quod bulla reduceret fideicommissa ad primæua tempora, in
18 quibus erant antè Augustum), visum est fundamentum contemptibile; Illud etenim benè *intrat in eo casu*, ac ad effectũ, de quo *ibi* agitur, pro contributione scilicèt debitorum contractorum per possessorem fideicommissorum, atquè ad tollendam differentiam inter fideicommissa ascendentium, & transuersalium; Et tamen etiam in eo casu (iam concordato) fortè in apicibus, non deessent difficultates iuxtà obseruationes *ad eumdẽ disc. 89. in supplemento*; Secùs autem ad hunc effectũ, quoniam, vt in eadem materia pluries aduertitur, bulla non tollit fideicommissa, quinimò potiùs in gene-
19 re illa confirmat, dum mandat, vt alia bona libera Baronis subrogari debeant, pro fideicommissi reintegratione; Siuè vt pro eadem fieri debeat multiplicum, cum exuberanti pretio bonorum venditorum; Ergò non tollit fideicommissa, nequè facit bona simpliciter libera, sed solùm dat potestatem huic Magistratui, vt prò oportunitate, ac arbitrio, eis derogare valeat, eorumquè impedimentum tollere, vt latiùs locis citatis.

In proposito autem dispositionis text. *in dicta l. 2. Cod. de pignor.*, vt scilicèt, priùs excuti debeant bona specialiter hy-
20 pothecata, ad effectum, vt actio competat ad alia bona, quæ sub generali hypotheca cadunt; Quamuis regula sit certa, vtpotè fundata in iure litterali, cum quo transeunt cõmuniter DD. relati *per Surd. decis. 44. Franch. decis. 5. vbi adden.*, *præsertim omnium nouissimus de Luca, Fab. de Ann. conf. 93.* latè *Pratus obser. 29. Rota apud Merlin. decis. 28. repetit. decis. 431. num. 1. par. 5. rec.*; Vbi *num. 2.* pluribus relatis habetur, vt id procedat etiamsi creditum sit ex causa dotis, quod etiam firmatur *apud Bicch. decisione 366. numer. fin.*

Attamen ob tot limitationes, quibus eadẽ regula subiacet, ea remanere videtur idealis, eãq; à Palatijs exulare aduertit *Fontanell. de pact. clauf. 4. glos. 17. p. 1. nu. 86.*, quoniam vt patet ex allegatis, & præsertim *Prat. dicta obser. 29.*, (vbi ferè vniuersam materiam reassumere curat) *Merlin. de pignor. lib. 4. quæst. 21. & Andreol. contr. 256.*, multas patitur limitationes; Vel quia ferè pro stylo tanquam clausula apponi solita, adijciatur illa, vt specialitas generalitati non deroget; Vel quia accedat obligatio cameralis, quæ hunc effectum operatur ex supra deductis; Vel quia procedatur inter mercatores; Vel quia leges particulares loci disponãt, vt procedi debeat de bono, & æquo, cum similibus relatis apud allegatos; Ex quibus patet, vt in singulis dictis limitationibus, prò consueto stylo, non modica opinionum varietas dignoscatur; Neque desunt qui iuramento etiam hanc operationem tribuant, qua limitatione attenta, vbi recipienda sit, verè idealis remaneret regula, cum vix detur contractus, in quo adijciatur hypotheca, & omittatur iuramentum.

Verùm vbi cessante aliqua ex dictis limitationibus, intraret regula, adhùc receptum videtur, eam introductam esse fauore aliorum creditorum, ex eadem ratione superius ponderatæ æquitatis, ideoquè illam non posse allegari per ipsummet debitorem, vel eius successorem, siuè sit vniuèrsalis, siuè particularis, qui lucratiuam causam foueat, atquè ab eodẽ debitore omne suum ius metiatur, aduertunt *Ricc. ad Frãch. dicta decis. 5. Fab. de Ann. dicto conf. 93. numer. 21.*, & alij plures ex allegatis, vt præsertim in donatario, siuè in legatario dicendum venit, cum præsertim legatarius, defuncti creditor dici non possit.

Atquè reuerà, in meæ diuturnæ forensis vitæ cursu, hanc regulam idealem expertus sum, cum nunquam occasio dederit id particulariter disputare in Rota, vel alio Tribunali, vndè propterea maturè potuerint examinari singulæ dictæ limitationes, et quæ nam opinio ex

dissidentibus respectiuè sit verior, adeò vt maturum iudicium pro veritate desuper efformari potuerit; Ad materiam autem reflectendo sic in abstracto, mihi videtur, quod in hoc præsertim dignoscatur nostra consueta leguleica ineptia, examinandi huiusmodi limitationes, cum generalitatibus, vel cum legum intellectibus, siuè cum aliquorum antiquiorum sensibus, ad diuersos fines pro casuum varietate apertis, cum verius videatur, vt ista sit nuda quæstio voluntatis, ideoquè facti potiùs quàm iuris, quid scilicèt ex ipsius individui facti qualitate, & circumstantijs constet verisimilitèr à contrahentibus volitum esse, attendendo potiùs substantiam veritatis, quàm formulas verborum, quæ frequentiùs à Notariorum formularijs prodeunt, ignorando quid dicant; Ac etiam potissimum attendendo stylum Tribunalium, siuè vsum regionis; Et super omnia indagando, àn vrgeat æquitas, de qua supra ad materiam *text. in l. creditoris arbitrio*; Vndè propterea ea, quæ superius ad materiã dicti textus põderantur, ad id quoque nimium conferre videntur, et consequenter, vt certa, & determinata regula generalis cuicumque casui applicabilis desuper tradi non valeat, sed pro singulorum casuum circumstantijs, decisio, ex prudenti, benèque regulato Iudicis arbitrio sequi debeat.

VITERBIEN.

DONATIONIS

PRO

COM. LAVRENTIO DE MARSCIANO

CVM

COMITISSA ELEONORA SORORE.

Casus disputatus coram A.C., rasolutus pro Laurentio.

An creditor posterior non priuilegiatus, repellat anteriorem priuilegiatum agentem super bonis liberis, vt eius iura experiri debeat super bonis differentibus, ad quæ ipse habeat ius agendi, quod alijs non competit, vt omnibus ità consultum sit; Et de aliquibus ad materiam Bullæ Baronum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Bulla Baronum non suffragatur donatario.*
3 *Creditor priuilegiatus debet agere ad bona, ad quæ alij creditores non habent actionem.*
4 *Idem de creditoribus cum assensu super feudis.*
5 *Quod Bulla Baronum faciat libera bona fideicommissaria.*
6 *Ad regulam textus* in l. creditoris arbitrio &c.
7 *De priuilegio hæredis beneficiati sibi appropriandi bona pro eius creditis.*
8 *De Bulla archiuij moderatoria bullæ Baronum.*
9 *Reijcitur conclusio, de qua num. 3.*
10 *Bulla Baronum, an fauorabilis, vel odiosa.*
11 *Declaratur conclusio, de qua num. 4.*
12 *Quando stylus alterius Tribunalis attendatur.*

13 *De reintegratione fideicommissi ordinata per bullam Baronum, & de conclusione, de qua num. 5.*
14 *De eadem conclusione, de qua num. 5.*
15 *Bulla prædicta introducta est in gratiam creditorum, qui non possunt inuiti ea uti, & de ratione &c.*

DISC. CXXVII.

1 AGente Eleonora ad quædam bona libera, indifferentia Alexandri patris pro consecutione summæ ab eodem patre vltrà dotem sibi donatæ, excipiebat Laurentius frater, ac possessor de pluribus creditis anterioribus cõtra eumdem patrem in summa scutorum 32.m.pro dotibus maternis, alijsq; causis; Cumquè idem Comes ex fideicommissis maiorum, ac aliàs independenter à patre, possideret aliqua castra, præsertim illud Guardeæ, cuius pluries mentio habetur *sub titulo de Regal. disc.* 146., & *sub altero de seruit. discur.* 36.; Hinc proindè actrix replicabat, quod cum ipse Reus satisfieri posset super dictis castris, ad quæ, (fideicommissis non obstantibus), actionem habebat ex bulla Baronum omnibus fideicommissis derogante, dum dicta bulla ipsi actrici suffragari non poterat, vtpotè creditrici ex causa merè voluntaria, & lucrativa ex de-
2 ductis *sub titulo de feud.* ad materiam dictæ bullæ *disc.* 94., idcircò deberet ibi satisfieri, ac relinquere bona libera ad commodum aliorum creditorum nõ priuilegiatorum, vt ità omnibus remaneret consultum ex regula, seù axiomate, *quod uni non nocet, & alteri prodest &c.*

Ad id autem probandum, Scribentes pro dicta actrice deducebant; Primò au-
3 ctoritatem *Molin. de primogen. lib.* 4. *cap.* 7. *ex num.* 17., & *Salgad. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 69., quod scilicèt ille, qui agere potest ad bona priuilegiata, vtpotè fideicommisso, vel maioratui subiecta, non debeat eius actiones exercere super bonis liberis, ac indifferentibus, in quibus alij creditores non priuilegiati actionem habent.

Secundò deducebant ea, quæ cæteris relatis habentur *apud Marin. resol.* 58. *numer.* 12. *lib.* 2., vt creditores habentes
4 assensum, cuius vigore agere possunt ad bona feudalia, debeant super eis eorum credita, & iura experiri, relinquendo libera, & allodialia ad commodum non habentium assensum, quamuis posteriorum, vt omnibus consultum sit.

Tertiò deducebãt decisiones insinuatas *disc. præcedenti*, de quarum casu agitur *dicto tit. de feudis disc.* 89., vt castra & bona fideicommissaria, in Baronibus,
5 tanquam per remotionem fideicommissorum, exæquata sint allodialibus per. indè, ac si essent de libero Baronis debitoris patrimonio, et consequenter quod dictus Laurentius, qui erat hæres beneficiatus Alexandri patris, in redditione retionum bonorum hereditariorum, sine qua ex iuribus proprijs anterioribus factum auctoris impugnare nõ poterat, nõ posset castra fideicommissaria detrahere tanquam præcipua.

His tamen non obstantibus, (etiam in sensu veritatis), dicebam improbabilem esse actricis prætensionem, atquè iustitiã assistere Laurentio, pro quo scribebam, vt etiam Iudex agnouit; Fundata etenim erat eius intentio, (etiam vbi esset actor)
6 eligendi pro eius arbitrio bona debitoris, super quibus deberet satisfieri iuxtà regulam *textus in l. creditoris arbitrio ff. de distract. pignor.*, de qua habetur actũ *discur. præcedenti*; Potissimè dum credita vallata erant obligatione camerali cõtinente sub se clausulam *Ita quod specialitas &c.*, atq; faciente cessare dictæ regulæ limitationem resultãtem ab alio *textu in l.* 2. *Cod. de pignor. vt eodem disc. præcedenti*; Multò verò magis, dum ipse erat possessor ex titulo hæredis cum beneficio legis, & inuentarij, cui cõceditur pri-
7 uilegium eligendi, sibiquè appropriandi pro eius creditis boua magis placita, ex ijs, quæ habentur in sua materia *sub tit. de Hærede.*

Et quamuis sub quæstione sit, àn id fieri possit ex solo iure imaginariæ solutionis, & cum priuata auctoritate, vel requiratur factum Iudicis mediante deputatione curatoris, alijsquè seruatis de iure seruandis, vt veriùs esse firmauit pluries *Rota* moderna, ex deductis *dicto tit. de Hærede*; Attamen id percutit effectum formalis, ac perfectæ translationis dominij cum actu irretractabili, non tamen tollit dictam imaginariam priuilegiatam solutionem sibi ipsi ad alios effectus,

ctus, putà, fructuum medij temporis pro credito quamuis pecuniario, ac aliàs infructifero iuxtà ibi deductas declarationes, aliisquè effectibus, vt patet ex ibi deductis, ideoq; è magis de plano dicebam, vt istum effectum operari deberet.

Respõdendo autem ad dicta tria fundamenta in cõtrarium deducta, pro omnibus vno verbo soluendis; Cum procederent retẽto præsuppositio, quod intraret bulla Baronum tollens fideicommissa; Hinc corruebant marte suo ex dicto præsuppositio cessante, ob subsequutã archi-
8 uiationẽ ad formam Constitutionis 117. Vrbani VIII. moderatoriæ dictæ bullæ Baronum ex particulariter deductis ad materiam huius bullæ moderatoriæ, quæ vulgo *archiuij* nuncupatur *eodem titulo de feud. disc. 87.*

Verùm vbi nequè istud fundamentum subsisteret, adeò vt aliàs fauore creditorũ dicta bulla Baronum intraret, adhuc neq; dicta motiua subsistebant; Non quidem
9 primũ, quoniam quidquid teneant *Molin. loc. citat. & alij sequaces* recensiti etiã *per Marin. resol. 16. lib. 2.*, opinio in cõtrariũ est verior, magisquè recepta etiam apud ipsosmet Hispanos, atq; in illis maioratibus, de quibus ipsi loquuntur, vt probãt, & testantur *Noguerol., Castill., & alij relati per Salgad. eodem labyr. par. 2. cap. 5. ex num. 1. & per tot.*, vbi ex professo quæstionem examinat ad partes, atquè relatis contrarijs, pro ista parte concludit; Ideoquè aduertebam quod hic Auctor attendẽdus est in isto loco, vbi disputata formiter quæstione, ità maturè cõcludit, nõ autem *d. lib. 1. cap. 9. n. 69.*, vbi id obiter dicit, aliud agendo; Atq; ex nostris, ità benè firmatur *apud Frãch decis. 519.*, & plenè *apud Cyriac. contr. 328. num 33. cum seqq.*, cum huic opinioni assistant regulæ iuris, ac etiam affiistat maior æquitas, vt non deducatur ad exercitium di-
10 cta bulla, quæ ad hunc, & alios effectus est à iure exorbitans, & odiosa, quamuis ad alios effectus sit fauorabilis iuxtà distinctionẽ, de qua *dicto tit. de feud. ad eius materiam disc. 74. & in alijs.*

Ad secundum verò fundamentum cõstitutum in deductis *per Marin. dicta*
11 *resolut. 58. num. 12. lib. 2.*; Dicebam planam esse responsionem, quod ibi ageretur de particulari stylo illorum Tribunalium, ideoq; de Tribunalibus diuersi Principatus, non subordinatis, nec dependentibus in ijs, quæ sunt contrà ius, nulla penitùs ratio habenda est; Siquidem pluries insinuata conclusio, quod vbi casus non habetur in iure communi, vel
12 municipali expresè decisus, recurrere congruat ad leges, & consuetudines adiacentium Ciuitatum, vel Prouinciarum, seù aliorum Principatuum, procedit in casu ambiguo, quando benè congruit attendere alicuius magni Tribunalis stylum, quamuis diuersi Principatus, pro interpretatione; Secùs autem vbi agatur de re contrà ius, cum ex frequentèr etiam insinuata cõclusione, cõsuetudinis, vel styli peculiaris natura sit, vt strictè attẽdi debeat in casu præciso, neq; detur extensio de casu ad casum, vel de loco ad locũ, seù de persona ad personam &c.

Demùm quoad vltimum fundamentũ, vt bulla Baronum, fideicõmissaria bona, ad allodialium naturam reducat, vt firmari supponebatur per decisiones editas
13 *in dicta Romana contributionis*; Dicebam eadem, quæ habentur insinuata *disc. præcedenti*; Ac etiam quia, dum eadem bulla mandat, vt bona libera Baronis censeantur eo ipso subrogata pro reintegratione fideicommissi, tanquam per subintrationem in ius, & locum dimissorum creditorum; Ad instar eorum, quæ habẽtur in terminis *Auth. res quæ Cod. commun. de legat.*, de fideicõmisso subintrante in iuribus dotium, pro quibus sciissurã pati oportuit ex deductis in sua materia *sub tit. de dote discur. 145.*, & in alijs, ità effectus erat idem, dum actrix non erat de illis creditoribus, quibus bulla suffragari posset, vtpotè ex causa merè lucratiua, & voluntaria, ideòquè dicta subintratio non remanebat inanis, vt remaneret, si creditores posteriores essent de illis, quibus bulla suffragatur.

Atquè ex hac circumstãtia, quod ageretur de creditore ex causa lucratiua, & merè voluntaria, dicebam, quod vbi etiã
14 recipienda esset superius insinuata opinio *Molinæ*, cogendi anteriorem creditorem priuilegiatum experiendi eius iura ad bona differentia, vt alijs creditoribus non priuilegiatis, consultum remaneret super bonis indifferentibus, adhùc tamen id recipiendum non esset fauore creditoris ex causa merè lucratiua, & voluntaria, cum cesset illa æquitas, in qua

dicta opinio fundata est, atquè potius iniquitatem redoleret, dū idem creditor anterior est etiam successor in bonis priuilegiatis iure suo, quoniam ità esset eū cogere ad agendum contra se ipsum, vt locum relinqueret donatarijs creditoribus fouentibus causam lucratiuam, quibus lex nullam æquitatis assistētiam præbet, atquè ità esset per indirectū practicare bullam, etiam pro donationibus.

Item quia bulla introducta est in gratiam, ac fauorem creditorū, et quatenus eis placeat ad illius beneficium, siuè ex-
15 traordinarium remedium confugere, nō tamen exindè inferendum est, vt inuiti ad id teneantur, si possunt aliundè satisfactionem consequi; Cum etenim Congregatio Baronum non soluat pecuniam nisū vinculatam, eatenus creditor cōquæri non potest de hoc vinculo, quatenus volens eligat illam viam, vt pluries aduertitur in dicta sua materia *sub tit. de feudis præsertim disc.* 99., ideoque nulla iuris, vel æquitatis ratio suppetit, vt ad hoc beneficium inuiti recurrere teneantur, vt cum proprio damno alijs lucrum parent.

ARIMINEN.

DOTIS

PRO

LVCRETIA BELMONTE

CVM

PETRO MARIA DE TINGOLIS.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Lucretia.

An, & quando creditor repellatur per exceptionem præsumptæ fraudis, vel occupationis bonorum debitoris; Et præsertim de Statuto Ariminen. disponente, vt mortuo viro, vxor teneatur infra certum terminum facere inuentarium bonorum mobilium viri, quodque aliàs pro eius credito dotali agere non possit, atquè repellatur cum iuramento hæredis debitoris.

SVMMARIVM.

1 *De Statuto Arimini.*
2 *Facti series.*
3 *Quod dictum Statutum deferat hæredi iuramentum super sola æstimatione &c.*
4 *De intelligentia Statutorum.*
5 *De iuramento in litem quomodo præstetur.*
6 *Quomodo intelligenda sint Statuta disponentia, vt stetur iuramento.*
7 *Quid operetur hoc Statutum.*
8 *Probata substantia debiti, vel facti, circa qualitatem leuiores probationes sufficiunt.*
9 *Attendi debet ratio, seù finis, ac effectus Statuti.*
10 *Legatum factum per debitorem creditori de debito, quid operetur.*
11 *Statuta laicalia non capiunt actus iuratos, quod declaratur.*
12 *Sub nomine patris familias, quis veniat.*
13 *Quod non sit deferendum Consulentibus, & de ratione.*

DISC. CXXVIII.

1 DIsponente Statuto Ariminen., vt moriente viro, qui sit pater familias, teneatur vxor infrà quinque dies, facere per manum publicæ personæ, inuentarium omnium bonorum mobiliū existentium in domo defuncti, quodquè si non fecerit, vel fecerit, atque fraudem commiserit, omittendo aliquid in inuentario ponere, et de hoc legitimè constet, stari debeat sacramento hæredum, & creditorum absquè alia probatione super bonorum æstimatione, & quantum iurauerint

uerint, à credito dotali ipsius mulieris detrahi possit &c.; Cum defuncto Ludouico Tingolo sine prole, instituto hærede Petro Maria fratre, hic illicò hæreditatem adijsset, ac bonorum hæreditariorum etiam domus habitationis possessionem adeptus esset, inuentario etiam confecto, Lucretia verò defuncti vxor, denegata sibi pacificè restitutione dotis, pro illa dictum hæredem pulsaret coram A. C., excipiebat ipse de dicta statutaria dispositione, qua tamen non obstãte, mandatum relaxatum fuit ex duobus fundamentis, quæ Iudici placuerunt.

Primò scilicèt, ac potissimè, quod non essemus in casu Statuti, dum istud in casu non confecti inuentarij, defert quidem hæredibus, vel creditoribus iuramentum, non circa substantiam bonorum, quæ ità per mulierẽ occupari potuerint, sed solum circa æstimationem, seù valorem, cum præsupposito quod de ipso actu occultationis in genere constet, vt patet ex illis Statuti verbis, *& de hoc legitimè constet, stari debeat sacramento hæredum, vel creditorum absque alia probatione de æstimatione ipsorum, & tantùm quantùm de æstimatione iurauerint detrahi debeat de dotibus &c.*; Et sic iuramentum percutit æstimationem, cum præsuppositio præcedentis probationis, non autem quod ità ex sola omissione inuentarij, in facultate hæredum, vel creditorum posteriorum positum esset iurare pro libito; Ideoquè ex vulgari, & quotidiano axiomate, de quo præsertim in peculiari Statutorũ *sede sub titulo de successionibus*, & alibi, vt statuta præsertim à iure exorbitantia, intelligi debeant ad litteram, seù in verbis, neque eorum extensio admittatur, ità ad limites verborum attendi deberet.

Clariùs verò, quoniam, etiam in casibus, in quibus contra tutores, aliosquè legales administratores de iure obligatos ad inuentarij confectionẽ, ob cuius omissionem lex præsumit dolum, ideoquè defert iuramentum in litem, adhuc tamen istud non admittitur pro libito iurare volentis, sed præuia taxa Iudicis, regulanda ex adminiculis, alijsquè facti circumstantijs, hanc summam verisimilem addentibus ex deductis *sub tit. de tutor., & administrat. lib. 7. disc. 8.*

Et conferunt generaliter collecta *per Thuscum litt. S. conclus. 500.*, vbi agendo de huiusmodi statutis disponentibus, 6 vt stari debeat iuramento Partis, aduertitur, vt intelligi debeant vbi iuramentum sit verisimile, atq; adminiculatum; Ad quod conferunt etiam ea, quæ de fiduciario, cui testator eius voluntatem explicandam commisit, habentur *sub titulo de fideicom. disc. 182., & seq.* cum similibus.

Ideoquè aduertebam quod Statutum, in hoc, aliud facere noluit, nisi tollere exceptionẽ illiquidatis, ex cuius clypeo creditor, qui bona debitoris occupasset, dicere non posset, quod eius creditum 7 esset liquidum, prætensio verò illiquida, & non apta retardare creditum liquidum ad materiam textus *in l. vnica §. exactio C. de re vxor. action., & in l. fin. Cod. de compensat.*, de non dando compensationem de liquido ad illiquidum; Atquè ità Statutum non corrigere, sed solum coadiuuare voluit ius commune, cuius dispositione attenta, contra furem, vel occupatorem, probata substantia occupationis in genere, circa summam, vel quantitatem, admittuntur leuiores probationes, & quàndoquè etiam iuramentum creditoris pro facti qualitate ex col- 8 lectis *per Ciriac. contr. 347. nu. fin. Rub. de testamen. cap. 98. num. 353., & seqq. Bellon. iun. conf. 93. num. 9., & 10., & infrà disc. 149.*, ità dirimendo omnes cauillationes, ac DD. subtilitates circa istam liquidationem.

Alterum fuit fundamentum, potius facti quàm iuris, quod scilicèt, hæres in loco præsens, ista muliere diligentior, ac potentior, illicò in eadem domus habitatione, se constituerit, atquè inuentarium confecerit, quodquè aliqua bona mobilia existentia in aula, seù appartamento mulieris, ipsa coram Iudice de- 9 clarauerat esse propria iuxtà facultatem à testatore sibi datã, assignata per ipsum testatorem ratione, ob quam eadem vltrà dotem, aliaquè bona extradotalia habebat; Ideoquè dicebam quod rectè intraret conclusio, de qua *sub titulo de Feud. disc. 87.*, *& alibi pluries*, quod quando lex, vel Statutum, ob aliquam explicitam, vel implicitam rationem, seù causam ità disponit, standum non est in sola formalitate verborum, sed attendi debet substantia veritatis, seù finis, ac effectus ab eo consideratus, quodquè

quèiuxtà ea, quæ habentur *disc. sequenti*, ac in alijs, in propoſito præſcriptionis ſtatutariæ, ſiuè in Statutis adimentibus fidem ſcripturæ, certam ſolemnitatem non habenti, cum ſimilibus, iſtà dicatur nuda, & ſimplex præſumptio iuris ex Statuto inducta, contraria probatione etiam præſumptiua, ſiuè adminiculatiua elidibilis.

Nimiùm quoquè in idem conferre obſeruabam eam facti circumſtantiam, quod teſtator mandauerat cum verbis 10 enixis fieri reſtitutionem dotis vxori promptè, ac omni meliori, & proficuo modo; Ità etenim dicebam reſultare vehemus adminiculum, quod teſtator rectè conſcius de huiuſmodi Statuto, per quod reſtitutio crediti dotalis retardari poterat, hanc diſpoſitionẽ adijcere voluerit cui, ne omninò fatua remaneret, hæc operatio præbenda erat, iuxta ea, quæ habemus ex regula textus *in l. 1. §. 1. ff. de dot. prælegat. cum concord. per Graſſ. de except. cap. 32. num. 6., & 7. Rot. deciſ. 41. num. 11. par. 9. rec.*, & in alijs frequentèr, ſuper operationibus reſultantibus à legato debiti, quod per debitorem creditori fiat; Multo verò magis dum in dicta alia diſpoſitione, vt ipſius mulieris ſimplici declarationi ſtari deberet, quæ nam eſſent eius bona propria, ità eius fidem probauerat.

Dicebam quoquè more Aduocati, cumulando motiua ad fauorem creditricis, quod huiuſmodi ſtatutaria diſpoſitio omninò negligenda veniebat, dum agebatur de debito iurato, ex vera concluſione, de qua ſuprà *diſc. 10., & alibi,* 11 *& latiùs ſub titulo de alienat., & contractibus*, quod ſcilicèt, Statuta laicalia non capiant actus iuratos, quamuis etiam Apoſtolicam confirmationem haberent, cum tunc, ſi non obſtat defectus poteſtatis, obſtare tamen dicatur alter vo lũtatis; Verùm (reflectendo ad veritatem), agnoſcebã quod motiuũ nõ eſſet tutum, quodquè fundatè illud Iudex neglexerit ex ijs, quæ habentur *ſuprà dicto diſcurſ. 10., ac etiam inſinuantur dicto diſc. 143. de dote*, quod ſcilicèt iſtà concluſio generaliter verà, procedit, quando agitur de ſtatuto infringente contractum, ſeù obligationẽ iuratam, à cuius obſeruantia, ſeù implemento debitor eximatur, cum ità reſultet, quod laicus eximat debitorẽ ab obſeruantia iuramenti, eiquè diſpenſet; Secùs autem vbi Statutum non percutit obſeruantiam iuramenti, ſed ſolum inducit quandam præſumptam ſolutionem, ſiuè probationem occupationis bonorum, quæ cum credito compenſari debeat, ideoquè non eſt exceptio impugnatiua, ſed modificatiua, rectè compatibilis cum iuramento, cuius obſeruantia ità præſupponitur.

Ponderabat quoquè pro hac parte cauſæ Patronus, quod cum Statutum ità diſponeret de patre familias, intelligendum veniret de ſolo caſu, in quo ex illo 12 ſupereſſent filij eius hæredes, ità remãſuri ſub tutela, ac adminiſtratione vxoris, ac matris reſpectiuè, quam proindè ad celerem inuentarij publicam confectionem obligare voluit; Verùm, quamuis motiuum in aliquo ſenſu, vel diſcurſu naturali, non eſſet improbabile, legaliter tamen ſubſiſtentiam non habebat; Tùm quia de iure pater familias non ſolùm dicitur ille, qui habet filios, ac familiam, ſed quicumque ſui iuris, ad differentiam filij familias; Tùm clariùs quia Statutum nõ ſolum conſiderat ius, vel intereſſe hæredum, qui iuxtà dictum intellectum præſupponendi eſſent communes filij, ſed etiam conſiderat intereſſe creditorum, quibus quoq; iuramentum defert, ideoquè intellectus non videbatur congruus.

Atquè hinc edocemur, quàm erroneũ ſit in iudicãdo procedere cum auctoritate Conſulentium, quoniam Ego ſcriben- 13 do ad cauſę oportunitatem more Aduocati, acriter inſiſtebam in his motiuis, eaq; exornare ſtudebam, et tamen agnoſcebam nõ ſubſiſtere, ideoquè ſi informationes deſuper æditæ, luci ederentur, vanum eſſet eis deferre, atquè huius farinæ ſunt Cõſilia; Id autem, vt ſæpiùs inſinuatum eſt, per Aduocatos, vbi agitur de motiuis iuris (abſquè alteratione facti redolente mendacium, quod ſemper eſt de genere malorum, atq; inexcuſabile) licitè fieri poteſt, atq; in eis id eſt excuſabile, vbi ex alijs motiuis agnoſcant bonã fouere cauſam, ob quotidianam experiẽtiam, quod Iudices nauſeantes motiua bona, & ſolida, ſæpè amplectuntur leuia & fallacia &c.

RO-

ROMANA

REPETITIONIS INDEBITI

PRO

RATIONE ACCIAIOLI ET MARTELLI

CVM

CLEMENTIA CECCHINA.

Casus disputatus coram A. C., & resolutus pro Ratione.

De præscriptione Statutaria resultante à Statuto Vrbis per lapsum 16. annorum, àn, & quando intret, nec nè; Et præsertim, àn intret ad effectum repetendi iam solutum tanquam indebitum; Et aliqua de repetitione indebiti eiusque probatione, ac de differentia inter indebitum solutum voluntariè, & solutum coactè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Præscriptio Statutaria quid operetur.*
3 *De antiquis Doctoribus de hoc agentibus.*
4 *Indebitum non præsumitur, sed est concludenter probandum.*
5 *De præsumptis, vel tacitis solutionibus non suffragantibus ad effectum indebiti.*
6 *De distinctione super probatione solutionis vsurarum.*
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 4. & 5. in indebito voluntario.*
8 *Solutum cum cautione habetur pro non soluto.*
9 *Hæres soluendo, non præiudicat creditoribus.*
10 *Quid operetur præscriptio statutaria.*
11 *Et àn intret vbi introducta est lis.*
12 *Præscriptio statutaria est præsumptio, quæ tollitur contraria probatione.*
13 *Libri, an probent pro scribente.*
14 *De adminiculis contra præsumptionem solutionis.*
15 *An testibus famulis deferatur.*
16, 17, & 18 *De differentia inter famulos, & ministros, & an præscriptio statutaria procedat cum clericis.*
19 *Non intrat præscriptio statutaria in debito negato.*
20 *An in hæreditate iacente.*
21 *An cum forensibus.*
22 *Quid in credito ex causa dotis.*

DISC. CXXIX.

1 IN concursu bonorum hæreditariorum Cardinalis Cecchini, de quo habetur actũ supra *disc. 53.*, inter alios concurrentes, tanquam occupantes vnũ ex primis locis, satisfacta fuit ratio, quæ cantabat sub nomine Acciaioli, & Martelli, cũ cautione de restituendo &c., de cuius cautionis præstatione principaliter actũ fuit in quæstione, de qua *dicto discur. 53.*; Postmodũ verò, aliqui Clementiæ hæredis, & creditorũ posteriorũ Consultores, aduertẽtes, quod inter debiti diem, ac illam solutionis, interceſſerat spatium annorum 16. & vltrà, per quod à Statuto Vrbis 158., cuiuscumque debiti quamuis iurati præscriptio inducitur, iudicium eiusdem Clementiæ nomine, magis verò illud agentibus creditoribus posterioribus, qui discooperti remanebant, pro repetitione indebitè soluti instituerunt coram A. C., à quo post plures disputationes, me pro Reis conuentis scribente, prodijt sententia absolutoria.

In disputationibus autem desuper habitis; Scribentes pro actrice (seù veriùs pro creditoribus posterioribus, quorum principaliter intererat), dicebant fundatam esse intentionem super indebito, ità clarè probato per expressam legem statutariam, quam receptum est habere locum, quamuis ageretur de debito iurato, 2 ac non obstante, quod ipse principalis debitor viueret, (& quo casu de iure canonico *in cap. fin. de præscript.*, vbiquè recepto, etiam in foro laicali, non datur præscriptio ratione malæ fidei), ex ea ratio-

ratione, quod ista non est vera præscriptio actionis peremptiua, ob solam creditoris negligentiam iuxtà terminos textus *in l. omnes, & l. sicut Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum cum concord.*, sed est potiùs præsumpta solutio, et sic exceptio compatibilis cum iuramento, & cum datæ fidei obseruantia, vt cæteris relatis aduertitur *per Rotam apud Merlin. decis. 124., decis. 346. num. 1. & seqq. par. 6. rec.* cum alijs *per addent. ad Buratt. decis. 98., & add. ad decis. 6. par. 3. rec. num. 115. & seqq.*

Idquè non est nouum, quoniam de huiusmodi præscriptione redolente præsumptam solutionem, agunt etiam nostri
3 maiores præsertim *Bald. instit. de act. in princ. relat. per Surd. decis. 174. numer. 3.*, vbi in specie de hoc eodem spatio 16. annorum; Cum etenim, vt aduertitur infrà ad materiam *textus in l. Procula ff. de probat.* super præsumpta solutione resultante à longæuo silentio, in iure statutum non sit, quale tempus ad id sufficiat, atquè Scribentes nimium discordare videantur, hinc proindè, ad huiusmodi quæstiones dirimendas, prudenter per Statuta, certa temporis determinatio inducitur, absq; alio requisito adminiculorum, quod de iure cõmuni est necessariũ.

Scribens ego pro reis conuentis, vt eis, & causæ Patrono motiuum promouẽti, morem gererem (vt frequentèr in Curia Aduocatos facere oportet);
4 Dicebam quod hæc statutaria præscriptio, suffragaretur quidem debitori excipiendo ad liberationem obtinendam, non autem agendo ad indebiti repetitionem, in qua actoris partes debitor gerere dicitur, ex propositione cõmuniter recepta *per* Ciuilistas *in l. cum de indebito ff. de probat.*, & *per* Canonistas *in cap. final. de solut.*, quod indebitum non præsumitur, ideoquè agenti ad repetitionem indebitè soluti, incumbit onus concludentis, ac perfectæ probationis excludentis contrariã possibilitatem, qua vigente, frequens, ac receptum axioma est, vt probatio dici non possit perfecta, & concludens, ex ijs, quæ in hac materia repetitionis indebiti, cæteris relatis habentur *per Feder. de fen. consil. 54. Rot. apud Buratt. decis. 592. num. 3.*, vbi latè *add. decis. 38. & 130. par. 7. rec. Royas decis. 189., decis. 152. post Merlin. de pignor.* & sæpius.

Hinc proindè, quamuis debitori excipiendo suffragari possit solutionis præ-
5 sumptio, quæ ex huiusmodi statutaria dispositione resultat; Siuè altera, quæ resultat à diuturno silentio iuncto cum adminiculis iuxtà terminos *textus in dicta l. Procula*; Aut ea, quæ oritur ex tribus vltimis continuatis solutionibus ad terminos *textus in l. quicumque Cod. de apoc. public. lib. 10.*; Vel altera, quam inducit super diminutione fructuum, vel vsurarum *textus in l. aduersus Cod. de vsur.*; Aut altera enunciata in præcedentibus, quæ oritur ex restitutione, vel laceratione apocæ, vel scripturæ; Siuè ex ea præsumptione mediorum, quæ resultat à probatione extremorum, cum similibus; Attamen hæc non suffragantur, agendo pro indebiti repetitione, vt patet ex eisdem supra allegatis.

Quod ẽt habemus in materia vsuraria circa probationem solutionis vsurarum,
6 tàm ob odibilitatem materiæ, quàm ex eo quod fœneratores, vt vsuras fraudent, eas occultare studeant, ideoquè leuiores probationes sufficiunt, quoniã id rectè procedit excipiendo, ac ad liberandum, vbi scilicèt debitor allegat solutionem vsurarum ad effectum earum imputationis in sortem *ipso iure*; Secùs autem vbi per viam repetitionis indebiti, vt ità distinguendo habetur pluries *sub tit. de vsur.* præsertim *disc. 12. & 17.*

Verùm reflectendo ad veritatem, Partibus ab *initio* insinuatam, fallacia clara
7 erat in applicatione; Præmissa etenim rectè procedunt, vbi agitur de repetitione indebiti voluntariè soluti, cui iuris præsumptio resistit; Secùs autem in ea solutione, quæ coactè, ac iudiciali auctoritate facta sit, vt ità distinguendo, habetur apud supra allegatos, atq; est distinctio vera, & recepta.

Clariùs verò in hac facti specie, ex duplici circũstãtia, quæ omnem difficultatẽ remouebat; Primò scilicèt quod agebatur de pecunia soluta de mandato Iudicis cũ cautione de restituendo &c., ideo-
8 què vt aduertitur *supra disc. 2.*, & in alijs pluries, ista non dicitur vera solutio, sed potiùs præcaria, seù prouisionalis consignatio, redolens speciem depositi, adeò vt pecunia dicatur semper extare in bãco Iudicis, perindè ac si soluta non esset; Et secundò quia agebatur de solutione

facta

facta per hæredem beneficiatum de bonis hæreditarijs iam positis sub cõcursu
9 creditorũ, pro quibus omnibus dissoluẽdis hæreditas idonea non erat, ideoquè hæres, qui legalis administratoris partibus fungi dicitur, non potest alijs creditoribus præiudicare, soluendo illud debitum, quod ità erat exceptione elidibile, et consequenter ex pluribus istud mortuum, quamuis, more Aduocati, vel Cõsulentis ad causæ opportunitatem, plenè exornatum, nullam habebat subsistentiam.

Eodem tamen sensu veritatis retento, dicebam reis conuentis absolutoriam debitam esse (vt cum iustitiæ fundamento sequutum fuit), ex eo quod dicta præscriptio statutaria in hac facti specie verè non intraret, ideoquè cessaret indebiti præsuppositum; Vt enim suprà, & alibi pluries insinuatur, ista non est vera, & formalis præscriptio peremptiua debiti
10 in pœnam negligentiæ debitoris iuxta terminos *textus in l. omnes, & l. sicut Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*, (quoniam hæc dari non potest in ipso principali debitore, donec viuit ratione malæ fidei, quæ influit etiam in hæredem iuxtà vnam opinionem ex deductis infrà *disc. sequenti*); Sed est solutionis præsumptio, quæ de iure communi, non concurrentibus alijs adminiculis, & præsumptionibus non sufficit, ex regula, quod tempus non est modus inducendi, nec tollendi obligationem, atquè in hoc huiusmodi Statuta operatiua sunt vltrà iuris communis dispositionem, tàm scilicèt circà vniformem determinationẽ temporis, quàm circa aliorum adminiculorum suppletionem.

Ac etiam, vt ei non obstet illa perpetuatio, quæ resultat ex lite, seù iudiciali interpellatione, potissimè vbi attenditur dispositio iuris canonici, per quam, instantia nunquam perit, sed ea perpetua
11 est, quoniam si post interpellationem, imò post condemnationem, seù relaxationem mandati intercedat nouum silentium 16. annorum, vel alterius temporis à Statuto præfiniti, adhùc illud intrat, quod dici non posset, si ageretur de vera, & formali præscriptione, vt habetur præsertim *apud Merlin. decis.* 124., vbi in specie hoc examinatur, ac benè aduertitur, vt quo magis creditor diligens fuit debitorẽ iudicialiter pulsando, atq; cum eo litem substinendo, eius condemnationem obtinere, eo magis intrat dicta præsumptio, quam Statutum inducit ex diuturno silentio, ità potiùs inuerisimili, nisi solutio sequuta esset.

Verùm hæc est simplex, & nuda præsumptio iuris, quę non solùm tollitur per contrariam probationem expressam, verùm etiam per præsumptiuam, seù adminiculatiuam ex præsumptionibus, & ad-
12 miniculis deductam, vt cæteris relatis firmatur *per Rotam decisione* 44. *num.* 12. *post Merlin. de pign.*, cum cõcordantibus *per addent. ad Buratt. decisione* 98., *& per addent. ad decis.* 6. *par.* 3, *rec. nu.* 62.

Plura verò adminicula vrgebant, quæ simul iuncta, cum consueta regula, *vt singula quæ non prosunt &c.*, sine dubio dictam præsumptionem suffocabant; Primò scilicèt illud resultans à libris benè, & mercantiliter tentis per adeò magnã, & probatam rationem; Quidquid enim sit de articulo, àn, & quando huiusmodi libris deferendum sit ex deductis *per Bu-*
13 *ratt. & addent. decis.* 344. *&* 603. *add. ad Gregor. decis.* 79. *in Romana mercium*, 10. *Decembris* 1642. *coram Meltio, & decis.* 225. *par.* 10. *rec. num.* 1. *& seqq.*, vbi in terminis fortioribus libri priuati probantis concurrentibus adminiculis; Indubitatum tamen est, quod vbi etiam ad concludentem probationem non sufficerent, faciunt tamen adminiculum.

Secundò ob qualitatem creditorum, non solum ob nimium probatam fidem etiam in rebus longè maioris importantiæ, sed etiam ob eorum consuetudinem,
14 ac modestiam per diuturnũ etiam tempus dissimulãdi exactionem præsertim à qualificatis Cardinalibus, cum quibus frequenter huiusmodi vrbanitates nimium lucrosam negotiationem redolere solent, ob fortunæ status mutationem; Tertiò potissimùm ob specificam qualitatem istius debitoris, (cuius mors instatu insufficientiæ non obstantibus tot muneribus, illo præsertim Datarij per decennium, & vltra, eius nimiam integritatem comprobauit); Quartò obseruabam non leuè ad miniculum quoquè resultare ex ipsomet actu solutionis, cui Clementia hæres consensit, vel se non oppossuit vt potè de rebus domesticis bene conscia.

Et quinto demum ob atteſtationes iuuenum, ac miniſtrorum dictæ rationis, quod verè iſtà partita fuiſſet ſemper accenſa; Quamuis enim aduersùs hanc atteſtationem obijceretur, quod eſſent
15 famuli, quibus deferendum non eſt fauore proprij Domini, attamen vltra quod, vbi non agitur de famulis vilibus, ſed de perſonis honeſtis, & probis, quibus familiarium potiùs, quàm famulorum titulus congruit, in hac propoſitione magis circumſpectè proceditur, vt in ſpecie cæteris relatis aduertitur *apud Dunozett. deciſ. 993. num. 6.*

Neque verſabamur in caſu, quòniam iſti non erant, neque famuli, neque familiares, ſed miniſtri, & officiales rationis deponentes de re ſpectante ad eorũ officium, ideoque magna differentia
16 eſt inter iſtos, ac famulos, vel familiares, vt aduertitur *apud Mantic. deciſion. 122. Buratt. deciſ. 143., & 775.*

Motiuabant quoque de concluſione de qua apud *Boccacc. ad hoc Statut. gloſ. 19. numer. 199. cum ſeqq., & Sperell.*
17 *deciſ. 135. num. 53. Rota deciſ. 39. nu. fin. par. 11. rec.*, vt ſcilicet iſtud Statutum tanquam laicale, non afficiat eccleſiaſticos, et conſequenter, quod ratione correlatiuorum neque eis prodeſſet, vt in propoſito Ægidianæ habetur *apud add. ad Gregor. deciſ. 581. nu. 8., & ad Buratt. deciſ. 16.*, & in ſua materia *ſub titulo de iudic.*

Verùm motiuum non placebat; Tum quia, vt aduertitur, præſertim *ſub titulo de dote diſc. 143., & ſub titulo de ſucceſſ., & alibi*, iſtà moderna opinio, quod Sta-
18 tutum Vrbis non comprehendat eccleſiaſticos, nunquam captiuauit intellectum, quamuis hodiè cum illa viuatur, Tum ſpecialiter in hoc Statuto, quoniam illud, vt dictum eſt, non perimit actionem directè, adeout clericus non ſubditus ex illius diſpoſitione actionem aliàs competentem amittat, ſed ex moribus regionis inducit præſumptionem, quæ ità viget in eccleſiaſticis, ac in ſæcularibus, cum proueniat magis à natura, quàm à ſubtilitate, vel diſpoſitione iuris ſtatuarij; Ideoque obſeruabant conferre ea, quæ ſuper hoc puncto comprehenſionis clericorum ſub huiuſmodi Statutis habentur ſupra *diſc. 10.*, cum ſimilibus.

Nimium autem frequens eſt in Curia tractatio iſtius Statuti, eiuſque limitationum, & præſertim, vt non intret in debito impugnato, ex concluſione in præcedentibus etiam inſinuata,
19 quod cum illud inducat ſolutionem præſumptam, iſtà præſumptio ex hoc ceſſat, quoniam non præſumitur ſolutũ indebitum, *vt apud Dunoz. deciſ. 847. in fine dicta deciſ. 44. poſt Merlin. de pign. deciſ. 199., & 219. poſt Zacch. de oblig.*, & frequenter.

Diſputaui etiam pluries, àn eadem ſtatutaria præſcriptio intraret fauore hæreditatis iacentis, adeo vt tempus vacationis computaretur; Et quamuis *in deciſ. 353. num. 21., & ſeqq. par. 6. rec.*
20 affirmetur quod ſtatutum comprehendat etiam corpora ficta, qualis eſt hæreditas iacens, & in ſpecie hæreditatis iacentis habetur *deciſ. 150. poſt. Fenzon.*; Attamen in facti contingentia aduertebam quod in hoc propoſito diſtinguendum videbatur; Aut enim agitur de hæreditate iacente creditoris, contrà quam debitor excipiendo, ac ad ſe liberandum alleget hanc præſcriptionem cæptam cum defuncto, & tunc obſtare videtur regula, quàm habemus in materia veræ, ac formalis præſcriptionis, vt cæpta cum defuncto, continuet cum hærede quamuis minore, & priuilegiato, ſiuè cum hæreditate iacente, quod tamen neque tutum videtur, niſi magna huius temporis pars ipſo creditore viuente effluxerit, pro facti qualitate, quoniam cum ex præmiſſis iſtà non ſit vera preſcriptio, ſed ſolutionis præſumptio, contraria præſumptione elidibilis, notabilis præſumptio eſſe videtur iſta, quod de tempore vacationis hæreditatis ſilentium conſiderabile non eſſet, eo quia nemo hoc medio tempore ſoluere poterat; Aut è conuerſo preſciptio hæc allegatur ex parte hæredis, vel hæreditatis debitoris contra creditorem, et tunc multò minus de ſilentio temporis, in quo hæreditas iacens fuit, ratio habenda venit, quoniam ceſſat præſumptio ſolutionis, quam nemo hoc tempore facere poterat, niſi Iudex, vel de iſtius mandato curator, qui non ſoluit, niſi cum congruis iuſtificationibus.

Diſputarè quoque contigit pluries, àn hoc Statutum ligaret forenſes, nec ne;

Atque

Atquè quandoque firmata fuit simpliciter affirmatiua cum moderatione, vt istà forensitatis qualitas esset iusta causa restitutionis in integrum ex clausula *si qua mihi* &c. ex deductis *decis.* 555. *par.* 4. *rec. tom.* 3. cum alijs *per add. ad Buratt. decis.* 98.; Quandoquè verò fuit dictum contrarium præsertim *in Eugubina bonorum seù Saluinni* 28. *Iunij* 1666. *coram Emerix*; Verùm aduertere consueui, quod ista videtur quæstio potius facti, quàm iuris ex eadem ratione, de qua supra occasione comprehensionis cleri corum, quod scilicèt ista non est lex, quæ ex sola eius vi, & potentia perimat, vel tollat actionem proprio subdito alias competentem, vt est (exempli gratia) Statutum dotium moderatorium, quod irritat conuentionem in excessu; Siuè est Statutum Ianuę, de quo supra *disc.* 92. quod per quinquennium extinguit cautiones iudiciales, cum similibus, sed solum inducit quamdam præsumptionem à iuris cõmunis etiam dispositione resultantem, ità ad tollendas controuersias certam normam præscribendo, et consequenter non intrat inspectio formalis subiectionis, sed potius altera indentitatis rationis, & àn eadem presumptio intret, nec nè; Si enim agitur de debito contracto in Vrbe, vel districtu, in quo Partes morentur, nil referre videtur an sint ciues, vel incolæ, vel potiùs iure forensium habendi sint; Et è conuerso si Partes viuant in diuersis locis, vbi sola *iuris* communis dispositio attenditur, casus autem præbeat, vt per appellationem, vel per electionem fori ex priuilegio clauso in corpore iuris, aut per apprehensionem in Curia &c. contingat causam tractari in Vrbe, nullatenus dicendum est huiusmodi præscriptionem statutariàm intrare, atquè cum hac distinctione rectè conciliari videntur ea, quæ in hac materia pugnant, ideoquè, vt dictum est, huiusmodi quæstiones pro facti qualitate, & circumstantijs potius decidendæ veniunt.

An autem, & quando huiusmodi statutaria præscriptio complectatur creditum ex causa dotis, habetur in sua materia *sub titulo de dote disc.* 29. *&* 164.

ROMANA PECVNIARIA

PRO GVARNERIO CAVALLERINO CVM MARINO TRONATO.

Casus decisus per Rotam pro Marino.

De eadem materia præscriptionis statutariæ, vt non intret cum creditore ignaro; Et àn Statutum locum habeat cum forensibus, vel cum clericis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Qui exegit alienã pecuniam, tenetur eam restituere mandanti.*
4 *De præscriptione statutaria Vrbis.*
5 *Vt non afficiat clericos.*
6 *Ignorantia inuerisimilis non excusat.*
7 *An forenses ligentur dicto Statuto.*
8 *Clerici possunt vti Statuto laicali ad eorũ fauorem.*
9 *Expenditur conclusio, de qua num.* 5., *vt non subsistat, & de ratione.*
10 *De eodem, & quando intret inspectio exemptionis clericorum à Statuto.*
11 *De circumstantijs excusantibus creditorem.*
12 *Statutaria præscriptio, sicut non procedit fauore debitoris negantis debitum, ità non procedit contrà creditorem, qui se non credebat talem.*
13 *Quando est conscius exactionis factæ à mandatario nõ est necessaria præscriptio statutaria.*
14 *Declaratur conclusio, de qua numer.* 6. *quando, & ad quem effectum procedat.*

DISC. CXXX.

PEtrus Angelinus, Guarnerij debitor in ſcutis 1000., vſq; ab anno 1647., ordinem creditori conſignauit directum camſori, (penès quem tamen pecuniam non habebat), vt ei ſolueret ſcuta 500., cum promiſſione de reimburſando camſorem, qui ordinem impleuit mediante ſolutione facta Marino per Guarnerium deputato ad exigendum cum girata; Verùm abſquè eo quod appareret, vt creditor exactionis conſcius eſſet, idem continuauit habere in debitorem Petrum pro integra ſumma ſcutorum mille, pro qua cum pulſauit coràm A.C., qui hæredes Petri interim defuncti abſoluit pro dicta rata ſoluta, vndè propterea creditor ſe direxit contra Marinum, atquè ab eodem Iudice mandatum executiuum obtinuit, commiſſaque per Signaturam cauſa appellationis *in Rota coram Rondanino* cum clauſula translatiua *ſi quid exequendum*, agnito per alios creditoris defenſores, & me, in hoc ſtatu ad cauſam euocatos, proceſſum executiuum non eſſe ſubſtentabilem, aſſumptũ fuit dubium petitorij, àn conſtaret de credito, quod *ſub die* 19. *Iunij* 1671. negatiuè reſolutum fuit.

Cumquè in hac diſputatione; Scribentes pro reo conuento, nõ impugnando veritatem exactionis de facto, minuſquè obligationem de iure mandatarij, ſeù exactoris reſtituendi mandanti, vel præponenti exactum ex iuribus litteralibus, de quibus cæteris relatis *apud Roias deciſ.* 189, vbi ſolum quæſtio eſt, àn exactores teneantur de inexactis, nec ne, defenſionem reſtringebant ad præſcriptionem ſtatutariam, de qua *diſcurr. præcedenti* ſtante lapſu temporis 16. annorum, & vltrà.

Quarè ex hac parte, ad huiuſmodi exceptionem elidendam, tria deducebamus motiua dictam ſtatutariã præſcriptionem excludentia, quorum vnum ſufficiens erat; Primò nempè quod non conſtaret de ſcientia exactionis in creditore, qui propterea ſciuiſſet ſe euaſiſſe mandatarij creditorem; Secundò quod reus eſſet forenſis ſub Statuto non comprehenſus, vt aduertitur *diſc. præcedenti*; Et Tertiò quod idem reus eſſet clericus, ideoquè ſub Statuto non comprehenſus, vt vltrà generalem propoſitionem, quod Statuta Vrbis quamuis per Papam confirmata, cenſeantur laicalia, & non comprehendant clericos niſi, vbi de voluntate comprehendendi conſtet de qua *ſub tit. de dote diſc.* 22., & 143; In ſpecialibus terminis huius Statuti habetur *deciſ.* 39. *num.* 11. *par.* 11. *rec.*, vbi recenſentur concordantes, in huius cauſæ deciſione quoquè deducta.

Omnia verò tria fundamenta reiecta fuerunt; Siquidem quoad primũ, dictum fuit inueriſimile videri vt, creditor vir diligens tandiù negligere voluerit à dicto Marino reſtitutionem pecuniæ, vel ordinis, inquirendo, àn eſſet exactus, nec nè, quodq; propterea improbabilis ignorantia non excuſaret, ex regula generali, quod pro ſciente habendus veniat ille, qui ſcire non vult, et ſuper qua regula, in eadem deciſione plures cumulantur Auctores, præſertim in ſpecie præſcriptionis ſtatutariæ *Roman. conſ.* 127. *ſub num.* 2. cum alijs in eadem deciſione.

Quoad ſecundũ, proceditur cũ diſtinctione iuſinuata *diſc. præcedenti*, vt concluſio ſit vera in forenſibus, qui alibi contrahentes, litigarent in Vrbe ratione appellationis, vel ex alio accidenti in eà cauſam agant, ſecus autem ſi debitum in ipſa Vrbe contractum ſit ibiquè Partes moram traxerint, cum tunc nil referat, àn ſint ciues, vel *incolæ* Statuto ſubiecti, vel potius ob accidentalem habitationem, forenſem qualitatẽ retineant iuxtà deciſiones, & auctoritates in eadem deciſione plenè recenſitas.

Et quoad tertium proceditur cum diſtinctione, de qua *ſub titulo de dot. dicta diſc.* 22., & 143. (quamuis in eo caſu illam à me toties deductam, & inculcatam Rota amplecti noluiſſet), vt ſcilicèt concluſio intraret quando Statutum allegaretur contra clericum in eius præiudicium, vndè propterea ille paſſiuam exemptionem allegaret; Secus autem vbi, idem clericus illud deduceret in ratione fauorabili, ac priuilegiatiua, in qua clericus volens, non prohibetur vti Statuto laicali ex deductis locis citatis cum alijs cumulatis in deciſione.

Reflectendo autem ad veritatem, admit-

mittebam tanquàm veram, & probabilem secundam responsionem circà qualitatem forensitatis, vt etiam ante disputationem in congressu dixi hoc motiuũ ab alijs deductum nõ esse subsistentabile; Quo verò ad tertium circà clericatum, responsio non placebat, vt pote, vel non sufficiens, vel non necessaria; Siquidem vbi dicta statutaria præscriptio aliàs de sui natura intraret, quià nempè non subsisteret primum motiuum, neque alia
9 accederet circumstantia, quæ illud cessare faceret iuxta deducta *disc. præcedenti*, tunc istà circumstantia clericatus, quamuis concurreret in casu conuerso, quià nempè *ipse* creditor esset clericus, contra quem de hàc præscriptione excipieretur, non videtur in consideratione habenda, neque aliquod probabile fundamentum habet hæc propositio, quoniam ex insinuatis *dicto disc.* 22. & 143. *de dote*, ac etiam supra *hoc eodem titulo disc.* 10. in proposito clerici creditoris, an comprehendatur sub Statuto fori mercatorum Bononiæ, quod scilicèt Statutũ non allegatur directè contrà clericum, ad ipsum obligandum, adeo vt iurisdictio cum eo exerceri dicatur, ipseque coactũ, ac passiuã subiectionem patiatur; Sed allegatur per debitorem à proprij Principis, vel superioris lege liberatum, ideoque lex non disponit cum creditore exempto, sed cum laico proprio subdito, quem à propria obligatione liberatum declarat, non directè, & impugnatiuè, sed ob solutionis probationem, quam fingit, vel inducit, ità præcipiendo Iudici laico eius subdito, coram quo debitor laicus conuenitur, vt eum exceptione solutionis tutum absoluat, ex regula vtriusque naturalis, ac positiui iuris principio innixa, vt per solutionẽ eius, quod debetur, omnis cesset obligatio.

Ac etiam in idem, quia istud Statutũ non continet aliquod priuilegium speciale, seù aliquàm exorbitantiam, vel correctionem iuris communis, vnde propterea intrarent dicti termini comprehen-
10 sionis, vel respectiuè subiectionis actiuæ, & passiuæ, quæ intrat in merè exorbitantibus, ac aliquid de nouo disponentibus, vt (ex. gr.) sunt Statuta excludentia à successionibus alias de iure debitis, vel sunt Statuta adimentia libertatem contrahendi iuxtà casum, de quo *dicto disc.* 22. & 143. *de dote*, cum similibus, quoniam, vt aduertitur *disc. præcedenti*, ex sola iuris communis dispositione, vel intentione receptum est, vt solutionis præsumptiua, seù adminiculatiua probatio admittatur deducta ex diuturno silentio, alijsque circumstantijs iuxta terminos textus *in l. Procula ff. de probat.*, de quibus pluries *hoc eodem titulo*; Sed quia DD. super tempore, alijsque præsumptionibus, cum consueta opinionum varietate, materiam inuoluunt, hinc proinde lex municipalis, vt iurgiorum occasionem tolleret, certam, ac vniformem temporis metam præscribit, per quam non elidit actionem, neque directè tollit ius tertij, quia nempè declaret indebitũ id, quod alias verè sit debitum in pœnam negligentiæ, vt facit ius commune in longissima præscriptione iuxtà terminos *textus in l sicut, & l. omnes Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum* (quo casu rectè intraret inspectio subiectionis, vel respectiuè exẽptionis creditoris, cui ius tollitur), sed solum inducit simplicem præsumptionẽ fauore debitoris, contraria probatione, etiam præsumptiua, vel adminiculatiua elidibilem; Et sic disponit super facto, cuius probatione data, effectus liberationis non resultat ab ipsa lege laicali, sed à iure naturæ, quod omnes afficit, vt occasione iuramẽti aduertitur *dicto disc.* 143. *de dote*, & pluries *hoc eodem tit.*, ac etiam sub altero *de alienat. & contract.*; Ideoque non videbatur, quid in hoc agere habeat immunitas ecclesiastica, vel dicta distinctio subiectionis passiuæ, vel vsus actiui, & sic theorica seù distinctio est vera de iure, sed videtur incongrua in casu quæstionis.

Restringebatur ergò causa ad primũ motiuum, quod erat potiùs facti, quàm iuris, an scilicèt dici posset, quod creditor, donec per primum debitorem excipiendo, deducta, & probata fuit dicti ordinis satisfactio, iustè credere potuerit, quod ille impletus non esset, quodque
11 integrum primum debitum in primæuo statu cõtinuaret, vt plures facti circumstantiæ suadebant, quia primus debitor per aliquas epistolas, aliosque actus, debitorem de tota summa se agnouit, atque creditor in eadem credulitate persistendo, de facto eum pro tota summa in iudicio pulsauit; Hoc enim posito planum

rema-

remanebat, quod hæc ſtatutaria præſcriptio non intraret, ex diſpoſitione, vel ratione *textus in l. fin. Cod. de annal. præſcript.*; Seù verius ex eadem ratione, ob quam *diſc. præcedenti*, & in alijs habetur,
12 quod hæc præſcriptio non intrat fauore debitoris, qui debitum negauit, quia præſumendum non eſt, vt ſoluere voluerit id, quod prætendebat non debere, ità è conuerſo, intrare non poteſt præſumptio, quod creditor fuerit diligens in exigendo id, quod ignorabat, ſeù credebat conſequi non debere, ob credulitatem, quod dictus ordo vanus remanſerit, vt frequenter contingit; Vndè propterea ex hac ratione, in materia formæ per Conſtitutionem Pianam præſcriptæ in
13 impoſitione cenſuum, recepta eſt diſtinctio inter cedulas, & huiuſmodi ordines ſoluibiles, vt in ſua materia *ſub titulo de Cenſibus*; Eo magis quia ex eiuſdem ordinis tenore conſtabat, quod debitor, qui illum fecerat, pecuniam in banco campſoris non habebat, vndè propterea potiùs redolebat rogitum pro mutuo, quod campſor mandanti extero, & non magnæ idoneitatis, ex frequentiori contingentia, eſſet negaturus, ideoq; coniungendo iſtam circumſtãtiam cum alijs, de quibus ſupra, dicta credulitas nimiũ probabilis videbatur.

Et è conuerſo, quando de ſcientia certa, ſeù veriſimili conſtaret; Aduertebam, quod opus non erat confugere ad huius Statuti præſidium, quoniam
14 etiam attenta diſpoſitione, vel ratione iuris communis, atquè in locis vbi huiuſmodi Statuta non vigeant, etiam longè breuius tempus in hoc propoſito abũdare videtur, quoniam iuxtà frequentem vſum perſonarum præſertim nobilium, ſeù aliàs congruum impedimentum habentium, exactiones litterarum cambij, vel huiuſmodi ordinum directorum bancis, ſeù campſoribus, fieri ſolent, mediantibus famulis, vel alijs fiduciarijs, quibus giratæ fiunt, & qui breui manu, cum eadem fiducia, pecunias domino, vel mandanti aſportant, de receputa, ſeù quietantia non ſolliciti, vt de me ipſo dicere poſſum, cum ità ſemper, mediantibus famulis, vel amanuenſibus, alijſquè fiduciarijs, litteras cambij, alioſquè ordines exegerim; Tali enim caſu ex communi vſu, neque per hebdomadas negligi ſolet à famulo, vel fiduciario non aſportante pecuniam, inquiſitio exactionis, vel reſtitutio litterarum, ſeù ordinum.

Et conſequenter, concluſio in deciſione deducta ſuper iuſta, vel iniuſta, ſeù veriſimili, vel inueriſimili ignorantia, eſt in caſu ſuo vera, ſed incongrua ad illum præſentis quæſtionis; Procedit etenim, vbi aliàs de iure intraſſet, atque
15 conſumata eſſet legitima præſcriptio à lege communi, vel ſtatutaria inducta, tanquam præſcriptio vera, & peremptiua actionis, aduerſus quam creditor, vel alter, cui actio competebat, peteret reſtitutionem in integrum ex capite ignorantiæ, quoniam tunc ipſe præmitur onere probãdi iſtam iuſtam, ac veriſimilem, & ſic excuſabilem tanquam qualitatem, quæ neceſſaria eſt pro fundamento petiti remedij extraordinarij, iuxtà copioſè in iſta materia collecta per elaboratum *Rubeum in addit. ad deciſ. 3. par. 3. rec.*, & habetur *ſub tit. de ſeruit. diſc. 77.*, & alibi pluries; Verũ id extraneũ videbatur à caſu controuerſiæ, in quo creditor non allegabat ignorantiam pro excuſatione pœnæ aliàs contractæ ob eius negligentiam, ad effectum, vt ſibi ex dicto capite ſuccurrendum eſſet, ſed dicebat, quod ità impeditũ remaneret initium dictæ præſcriptionis, vel præſumptionis, ideoque termini videntur diuerſi, atquè fallacia non eſt in concluſione, ſed in applicatione, vt frequentiùs contingit.

BITVNTINA SALVIANI PRO CAPITVLO CATHEDRALIS CVM FRANCISCO FRAMARINO.

Casus decisus per Rotam pro Capitulo.

De exceptione præscriptionis ad terminos iuris communis, àn, & quandò suffragetur debitori; Et quid de eius hærede, àn huic obstet mala fides, quæ obstaret principali debitori; Et de hac materia præscriptionis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De remedio assistentiæ in Regno Neapolis.*
4 *De præscriptione hypothecæ, vel constituti.*
5 *De præscriptione actionis exequutiuæ.*
6 *Fructus dotales non debentur soluto matrimonio.*
7 *Quando debeatur interesse.*
8 *Præscriptio non incipit ante natam actio.*
9 *De interesse debito ob euictionem.*
10 *Interesse non potest excedere veritatem damni.*
11 *De præsumpta solutione dotis in mobilibus.*
12 *De ratione, ob quam rarò completur præscriptio.*
13 *Mala fides impedit præscriptionem.*
14 *In annuo debito non sufficit vna præscriptio.*
15, 16, & 17 *Mala fides debitoris nocet etiam hæredi, quodque hæc propositio, ità generalis non sit tuta.*
18 *De distinctione super eadem conclusione.*
19 *De ratione, ob quam mala fides defuncti afficit hæredem.*
20 *Quando cesset, & hæres præscribat.*
21 *De differentia inter præscriptionem odiosam, & non odiosam.*
22 *Requiritur mala fides vera, non præsumpta.*
23 *Et àn media in errante, vel dubitante obstet.*
24 *Quæ mala fides requiratur per restitutione fructuum.*
25 *De mala fide præsumpta, vt non obstet.*
26 *De limitationibus conclusionis, de quanum. 15.*
27 *Præsertim de illa in hærede beneficiato quomodo procedat.*
28 *De combinatione præscriptionis, & præsumptæ solutionis.*
29 *De alio casu, in quo de eadem combinatione.*
30 *Et de alio casu, in quo de eodem.*

DISC. CXXXI.

1 SQuè ab anno 1568. inita fuit apoca dotalis pro matrimonio contrahendo, de anno 1572. iam contracto, inter Franciscum, & Beatricem, cum dote, partim in stabilibus, & in quodam censu cum communitate oppidi Pali, & partim, iuxtà stylum, in mobilibus, seù corredo, quod in Vrbe dicitur acconciũ; Cumquè ad aliquos annos dictus census cum Communitate euictus esset; Hinc de anno 1642., Franciscus dictæ Beatricis nepos ex filio, contrà Capitulum Cathedralis, hæredẽ fratris dictæ Beatricis iudicium assistẽtiæ coram Ordinario instituit ad quædam bona hæreditaria dotantis, atquè post aliquod intermedium silentium, causam reassumendo, sententiã fauorabilem reportauit pro summa scutorum 700. circitèr in sorte, vna cum fructibus decursis, & decurrendis, introductaq; per appellationem causa coram A.C., in contumaciã, Capitulo ob negligentiam eius procuratoris non defenso, prodijt sententia confirmatoria, quæ ob appellationem in tempore non interpositam transitum fecit in iudicatum, habitaquè notitia, & commissa causa restitutionis in integrũ *in Rota coram Emerix*, ft datoque solito dubio, àn constet de re iudicata, vel potiùs de causis restitutionis in integrum, *sub diebus 28. Ianuarij* 1669.

1669. & 16. *Iunij* 1670. fauorabiles Capitulo prodierunt resolutiones, negatiuè de prima parte, & affirmatiuè de secunda respondendo.

In his autem *disputationibus habitis in Rota*, duæ fuerunt inspectiones; Vna ordinis super nullitate, & iniustitia sententiarum ad solum effectum tollendi rem iudicatam, vel aperiendi locum restitutioni in integrum; Et altera super iustitia, seù meritis negotij principalis.

Prima inspectio plana videbatur pro hac parte, cum sententia esset nulla, ob incompetentiam iudicij assistentiæ, quod ex veriori sententia complicatum est ex
3 tribus diuersis remedijs, quæ in iure habemus, nempè hypothecaria, saluiano, & associatione, vt benè aduertit *Rouit. in rubric. seù pragm. 1. de assistent.*, & habetur in sua materia *sub titulo de iudic.*, vbi de huius remedij peculiaris in Regno Neapolitano natura, & qualitate; Cum etenim omnium dictorum iudiciorum fundamentum sit, vel hypotheca, vel clausula cõstituti, vel pactum de capiendo propria auctoritate, in his omnibus intrat præscriptio, vel decennalis, quæ in tertio præsertim possessore respectu
4 hypothecæ, & constituti verius intrat, vel ad summum tricennalis, quæ in pacto de capiẽdo requiritur, ex deductis in dicta sua materia; Ac propterea cum adesset lapsus annorum 70. circiter, certa videbatur huius iudicij incompetentia, cum quodcumquè remedium quantumuis executiuum, & priuilegiatum per spatium 30. annorum præscribatur ex deductis *supra discur. 117.*, vbi aduertitur, quod ad hunc effectum non intrat
5 inspectio bonæ, vel malæ fidei, ac subductionis temporis vitæ principalis debitoris iuxta terminos *textus in cap. fin. de præscript.*, de quibus infrà, quoniam; Aliud est præscribere debitum, vel actionẽ in substantia; Aliud verò præscribere iudicium, seù iudicis officium.

Aderat quoquè iniustitia clara ratione excessus, ob condemnationem ad fructus pro toto tempore vsque ad præsens, quod iuxtà opinionem, quam in-
6 concussè sequitur Rota, & Curia, subsistere non poterat; Quamuis enim ageretur de credito dotali, attamen illud ex dispositione textus *in cap. salubriter de vsur.* est fructiferum durante matrimonio tantùm, cuius onera sunt loco requisitorum lucri cessantis, vel damni emergentis; Matrimonio autem soluto, remanet purum creditum dotale infructiferũ, potissimè verò post mortem mulieris, cuius vita durante aliqua non improbabilis dubitandi ratio cadit ex deductis in sua materia *sub titulo de dote discur. generali* 161., & in pluribus discursibus particularibus.

Et quamuis in Tribunalibus laicalibus Regni Neapolitani, (data mora), alia requisita pro interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, tanquàm in regione,
7 notoria reputata, particularem iustificationem non exigant, ideoquè passim fiat condennatio ad interesse, dum fortiùs præstatur etiam pro fructibus censuum, quos ibi tertias dicunt; Attamen Rota, & Curia Romana, nunquam hanc opinionem canonizare voluit, vt aduertitur pluries in sua materia *sub titulo de vsur., & interess.*, ac etiam *sub titulo de censib., & dicto disc.* 161. *de dote*.

Quatenus verò pertinet ad iustitiam, seù merita negotij principalis, de quibus actum fuit, tàm in dictis disputationibus, quàm etiam in aliquibus cõgressibus ordinatis ad cõcordiam; Duo erant puncti; Primò circa præscriptionem, seù aliam liberationem à debito in sorte principali; Et secundò, quatenus verè aliquid in sorte supereresset debendum, an deberentur, nec nè fructus; Et quoad primum, cum summa residualis in sorte per actorem petita constitueretur ex duabus partitis; Vna scilicèt illius ratæ dotis, quæ promissa fuerat in mobilibus, seù acconcio, quod ibi corredum dicitur; Et altera pro subsequuta euictione census assignati super dicta Communitate; Super hac secunda partita planum videbatur bonum ius actoris, cum facta supputatione temporis à die sequutæ euictionis, certum esset quod non acce-
8 deret tempus ad præscriptionem necessarium, cum illud non currat nisi à die natæ actionis ex vulgari regula *textus in l. fin. Cod. de annal. præscript.*, quod non valenti agere, non currit præscriptio.

Et de consequenti, resultabat etiam pro hac rata, decisio alterius puncti fructuum ad fauorem actoris, non in ratione interesse pro credito pecuniario ob solam moram, sed in ratione damnorum,

&

& interesse euictionis, sub qua veniunt
9 sine dubio fructus rei euictæ, quos ille, qui euictionem passus est, percepisset, si ea sequuta non esset, vt *in sua materia sub titulo de emptione, & venditione*, & est in iure planum.

Verùm quià in facto supponebatur, quod ob notorias illarum regionum calamitates, huiusmodi census cum Communitatibus, de facto essent inutiles, vel satis modicus fructus ex illis obtineretur, detracto illo onere, quod ibi *bona tenentia* nuncupatur, per forenses debito, iuxtà modernam *pragm. 18. sub titulo de administratione Vniuersitat.*, moderno tempore post reuolutiones populares æditam de anno 1650.; Hinc proinde, (etiam in sensu veritatis), dicebam quod per actorem aliud prætendi non posset, tàm in sorte, quàm in fructibus, nisi quantùm interesset euictionem sequutam non esse, & sic attento tempore præsenti, non autem præterito, in quo datio insolutum, seù venditio facta fuit, quod vtriusquè contrahentis commodum, vel incommodum æquè respicit, quatenùs medio tempore res in contractum deducta, augumentum, vel decrementum recipiat, cũ interesse aliud non sit, nisi ficta supplerio rei, quæ debita est, ideoquè fictio veritatem superare non potest ex deductis pluries in dicta sua materia *sub titulo de vsur., & interesse*, ac etiam *sub titulo de feud.* ad materiam Bullæ Baron. *disc.* 81.

Prò alia verò summa residuali per actorem prætensa; Quamuis in decisionibus adhiberẽtur termini præscriptionis, de qua nimium disputatum fuit; Attamen mihi videbatur quod iftà Pars verè iustitiam foueret, potius ex minus odioso, magisquè benigno, ac verisimili
11 motiuo præsumptæ solutionis iuxtà terminos textus *in l. Procula ff. de probat.*, non solum ob diuturnum silentium, ac solita adminicula resultantia ab idoneitate debitoris, ac diligentia, & indigentia creditoris, & subsequuta morte, ex ijs, quæ ad hanc materiam præsumptæ solutionis habentur *discur. sequen.*, & pluries in præcedentibus; Sed fortiùs ratione subiectæ materiæ, & qualitatis bonorum, quoniam de communi vsu vir sollicitus esse solet de solutione dotis in pecunia, vel speciebus, atque in hac parte dotantes curant habere cõgruas dilationes, & super solutionibus fiunt quietantiæ; Secus autem in ea parte, quæ consistit in acconcio, seù corredo, quod sponsæ secum trahunt, atquè de eo, tàm ipsæ, quàm earum matres nimium sollicitæ esse solent per pluries annos antè nuptias, in his potius, quàm in bonis, & redditibus præcipuam vim constituentes, vndè propterea nimiùm improbabile est, quod diù durante matrimonio cũ plurium filiorũ procreatione, dotis exactio neglecta esset; Istiquè videbantur termini magis plani, & faciles, quàm alij veræ, ac directæ præscriptionis, istius requisita attendendo, potius famulatiuè ad dictam præsumptam solutionẽ, quàm ad directam præscriptionem redolentem speciem pœnæ negligentiæ creditoris; Quoniam tàm ob solutionẽ temporis, in quo vigeat malæ fidei obstaculum, quàm ob subductionem pupillaris ætatis creditoris, vel ob restitutionem in integrum, quæ datur pro tem-
12 pore minoris ætatis, vel alicuius iusti impedimenti, siuè ratione iustæ ignorantiæ, ob quàm receptum est eamdem præscriptionem competere ex deductis pluries alibi, & præsertim *sub titulo de seruit. disc. 87.*, nimiùm rari sunt casus, in quibus hæc nauis præscriptionis ad portum apellat.

Verùm quatenus ad hunc punctum pertinet, præscriptionis simpliciter, ac de per se consideratæ iuxtà rigorosos terminos textus *in l. omnes, & l. sicut Cod. de præscript.* 30., *vel* 40. *annor.*, adhuc tamen in hac facti specie dicta præscriptio bene completa adesse videbatur, dum post subsequutam mortem principalis debitoris effluxi erant anni 40., & vltrà, et consequenter intrabat dispositio dictorum iurium.

Non negabam etenim iuris principium hodiè certum, ac receptum, etiam in foro laicali, vt ex dispositione iuris canonici *in cap. fin. de præscriptione*, principalis debitor nũquam præscribat debitum certum, & quod rectè scit debere
13 cum ratione malæ fidei ità redolentis peccatum, non possit debitor præscribere debitum, dum ità esset se locupletare de alieno, & se confouere in peccato, ex ijs, quæ cõmuniter firmant tàm Ciuilistæ, quàm Canonistæ relati per DD., de qui-

bus proximè infrà, & tãquam absolutum firmatur *in alia Bituntina decis.373.par. 9.rec.*, vbi etiam plenè *nu.14.* de alia cõ-
14 clusione, vt iuxtà magis receptam opinionem Vltramontanorum, contra opinionem *Bart.* quam aliqui Citramontani sequuntur, vt in annuis præstationibus non sufficiat vnica præscriptio, sed tot requirantur anni, quot sunt præscriptiones.

Difficultas autem restringebatur ad punctum, àn mala fides dotantis, ac primi debitoris influeret in primum hæredem dicti debitoris filium, ac etiam in Capitulum hæredem secundum, seù mediatum, vtpotè à dicto primo hærede institutum; Atquè in hoc Scribentes pro actore dicebant, quod, quidquid antiquiores dubitauerint, ex infrà deductis; Hodiè plana, & recepta videatur opinio,
15 quæ cæteris relatis firmatur in dicta alia *Bituntina decis 373. num. 12. & 13. par.9.rec.*, sæpiùs in alijs canonizata, vt mala fides auctoris trãseat in hæredem, tàm primum, quàm secundum, vel vlteriorem, reiecta distinctione *Dyni*, vt id procedat de rigore iuris ciuilis, secùs autem de æquitate canonica, et de qua opinione reprobante dictam distinctionem *Dyni*, cæteris plenè relatis, habetur *apud Gabriel.de præscript.conclus.5. num. 2., Balb.de præscript.2. par.3. par.principalis 12. quæst. num. 11. & 12.*, ex traditione Canonistarum *in cap.si diligenti de præscript.*, vbi præsertim latè *Felin. num. 6., ibique additio*, atq; hanc tanquã veriorem firmat *Rot. dicta decis.373. num.12. & 13. par. 9. rec.*, in qua aliæ recensentur.

Scribens Ego pro Capitulo reo conuento, reflectendo ad istam quæstionem,
16 in qua DD. adeò se inuoluunt; Dicebam, vt huiusmodi propositio adeò simplicitèr, ac indefinitè sumpta, videretur minus tuta, nimiumquè clarum æquiuocum esset, ità eam simpliciter attendere; Impossibile enim videtur dictum assumptum, vt attenta dispositione iuris ciuilis, impediatur hæres, etiam ex persona propria inchoando à se ipso perficere præscriptionem longissimam 30. vel 40. annorum ob impedimentum malæ fidei à defuncto in eum transmissæ, dum ipse met defunctus, si viueret, quamuis in vera mala fide existens, præscriberet, quoniam esset ità dare maiorem vim ficto, vel præsumpto, quam vero, contra omnia vtriusquè scripti, & non scripti iuris principia; Ac etiam prorsùs absonum
17 est, vt tàm grauis *Doctor Dynus*, atq; tot eius sequaces relati *per Balbum vbi supra*, & latiùs *per Gabr. dicta conclus.5. num.1.* maiorem operationem in materia præscriptionis, vbi accedat mala fides, tribuere voluerint iuri canonico, quàm ciuili cum potiùs res sit in oppositum, quod iuris ciuilis rigorem super præscriptione, etiam cum mala fide, ius canonicum aboleuit, ideoquè non de facili intellectus percipit vim huius quæstionis, et quare vna opinio, quamuis minus communis, multos tamen habens sequaces, canonicæ æquitati plus deferat in hac materia, quàm iuri ciuili, nisi ad solum effectũ ordinariæ præscriptionis ex persona propria, denegata coniunctione temporum defuncti.

Ideoquè videtur in hoc distinguendũ esse, atquè vbi qui habeat aliquod maius otium, & accuratè ponderabit casus, de quibus agunt pro maiori parte Consulentes relati *per Gabr. vbi supra*, qui materiam inuoluisse videntur, dignoscet fortè, quod sit distinctio vera, quodque DD. cum his præsuppositis loquantur; Aut enim agitur de præscriptione, quæ sit iuris, vel rei alienæ acquisitiua, quia
18 nempè, ius, vel rem, quam cum vitio, & mala fide defunctus possidebat, deinde possidere continuet eius hæres, alio titulo proprio non suffultus, nisi hæreditario, nullumquè habeat bonæ fidei titulum putatiuum, sed agnoscat, vel agnoscere debeat, quod defunctus legitimo possidendi titulo careret; Et tunc rectè procedat dicta magis communis, ac recepta opinio contra *Dynum*, vt siuè continuando possessionem defuncti, siuè initiando à se ipso, non possit hæres, siuè sit primus, siuè vlterior, præscribere; Idemquè vbi agatur de præscriptione negatiua, seù liberatiua, quam debitor faciat contrà creditorẽ, quia nempè hæres sciat defunctum esse debitorem, nullamque iustam causam habeat credendi debitũ esse solutum, seù alias non deberi.

Tunc enim duplex intrat ratio impediens præscriptionem, quamuis longissimam, etiam ex persona propria, & à se ipso inchoandam; Primò scilicèt eius-

dem

dem malæ fidei iuxtà terminos,ac dispo-
19 sitionem *cap. fin. de præscript.*; Et secundò ratione obligationis frequentiùs ponderatæ per DD. quæ incumbit hæredi exonerandi animam defuncti mediante solutione eius,quod ipse debebat, seù restitutione eius, quod ipse malè occupauerat,atquè vtraquè pendet à iure canonico ratione peccati, & fauoris animæ; Ideoquè vbi agatur in his terminis præscriptionis longissimæ 30.,vel 40.annorum,non videtur ad quid,seù quomodo intret dicta distinctio inter canonicam æquitatem, & iuris ciuilis rigorem.

Aut verò ex *facti* qualitate pateat, hæredem,siuè primum, siuè vlteriorem,(cũ in hoc nulla dignosci videatur differentia)*in* bona fide versatum esse,quia nempè bona, vel iura in hæreditate reperta,
20 & per defunctum possessa crediderit ad eum ex iusto titulo in genere spectare, ignorando ius alienum,siuè iustè opinari potuerit, vt debitum quamuis cognitũ,à defuncto solutũ esset, aut illud probabiliter crediderit esse indebitum,siuè quod nullam eius notitiam habendo, in bona fide possederit bona hæreditaria,tanquã libera,& exempta ab omni onere,vel debito; Et tunc non videtur subesse congrua ratio, quæ prohibeat præscriptionẽ longissimi temporis iuxtà dictos terminos textus *in l. omnes, & l. sicut.*

Eatenus enim eorum dispositio cessat, quatenus mala fides vera ex dispositione iuris canonici ratione peccati,& fauoris animæ,id impediat, vndè propterea ista
21 præscriptio,(vt sæpiùs distinguendo in facti contingentia,dicere consueui), non est illa odiosa, & merè pœnalis, quæ aliã non habeat rationem,nisi punitionis negligentiæ, sed est potiùs altera fauorabilis confirmationis tituli bonæ fidei putatiui, & nè rerum dominia perpetuò incerto remanerent,quamuis ità in consequentiam resultet quoque pœna negligentiæ creditoris, vel domini suum ius non prosequentis,adeò vt continuata lõgissima pacifica possessio dicenda veniat interprætatiua illius dubij, quod possessor aliàs haberet,existendo in ea media fide, in qua errans, vel dubitans existere dicitur, ità remouendo dubium, vel timorem.

Quidquid enim aliqui dubitent, magis communis,magisquè probabilis opinio est, quod cum dispositio iuris cano-
22 nici *in dicto cap. fin. de præscript.* fundata sit in ratione peccati, in quo esse dicitur, qui sciens debitum non soluit, vel alienam rem detinet, hinc proindè necessaria est mala fides vera,& non sufficit præsumpta, in qua ius ciuile incorrectũ remanet, *vt ex Ripa,Couar., Menoch. & alijs firmatur per Rot.decis.*270. *num.*10. *par.6.rec.* & in alijs.

Siuè debet esse mala positiua, & non obstat media,quæ in dubitante, vel errã-
23 te esse dicitur,quamuis non adsit positiuè bona,quoniam sufficit abesse malam positiuam *Couar.in reg. possessor. par.*2.§. 7.*num.*2., dummodò sit error iustus facti, vel etiam iuris valdè dubij; Et habemus frequens, & quotidianum in materia faciendi suos fructus consumptos,
24 quod non solùm bona,sed etiam media fides excusat, eò ipso quod abest mala positiua,vt *apud Caualer. decis.*409.*in fin. & decis.* 645.*numer.*1., *Buratt., & add. decis.* 184. *decis.*3.*par.*7.*rec.*,& sæpiùs; Licèt in errante, vel dubitante plures intrent distinctiones,àn agatur de initiãdo præscriptionem,et tunc non sufficiat, sæcus autem, si ad continuandum, ac impediendum interruptionem, vel super qualitate erroris, vel dubij, vel super qualitate præscriptionis, àn sit ordinaria, vel extraordinaria, & longissima, quod plures habet inspectiones.

Applicando autẽ ad rem; Cum ex personarum, ac debiti qualitate, alijsquè facti circumstantijs, nimium probabiliter hæres credere potuerit istud residuale debitum esse satisfactum,adeò vt vbi etiã ipsa prima hora additionis per creditorem pulsatus fuisset, non improbabiliter allegare potuisset præsumptam solutionem iuxtà terminos textus *in l. Proculs ff. de probat.*; Hinc proindè subsequens longissimum silentium creditoris,illum-
25 in hac credulitate confirmauit,rectèque intrat præscriptio, quam ijdem sequentes opinionem contrà *Dynum*,atquè constituentes regulam, vt hæres non præscribat, admittunt pro limitatione, vbi scilicèt mala fides non esset vera, sed præsumpta, vt *per Gabr. dicta concl.* 5. *numer.* 6., *& per Balb. loco supracit. num.*14.,*& ante eos Felin. in dicto cap. si diligenti.*

Cumque vltrà supradictam limitationem, tres aliæ apud allegatos præbeantur, inter quas illa est, vt vbi hæres esset cum
26 beneficio inuentarij, assignata ratione, quod tunc præscribere posset ex iure, seù titulo proprio, quem inuentarium conseruat, neque hæreditaria qualitas illum impedit, quominùs eo vtatur; Hinc proindè clara resultat probatio, quod sensus DD. dictam quæstionem tractantium, alius non est, nisi agere de casu, in quo hæres omni putatiuo bonæ fidei titulo destitutus, ex solo beneficio possessionis
27 iure hæreditario obtentæ, contendat de rei alienæ acquisitione, cum tunc rectè procedat regula, vt vitium, quod obstabat defuncto, obstet etiam hæredi illum repræsentanti.

Vbi verò hæres aliquem verum, vel bonæ fidei putatiuum titulum habeat ex persona propria, independenter à defuncto, tunc inspicere refert, an sit cum beneficio inuentarij, necnè, vt isto beneficio cessante, cum ipse indefinitè teneatur ad omnia, ad quæ tenebatur defunctus, illius mala fides in eum quoque transeat, ipsumque afficiat, quoniam si sciebat, vel iustè credebat ex titulo proprio benè possidere bona tanquam libera ita, sciebat, quod tanquam hæres tenebatur soluere debita, quamuis vires hæreditariæ non supperterent; Secùs autem inuentario accedente, cum tunc hæres habeatur potiùs iure administratoris legalis, et consequenter debitum, vel obligatio defuncti non impedit ius propriũ, cum ita censeantur duæ personæ omninò diuersæ, quatenùs tamen vires hæreditariæ non supperant, quoniam intrà vires, idem est inuentarium confectum esse, vel non, vt hæres ad factum defuncti seruandum, eiusque debita, & onera implenda teneatur.

Ideòque in hoc proposito præscribendi debitum cum hac longissimi temporis præscriptione, intrare videtur combi-
28 natio duarum exceptionum huiusmodi, illius scilicèt præsumptæ solutionis iuxtà terminos textus *in d.l. Procula*, et alterius præscriptionis, ad effectum vt vbi prima exceptio sola, et de per se non sufficiat, quia nempè sufficientia adminicula non adsint, vel ea, in quibus debitor iustam credulitatem fundabat, destruantur à contrarijs adminiculis, vel probationibus, seù impedimentis creditoris, ità suffragetur altera exceptio simul iuncta, et sic quod vna alteram coadiuuet.

Hinc proindè *in Romana exequutionis Iesdi* pendente *in Rota* inter Alexandrum et Ignatium omnes de Petronijs coram
29 *Vicecomite*, in qua variæ hinc indè prodierunt decisiones super debito cuiusdam summæ, quam ex antiquo laudo emanato occasione diuisionis communis hæreditatis, vnus alteri supplere tenebatur, quod cum post longissimum tempus, dicta partita peteretur, atque per reum conuentum obijceretur de præscriptione, actor autem replicaret de mala fide, siue quod idem creditum ab eo deduceretur, excipiendo aduersus restitutionem quorumdam bonorum à dictæ summæ debitore petitam, magnæ assumptæ fuerunt disputationes super malæ fidei obstantia, siue an ea, quæ sunt temporalia agendo, sint perpetua excipiẽdo.

Scribens verò ego pro Alexandro, qui dictæ summæ debitor erat, Dicebam quod cum in eodem laudo, per quod auctor Alexandri condemnabatur ad soluendum auctori Ignatij summam controuersam pro refectione eius, quod vna portio magis importabat, condemnaretur; Ecõuerso dicti Ignatij auctor, ac debitor esset soluẽdi, vel bonificãdi auctori Alexandri fructus ex communibus bonis perceptos, tunc illiquidos, et liquidandos, ità sequi postmodùm potuit dicta liquidatio, et concors compensatio, cui subsequens diuturnum silentium referendum esset; Et sic quod longissimum tempus non attendatur (vt vulgò dici solet) nudum & crudum, tanquam præscriptionis inductiuum, seù liberatiuum à debito, sed tanquam comprobatiuum compensationis, vel præsumptæ solutionis, ità confirmando iustam credulitatem solutionis, vel indebiti.

Atque in vna *Romana Dotis, vel associationis* disputata coram A.C. inter PP. Sanctæ Mariæ in Campitello, & Sanctæ Marię Transpontinę quamdam domum
30 pro communi possidentes ex vna, et Mariam de Amatis ex altera; Cum *Sigismundus Scaccia Auctor tractatuum de camb., de appell., de iudic., et de re iudic.* esset debitor restitutionis dotis vxoris, exorta verò contentio esset inter mulieris fratres, qui eam dotauerant, ac eiusdem

mu-

mulieris hæredem testamentarium, cuiam dicta dos restituenda esset, iuxtà quæstionem super Statuto Vrbis, de qua habetur actum *sub titulo de dot. disc* 101., Iudex autem fauore fratrum decreuisset, quibus Sigismundus soluit, atq; post longissimum tempus annorum 40. & vltrà, hæres mediatus dictæ mulieris, pro eodem credito dotali in iudicio associationis, vel saluiani, ageret ad domum à dictis Ecclesijs possessam tanquam de bonis debitoris, Atque Scribentes pro actore dicerent, quod iuxtà decisionem 32. *Merlin.* dos debita esset hæredi, non autem fratribus, quodque dictus Sigismundus debitor, vel eius hæres præscribere non potuerat; Replicabam ego scribens pro Reis conuentis, (etiam cum sensu veritatis), quod tunc obiectum procederet, quando debitor se munire vellet cum solo beneficio præscriptionis, quo mediante remaneret in lucro obtinendi liberationem à debito verè nunquam soluto, cum tunc intraret illa præscriptio merè odiosa, quæ redolet pœnam negligentiæ creditoris; Secùs autem, vbi debitor iam soluit, atque contendit de euitando damnum reiteratæ solutionis, ità allegando longissimum silentium, et præscriptionem pro confirmatione bonæ fidei, in qua ex mandato præsertim Iudicis fuit, soluendo creditori putatiuo; Ideòq; magna differentia est inter vnam, et alteram præscriptionis speciem, et cum hac distinctione pluries, scribendo ad causam, vel respondendo pro veritate, procedere consueui.

MELEVITANA.

PECVNIARIA

SEV

DOTIS

PRO

PETRO CASSCIAR

CVM

MARIA ARAGONA.

Casus variè decisus per Rotam.

De exceptione præsumptæ solutionis deductæ ex lapsu temporis, et alijs adminiculis ad materiam textus in *l. Procula, ff. de probat.*

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De requisitis præsumptæ solutionis ad materiam* tex. in l. procula.
4 *De eodem, ac decisionibus de hoc agentibus.*
5 *Quæ regula in hac materia dari valeat.*
6 *Statutum inductiuum præscriptionis seruit pro adminiculo.*
7 *In specie de credito dotali, & de distinctione qualitatis bonorum.*
8 *Pactum inuestimenti est adminiculum exclusiuum præsumptionis.*
9 *De distinctione, an allegetur solutio agendo, vel excipiendo.*
10 *De casu præciso controuersiæ.*

DISC. CXXXII.

1 INito matrimonio inter Petrum, et Mariettinam, cum dote per Cæsarem sponsæ patrem constituta, partim in summa tradita, partim promissa infra certam dilationem, qua pendente, cum sequuta esset dicti Cæsaris mors in itinere classis triremium Religionis Hie-

ro-

rosolymitanæ, in quibus quoddam munus habebat; Dicta Mariettina, et Petrus vir, cũ præsuppositio mortis ab intestato, hæreditatẽ adierunt, detectoq; postmodũ testamento more militari in triremi, vel alio loco confecto, in quo Maria vxor & mater respectiuè, instituta legebatur, hinc diuturna lis habita fuit super dicti testamenti validitate, quæ demum ad fauorem testamentariæ sopita, Petrus, & Mariettina contra eam, iudicium instituerunt pro solutione sibi promissæ dotis; Introductaque causa *in Rota coram Albergato sub diebus* 26. *Iunij* 1665. & 15. *Ianuarij* 1666. fauore coniugum
2 prodierunt resolutiones, à quibus recessum fuit *sub die* 9. *Aprilis eiusdem anni* 1666. respondendo ad fauorem reæ conuentæ, atque prodijt resolutio ex motiuo solutionis; Repropositа verò causa *sub die* 1667. orta fuit quædam media resolutio fauore Actorum cum reformatione priorum resolutionum, neque causa vlteriorem progressum (quod sciam) habuit; Vel quia concordata sit, Vel quia Partes vltimæ resolutioni moderatiuæ acquieuerint; Aut quod defensores mutauerit.

Vltrà verò alios punctos ex dicto testamento resultantes; In vltimis præsertim disputationibus, punctus controuersiæ restringebatur ad solutionem ex parte hæredis debitoris allegatam, illeq; duplicẽ habebat inspectionẽ, Vnam scilicèt puri facti super expressa, & positiua eiusdẽ solutionis probatione; Et alterã mixtam, facti scilicèt, & iuris, super præsumptione ad terminos textus *in l. Procula, ff. de probat.*

Quatenus igitur pertinet ad hanc secundam (in qua erant Aduocatorum partes, cum super prima certamen solum esset inter causæ Patronos) pariter inspectio erat potiùs facti, quàm iuris, quoniam vt fortè centiès, ac centiès in ista nimium frequenti, et quotidiana quæstione præsumptæ solutionis dicere consueui, ac etiam habetur *sub titulo de dote disc.* 67. & 68.; Quamuis apud seniores
3 super dispositione, ac materia dicti textus, plures disputatæ fuerint quæstiones super tribus requisitis, tam scilicèt super taxa temporis, quàm super requisito coniunctionis sanguinis, ac super altero stylj reuidendi, et solidandi rationes, cum similibus frigiditatibus, ex ijs, quæ in hac materia habentur deducta, seù relata *per Capyc. Latr. consult.* 46.; Attamen verius est, vt huiusmodi quæstio, certam, ac determinatam regulam non recipiat, sed eius determinatio pẽdeat ex facti indiuidui qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantijs;

Coniecturæ autem, et adminicula, seù requisita ponderari solita per DD., atque
4 relata apud *Capyc. Latr. dicta consult.* 46., et in hodie notorijs *decisionibus* 13. *Afflict.*, 105. *Surdi*, 124. *Merlini*, 86. *par.* 11. *recent.* cum similibus, ponderanda non sunt physicè, et prout in dictis, ac similibus decisionibus, et auctoritatibus continentur, vt pluries pro consueto merè pragmatico inepto vsu fieri vidi, quasi quod aliqua adminicula in vno casu admissa, vel respectiuè reiecta, in omnibus alijs generaliter ita regulari deberent,
5 quoniam (vt frequenter in hac specie coniecturalis, vel adminiculatiuæ probationis aduertitur), stant benè simul, vt in vno casu aliqua adminicula sufficiant, in altero autem, eadem, ac maiora non; Siue quod in vno non sufficiat longum tempus, in altero autem etiam breue admittatur; Adminicula verò, seù requisita generalia in relatis auctoritatibus ponderata, deseruire debent pro quadam norma, iuxtà quam prudens iudex suum arbitrium regulare debet, non autem auctoritates attendere in sola littera, vel formalitate.

Atque inter adminicula dicere consueui, numerandumesse Statutum inductiuum præscriptionis, de qua *disc. præcedenti*,
6 in illis casibus, in quibus sola Statuti operatio non sufficiat, adeout recurrere oporteat ad præsumptiones & adminicula iuxtà dispositionem iuris cõmunis, quoniam istud Statutum, quamuis de per se non sit operatiuũ, nimiũ tamen attendendum videtur, tanquam vnum ex adminiculis, quasi quod ità statuẽtes pro moribus regionis declarauerint, quod eius incolæ non sint soliti exactionem negligere, ità canonizando diligentiam, quæ est vnum ex requisitis; In reliquis autem, fabulæ species videtur, certam regulam desuper statuere, atque in solo pũcto iuris in abstracto huiusmodi quæstiones disputare, ac decidere cum doctrinis, vel decisionibus editis in diuer-

sis

ſis caſibus, cum ſolum congruat iſtas inſpicere, & conſiderare pro quodam lumine, ſeù norma, benè tamen combinando circumſtantias facti concurrentes in caſu, de quo agunt ad effectum dignoſcendi congruam applicationem.

Potiſſimùm verò, vt inſinuatur *dicto diſc. præcedenti*, ac etiam *dicto diſc. 67. & 68. de dote*, in huiuſmodi creditis dotalibus, in quibus frequentiùs iſta quæſtio haberi ſolet, eo quia inter coniunctos magis fiducialiter proceditur, reflectendum eſt ad naturam, ſeù qualitatem debiti, an ſcilicèt agatur inter nobiles, vel ignobiles, vel inter litteratos, & idiotas, vel reſpectiuè, an de illa parte dotis, quæ conſtituta eſt in pecunia inueſtienda pro fundo dotali, ſiue de ea parte, quæ conſiſtat in iocalibus, & corredalibus, quoniam in prima ſpecie maiores cautelę adhiberi ſolent, in altera verò ſecùs, dum frequentiùs ſponſæ, ex domibus parentum, ac fratrum ſecum huiuſmodi bona aſportant, neque eorum aſſecutionem negligunt.

Nimiam quoque inſpiciendum eſt, an adſit conuentio ſuper inueſtimento; Licèt enim pactum inueſtimenti remitti poſſit per dotantem, in cuius gratiam adiectum ſit, adhuc tamen pro adminiculo excluſiuo ſolutionis conſideradum venit, vt aduertitur *ſub tit. de dote* ad materiam dotis confeſſatæ, & ad materiam *Auth. res quæ*, cum ſimilibus.

Reflectendum quoque venit ad effectum, ad quem huiuſmodi præſumpta, ſeù adminiculatiua probatio deducatur, an ſcilicèt excipiendo, & ad liberandum, vel èconuerſo ad obligandum & pro vi obligatione ad reſtituendum, vt primo caſu faciliùs, in altero autem difficiliùs hæc præſumptio admittenda veniat, cum ſimilibus circumſtantijs pro facti qualitate ponderandis.

In hac verò facti ſpecie, ob breuitatem temporis, ac etiam ob ſupra enunciatam circumſtantiam, quod vir omnia bona debitoris ex opinata inteſtata ſucceſſione morientis poſſederat, vndè propterea iure cuiuſdam confuſionis actionum ſatisfactus videbatur, adminicula non concurrebant, atque ea, quæ incontrarium ponderabantur præſertim circa quaſdam extraiudiciales confeſſiones, ità remanebant æquiuoca; Totum verò in effectu reſtringebatur ad factū, ex cuius circumſtantijs vltima præſertim reſolutio regulata fuit, ideoque iudicium in puncto iuris in his controuerſijs pro veritate, non de facili efformari poteſt.

VRBINATEN.

PECVNIARIA VEL SALVIANI

PRO

N. DE RVBEIS.

Reſponſum pro veritate.

De exceptione ſolutionis reſultante ex fructibus pignoris prætorij, ſeù per creditorem perceptis ex bonis, ad quæ in interdicto ſaluiani immiſſus fuit; Et àn teneatur etiam de percipiendis; Et quæ differentia ſit inter pignus prætorium, & conuentionale; Et in ſpecie, quid vbi agatur de domo, quam ipſe met creditor inhabitauerit.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De quæſtione àn creditor inhabitans domum pignoratam, teneatur ad penſionem.*
3 *De differentia inter pignus prætorium, & conuentionale.*
4 *In prædijs vrbanis quomodo regulentur fructus, & de fructuum diſtinctione.*
5 *De caſu in quo domus ſit apta, & ſolita locari.*

6 De

6 *De alio casu conuerso.*
7 *De actione de in rem verso.*
8 *De differentia inter pignus prætorium, & conuentionale pro suspitione vsurarum.*
9 *De taxa fructuum legali quomodo procedat.*

DISC. CXXXIII.

1 CVM Rubeus in interdicto saluiani immissus esset ad domum debitoris, quam ipsemet plurium annorum spatio inhabitauit, orta est inter ipsũ, ac debitorem controuersia occasione calculandi fructus perceptos ex alijs bonis, in quibus eadem immissio concessa fuerat, prætendente debitore bonificari debere fructus ad rationem valoris domus in proprietate iuxtà celebrem, ac receptam glosam *in Auth. perpetuò Cod. de Sacrosanct. Eccles.*; E conuerso autem creditore prætendente ad nihil teneri, dum de facto nullos fructus perceperat, cum ipsemet domum inhabitasset; Quare desuper pro veritate consultus.

Respõdi quod licèt ista specialis quæstio domus iure pignoris possessæ per
2 creditorem, atquè per eum inhabitatæ, tractetur per Doctores in terminis pignoris conuèntionalis, atquè diuersas habeat opiniones deriuantes à discrepantia *inter gloss. seù Bartol.* eius relatorem, & *Speculator.* ex relatis *per Trentacinq. lib. 3. var. cap. 7. Mantic. de tacit. lib. 11. tit. 8. num. 10. cum seqq. Gait. de credit. cap. 4. nu. 999. cum seqq. Surd. decis. 270.*, ibiquè *Hodiern. in addit.*, apud quos de materia.

Atquè inter pignus conuentionale, & prætoriũ, notabilis dignoscatur differẽtia, quod creditor in vno tenetur etiã de percipiendis, in altero verò solùm de per-
3 ceptis, vt aduertitur infrà *discur. sequen.*; Attamen ad hunc effectũ ista differentia considerabilis non videbatur, quoniam cum non ageretur de prædio rustico, in quo maioris, vel minoris fructus perceptio resultat ex maiori, vel minori industria, & cura, sed ageretur de prædio vrbano, quod de sui natura fructiferum nõ est, sed per accidens, quatenus scilicèt locetur, vndè propterea vrbanorum fructus cõmuniter dicuntur ciuiles, seù iuxtà
4 aliorum sensum merè industriales iuxtà eas fructuum distinctiones, de quibus habetur *sub tit. de dote disc.* 160., & 168, *& sub tit. de benefic.* pluries, ac *sub altero de pensionibus*, hinc proindè, Aut prædium vrbanum est habitationi destinatum, & locari solitum, et tunc si creditor non locat, vel saltèm non adhibet eas diligentias, quas quilibet, qui non sit fatuus, vel stolidus, adhibere solet, vt locetur, dicitur esse in dolo, vel in tali culpa, quod etiam in pignore prætorio præstanda est, vt in specie prædij vrbani *dicto disc. seq.*, et consequenter non intrat differentia inter prætorium, & conuentionale.

Minusquè altera, àn creditor inhabitans teneatur ad pensionem qualitati domus proportionatam, vel potiùs ad quã-
5 ti ipse fuisset impensurus, ad quod ex magis recepto sensu *Speculatoris*, communis DD. opinio eum obligare videtur, cum id recipiendum veniat in altero casu, de quo infrà, non autem in isto, vbi scilicèt domus ex sui aptitudine, & consuetudine commodè, & cum tali quali non exquisita, sed ab omnibus vsitata diligentia locari potuisset, cum tunc creditor teneri debeat, non actione, vel exceptione de in rem verso vt infrà, sed de culpa tanquam ad damna, & interesse; Atquè aliàs quilibet creditor suffocando debitorem, qui promptum solutionis modũ non habet, solitus inhabitare paruam, vel mediocrem domum, ità ad luxum, vel oblectamentum, supplantare posset debitorem, negligendo locare conspicuã domum, vel palatium, habitando per se ipsum cum ea modica pensione, quam soluere solitus erat pro domo parua, vel mediocri; Istud etenim est vnum de cõsuetis Legistarũ æquiuocis, vel ineptijs, ità indefinitè intelligendi conclusiones, vel doctrinas ad litteram pro quocumq; casu, ac nõ distinguendo circumstantias pro congrua applicatione.

Aut verò prædium vrbanum de sui natura non est aptum, neque solitum
6 locari vt (ex. gr.) sunt domus constructæ in villis, seù vineis; Vel est habitationi, & locationi destinatum, sed factis debitis, & consuetis diligentijs, ex temporum contingentia, vel alio accidenti

non

non reperiatur conductor pro iusta, & consueta pensione, atq; non expediat admittere conductorem pro minori, ne domus existimatio minuatur, iuxtà diligentium patrum familias stylum, tenendi potiùs per aliquod tẽpus domus vacuas, quàm minuendi solitam pẽsionem, quod influit in diminutionem valoris in sorte principali, ac præseferre videtur præiudicium successiuum, & perpetuum; Interim verò, citra affectationẽ, vel fraudem, ipse met domum inhabitet ad eiusdem vtilitatem, & meliorem conseruationem, quamuis exindè in consequentiam resultet maior cõmoditas, vel maius oblectamentum; Et tunc in pignore prætorio, in quo (vt dictum est) creditor non tenetur, nisi de perceptis, sub quorum nomine veniunt illi, qui dolo, vel culpa lata percipi potuerunt, non improbabiliter
7 *glos. & Bart.* sentiunt ad nihil teneri; Probabilius autem *Speculator* (cuius opinio maiores habet sequaces) tenet, vt bonificare debeat quãti fuisset impensurus pro pensione per eum solui solita, idq; actione de in rem verso, & ne detur locupletatio de alieno ad limites vtilitatis, iuxtà ea, quæ de hac actione de in rem verso habentur *supra disc. 72.*; Vndè propterea si habeat domum propriam, quæ interim vacua steterit, atquè ex quadam maiori cõmoditate, vel oblectamento habitauerit domum debitoris, ad nihil teneri debet iuxtà sensum *glosæ, & Bartol.*, quoniam ità in nihilo debitor damnificatus est, neque creditor in lucro bursali dicitur, sed solùm in quadam maiori commoditate, vel maiori oblectamento; Ideoquè videtur quæstio potiùs facti, quàm iuris pro facti qualitate, & circumstantijs prudenti arbitrio decidenda, nõ autem cum generalitatibus iuxtà consuetas ineptias.

Quamuis autem etiam in pignore cõuentionali (quinimò in eo principaliter), DD. istam materiam tractent; Attamen
8 in hoc magis circumspectè procedendũ venit, ob fraudem vsurarum, cum ex mutuo prohibita sit quæcumque accessio, quamuis pecuniaria non sit, sed oblectamenti, vel alterius vtilitatis, vel commoditatis effectum concernat pro facti qualitate, ex cuius circumstantijs totum pendet, vt in sua materia *sub titulo de vsur.*

9 Hinc proindè frequentèr in huiusmodi controuersijs inter creditores immissos in saluiano, & debitores, qui dictã immissionem passi sunt, prætendẽtes reintegrationem ob satisfactionem sequutam ex fructibus, dicere consueui, erroneum esse istam materiam regulare cum propositionibus, & doctrinis generalibus cuicumque casui adaptabilibus, cum verius sit, vt totum pendeat ex facti qualitate; Atquè in specie ineptum censui aliquorum sensum procedendi cum taxa legali posita per receptã *glosam in Auth. perpetua Cod. de Sacrosanct. Eccles.*, ad rationem quinque pro centenario, attento valore in sorte principali, dum, vt dictum est, creditor nõ tenetur nisi de perceptis; Solumquè cum dicta *glosa* procedendũ videtur, quando constet de perceptione fructuum in genere, atquè ex culpa creditoris desit iustificatio in specie, quia nempè nolit dare notulam iuratam, vel non possit vt potè non informatus, quia sit hæres vel successor; Aut quia sit principalis, sed administrauit pignus, ac fructus percepit per eius procuratores, & ministros, de quorum facto iurare nolit cum similibus, cum tunc recurratur ad istam taxam legalem, quæ tamen præsumptiua solum est, contraria probatione etiam adminiculatiua elidibilis; Et cõsequenter ista pariter est vna de solitis ineptijs cum ista *glosa* generalem regulã statuere, cum totum pendeat à facti qualitate, & circumstantijs pro locorum, & temporum conditione, dum in magnis Ciuitatibus, ob excretum valorem bonorum, & pecuniarum affluentiam, bona stabilia ordinaria, vix detractis detrahẽdis, fructant quatuor, vel tria cum dimidio; Alia verò conspicua, vel iurisdictionalia multo minus; Vt sunt villæ, palatia, castra, & oppida, & similia; E' conuerso autem in paruis locis, siuè vbi pecuniæ tanta affluentia non habeatur, vel respectiuè, in quibusdam bonis, quorum proprietas est modicæ durationis, atquè periculo, vel consumptioni exposita, fructus est longè maior dicta taxa legali; Ideoque regula capienda est, ex qualitate bonorum, & vsu communi loci, ex aliàs insinuata propositione, quod nunquam fictio, seù præsumptio excedere potest veritatẽ, sed est eius suppletio, ideoquè teneri non debet creditor, nisi ad id,

quod ex facti circumstantijs desumatur verisimiliter perceptum esse, atquè ita in huiusmodi nimium frequentibus, ac penè quotidianis quæstionibus, fortè centiès, ac centiès, scribendo ad causarum defensionem, vel respondendo pro veritate, procedi debere, dicere consueui, atq; pluries practicaui.

ROMANA

REINTEGRATIONIS

PRO

FRATRIBVS DE FONTANIS

CVM

ARCHICONFRATERNITATE CONFALONIS.

Casus decisus per Rotam vt infra.

De eadem materia exceptionis satisfactionis resultantis ex fructibus perceptis per creditorem immissum in saluiano, de quibus teneatur; Ac etiam de eorumdem fructuum valore, àn scilicèt creditor teneatur illos conseruare, & vendere de tempore, quo cariùs vendi solent; Et àn tàm circa quantitatem, quàm circa valorem stetur eiusdem creditoris notulæ, & àn hæc perneccssè debeat esse iurata.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Debitori, qui passus est saluianum competit reintegratio contra creditorem satisfactum.*
4 *Creditor immissus in saluiano tenetur tãtum de perceptis, & de differentia pignoris conuentionalis.*
5, & 6 *Quando teneatur de percipiendis.*
7 *De ratione differentiæ inter pignus prætorium, & conuentionale.*
8 *Creditor immissus in saluiano ad bona Ecclesiæ, non potest illa locare vltrà triennium.*
9 *Defertur notulæ inratæ creditoris.*
10 *Prædia vrbana non sunt de sui natura fructifera.*
11 *Locatio non probat valorem.*
12 *De ratione.*
13 *De adminiculo exclusiuo culpæ in creditore.*
14 *An mala fides auctoris obstet successori in hac materia.*
15 *An fructus excrescentes extenuent sortem in censu.*
16 *An creditor teneatur conseruare fructus, vt vendantur cariori pretio.*
17 *Non tenetur conficere librum.*
18 *De eodem de quo num. 16.*
19 *Quando creditor recusat iurare, quomodo fructuum taxa fieri debeat.*

DISC. CXXXIV.

1 AD domũ Bernardini possessã iure crediti per Papinianum pro quodam censu, immitti obtinuit Io. Baptista creditor anterior ex causa alterius census in interdicto saluiani, tàm ad effectũ obtinendi ex fructibus satisfactionem fructuum census decursorum, & decurrendorum, quàm vt excessus cumulari, & deponi deberet loco cautionis, quã debitor præstare tenebatur iuxtà praxim, de qua *apud Gregorium decisione* 88. & in sua materia *sub titulo de Censibus*; Cumque tunc domus ad annum locata esset pro pensione scutorum 50., cum pacto, vt non facta disdicta censeretur ad alium annum relocata, atquè post annũ mutato conductore, locatio per creditorem pro minori pensione scutorum 36. facta esset, ità continuando per plures annos, donec ipse vixit, deindequè ità continuauit pia societas, in quam titulo legati à creditore facti de censu, eadem

dem domus deuenit; Hinc fratres de Fontanis dicti Papiniani hæredes iudicium reintegrationis ad eamdem domũ instituerunt ex fundamento satisfactionis; Et introducta causa in Rota coram *Tais, sub die 26. Februarij 1666.* affirmatiua prodijt resolutio fauore Actorum, vt calculandi essent fructus ad rationem antiquæ pensionis scutorũ 50. reproposita verò *coram Priolo, die . . . . 1668.* reformata fuit prima decisio, vt scilicèt Io. Baptista viuente, ità dictus calculus fieri deberet, abindè verò citrà quod domus possessa fuit per locũ piũ, nõ nisi ad rationẽ pensionis verè perceptæ, atquè in hoc statu ego non scribens in causa, per dictos actores pro veritate cõsultus fui, àn prima vel secunda resolutio probabilior videretur.

Quare in responso desuper edito, duas constituebam inspectiones; Primò scilicèt quomodo fructus domus calculari deberent, tàm pro tẽpore, quo ipse principalis creditor immissus, eam possedit ab anno 1630. vsquè ad annum 1652., quàm dicto anno 1652. vsquè ad litem, in quo spatio possessa fuerat per locum pium legatarium; Et secundò, posito quod penès creditorem, vel habentem causam ab eo, ex pensionibus domus excedentibus fructus census, aliquid singulis annis remaneret, àn id ipso iure extenuasset sortem, ità paulatim extinguendam, vel saltèm ex tempore, quo aliqua notabilis summa conflata esset; Istequè vltimus punctus erat notabilior, dum ità impeditus fuisset cursus fructuum in futurum, quibus cessantibus, certa erat satisfactio pro toto credito.

Verificata etenim satisfactione, de plano intrabat petita reintegratio, ex quotidiana, recepta propositione, quod creditor in saluiano immissus ad effectũ se satisfaciendi ex fructibus, si postquam satisfactus esset, pignus retineat, illudquè debitori non restituat, spoliare dicatur, ideoquè intret dictum reintegrationis remedium competens tàm contra creditorem immissum, quàm contra tertium abeodẽ causam habentem *Gregor. decis. 254. num. 1.*, vbi *add. Merlin. decis. 317. num. 1. Otthob. decis. 137. numer. 12.*, *178. num. 1.*, *& decis. 201. num. 2.*

Quatenùs igitur pertinet ad primam inspectionem; Scribentes pro actoribus dicebant, vt fructus indefinitè calculari deberent ad rationem scutorum 50. prò quibus de tempore immissionis locata erat, non autem ad rationem scutorum 36. prò quibus post annum creditor alteri locauerat, quasi quod creditor non potuerit locare pro minori pensione, ac propterea teneretur etiam de percipiendis eumdemquè sensum respectu ipsius creditoris habuit Rota in vtraquè decisione, moderando solum in secunda resolutione rigorem primæ respectu tertij possessoris bonæ fidei, in quo non caderet ea ratio culposæ diminutionis, quæ in ipso principali creditore, atq; in hac moderatione actores, eorumquè defensores dicebant se grauatos, quasi quod idem, quod procedit in creditore, procedere debeat in successore ab eo causam habente.

Mihi verò visa est dubia Actorum conquæstio, quodque eis Rota tribuisset plus, quàm ego dedissem, dum etiam ipse principalis creditor ad aliud teneri non debebat, nisi ad perceptas pensiones, ex conclusione insinuata *disc. præcedenti*, quod creditor pignoris prætorij non tenetur nisi de perceptis, vel de ijs, quos dolo desijt percipere *ad textum in l. Prætor ait in principio ff. de bon. auctoritate Iudic. possid., & in leg. 3. §. est prætereà ff. eodem*, in quibus constituitur differentia inter pignus prætorium, & conuentionale, vt ex conuentionali indefinitè creditor teneatur tàm de preceptis, quàm de percipiendis, ex prætorio autẽ teneatur solum de preceptis, sub quorum nomine veniant illi, qui ex ipsius creditoris dolo percepti non sint, cum percipi potuerint, & aduertunt *Speculat. tit. de primo decret. §. iam de effectu n. 13. Alex. conf. 141. numer. 13. lib. 5., & alij apud Surd. decis. 270. numer. 1., & 9. Rot. in Romana censuum 13. Martij 1651. coram Peutingerio*, & in alijs.

Et quamuis *Pacific. de Salu. inspect. 4. cap. 1. numer. 151., & seqq.* inuoluendo terminos doli, et culpæ circà istius speciei non benè distinguendo, indefinitè condemnet possessorem pignoris prætorij ad illos, qui ex culpa percepti non sint, atquè pariter circà istam culpam se inuoluat *Merlin. de pign. lib. 5. quæst. 45. numer. 51. cum seqq.*, ac aliqualiter indigestè idem dictũ sit *per Rotam decis.*

243. *num.* 20. *par.* 11. *rec.*, vbi simplex negligentia ponderatur, ex originali sensu *glosæ in l. in venditione* §. *quisquis fructus* verbo *ex culpa ff. dicto tit. de bon. auctorit. Iudic. possidend.*

Nihilominus id mihi videbatur continere æquiuocum, quoniam superius allegata iura in pignore prætorio clarè
6 loquuntur de dolo tantùm, qui tamen restringendus non est ad verum, & positiuum, sed attendendus etiam est præsumptus, vel improprius, qui sub culpa lata inesse dicitur, non autem, vt quæ cumquè culpa etiam leuis, (qualis in negligente, vel diligenter non agente consideratur), attendi debeat; Id enim procedit in pignore conuentionali, non autem prætorio, quoniam aliàs nulla differentia inter istas pignorum species dignosceretur, quod est loqui de directò contra textus claros cõtrarium expressè disponentes, ità vnum creditorem ab altero distinguentes, vt vnus teneatur de dolo, alter verò de culpa.

Ex ea probabili ratione differentiæ, quod in pignore conuentionali inest mandatum, quod creditor suscipit à debitore super bona cultura, & adminis-
7 tratione rei, quæ sibi pignori datur, et consequenter mandatarius tenetur præstare culpam etiam leuem, quinimo iuxtà vnam magis rigorosam opinionem, etiam leuissimam in committendo, vt alibi pluries aduertitur; Istud autem mãdatum in pignore prætorio, licet adsit ad quosdam effectus, adeout nomine, ac vice debitoris ipse locare, vel colere, ac fructus percipere dicatur, vt aduertitur præsertim *sub tit. de locato disc.* 38.,
8 occasione firmandi, quod creditor in saluiano immissus ad bona possessa per Ecclesiam, non potest ea locare vltrà trienniũ contra dispositionem *extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.*; Attamen cum non sit mandatum conuentionale, non est ità mordicùs, ac rigorosè capiendum.

Atquè aliàs ità non sufficeret simplex eiusdem creditoris notula, quàm recpta praxis admittit sufficere debere, vt *apud*
9 *Otthob. decis.* 226. *numer.* 15. *Cels. decis.* 350. *numer.* 15., *& frequenter*; Cadente solum quæstione àn teneatur iurare, nec ne, vt infrà.

His ità positis, quod scilicèt in creditore possidente pignus prætorium requiratur dolus verus, vel præsumptus oriens ex culpa lata; Dicebam quod etiam secunda decisio plus tribuebat actoribus, quàm mihi tribuendum videretur, quoniam nisi saltim vehementia præberentur adminicula, quod secunda locatio prò minori pensione, affectatè, & colluiuè facta esset, dolus in dubio non est præsumendus, nequè creditor ad aliud teneri debet, dum prædia vrbana non sunt naturaliter fructifera, sed per acci-
dens, quatenus locentur ex deductis
10 *apud Otthob. decis.* 193. *num.* 8., & 9. *decis.* 95. *num.* 4. *post Merlin. de pign.*, & *frequenter*, ideoquè, nisi constet quod potuisset commodè per quemcumquè possessorem pro maiori pensione locari, ad aliud venditor non tenetur, nisi ad bonificandum id, quod precepit.

Nequè placebat fundamentum primæ decisionis, in hac parte per secundam approbatæ, quod de tempore immissionis adesset inquilinus pro maiori pensione,
11 & cum obligatione faciendi disdictam, quatenus continuare nollet, cum conuentione renouationis per alium annũ, quoniam recepta propositio est, quod vnica locatio non probat valorem, vel fructuum quantitatem ex deductis *apud Gregor.*, *& add. decis.* 101. *Buratt.*, *& add. decis.* 253., et habemus receptum in materia beneficiali in proposito probationis valoris, vt *sub titulo de benef. discur.* 90., & alibi, ex ea ratione, quod in aliquo inquilino adesse potest accidẽtaliter maius pretium affectionis; Vel (vt frequẽtius praxis docet) quod esset solutioni minus idoneus, ideoquè facilis ad promittendum id, quod non esset so-
12 lutarus, ex vulgari dicterio, quod de facili se concordant, fænerator, ac debitor minus idoneus, ideoquè magis expedit habere tutum, & idoneum conductorem pro minori congrua pensione, quàm minus idoneum, & non tutum pro maiori.

Magnam verò impressionem pro exclusione doli apud me faciebat ea consideratio, quod pro tempore præcedenti,
13 domus locari solita esset pro minori pẽsione; Et fortiùs quod per plures annos penès locum pium, in cuius Administratoribus non cadebat illa suspicio fraudis, & collusionis, quæ forsan cadere potuisset

mittet in ipso principali creditore immissa, ità continuatum fuerat plurium annorum spatio.

Hinc proindè, differentia, quam posterior decisio constituit, inter ipsum principalem creditorem, & locum pium successorem, mihi non placebat propter dissimilia clarū, quod; Aut in primo creditore non constabat de dolo, vel culpa lata super pensionis diminutione, & distinctio inanis remanebat; Aut constabat, et tunc effectus influebat etiam in locum pium successorem ab eo causam habentem, quamuis ipse pius locus in
14 bona fide versatus esset, quoniam quidquid sit de puncto, àn, & quando mala fides auctoris noceat successori ex deductis *supra disc.* 130., punctus non est in mala fide, qua successor afficiatur, sed est in eo, quod idem auctor ratione dolosæ, ac malæ administrationis teneretur debitori ad damna, & interesse, quorum loco succederet dicta antiqua maior pē tio, quæ habenda esset pro percepta, non curata persona possessoris, & àn hic in bona, vel mala fide versatus esset, cum debitor ità contendat de sui debiti extinctione, cum illis fructibus, qui quoad eum prò perceptis habendi sunt; Ideoquè dicta distinctio, vel non sufficiebat, vel non erat necessaria, cum non ageretur de condemnando pium locum ad restituendum de proprio id, quod non perceperat, sed de inducendo extinctionem debiti, in quo pius locus repræsentabat creditorem, ideoquè omnia quæ auctori obstabant, ipsi quoquè obstare debebant contendenti de lucro captando ex legato, non autem de euitando damnum in bonis proprijs, et ad quem effectum considerationes secundæ decisionis rectè procederent; Et consequentèr (vt sæpè contingit), fallacia non erat in conclusionibus, sed in applicatione.

Quo verò ad aliam inspectionem; Ea superflua remanebat, quoniam ita cessabat in facto excrescentia fructuum, qui
15 singulis annis cumulari, vel imputari debuissent; Et nihilominus vbi etiam aliqua excrescentia adesset, adhùc tamen cum fors census ex parte crediroris sit mortua, & irrepetibilis, nisi declaratio debitoris accedat, vt accedebat in casu de quo *in decis.* 250. *coram Celso*, non intrat compensatio ex alibi deductis *hoc eodem titulo*, & in sua materia *sub tit. de cons.*; Verùm id formiter examinare non oportuit, ex laudabili Curiæ stylo abhorrendi superfluas quæstiones iuris, vbi factum non assistat.

In ista verò frequenti, et quotidiana materia saluiani, super qua integrum volumen confici posset, si eadem repetere liceret, pluries disputaui præsertim in *vna Nepesina* prò Stephano Pignattello, cum Francesco Planetto, àn posita quantitate fructuum mediante notula iurata, vel alia iustificatione, teneatur creditor
16 se habere more diligentis patris familias in eorumdem fructuum venditione, illos conseruando, vt hyberno, vel alio magis congruo tempore, cariori pretio venderentur; Atquè in hoc pro ratione dubitandi deducebantur ea, quæ habentur *apud Celsum decis.* 225. *numer.* 9., vbi in specie de frumento; Verùm dicebam ea nihil facere ad casum, cum ibi agatur de tutore, vel alio administratore, qui more diligentis, & quandoquè etiam diligentissimi patris familias se gerere debet, quod non procedit in creditore, vt occasione agendi de puncto, àn iste creditor teneatur conficere librum, eo modo, quo tenetur tutor, vel curator, habetur *per*
17 *Rotam in firmana seù Maceraten. dotis* 10. *Decembris* 1627. *coram Pirouano*, vbi deciditur negatiuè, ac refert, & sequitur *Post. resol.* 5. *numer.* 9.

Magis autem stringere videbatur specialis auctoritas *Merlin. de pign. lib.* 5. *quæst.* 45. *num.* 61. *cum seqq.*, vbi creditorem ad id obligare videtur; Verùm dicebam (etiā in sensu veritatis) vt huic auctoritati deferendum non esset, quoniam cum aliquo æquiuoco procedit cū
18 sensu *Bart. in l.* 1. *Cod. de distract. pign.*, qui loquitur de creditore percipiente fructus ex pignore cōuentionali, qui tenetur etiā de percipiendis, ac de maiori diligentia ratione suscepti mandati, iuxta distinctionem, de qua supra, ideoquè æquiuocum est clarum, capiendo quid pro quo (vt est frequens vitium Collectorum); Sibi enim imputet morosus debitor, cur proprium debitum non soluit, sed passus est pignus prætorium, quod non obligat creditorem, nisi ad dolum, vel culpam latam.

Vbi verò creditor, iustam habeat causam, satisfaciendi recepto stylo præ-

stan-

ſtandi notulam iuratam, quià nempe ſit hæres, vel ſucceſſor, vel perceperit fru-
19 ctus mediantibus miniſtris, vndè propterea incertus ſit de vera quantitate perceptà, ideoquè nolit ſe exponere periculo periurij, quomodo taxa fieri debeat, inſinuatur aliquid *diſcur. præcedenti*, ac etiam *alibi* per quamdam aſſimilationem taxæ ex Iudicis prudenti arbitrio faciendæ contrà adminiſtratorē in iuramento in litem, ſed longè magis benignè, & cum maiori moderatione ad proportionem diuerſitatis rationis; Reflectendo etiam nimium, àn renuentia iurandi, habeat nec nè iuſtum motiuum, ad effectum inſpiciendi, an verſetur in malitia, vel è contra.

3 *De reſolutionibus ſuper hoc puncto.*
4 *Ad quos effectus iſta quæſtio agatur.*
5 *An creditori, qui tenetur reſtituere, vel imputare fructus pignoris, debeatur intereſſe.*
6 *De eodem, & quando creditori expediat potiùs obtinere intereſſe.*
7 *De eodem, & quando dictum intereſſe debeatur, etiam in Curia.*
8 *Referuntur tractantes quæſtionem hinc indè.*
9 *Quod ſit quæſtio facti, & quomodo decidenda.*
10 *In arbitrarijs non poteſt conuinci iniuſtitia.*
11 *Saluianum non importat euictionem.*
12 *Datio inſolutum exigit eadem requiſita emptionis, & venditionis.*
13 *Declarationi donatoris, vel alterius, quãdo ſit deferendum.*
14 *Præſumptio in dubio potiùs aſſiſtit dationi in ſolutum, quàm pignori.*
15 *Quid operetur præſumptio iuris, & quid referat eam habere.*

ANCONITANA

BONORVM

PRO

TAVRO LEONIBVS

CVM

FLAMINIA DE TRIVMPHIS.

Caſus deciſus per Rotam, vt infrà.

Datio, vel aſſignatio bonorum, quam debitor, aliquo titulo non expreſſo, faciat creditori, àn importet pignus, vel dationem in ſolutum, et de effectibus, qui ex vna, vel altera ſpecie reſultant.

SVMMARIVM.

1 FACTI ſeries.
2 *De antiquis cauſæ deciſionibus, ſuper diuerſo puncto.*

DISC. CXXXV.

1 EVicta parte prædij, quod de anno 1575., Aurelius Paſſarus vendiderat Antonio Triunpho; Cardinalis Cinthius Aurelij filius, ſpem habens dictam partem euictam recuperandi, duo alia prædia loco rei euictæ, nullo expreſſo titulo, præfato Antonio dedit; Deindequè idem Cardinalis aliquorum ſuorum bonorum donationem fecit eius fratribus, inter quæ iſta duo prædia compræhenſa erant, quare ad ea donatarij iudicium inſtituerunt in partibus contra Antonium, vel eius hæredem, qui ſententiam abſolutoriam reportauit, confirmatam
2 per Rotam præuijs duabus deciſionibus *coram Manzanedo impreſſ. par. 3. rec. deciſ. 612., & par. 4. deciſ. 338.*; Introductaquè per appellationem cauſa in eadem *Rota coram Merlino*, atquè aſſumpto nouo dubio, àn conſtaret de credito Antonij prò dicta euictione, incidit quæſtio, ſuper natura, ſeù qualitate aſſignationis dictorum prædiorum, àn ſcilicèt eſſet in ſolutum, vel in pignus, huiuſquè inſpectionis effectus erat, quod ſi importaret pignus, fructus medio tempore percepti

in-

in sortem imputandi venirent, illamquè extenuassent; Secùs autem è conuerso in casu dationis in solutum, cuius iure possessor interim iure dominij eos fecisset suos; Atquè proposita causa *sub die 7. Aprilis* 1642., pro datione in solutum affirmatiua prodijt resolutio, quæ habetur impressa inter *decisf. Royas decisf.* 180. vt potè ab eo extensa tanquam subrogato in locum *Merlini* interim defuncti, dictaquè resolutio, incidenter, vel principaliter, confirmata fuit *sub diebus* 23. *Iunij* 1645., & 1. *Iulij* 1647., vt patet *ex decisf. eiusdem Royas* 266., & 345.; Siluit postmodum causa vsquè ad annum 1668., in quo ea reassumpta per Flaminiam Antonij hæredem mediatã *coram Beuilaqua* subrogato, in disputatione strictè habita super dicto puncto, omissis plerisquè alijs, quæ cõtinentur in eisdem decisionibus, vt potè ab eo dependentibus, & consequutiuis, atquè in facto potius, quàm in iure consistentibus *sub die* 14. *Maij* 1668. pro dictarum decisionum confirmatione responsum fuit, atque ad normam resolutionis expedita sententia, & commissa causa appellationis *coram Albergato sub die* 4. *Maij* 1671. de prioris sententiæ infirmatione respõsum fuit, ex motiuo pretij, & sic facti potius quàm iuris, firma remanente datione in solutum.

Quatenùs igitur pertinet ad dictum punctum, in dicta præcedenti instantia magis disputatum, an scilicèt debitore simpliciter dante eius bona creditori, nullo expresso titulo, iste referri debeat, potiùs ad pignus, quàm ad dationem in solutum, vel è contrà, ad duos effectus de ista quæstione disputari solet; Primò scilicèt frequentiùs, ad illum suprà insinuatum, imputationis fructuum in sortem, iuxtà terminos textus *in l.* 1. & 2. *Cod. pignorat. act.*, et de quo actum fuit *in Tyburtina Castri Sancti Angeli sub tit. de vsur. disc.* 8., & *sub tit. de date disc.* 126. & *sub tit. de feudis disc.* 62.

Et secundò (licèt rariùs), ad effectum inspiciendi, cuius damno cedere deberet casus peremptionis, vel diminutionis, iuxtà quæstionem disputatam corã A.C. *in Romana ouium* inter Principem Ludouisium, et illos de Sirijs; Ideoque ad primum effectum, titulus pignoris ex parte debitoris, substineri solet contrà creditorem allegantem illum dationis in solutum; Ad alterum verò, casus est conuersus, vt creditor alleget pignus, debitor autem dationem in solutum.

Primus verò effectus, singularis fortè videtur in Curia Romana, quæ adhùc persistit in sententia, pluries insinuata in sua materia *sub dicto tit. de vsur.*, vt scilicèt pro credito quantitatis, nullum 5 currat interesse ex sola mora, non constito cum speciali probatione, de requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis; Et consequenter quod ità fructus integram faciant operationem imputàtionis in sortem; In alijs verò prouincijs, et ditionibus, ferè generaliter receptum videtur, vt huiusmodi requisita, tanquã notoria, habeantur pro probatis, et consequenter, quod licet fructus pignoris, tanquam sequela dominij, pertineant ad debitorem, attamen ad creditorem pertineat *interesse*, quod ex eis prius deducendum est, iuxtà illam computationem, dequa in specie habetur actum *apud Fontanell. decisf.* 208., *& seq.*, & aduertitur in dicta sua sede *sub titulo de vsur. discur.* 9., & in alijs.

Quinimò quandoquè contingit, vt creditori expediat, fructus non esse suos, sed potius currere fauore debitoris, vt potè minores interusurijs fauore creditoris currentibus, iuxtà quæstionem, de 6 qua habetur *sub titulo de feud. disc.* 31., vbi de fructibus currentibus fauore domini feudi venditi, ob venditionis nullitatem ex defectu assensus Regij; Atquè de cursu interusuriorum fauore emptoris pro pretio soluto disputaui pluries in causis cambiorum, in quibus datæ fuerunt loca montium in pignus, & loco cautionis, sed fauore creditoris currebant cambia excedentia fructus locorũ montium.

Benè verum, quod in ista causa, retenta etiam dicta rigorosa Curiæ Romanæ opinione, adhuc idem resultare videbatur effectus, de quo supra de alijs regionibus aduertitur, circà compensationem fructuum cum interusurijs, dum non agebatur de simplici credito pecuniario, 7 pro mutuo vero, vel interpretatiuo, sed de pretio euictionis rei fructiferæ, vnde propterea veniebant etiam interusuria, tanquam damna, & interesse loco fructuum, quos aliàs emptor ex re vendita in-

interim percepiſſet, niſi euictio ſequuta eſſet, vt habetur in ſua materia *ſub titulo de empt., & vendit.*, adeo vt bene reflectendo, ad iſtam circumſtantiam, ac alteram notabilis intermediæ diminutionis valoris iſtorum prædiorum, magis huic Parti expediret, ſubſtinere id, quod impugnabatur, vt ità dicta diminutio cederet damno creditoris, cuius è conuerſo magis intereſſet ſubſtinere contrarium eius, quod pro victoria reſolui obtinuit; Sed quia defenſoribus tunc temporis, (ad hoc non reflectendo) ità viſum fuit, id circò in dicta diſputatione habita de anno 1668., ex quo ſolū tempore, ego ſcripſi in cauſa, proſequuta fuit via iam cæpta.

Super dicto igitur puncto; Licet plura hinc inde deducerentur, pro maiori parte deſumpta ex *ijs*, quæ ſuper hoc articulo plenè habentur *apud Surd. conſ.* 243.,
8 ſubſtinentē vt actus referendus veniat ad pignus, & *apud Menoch. conſ.* 201., ſubſtinentē vt veniat referendus ad dationē in ſolutum, cum concordantibus relatis per eundem *Menoch. lib. 3. præſumpt.* 150. *Gregor.*, & *add. deciſ.* 194. *Merlin. de pign. lib. 2. queſt.* 105. *Rot. deciſ.* 243. *par. 7. rec.*, & *deciſ.* 388. *par. 9.*, & *dicto titulo de vſur. diſcur.* 8., & *titulo de feud diſc.* 62.

Aduertebam tamen, quod hu iuſmodi quæſtionis diſputatio generica, ſeù in abſtracto, continere videtur ſolitas modernorum pragmaticorum ineptias, cum reuerà ſit quæſtio potuis facti, quàm iuris, ideoquè apta non eſt certam gene-
9 ralem recipere regulam, ſeù determinationem, ſed iſta ſingularis eſt, ac varia, iuxtà particularem facti qualitatem, ſingulorumquè caſuum indiuiduas circumſtantias, prudenti abrbitrio, ſimul, ac vnitim pōderandas, cum vulgari regula, *vt ſingula, quæ non proſunt &c.*, eo modo, quo aliæ, facti, & ambiguæ voluntatis quæſtiones decidi debent, ex adeò frequenter inſinuatis.

Applicando autem ad rem, pleraquè hinc inde deducebantur, quæ in puro facto conſiſtebant, circa quaſdam epiſto-
10 las, ac teſtes, ex quibus forſan magis præponderare videbātur ea, quæ pignoris qualitatem ſuadebant; Sed quia (vt dictum eſt) agitur de materia arbitraria, hinc propterea, non de facili iudicatum de iuſtitia poſitiua redargūi poteſt.

Duo autem præſertim, à diſpoſitione iuris reſultantia, iſtam pignoris qualitatem concludere videbantur, ſuper quibus erant Aduocatorum partes (cum de reliquis conſiſtentibus in puro facto, agere ſpectaret ad cauſæ Patronos); Primò ſcilicèt, quod ſequuta non erat rei venditæ, vera, & formalis euictio iure dominij, ſed ſolum in interdicto poſſeſſorio ſaluiani, per quod euictio ſequuta non dicitur, vnde propterea venditoris obligatio eſt, ſuſcipiendi litem, atquè liberandi emptorem à mole-
11 ſtijs ex deductis *apud Gregor.*, & *add. deciſ.* 88. *Buratt.*, & *add. deciſ.* 241. *deciſ.* 179. *numer.* 9., & *ſeqq. par. 7. rec.*, & *in ſua materia ſub titulo de empt.*, & *vendit.*, ac alibi; Et conſequenter, magnum exinde reſultabat argumentum, quod dictus Cardinalis hæres vēditoris, credens, vt citò dictas moleſtias remouere poſſet, ità prouiſionaliter hæc duo predia emptori tradiderit, detinenda, & fruenda loco rei venditæ, qua frui impeditus erat.

Secundò quoniam datio in ſolutum, in omnibus fraternizat cum contractu
12 emptionis, & venditionis, quem redolere dicitur, ideoquè exigit omnia dicti contractus requiſita, inter quæ illud eſt præcipuum pretij certi, ex deductis *apud Buratt. deciſ.* 124., & 372. *deciſ.* 38. *num.* 1. *par.* 11. *rec.*; Potiſſimè verò vbi agitur de huiuſmodi bonis ſtabilibus, in quibus pretium omninò incertum eſt, donec à conuentione Partium, vel peritorum iudicio, certificationem recipiat, ideoquè non intrat illa conſideratio, de qua in victualibus, vel ſe mouentibus habetur *diſcur. 4. de empt.*, & *vendit.*; Iſtudquè motiuum fuiſſet ineuitabile, quando non concurreret ea circumſtantia, quod adeſſet pretium certum, pro quo idem Cardinalis dicta predia aliquibus annis antecedentibus acquiſierat, quaſi quod ità pro eodem pretio cedere voluerit, quod tamen ex pluribus facti circumſtantijs excludebatur, vt in alia inſtantia *coram Albergato*, animaduerſum fuit.

Et tertiò, quia in ſupraenunciata donatione, quàm Cardinalis paulò poſt fecerat fratribus de pleriſque bonis, in
13 ſpecie continentur iſta prædia, ideoqi dice-

dicebam intrare conclusionem, sæpius deductam in sua materia *sub titulo de donationibus*, & alibi, vt donatoris, vel alterius contrahentis declarationi, etiam verbali, multo verò magis reali, deferendum sit, super interpretatione actus ambigui, cui dictus interpretationis terminus congruat.

Remanet igitur ista quæstio facti, ex cuius circumstantijs, pro qualitate pignoris, decisa fuit in dicta alia controuersia, quæ susceptæ aduocationis initio disputata fuit super datione cuiusdam
14 magni gregis ouium, facta per debitorem creditori; Iuris etenim quæstio generalis, seù in abstracto consistere dicitur, super iuris præsumptione, àn scilicèt ista potiùs dationi in solutũ, quàm pignori assistat, vel è conuerso; Atquè probabilior, magisquè recepta opinio esse videtur iuxtà primam partem pro datione in solutum, vt patet ex superius allegatis; Vt enim pluries aduertitur in omni ferè materia præsertim verò *sub titulo de fideicommiss.*, in coniecturalibus, & præsumptiuis, nimium refert inspicere cuinam assistat iuris regula, seù præsumptio, vt onus probationis transfundatur in alteram partem, quæ alleget contrarium, ideoquè maioribus, ac ponderosioribus adminiculis indigeat, istequè videtur huius quæstionis effectus, non autem, vt cum regulis, vel doctrinis generalibus, in omni casu, iuxta consuetam cæcam fidem, procedendum sit, quoniam si facti massa probabilius pignus suadeat, vanum est ob regulam dicere, quod sit datio insolutum, & è contrà.

ROMANA

CENSVS

PRO

CAROLO ARGOLO

CVM

FELICE BVCCAMATIA.

Casus disputatus coram A. C., pendet in Rota.

An posita certa qualitate pignoris conuentionalis, vel prætorij, resultet altera implicita qualitas dationis in solutum, ad effectum faciendi suos fructus, vel ad alios effectus exindè resultantes, ex eo quod pretium pignoris, sit inferius credito, vel illud adæquet, vndè propterea dicatur habitum pro derelicto.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Pignus proportionatum debito censetur habitum pro derelicto.*

3, & 4 *Declaratur quando id procedat, & de ratione.*

5 *Non procedit in pignore prætorio.*

6 *Assecuratio non importat translationem dominij, sed pignus, & quando istud resoluatur.*

7 *Non potest dari datio in solutum, si deficit persona debitoris.*

8, & 9 *An intret æquitas etiam in materia vsuraria, & ad effectũ faciendi suos fructus pignoris.*

10 *De appropriatione, quam hæres, & creditor sibi faciat de bonis hæreditarijs defuncti debitoris.*

DISC. CXXXVI.

Gente Carolo creditore Alexandri ad bona possessa per Felicē debitoris filiam, excipiebat ista de creditis anterioribus matris, & Auiæ respectiuè, de quorum veritate nō dubitabatur, sed de duobus replicabat actor; Primò scilicèt de quota ad eius debitorem spectāte in eisdem dotibus ratione legitimæ; Et secundò de extinctione dicti crediti dotalis cum fructibus pereamdem Felicem perceptis ex bonis debitoris, vtpotè ex pignore in sortem imputandis, atquè super vtraque replicatione assumptæ fuerunt disputationes coram Prælato deputato ab A. C., super dictis duobus punctis; Primò scilicèt an posset creditor deducere ius successionis, vel legitimæ competentis debitori, non constito de istius agnitione iuxtà quæstionem, de qua infrà *discur. sequ.*; Et secundò quod cum valor bonorū, de quibus agebatur, adæquaret dictū creditum dotale, quinimò prætenderetur, quòd potiùs esset inferius, ità diceretur, vt pignus habitum esset pro derelicto, et de consequenti intraret implicita datio in solutum, cuius iure, dicta Felix tanquam domina, suos fecisset fructus.

Quatenùs igitur ad hunc secundum punctum pertinet; Scribentes pro dicta Felice rea conuenta, fundamentum constituebant in ijs, quæ habentur deducta *apud Merlin. de pignor. lib. 5. quæst. 45. num. 73. cum sequentibus*, vbi (cæteris relatis) habetur propositio, quæ in Curia per ora pragmaticorū, pro consueto stylo, loquendi de auditu, seù per traditiones, passim circumferri solet, quod scilicèt, vbi pignoris valor adæquat creditū, illudquè non excedit, tunc, concurrente aliquo notabilis temporis silentio, censetur habitum pro derelicto, atquè iure cuiusdam implicitæ dationis in solutum, creditor effectus dicitur dominus, et cōsequenter suos facit fructus, tanquam dominij sequelam.

Scribens ego pro actore dicebam vt in hac facti specie, contrarium probabilius dicendum videretur, non quidem ex dictæ propositionis fallacia in abstracto, cum eam admitterem in suo casu veram, sed ex defectu applicationis, super qua frequentiùs totum malum consistere solet.

Dicta etenim conclusio procedit, vbi agatur de pignore conuentionali, quod constet per aliquod tempus notabile per debitorem neglectum fuisse, non curando reluitionem; Eadem quoque negligentia accedente in creditore nō curante crediti assecutionem, ac pignoris venditionem, cum ita (quoties cesset notabilis excessus, cuius ratione intrare possit lex commissoria, atquè fraus vsurarum), præsumatur quidā implicitus contractus dationis in solutum, ità virtualiter, ac tacitè sequutus, inter debitorem, & creditorem, atquè in his terminis, & cum hoc præsuppositio procedunt deducta *per Merlin. vbi supra.*

Ista verò dicitur nuda, & simplex iuris præsumptio, quæ contraria probatione, vel fortiori præsumptione est elidibilis; Ideoquè si expressè, vel adminiculatiuè constet de diuersa Partium voluntate, continuandi in titulo pignoris, tunc veritas attendenda est, quamuis valor adæquet, imò sit minor, quoniam ista circumstantia, est quidem vnum ex adminiculis, vel argumentis, quod iunctum cum dicta negligentia, prædicti impliciti diuersi contractus præsumptionem inducit, sed non concludit perneceſsè, vt benè aduertunt *Leotard. de vsur. quæst. 12. nu. 5. & 6., & Rot. apud Buratt. decis. 160. num. penul.*, atquè admittit, seù tanquam absolutum præsupponit *idem Merlin. vbi supra*, & patet ex deductis *sub titulo de vsur. discur. 8.*; quoniam est de iure certum.

Aut verò agitur de pignore prætorio, et tunc ista præsumptio non intrat, quoniam Iudex non est liber, & absolutus dominus bonorum debitoris, adeò vt ex implicito contractu, ità præsumpto, vel subintellecto, titulus mutatus fuerit, dum Iudex talem non habet poteſtatem, nisi in casu, in quo, facta subhastatione, atquè non reperto iusto oblatore, intret adiudicatio, quæ præuia æstimatione, alijsq; de iure, vel de stylo seruatis seruandis, fiat ipsimet creditori, vt ità distinguendo inter pignus conuentionale, & prætoriū, seù iudiciale, habetur *apud Buratt. dicta decis. 160.*

Verùm

Verùm in hac facti ſpecie dicebam, quod verſabamur in terminis clarioribus, quod ſcilicèt nequè adeſſet factum Iudicis, quoniã licèt debitoris vxor, quæ reæ conuentæ mater erat, contra virum
6 viuentem, in his bonis à Iudice aſſecurari obtinuiſſet; Attamen aſſecuratio nõ importat reſtitutionem, nequè abdicat dominium à viro, illudquè non transfert in mulierem, vt in ſua materia *ſub tit. de dote*, atquè ex magis vera, receptaq; opinione, de iure certum eſt.

Ac vlteriùs, ob mortem mulieris ſuperſtite viro, iſtud pignus omninò euanuerat, dum ex Statuto Vrbis 131., vir dotem lucratus fuit, cum obligatione illam reſeruandi filijs, ac propterea, cum poſt mortẽ viri, ac patris reſpectiuè, dicta
7 Felix (quæ cum patre viuebat, atq; quodã familiaritatis iure bona poſſidebat), immutato titulo, in poſſeſſione continuauerit, id referri non poteſt, niſi ad titulum crediti, atquè retentionis iure pignoris, iſtequè titulus, in alterum dationis in ſolutum conuerti non potuit, ob defectum primi eſſentialis requiſiti conſiſtentis in conſenſu.

Cum etenim, vt aduertitur *diſcurſ. præcedenti*, & alibi pluries, datio in ſolutum fraternizet in omnibus cum contractu emptionis, & venditionis, ideòque exigat eadẽ tria eſſentialia requiſita, nempè, rem, pretium, & conſenſum; Hinc proindè, quando etiam requiſitum pretij, ità ſubintellectum eſſe poſſet, adhùc tamen deficiebat alterùm conſenſus, qui præſtari non potuit à defuncto ſuper pignore poſt eius mortem capto, ideoq; deficit extremum habile illius, qui venditoris perſonam gereret; Nequè eadem Felix potuit vtramquè perſonam, emptoris, ac venditoris gerere, et conſequenter dicta concluſio, ex facti qualitate verificabilis non erat.

Adhùc tamen (quamuis hæc de ſtricto iuris rigore, ità procederent) vrgere vi-
8 debatur fauore dictæ Felicis, quædam non ſcripta æquitas, ob quam naturalis ſenſus capere non poterat huiuſmodi rigoroſam diminutam extinctionem debiti cum fructibus, dum abſquè dubio, cũ ipſo debito inueſtito in loca montiũ, vel in alia bona, maiores fructus percipere potuiſſet, cum quibus (ſaltem forte) ſe ſubſtentare potuit, ideoquè dici poſſe vi-

debatur, vt ſubueniendum veniret huic mulieri, ſaltèm ex clauſula generali *ſi qua mihi &c.*, aduerſus negligentiam ex muliebri ſimplicitate reſultantem, non curando, vt bona ab initio ſubhaſtarentur, vel ſibi adiudicarentur.

Quamuis etenim in materia vſuraria, nequè ſexus, nequè ætas, vel ruſticitas excuſent; Attamen id procedit, quando
9 agitur de lucro captando, ac de lucroſo fœnore, vel acceſſione; Secùs autem vbi ità ageretur potiùs de damno, vt aduertitur in ſua materia *ſub titulo de vſuris*, ac etiam *ſub tit. de dote diſc. generali* 161., et in pleriſquè diſcurſibus particularibus in materia vſurarum dotalium, ideòque legales rigores, diſcretè pro facti qualitate intelligendi videantur; Adhùc tamen iſte erat diſcurſus naturalis, fundatus in quadã naturali epichæia, vel æquitate, non attendenda, vbi rigor ſcriptus habetur.

Conſiderabam prætereà, quod cũ eadem Felix eſſet debitoris filia, & legitima hæres, ità dici poſſet, vt vtramquè perſo-
10 nam gerendo, ità eadem bona iure imaginariæ ſolutionis ſibi appropriauerit; Quoniam licèt ad hunc effectũ, pro formali, ac irretractabili acquiſitione dominij, ex magis recepta opinione in Curia, duo requirantur; Primò nempè, vt ſit hæres cum beneficio inuentarij; Et ſecundò vt accedat decretum Iudicis ſer. ſer. deputato curatore hæreditati ad hũc actum, vt alibi aduertitur præſertim *ſub tit. de hærede diſc.* 28.; Attamen vt ibidẽ habetur, ad effectũ faciendi fructus ſuos ſiuè excuſandi ab imputatione, iſte rigor non videtur admittendus, adeò vt hæc præſumpta, ſeù virtualis appropriatio ſufficere videatur; Quod tamen neque de plano procedit, ſed pariter ſuas patitur difficultates, de quibus *dicto tit. de hærede diſc.* 28.; Ideoquè adhuc ſubdubius eram in efformatione iudicij pro veritate; Cauſa verò per Iudicem determinata nõ fuit, quoniam de partium conſenſu expetitum fuit Rotæ votum, ſeù in eodem Tribunali commiſſa *coram Calataiù*, incertumquè eſt quid ſequutum ſit.

EADEM

INTER

EASDEM PARTES.

An creditores, ius, vel actionem habeant ad bona, quæ debitori delata fuerunt, ex causa successionis ab intestato, vel ex testamento, siuè ex legato, vel ex fideicommisso, aut pro legitima, alioque iure.

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 An per retentionem dotium maternarum à patre factam, resultet aditio.
3 Debitor potest nolle quærere &c.
4 Quid in legitima.
5 In dubio iudicandum est pro reo.
6 Quomodo ista materia sit decidenda.
7 Vbi accedit expressa repudiatio, regula, de qua numer. 3. generaliter procedit.
8, & 9 An debitor peccet, & quis effectus in eius præiudicium resultet.
10 Idem si viuit, & non agnoscit, & de ratione, ob quam id sequi solet.
11 Quod isti debitores deberent puniri.
12 Laudatur Statutum Ianuæ, quod tollit regulam, de qua num. 3.
13 Ponderatur ratio dictæ regulæ.
14 Quando dicta regula cesset, quia ius delatum sit transmissibile.
15 Hæres dicitur legalis administrator &c.
16 Transmissio fit de iure agnoscendo, non autem agnito.
17 De altero casu controuersiæ.
18 Regula de qua num. 3. non procedit in iure competente ex contractu.
19 Declaratur hæc limitatio quando procedat.
20 Quid per donationem acquiratur ante acceptationem &c.

DISC. CXXXVII.

IN eadem causa, de qua *disitur. præcedenti*, (vt ibidem insinuatum est), actū quoque fuit àn creditores Alexandri, actionem haberent in bonis per Felicem possessis, quæ à creditis dotalibus anterioribus matris, & auiæ absorbebantur, pro quota ad eumdem Alexandrum spectante ratione legitimæ in dote eius matris, quæ ream conuentam instituerat, cum præsuppositio, quod non constaret de illius agnitione facta per ipsum Alexandrum viuentem, quodquè ex facti circumstantijs, non intraret illa aditio, quæ resultare dicitur ex retentione dotium facta per eiusdem Alexandri patrē, cum actus remaneret æquiuocus, eò quia pater dotem possedit iure proprio, ex Statuto Vrbis, quod viro superstite defert lucrum totius dotis, cum obligatione illam reseruandi filijs post mortem; Et consequenter cessabat ratio, ob quam retentio dotium maternarum facta per patrem, ac virum respectiuè, aditionem inducat. 1

Duplex enim ratio super dicta aditione considerari solet; Primò scilicèt (clariùs verò, quando dos constitit in specie) vt ita retinuisse censeatur, tāquam pater, ac legalis administrator, & vsufructuarius bonorum maternorum filij, quod perneccsse importat agnitionem nomine filiorum; Et secundò vbi constitat in quantitate, ad excludendum delictum, quod aliàs inesse diceretur, non restituēdo dotem debitam statuto tempore, potissimè vbi, obligatio esset iurata, vndè resultaret periurij reatus; Istarum autem rationum vtraquè cessat, vbi pater alium habeat legitimum titulum possidendi iure proprio, ex ijs, quæ in hac materia, antiquioribus relatis, eosquè inuicem pugnantes, ità conciliando, habentur *apud Altograd. cons.* 81. *& seq. lib.* 1., *decis.* 527. *numer.* 4. *par.* 4. *rec. tom.* 3., *Surd. decis.* 140. *Capyc. Latr. decis.* 13. *Rot. decis.* 329. *nu.* 11. *& seqq. par.* 10. *rec.* 2

Quatenùs igitur (excluſa agnitione) pertinet ad hunc punctum; Scribentes pro Felice deducebant regulam vulgaris *textus in l. qui autem ff. quæ in fraudem cre-* 3

creditor., vbi disponitur, vt debitor possit nolle quærere hæreditatem, vel successionem sibi delatam, ideoquè eius creditoribus ad hæc bona ius non cõpetat, quoniam ea non dicuntur de bonis debitoris, nisi prius agnoscantur, cum delatio non importet ius formatum, sed simplicem facultatem in animo latentem, quam creditores nomine debitoris exercere non possunt, vt est communis sensus DD. ex plenè relatis *apud Capyc. Latr. decis. 8. & 34. Arias de Mesa lib. 2. var. cap. 41. Prat. obseru. 15. & 16. Salgad. in labyr. par. 2. cap. 14. & 16.*; Atquè ità pluries firmauit Rota præsertim *in Firmana fideicommissi de Formonis 9. Iunij 1634. coram Panzirolo*, quæ in Curia super ista conclusione circumfertur tanquam magistralis, quamuis ageretur de successione fideicõmissaria, & sæpiùs in alijs præsertim *in Anconitana honorũ 25. Februarij 1647. corã Bichio inter suas decis. 292. ex numer. 20. in Romana Societatis officiorum 18. Martij 1658. coram Meltio, Romana donationis scutorum 30. m. 9. Aprilis 1660., & 21. Iunij 1661. coram Albergato impress. post collect. Bonden. decis. 77. & 90.*, & in alijs plũries.

Et quamuis ego scribens pro actore replicarem, quod dicta conclusio procedat in hæreditate, vel successione vniuersali, secùs autem in legitima, quæ ipso iure defertur filio, ideoq; in eius bonis, ab instanti mortis parentis ius inesse dicitur, ex ijs, quæ antiquioribus relatis,
4 habentur *apud Peregr. de fideicom. art. 3. numer. 128., & sequen., & conf. 71. num. 3. liber. 1. Menoch. conf. 77. Fab. de Ann. conf. 76. numer. 3., & 5. Andreol. controu. 208. Merlin. de legit. lib. 3. titulo 2. quæst. 29. numer. 10. cum sequen. Fontanell. de pact. clauf. 4. glos. 9. par. 5. numer. 122.*; Attamen ipsi dicebãt, quod contrarium esset verius, ex ijs, quæ alijs pariter relatis, habentur *apud Surd., & add. decis. 40. Carleual. de iudic.*, & alios plenè relatos pro vtraq; sententia *per Salgad. in labyr. par. 2. cap. 14. ex num. 6., & seqq. vbi ex nu. 24. cum seqq.*, hanc probat veriorem, atque in hãc opinionem inclinare videtur *Rota in dicta decis. 292. coram Bichio, & in dicta Romana societatis coram Meltio*, quamuis in neutra articulus decidatur, sed in prima, relatis vtriusquè opinionis sequacibus, articulus relinquatur indecisus, atque in secunda, obiter scilicet præsuppositumè id habeatur; Iftamquè dubietatem dicebant sufficere reo conuento vincenti per nõ ius actoris, & pro quo in dubio est iudicandum *cap. vlt. de*
5 *re iud.* cum concordantibus *per Mantic. decis. 274. num. 5.*, & passim, quoniam est axioma vulgare.

Reflectendo autem ad veritatem dictæ quæstionis, tàm istius, quàm plurium aliarum causarum occasione, in quibus de eodem articulo agi contigit, & præsertim *in Senen.*, de qua suprà *discur. 40*,
6 mihi videbatur, quod iste sit vnus ex modernorum erroribus, tractandi istam quæstionem, ità generaliter, ac in abstracto, atque enumeraudo (pro consueta ineptià) Auctores, ad effectum videndi, quæ nam esset opinio magis, vel minus cõmunis, quasi quod legalis veritas à maiori, vel minori aritmetico numero Scribentium pendeat, cum potius procedendum esset cum ea casuum distinctione, quæ (ex pluries insinuatis), in hac legali facultate, pro forensibus quæstionibus practicè decidendis, omninò necessaria est, pro euitando incursum æquiuocorũ.

Aut enim accedit expressa repudiatio, seù declaratio animi debitoris nõ agnoscendi, atque habendi se pro non existente; Et tunc, quidquid aliqui distinguant,
7 inter hæreditates, & legata, ex deductis *per Cyriac. controuers. 47.*, Siuè inter primam ac directã, vel fideicõmissariam successionem; Vel inter simplicem hæreditatem ex voluntario morientis beneficio expresso, vel à lege subintellecto, et inter legitimam, quæ species est æris alieni, ac successionis necessariæ; Indefinitè recipienda venit dicta regula textus *in l. qui autem*, quoniam ea, quæ sunt facultatis, & animi, allegari non possunt, nequè explicari per tertium, inuito eo, de cuius animo agitur ex latè deductis *per Salgad. dicto cap. 14. & 16.*

Et quamuis ex relatis apud allegatos, præsertim *Capyc. Latr.*, *& add. dicta decisione 8. & 34.*, *& Prat. dicta obseruat. 15.*, *& 16.*; Iuristæ contendant,
8 àn debitor ità agens pecet, seù àn tuta conscientia id facere possit, nec nè, super quo etiam habentur opiniones hinc inde, atquè sine dubio id damnetur; Attamen huiusmodi, ac similes quæstiones, percutiunt diuersos effectus, illum præ-

fer-

sertim, vt debitor ità malignè, vel culpose agendo cum eius creditoribus, in eius præiudicium habeatur pro agnoscente, & acquirente, ad effectũ, vt reddatur indignus illis beneficijs, quæ lex debitori non idoneo concedit; Ad instar eorum, quæ *sub titulo de dote disc.* 145., & in alijs habentur ad materiam beneficij *Auth. res quæ*, vt illud non competat mulieri repudianti successionem, vel aliud emolumentum sibi delatum, siuè agnoscere negligenti, cum similibus; Sed id efficere nõ potest, vt creditoribus aliquod ius competere possit ad bona, quæ effecta non fuerunt de debitoris patrimonio, ac dominio, pro quo non sufficit sola delatio, sed necessaria est agnitio, sinè qua ius delatum, remanet in terminis simplicis facultatis, ità cessantis per expressam declarationem animi in contrarium. 9

Idemquè in omnibus procedit, vbi idem debitor viuat, sit autem indeterminatus, ideoque nullum faciendo actum positiuum acceptationis, vel repudiationis, habeat se merè negatiuè, vt pluries in praxi expertus sum, quod scilicèt grauiter oberati debitores, quibus aliqua, directa, vel fideicõmissaria successio delata, sit, agnoscentes, vt id eis nullam afferret vtilitatem, eo quia totum à creditoribus absorberetur, ità indeterminati remanere voluerunt, donec haberetur tractatus cum creditoribus, vt concorditer aliquã debiti partem remitterent, siuè partem bonorum ei darent, ab eorum molestijs exemptam, ad effectum, vt omnes, ità de superuento fortunæ beneficio participarent, vt sequutũ fuit; Vndè propterea, Ego, pluries creditoribus consului, vt id facerent, ne aliàs totum amitterent, quoniam licet id redoleat manifestam debitoris iniquitatem, vndè propterea (pro meo sensu) debitores ità agentes, tanquàm pro delicto positiuo supplantandi dolosè creditores, mererentur etiam pœna ordinaria puniri; Attamen quia lex, seù verius leguleica interpretatio, quæ legi data est, ità exigit, cedere oportet legi. 10 11

Nimiumquè laudabile videtur, vt vbique statueretur id, quod prudenter dispositum est per Statutum *Ianuæ lib.* 5. *cap.* 19., vt non possint debitores nolle agnoscere iura, & bona eis delata, quæ pro agnitis, & acquisitis ipso iure habeantur, quoniam reuerà iste dicitur quidam leguleicus rigor, qui iudaismi speciem habet, omni destitutus ratione, ideoquè vbique per Statuta abolendus esset. 12

Ponderando etiam, quod de tempore editi responsi per *I.C. Vulpianum in dicta l. Qui autem*, ac etiam de ipsomet tempore compilationis Pandectarum sub Iustiniano, id respectu vniuersalis successionis, aliqua probabili ratione nõ carebat, ex eo quod ob adhuc non introductum inuentarij beneficium, hæreditas alicui delata, loco emolumenti, seù beneficij, notabile damnum, ac maleficium causare poterat, ratione obligationis de proprio, etiam vltrà vires, ad omnia debita, & legata; Vbi verò agitur de legatis, vel fideicommissis, in quibus istud periculũ non vrgeat, vel etiam in ipsamet successione vniuersali, in qua dicto periculo consultum est, cum beneficio inuentarij, quod per ius nouissimum introductum, est, tunc id remanet omni ratione destitutum, atque est fouere debitorum malignitatem, ac proteruiam, siuè speciem illius collusionis, de qua *sub titulo de fideicom. disc.* 170. cum similibus. 13

Aùt verò (vt in hac facti specie contingebat) incerta est debitoris voluntas, quia nempè, durante adhuc iure eius patris, quandò incongruus erat actus additionis, obierit, nullum faciendo actũ, vnius, vel alterius voluntatis declaratiuum, et tunc; Aut sumus in casu, quod intret regula, vt hæreditas non adita, nõ trasmittatur, sed fiat locus alijs proximè vocatis, & idem procedit, quoniam creditores, ità omni remedio, vel actione destituti videntur; Aut verò locus est transmissioni, vt cõtingit in fideicõmisso iam purificato, vel in legato particulari puro, seù purificato; Clarius verò in legitima, & quandoquè etiam in hæreditate vniuersali, ratione suitatis, vel sanguinis, aut mortis infrà annum ad deliberandum &c., et tunc verius omninò videtur, vt dicta iuris regula admittenda non veniat, cum nulla suppetere videatur ratio, quæ id suadeat. 14

Istud etenim ius esse dicitur in hæreditate debitoris, atq; inter eius effectus, adeo vt, hæres possit, etiam ad lucrum, propriamquè vtilitatem, illud agnoscere;

Igi-

Igitur multò magis id facere potest, ac debet hæres, ad commodum creditorum, dum hæres (ex pluries deductis in præcedentibus, & alibi) reputatur legalis
15 administrator, qui propterea non potest pro libito malè administrare, atque administrato patrimonio præiudicare, ex ijs, quæ generaliter de administratoribus legalibus, ac specialiter de administratore, qui datur obærato patrimonio, habentur pluries deducta *per Salgad. in eius labyrinto*, atquè insinuantur in præcedentibus, cum videatur de iure absolutum.

Et quamuis verà sit conclusio alibi pluries insinuata, quod transmissio non importat acquisitionem dominij, quodq; prò isto, præcisè necessaria est agnitio,
16 vnde propterea, fideicõmissum, vel aliud ius defuncto delatum, transmittitur quidem, sed tanquam agnoscendum, non autem tanquam agnitum, ad effectum vt transmissarius volens, possit agnoscere, adeò vt iste actus agnitionis, omninò necessarius dicatur; Attamen id non facit, quin tale ius esse dicatur in hæreditate, et consequenter quod hæres, qui (vt supra) iure legalis administratoris censendus est, illud negligere valeat, adeò vt, quando non adesset qui hæreditatem agnoscere velit, etiam per curatorem ei datum, id fieri posset, seù aliàs prouideri, iuxtà casum, *de quo sub tit. de emphyt. disc.* 8.

Retenta verò dicta conclusione in præiudicium creditorum, vbi debitor expresè repudiet, seù viuens indeterminatus persistat; Pluries disputaui, præsertim coram A. C. *in Romana pecuniaria*
17 pro Francisca Ruitz cum creditoribus Emilij Ruitz; An eadem conclusio procedat in eo iure, quod debitori apertum sit per dispositionem inter viuos, vt in eo casu contingebat, quod scilicèt agebatur de donatione contemplatione matrimonij facta sponso, & filijs ex eo matrimonio procreandis, qui propterea tãquàm directè vocati, sine dubio venire poterant tanquàm filij ex persona propria iuxtà distinctionem, de qua in sua materia *sub tit. de donat. disc.* 1. *& seq.*

In hoc autem, dicebant Scribentes pro creditoribus, vt dicta regula non intraret, cum inter alias limitationes, ea recepta sit, quando ius competat ex contractu, vel pacto, vt *per Franch. decis.* 101. *numer.* 32. cum alijs *apud Capyc. Latr. de-*
18 *cis.* 34. *num.* 12., *& Ror. in Romana palatij* 3. *Decembris* 1646. *coram Cerro* per notabilem doctrinam *Bart. in l.* 1. *§. non quærimus ff. si quis omiss. caus. testam.*

Admittebam ego scribens pro dicta Francisca (quæ ad eamdem donationem vocata erat), dictæ limitationis veritatẽ; Negabam verò eius applicationem ad casum; Procedit etenim in eo cõtractu, vel pacto, quod initum sit cum ipsomet
19 debitore, qui ex tunc, contrahendo, vel paciscendo, formale ius quæsiuit, ideoquè repudiatio, vel non agnitio, non importaret abstentionem à iure quærendo, sed potius remissionem iuris quæsiti, quod debitor facere non potest in præiudicium creditorum; Istaquè est ratio, cui dicta limitatio innititur, ideoquè trahi non potest ad casum, in quo agatur etiam de iure quærendo, quod remaneat in terminis simplicibus facultatis; Vt in specie iurium obuenientiũ ex donatione non acceptata, & quam debitor acceptare negligat, cæteris telatis, plenè *Salgad. dicta par.* 2. *cap.* 14. *num.* 1. *& seqq.*, *& num.* 12. *&* 17. *& seqq.*; Donatio etenim facta absenti, apta quidem est, quandoquè, ratione iuramenti, vel stipulationis Notarij, seù acceptationis
20 primi donatarij &c. excludere in donatore pœnitentiam, atquè reddere actum irreuocabilem; Non autem est apta transferre dominium, pro quo necessaria est acceptatio, quæ potest non sequi, vt in sua materia *sub titulo de donationibus*.

Atquè ius proprium, ac directum filiorum, quod resultat ex huiusmodi donationibus cõtemplatione matrimonij, in effectu aliud non redolet, nisi fideicommissum ordinatum per actum inter viuos, iuxtà eam speciem, de qua *sub titulo de fideicommiss. discur.* 141., *& dicto titulo de donat. discur.* 1. *& seqq.*; Ideoquè donec sequatur agnitio, bona dicuntur in facultate acquirendi, non autem quæsita, & in bonis nostris; Nequè intrat dicta distinctio, inter actus vltimæ voluntatis, ac illos inter viuos, cum ea, verè, ac propriè procedat in illis actibus inter viuos, qui per præsentiam, ac acceptationem debitoris contrahentis, iam perfecti sunt, ideo-

què

què agatur de iuribus ex eo iam quæsitis, ac de consequenti, non esset non agnoscere, vel non acquirere, sed condonare, ac remittendo alienare,

ducit remissio.

6, & 7 *De ratione dictarum conclusionum de quibus num.* 4. & 5.

8 *De alio casu còntrouersiæ.*

9 *Quod pia loca debeant benignè se gerere.*

10 *Declaratur conclusio, de qua num.* 4.

11 *An litigator possit transigere in præiudicium eius, cui factum est pactum, de quota litis, vel de certa quantitate &c.*

ROMANA

LEGITIMÆ

PRO

HÆREDITATE RAPHAELIS ANDOSILLÆ

CVM

CREDITORIBVS MICHAELIS MORONI

Casus disputatus coram A. C., & resolutus pro Hereditate.

De eadem materia debitoris non agnoscentis, vel repudiantis legitimam, in præiudicium creditorum; Quid dicendum sit, vbi transigendo, partem acceptet, ac partem dimittat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Ius quæsitum remitti non potest in præiudicium creditorum.*

3 *De distinctione cessionis abstentiuæ, vel translatiuæ, & qui potest non acceptare in totum, vt possit acceptare in parte.*

4 *Transactio, quando afficiat tertium iure suo venientem.*

5 *Quod transactio non producat debitori illos effectus præiudiciales, quos pro-*

DISC. CXXXVIII.

1 HAbilitata per litteras Apostolicas, in forma Breuis Anna Morona vxor Raphaelis, vt non obstante, quod esset filia familias, de eius dote aduentitia, vtpotè à bonis maternis proueniente, testari posset; Hæredem instituit Raphaelem virum, vt in proposito habetur mẽtio *sub titulo de feud.* ad materiam Bullæ Baronum *discur.* 85., *& sub tit. de donat. disc.* 9.; Michaeli autem patri quamdam modicam sũmam, ex causa legitimæ reliquit, assignata ratione, vt reliquum, vsque ad eiusdem legitimæ supplementum, imputari deberet cum eo, quod idem debebat pro restitutione dotium matris, & vxoris respectiuè, aliorumquè bonorum eiusdem vxoris cõsumptione; Cumque exindè inter dictos Michaelem, & Raphaelem orta esset lis, ea post aliquas disputationes, me quoquè pro Raphaele scribente, & cooperante, sopita fuit per concordiam, per quam Raphael soluit scuta 415. Michaeli, qui amplam quietãtiam, ac remissionem de omni, & toto eo, quod prætendere posset, fecit; Dicto autem Raphaele defuncto, Michaelis creditores, prætendentes, quod debitor non poterat in eorum præiudicium (modica summa accepta) legitimam remittere, importantem scuta ter mille circiter, iudicium instituerunt coram A.C. cõtrà hæreditatem, quam licèt iacentem, tuebatur magister meus Angelus patruus, ex causis, de quibus habetur locis citatis, atquè post aliquas disputationes, prodijt sententia, hæreditatis absolutoria.

In ista verò causa, non cadebat inspectio, de qua *disc. præcedenti*, quando scilicèt debitor, expressè repudiet, atquè nolle

nolle agnoscere declaret, siuè habeat se negatiuè, dum idem debitor, iam ipsam legitimam agnouerat, atq; in iudicio petierat; Isto siquidem casu agitur de iure iam agnito, & quæsito, quod certũ est, remitti non posse, iuxtà distinctionem, de
2 qua cæteris relatis plenè *apud Salgad. in Labyr. par. 2. cap. 14. cum duobus seqq.*, & habetur etiam *sub titulo de renunciat.*, vbi de distinctione inter renunciationẽ abstentiuam, & translatiuã, ideoque scribentes pro actoribus, ità dicebant fundatam esse eorũ intentionem, quoniam actus importabat formalem remissionem, ieù condonationem iuris iam agniti, & quæsiti, quod sine dubio debitor facere non potest, etiam in præiudicium creditorum chirographariorum, multo minus habentium hypothecam, vt pluries in præcedentibus *hoc eodem tit.* aduertitur.

Scribens ego pro hæreditate, cumulando motiua, Aduocatorũ more; Deducebam ea, quæ, cæteris relatis habentur, apud doctissimum, semperquè præ manibus habendum *Franch. decis.* 101.,
3 & sequuntur alij relati *per Salgad. dicto cap. 16. numer. 47. cum pluribus seqq.*, & *numer.* 82., quod scilicèt; Aliud est, vt quis hæreditatem, vel aliud sibi delatum ius agnoscat, deindeq; (modico accepto) translatiuè alteri totum cedat, cum tunc dicatur formalis donatio, quàm sine dubio facere non potest debitor in præiudicium creditorum; Aliud verò, vt debitor, delatum sibi ius, agnoscat quidem, sed in parte tantùm, in parte autem non, quoniã dum poterat nullatenus agnoscere ex deductis *disc. præcedenti*, hinc nil prohibere videtur, cur qui poterat facere totum, non possit facere partem, vt quotidiana praxis docet in muneribus, quæ transmittuntur officialibus, & magistratibus, seù etiam amicis, quod, vel ea in totum recusantur, cum omnimoda abstentione, vndè denuò redeunt integra ad mittentem, vel ratione congruentiæ, acceptatur quedam modica pars, reliquum autem dimittitur; Vt etiam in Curia (priuatiuè forsàn ad vniuersum orbem), ipsimet Aduocati, & Causidici, practicant cum Cardinalibus, & alijs, à quibus, prò futuris contingentijs, maiora sperant beneficia, faciendo consuetam spei mercaturam.

Verùm, clara erat fallacia motiui, ex defectu applicationis ad factum, dum tàm iudicialibus, quàm extraiudicialibus actibus constabat, quod Michael, integram legitimam, quinimò (impugnando testamentum), vniuersam hæreditatem petierat, atquè facti circumstantiæ, excludebant omnem rationem beneuolentiæ, cui dicta remissio referri posset.

Solidum autèm motiuum (cui Iudex innixus est, iustè absolutoriam concedendo), consistebat in eo, quod remissio
4 residui, sequuta non erat per viam voluntariæ, & gratuitæ condonationis, sed per viam transactionis, quæ, vbi bona fide inita sit, adeò vt dici non valeat voluntaria dimissio, vel alienatio, quæ collusiuè, & affectatè cum transactionis vocabulo colorata sit, afficit tertium, quamuis iure suo, ac independenter venientem, ex ijs, quæ in terminis trãsactionis initæ, per possessorem fideicommissi, vel maioratus, vel feudi, aut emphyteusis, vt afficiat etiam successores iure suo venientes independenter à transigente, habentur *sub titulo de fideicommiss. discur.* 173., *cum pluribus seqq.*, *& sub tit. de emphyt. disc.* 52., *& sub altero de feudis disc.* 49., ac alibi pluries.

Quinimò (quod magis) id, quod dimittitur per transactionẽ bona fide initam, neque producit illos effectus ipsi-
5 met dimittenti præiudiciales de quibus habetur *disc. præcedenti*, etiam vbi creditoribus præiudicetur, quod scilicèt respectu ipsius debitoris id, quod non agnoscitur, pro agnito habeatur, vt distinguendo deductum habetur *sub titulo de dote discur.* 145. ad materiam *Authent. res, quæ*, ad cuius subsidiarium beneficium non admittitur mulier, quæ repudiet, vel agnoscere non curet successiones, & legata, vel alia bona sibi obuenta, vt secùs sit, quando id sequatur per viam transactionis bona fide initæ.

Ex ea clarà ratione, locis citatis, & alibi pluries insinuata, quod transactio inita bona fide, quæ à causæ dubietate metitur, est species sententiæ, & rei iudicatæ,
6 per quàm, prudenter, occurrendo incerto periculo mali euentus litis, aliqua pars in tuto ponitur, ideoq; collitigans, cui reliquum, quod sublite erat, datur,

vel *respectiuè dimittitur*, id obtinere non dicitur, ex voluntate, seù liberalitate dantis, vel *dimittentis*, sed iure suo primæuo, tanquam per remotionem obstaculi.

Hinc proindè, ista dicitur quæstio potius *facti*, quàm *iuris*, vt potè decisionem recipiens à *facti circumstantijs* bonam, vel *respectiuè* malam fidem redolētibus,
7 & an id, quod datur, vel dimittitur, benè congruat, atquè proportionatum sit incerto litis euentui; *Ista*què bona fides, in hac *facti* specie exuberabat, quoniam de rigore, dicto *Michaeli* denegari etiã poterat ea summa, quæ pro bono pacis, commiserando patri vxoris, potiùs voluntariè data fuerat.

In hoc autem proposito transactionis, quæ ab vno fiat, in alterius interessati præiudicium; *Sæpius* disputaui, præsertim pro *Archiconfraternitate Sactissimæ Annunciatæ* cum denunciatoribus iurium ei delatorũ, ac ignotorum, (qui-
8 bus pro stylo dari solet certa quota); Quod cum præsertim aperta esset quædam notabilis fideicommissaria hæreditas ad fauorem prædicti, aliorumque piorum locorum, cum cõuentione quintæ partis ad fauorem denunciatoris, motaquè lite contra hæredem vltimi grauati, & possessoris, plures excitatæ essent controuersiæ (fideicommissarijs quæstionibus connaturales) super identitate bonorum, ac detractionibus, illæquè prudenter sopitæ, cum honesta concordia, (quæ semper cõmendabilis est in Eccle-
9 sijs, & pijs locis, quæ benignè in hoc gerere se debent, non autem cum illis summis rigoribus, qui ex indiscreto zelo professoribus vitę spiritualis connaturales esse solent) hinc denunciator prætensionem excitauit, vt ei debita esset integra quinta pars totius hæreditatis, nulla ratione habita de parte dimissa per transactionem, non obstantibus supra deductis, quoniam Scribentes pro eo dicebant (& in hac parte bene), quod dicta conclusio, seù distinctio, procedit in ea transactione, quæ fiat per eum, qui tunc sit dominus, & possessor, alteri restituere obligatus, adeo vt, tertius, quem tran-
10 sactio afficiat, habere dicatur ius, vel interesse futurum, ac successiuũ, vt est illud successoris in fideicõmisso, vel feudo, aut emphyteusi; Siuè habeat interesse dependens, & consequutiuum, vt dici possit illud creditorũ; Secus autem, vbi agatur de tertio, qui de præsenti sit condominus, seù habeat ius principale, & coæquale; Ad instar eorum, quæ habemus in sentētijs, & actibus iudicialibus gestis cum vno, àn tertium afficiant.

Scribens ego pro dictis locis pijs, dicebam, quod dicti termini, ex præfata vera distinctione, verè, ac propriè non intrarent; Attamen, essent valde proximi, vel saltim eorum ratio congrueret, cum denunciator, verè non veniret iure suo primæuo, & coæquali ab initiò, sed ex concessione sibi facta per ipsos transigentes.

Magis verò proximos dicebam esse terminos quæstionis, de qua cæteris relatis habetur actum *apud Franch. decis.* 11 265., vbi scilicèt, Aduocato, vel alteri promittatur quota, vel certa quantitas futuræ litis, quoniam si litigator, qui quotam, vel quantitatem promisit, transigat, tunc reiecta rigorosa opinione *glosæ*, admittitur distinctio *Speculator.*, vt attendatur eadem distinctio, bonæ, vel malæ fidei; Nimium enim durum, ac impracticabile esset, vb ob huiusmodi verè accessorium consecutiuum interesse, prohibendus esset principalis interessatus, cum honesta concordia se à lite liberare; Atquè ità iudicatum fuit.

ROMANA CAMBIORVM, VEL SVPPLETIONIS PRO ANDREA ANGELO VALENTE CVM MARCHIONE RAYMVNDO.

Casus decisus per Rotam pro Valente.

Ad eamdem materiam, de qua suprà *disc.* 53.; An scilicèt, & quando, creditor, qui cogitur accipere pecuniam vinculatam, vel cautionem præstare, actionem habeat contrà debitorem, vt eum eximat à cautione, vel tollat pecuniæ vinculum, siuè suppleat id, quod interest, pecuniam non esse liberam, sed vinculatam.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum decisionibus causæ.*
2 *De obligatione debitoris releuandi creditorem à cautione præstita.*
3 *Quando dicta cautio de iure præstanda sit, & debitor non teneatur releuare.*
4 *Quod non de facili admittatur conclusio, de qua num. 2.*
5 *Et quando etiam secluso pacto, id procedat.*
6 *Debitor admittitur ad soluendum in moneta currenti in regione, licèt inferioris materiæ.*
7 *Non nisi Princeps supremus tollit ius tertij.*
8 *De eadem conclusione de qua num. 2.*
9 *De regula quod creditori soluenda est pecunia libera.*
10 *De materia puncti super solutione pecuniæ liberæ.*

DISC. CXXXIX.

1 RE tenta facti serie, de qua in hac eadem causa *sub titulo de cambijs disc.* 1., & 2.; Cum principalis disputatio fuisset super puncto validitatis cambiorũ platealium, atquè Rota in ibi enunciatis decisionibus, ac etiam in alijs, quæ in subsequenti instantia postmodùm prodierunt *sub diebus* 11. *Ianuarij* 1669. *coram Priolo*, 17. *Iunij sequentis*, & 23. *Iunij* 1670. *coram Bourlemont*, & 11. *Martij* 1671. *coram Calataiù*, firmasset quidẽ dictorum cambiorum validitatem, sed ex quodam æquitatiuo arbitrio, ob eorum excessum decreuisset solui debere ad formam, seù taxam nundinalium, ità tamen, vt creditor, pecuniam in hac ità moderata summa, habere deberet liberam à cautionibus, & vinculis, cum quibus creditor de manibus Congregationis Baronum, ità suscipere coactus fuerat, vel supplere id, quod vincula de intrinseco, & naturali valore minuerent, iuxtà quandam æstimationem, quæ ex iudicio peritorum, per eamdem Rotam facta fuit; Hinc Raymundus debitor; tàm in bino recursu ad Signaturam Gratiæ, quàm in alijs instãtijs in Rota *coram Bourlemont.*, & *Galataiù*, acriter impugnando istam moderationem, vel suppletionem respectiuè, dicebat in hoc euidenter se grauatũ esse, quoniam cum, tàm ex inconcusso stylo dictæ Congregationis, quàm etiam ex particulari chirographo Pontificio, creditores tenerentur præstare cautionem de restituendo acceptam pecuniam, primariò emptori castrorum in casu euictionis, & molestiarũ, et secundariò crèditoribus anterioribus, vel potioribus, hinc proindè, istud factũ Principis, quod speciem casus fortuiti redolet, creditores afficere debeat.

Fortiùs verò ex duplici circumstantia, ob quam Scribentes pro debitore dicebant casum esse planũ, quodquè nul-
2 latenus intrare posset ea, quæ ex *Franch. decis.* 200. cum alijs relatis *per Addent.* habentur supra pluries insinuata, ac etiã *sub tit. de feud.* ad materiam bullæ Baronum *discur.* 99., & in alijs, quod scilicèt creditor, qui cogitur accipere pecuniã vin-

vinculatam, agere potest contra debitorem ad eum eximendū à vinculo, vel supplendum quanti interest &c. in hac fuit ſpecie non intraret.

Primò nempè, quod agebatur de venditione bonorum debitoris, tunc ciuiliter mortui, ſub Iudicis adminiſtratione exiſtentium, ideoquè dicta cauendi obligatio, etiam ex iuris communis diſpoſitione reſultat, ex ijs, quæ habentur *ſuprà diſc.* 33 *, & ſeq.*; Et ſecundo clarius, dum creditor, ipſam Congregationem Baronum adierat, ideoque ſibi imputare deberet, cur id egiſſet, dum rectè ſciebat, quod iſtud Tribunal non ſoluit pecuniā, niſi ità vinculatā, & conſequenter quod ſibi patere deberet via, quàm elegerat ex deductis *dicto diſc.* 99. *de feud*; vbi de caſu fortiori, quod creditor ex pacto expreſſe ſe munierat de iſta cautela ſuppletionis, & tamen ex hoc motiuo, de facto derogatum fuit, ex ibi deductis.

Scribens ego pro creditore (etiam cum ſenſu veritatis) improbabilem dicebam debitoris conquæſtionem, quodque iuſtè Rota ita decreuiſſet; Admittebam ſiquidem præmiſſa tanquam vera, vbi ageretur de creditore ſatisfacto 4 *de integro credito, quoniam, ſtante præſertim facto Principis, redolente caſum fortuitum, non de facili forus vbique, præſertim verò in Curia, dictę ſuppletionis praxim admittit, niſi vbi accedat pactum expreſſum, quod à moderno tēpore, (me forſan auctore) in Vrbe adijci cœpit, niſi illi quoque derogetur iuxta caſum de quo *dicto diſc.* 99; Atque ſeclusō pacto, ego nūquam id vidi practicari.*

Verùm quia creditor de integro debito ſatisfactus non erat, ſed per dictam æquitatiuam moderationem, debitum ſolutum erat dimidiatum, & minus; Hinc 5 *proinde, tam ex regula quod quiſque iuris &c.*, quam ex altera, quod nemo impugnare poteſt actum, quem approbuit, atque ex eo emolumentū reportat, dicebam quod præmiſſa ceſſabant ex defectu applicationis ad factum, adeò vt pro meo iudicio punctus videretur tot diſputationum, ac difficultatum dote indignus, (qualis eſt quotidianus effectus naturalis, ac ineuitabilis, qui ex ingeniorum varietate reſultat.)

*Libenter ſi quidem creditor, ſe promptum offerebat, accipere, ſeù bonificare pecuniam cum dicto vinculo, dummodo ſibi ſolueretur integrum debitum, quod eſſe legitimum, atque de ſtricto iure ſoluendum, eadem Rota decreuerat, demāndando dictam reductionem, ex quadam non ſcripta æquitate; Ideoque intellectus non percipiebat, quomodo debitor diuidere poſſet iſtam æquitatem, dum creditor, in eiuſdem debitoris optione ponebat, vel ſoluere ſummam moderatam liberè, vel cum vinculo integrum debitū ad formam conuentionis, pro cambijs plate alibus, quæ eſſe abſque dubio valida, & licita, latè firmatur *dicto diſc.* 1. *de cambijs*, ac in alijs deciſionibus poſtea in cauſa editis.*

Ad quod probandum, dabam practicum exemplum circà modum ſoluendi debitum, in vna, vel altera ſpecie monetæ, quarum vtraque de iure habeat eum- 6 *dem intrinſecum valorem, ſed de facto ille ſit diuerſus; Vt (exempli gratia) contingit in moneta aurea, & argētea bonæ ligæ, & iuſti ponderis, ac reſpectiuè in moneta ænea inferioris intrinſecæ bonitatis; Vt cōtingit in Hiſpania de moneta nuncupata Velon., diſcreta, ab aurea, & argentea; Ac etiam in Regno Neapolitano adeſt notabilis differentia inter monetam æneā, & argenteā, vel aureā, ac alibi iuxta caſum, de quo *ſub tit. de regal.* ad materiam monetarum *diſc.* 126.*

*Vbi enim pactum expreſſum in contrarium non accedat, creditor recuſare non poteſt ſolutionem, quam debitor faciat, vel offerat in moneta ænea, quamuis iſta de facto longè inferiorem valorē habeat, quàm aurea, vel argentea, adeòut notabilis differentia currat inter vnam, & alteram *vt diſc. ſeq.**

Sed ſi debitori (E.G.) in bīs centum, Iudex indulgeat, vt admittatur ad ſoluendum centùm, atque ità, totius debiti liberationem aſſequatur, ità tamen, quod iſta centum ſoluat in moneta aurea, vel argentea, vtique non poterit debitor, acceptare dictam æquitatiuam moderationem debiti, & impugnare præfatam qualitatem compenſatiuam in aliqua parte damni, quod infertur creditori; Et hunc dicebam eſſe caſum.

Potiſſimè verò, quia maiorem exorbitantiam à diſpoſitione iuris, continere videbatur dicta æquitas, quam Rota 7 *adhibuit cum debitore, quàm altera,*

quam

quam adhibuit fauore creditoris, quoniam, posita validitate cambiorum placealium, fortè non poterat dictam moderationem facere, quoniam est tollere ius tertij, quod non conceditur nisi supremo Principi, ex deductis ad hanc materiam potestatis tollendi ius tertij *sub tit. de regal. disc.* 148., & aduertitur in ista causa *dicto disc.* 2. *de cambijs*; E conuerso autem cogere debitorem, vt eximat creditorem à cautione, eique soluat pecuniam liberam, vt eam accepit, potius iuris dispositioni conformat iuxtà dictam *decis.* 200. *Franch.*, & habetur *plu-*
8 *ries sub d. tit. de feud.* ad materiam bullæ Baronum, ac etiàm supra *d. disc.* 53. *& seq.*, vbi de regula, quod creditor non tenetur recipere pecuniam vinculatam, sed debet habere liberam; Et quamuis aliquæ limitationes ibi tradantur, attamen illæ percutiunt fauorem tertij, nempè emptoris bonorum, vel aliorum creditorum in concursu, non autem ipsius
9 debitoris, qui nunquam de iure admittendus videtur ad cogendum debitorẽ, ad illud vinculum, quod ex eius facto, & culpa prouenit; Igitur non videbatur, quomodo fauore debitoris, admittenda esset æquitas, quæ magis à iure exorbitat, atque respuenda altera, quæ magis iuris dispositioni conformat.

In proposito autem cautelæ, quæ à moderno tempore adijci solet, cum pacto, vt quatenus creditor cogeretur ex facto Principis, vel Congregationis Baronum, accipere pecuniam vinculatam,
10 teneretur debitor supplere, quod hodie est frequens; Aliàs in facti contingentia dubitandi ratio exorta est, (quamuis adhuc occasio non præbuerit id formiter in foro disputare, neque pro mea notitia, ab alijs disputatum sit.), an scilicet ista suppletio, hypothecam traheret à tẽpore contractus, vnde propterea, etiam pro ea creditor vinceret posteriores, à quibus auocare posset pecuniam solutã, cum cautione de restituendo.

De stricto autem iure pro ipso creditore anteriore respondendum videri obseruabam, dum ex tunc, etiam pro hac suppletione, tanquam ad damna, & interesse, hypotheca contracta erat, potissimè vbi accedat obligatio cameralis, vel similis formula, quæ contineat stipulationem ad omnia damna, & interesse, iuxta ea, quę infrà *disc.* 147.; Verũm in praxi quadam æquitate repugnante, difficile videretur, id obtinere in concursu creditorum, super bonis defecti debitoris, qui aliàs idoneus omnibus non sit, quoniam ex pretio bonorum hypothecatorum, ita de facto creditor habuit, centum pro centum, & sic æquiualentiam, quamuis dictum accidens, quoad ipsum creditorem id minuat; Non tamen maturum iudicium desuper effor-
11 mari potuit.

Actum etiam fuit in Signatura, Gratiæ, de puncto iurisdictionis Rotæ in ista causa super hoc puncto; Siquidem, prætendebat Raymundus, quod Congregatio Baronum, in concernentibus exequutionem bullę, esset Iudex priuatiuè quoad omnes, cumque ipsa liberasset pecuniam cum vinculo, non potuerit Rota retractare id, quod Congregatio fecerat; Verùm, prescindendo etiam à puncto particulari, an Rota, quæ ex cõmissione Signaturę Sanctissimi erat Iudex appellationis, potuerit etiam retractare ea, quæ gesserat dicta Congregatio tanquam Iudex à quo; Adhuc fragile videbatur motiuum, quoniam non petebatur deletio vinculi, neque Rota fecit contrarium eius, quod Congregatio gessit; Siquidem (vt dictum est), libenter creditor acceptabat solutionem totius debiti cum vinculo, sed punctus erat in dicta æquitatiua moderatione, quam Rota fecerat ad fauorem debitoris cum dicta qualitate fauorabili creditori, quam debitor diuidere non poterat, ac in parte acceptare, & in parte impugnare, cum esset vnicum factum indiuiduum, retento dicto pręsuppositio, quod dicta moderatio non intraret de iustitia, seù stricto iure, sed solũ de æquitate; Ideòque non erat tollere vinculum, neque iudicare contra stylum Congregationis, sed solum qualificare dictam æquitatiuam moderationem, quam in facultate debitoris erat, nolle acceptare, sed inhærere rigori iuris, qui tamen hinc indè practicari debebat; Atque ità iudicatum fuit, dum Signatura debitoris petitionem reiecit.

PAR.

PARMEN.

CENSVS

PRO

MARCHIONE PALLAVICINO

CVM

CAMERA DVCALI

Responsum pro veritate.

De materia monetæ, in qua debitor solutionem facere potest, vel debet; Et quando eius augmentum, vel decrementum, vnius, vel respectiuè alterius, commodo, vel damno cedat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Creditor exigens ad minorem rationem, petit non solutum.*
3 *Ad materiam* tex. in l. aduersus C. de vsur.
4 *De alio casu controuersiæ.*
5 *Vt non petatur id minus de præterito solutum in moneta inferiori.*
6 *De materia monetæ, & vbi de illa tractetur.*
7 *Bona fides excusat à perceptis, & consumptis.*
8 et 9 *De eadem materia monetæ, & quando certa summa stet taxatiuè.*
10 *De eodem vt augmentum sit creditoris.*
11 *De diuersis speciebus scutorum auri.*
12 *Creditor non potest recusare solutionem debiti in moneta inferiori, & quando secus.*

DISC. CXL.

CVM circa annum 1580., impositi essent duo cēsus; Vnus in sorte scutorum 400. auri, simpliciter; Et alter scutorū 200. auri Italiæ, quorum fructus, pariformiter in auro soluendi essent, atque ex tunc illi soluēi essent ad quandam rationem librarum, cum aliqua differentia inter vnum; & alterum vsque ad annum 1628. De isto tempore, effectis dictis censibus de dominio Cameræ Ducalis, eius Magistratus, ad instantiam Procuratoris Fiscalis, declarauit solui deberet in futurum ad rationem maioris quantitatis librarū respectiuè, atque ita continuatum fuit vsque ad annū 1670., de quo tempore, occasione extinctionis, quam de illis, vel eorum altero, debitor facere intendebat, orta controuersia coram eodem Magistratu, prodijt declaratio, vt tam in sorte, quàm in fructibus, solutio fieri deberet in auro, ad formam instrumenti, reseruatis iuribus Cameræ, talibus qualibus, pro eo pluri, quod importarent fructus decursi, & soluti; Cumque de dictæ resolutionis reuisione ageretur, hinc ex parte debitoris desuper consultus; Respondi, distinguendo inter fructus decursos, & solutos, ac in futurum decurrendos, vel sortem, quatenus ad extinctionem procedendum esset.

Circà fructus decursos, ac solutos; Dixi quod licet de stricto iure, pro creditore, respondendum esset, quoniam; creditori erroneè minus exigenti, quàm verè debitum importet, deneganda non
2 videtur actio petendi supplementum, quoties constet, vt ex errore potius, quā donandi animo id gestum sit; Eodē modo, quo è conuerso, debitori per errorem plus indebitè soluenti, non denegatur repetitio, ex natura correlatiuorum; Absque eo quod in huiusmodi annuis præstationibus obstare possit regula textus *in l. aduersus C. de vsur.*, per quem disponitur, vt facta triennali fructuum solutione, ad minorem, rationem, quam conuē-
3 tam, ita implicitè inducta censeatur reductio, etiam pro tempore futuro, cum ex veriori sententia, id procedat in vsuris, quæ sunt in iure odiosæ, non autem in censibus, quorum fructus censentur fauorabiles, atque, sortis potius, quàm vsurarum, seù accessionum naturam habent, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de cens. ac sub altero de vsur.* pluriès
Nisi obseruantia deducatur, tanquam vnum ex adminiculis, cum alijs coniungendum, ad probandam conuentionalem reductionem, frequenter practicari-

so-

solitam; Potissimè verò, vbi agitur de creditore non administrante eius bona, & jura per se ipsum, sed perneceſſe viuente sublegali administratore, cuius negligentia sibi præiudicare non debet, vt in præsenti, dum agebatur de Fisco.

Vndè propterea deducebam ea, quæ iam deduxeram in Tribunali Vicarij super consimili controuersia antiquissimi census, impositi circa initium sæculi præcedentis *in vna Romana* inter Monasterium Sanctæ Mariæ Nouæ, & Octauium de Gasparis, occasione extinctionis dicti census impositi in scutis aureis Solis, seù larghis, quorum fructus soluti fuerant ad rationem iuliorum duodecim; Siquidem dicebam, vt saltim pro decursis ab annis 39. citra, & sic infra quadragenariam præscriptionem, quæ requiritur contra Ecclesiam, peti posset residuũ, ex recepta Vltramontanorum propositione pluries in præcedentibus insinuata, & de qua *decis.* 373. *num.* 16. *par.* 9. *rec.*; vt in annuis præstationibus, quot sunt anni, tot sint præscriptiones, vnde propterea quælibet annualitas, suam præscriptionem particularem exigat.

Verùm expertus exitum dictæ alterius causę, formiter disputatæ in dicto Tribunali Vicarij, in qua circa decursos, & solutos prodijt sententia debitoris absolutoria, Respondi vt etiam isto casu, debitori maior probabilitas assisteret; Tũ ex speciali auctoritate Rotæ ità in puncto firmantis *apud Pen. dec.* 5. *n.* 1. *repetit. dec.* 216. *post Cene. de cens.* (vbi tamen articulus non examinatur, adeout, quando aliæ rationes, de quibus infrà non vrgerent, de ista auctoritate pro meo vsu non multum curandum veniret) Tum clarius ob duplicem rationem.

Primò scilicet ob quandam communem obseruantiam bene regulatam ab æquitate, non inuoluendi totum Mundũ ruinis, dum licet moderno tempore, plures excitatæ fuerint controuersiæ in hac materia monetarum auri, quarum loco, alia species monetæ solui consueuerit, iuxta casus, de quibus *sub tit. de Regal. disc.* 126. *cum seqq.*, *& sub tit. de Pensionibus disc.* 34. *cum seqq.*, *ac etiam sub tit. de Benef. disc.* 89. *& sub tit. de Alienat.*, *& contract. disc.* 10; In quibus de hac materia monetarum agitur, atque fauore creditoris deciditur, vt scilicet, non obstante retroacta obseruantia, solutio fieri debeat in scutis auri, vel in eorum æquiualentia, vt de præsenti currunt, adeout, augmentum cedere deberet commodo creditoris, vt etiam decisum fuit in alia superius insinuata causa; Nihilominus, nunquam actum fuit de decursis, & solutis, sed solum de decursis, & non solutis, atque in futurum decurrendis.

Et secundò in idem, ex conclusione, quam receptam habemus in fructibus per non dominum perceptis, & consumptis, vt ab eis restituendis excuset bona
7 fides, quinimò etiam media, quoniam sufficit abesse malam positiuam, ex deductis *apud Caual.* 409. *in fin.* & 645. *in principiò Burat. dec.* 184. & 227. *Greg.* & *add. dec.* 74; & *dec.* 3. *p.* 7. *rec.*; Et in proposito collectarum non solutarũ, vel in minori sũma, aduertitur *sub tit. de Regalibus disc.* 48. & 92.; Ideoque stante retroacta obseruantia, debitor in bona fide versatus est, percipiendo, & consumando illos fructus fundi censiti, qui aliàs in maiori quantitate, pro annui debiti solutione, erogari debuissent, vt in proposito aduertitur *dicto disc.* 48. & 92. *de Regalibus.*

Clarius verò in hac facti specie, stante dicta taxa sequuta de anno 1628., quoniam licet ea, vtpotè regulata à valore auri tunc currente, apta non esset firmare statum in futurum, quatenus alia ex-
8 crescentia contingeret, sed intelligenda veniret, potius demonstratiuè, rebusque in eo statu permanentibus, & non aliàs, iuxta celebrem decisionem *in Capuana pensionis coram Verospio decis* 430. *parte* 4. *recent*; quæ reputatur in materia magistralis, vbi de expressione scutorum auri ad rationem iuliorum, seù carolenorũ 12; & aduertitur in alijs locis supracitatis; Attamen negari non potest, quin exindè
9 debitor, iustè credere potuerit, ita inductam esse taxam certam, & vniformem, quæ aliquandò sequi solet, *vt habetur dec.* 114. *par.* 1. *rec.*, & insinuatur locis citatis, et consequenter quod ista bona fides excuset.

Quo verò ad sortem, ac fructus decursos, & non solutos, vel in futurum decurrendos; Respondi contra debitorem petentem consilium, ex ijsdem fundamentis, de quibus in omnibus supra
10 citatis locis *de Regal.*, *de Pension.*, *de Benef.*, ac *de Alienat. & contract.*, quod sci-

ſcilicèt, quidquid apud antiquiores in hac materia diſputatum ſit, hodie extra controuerſiam videatur, vt augmentum intrinſecum auri, vel argenti, cedat cõmodo creditoris, neque de facili ad praxim ſit deducibilis diſpoſitio textus *in cap. cum olim de cenſib.*, ex ibi deductis, vbi præſertim agatur de perſonis priuilegiatis, ſub legali adminiſtratione viuentibus.

Sed ſumque aduertendum cenſui fauore debitoris, ad diſcretiuam dictorum duorum cenſuum, quod vnus cantabat de ſcutis auri ſimpliciter, Alter verò de ſcutis auri Italiæ; Quod ſcilicèt pro hoc
11 ſecundo, attẽdi deberet valor ſcutorum auri currentium, quaſi quod Partes intelligere voluerint de illo ſcuto aureo melioris ligæ, qui per totam Italiã erat in vſu, maioremque valorem habebat diſcretè à ſcuto auri ſimpliciter expreſſo, verificabili in eo ſcuto inferioris ligæ, ac minoris valoris, qui nũcupatur *del marcello*, qui currebat in Ciuitate Mediolani, cum cuius legibus, ac moribus, in illis temporibus regebatur iſta Placentina Ciuitas, quæ per aliquod tempus ſub Ducibus Mediolanenſibus fuit, vt locis citatis aduertitur; Idque benè comprobari obſeruabam ex eadem ſuperiùs inſinuata declaratione per Magiſtratum facta de anno 1628., quod pro vno cenſu diſcretiuè ab altero, taxata fuit minor ſumma in vna ferè libra; Iſtamque dixi mihi videri veritatem, tam prò, quàm contrà petentem conſilium reſpectiuè; Et de ſcutis auri largis, ſeù ſolis, qui aliàs dicuntur ducati Romani, vel ducati Cameræ, habetur *d. diſc. 89. in fin. de Beneſic.*

In propoſito autem monetæ, in qua ſoluendum ſit debitum, in illis regionibus, in quibus adſunt diuerſę ſpecies mo-
12 netarum, melioris, & inferioris materiæ; Recepta diſtinctio eſt, de qua locis ſupra citatis, quod; Aut agitur de debito in genere, nulla conuenta ſpecie monetæ, putà quia ſe conſtituat quis debitorem in mille ſcutis, vel ducatis &c., alio non expreſſo, et tunc, admittitur debitor ad ſoluendũ in quacumq; moneta cõmuniter currente in regione, ideoq; creditor recuſare non poteſt ſolutionem in moneta ænea, ſeù alia inferiori, quæ illum habeat valorem, ſeù tanti currat; Aut exprimitur certum genus, putà quia dicatur de moneta aurea, vel argentea, vt practicari ſolet in Regno Neapolitano, quia nempè dicatur de carolenis argenti, ad tollendum inconueniens monetæ æneæ, et tunc nil prohibet conuẽtionem, (niſi inſit vſura, vt in ſua materia aduertitur *ſub tit. de vſur.*); Aut demùm etiam in auro, conſtituitur debitũ in certa ſpecie, putà in ſcutis auri ſtamparum &c., et tunc; Aut commodè impleri poteſt, quia nempè habeatur ſcutorum copia, illique ſint in commercio currenti, et obligatio eſt adimplenda præciſè; Aut èconuerſo id commodè impleri non poteſt, et tunc ex æquitate admittitur ſolutio in æquiualenti, ex deductis locis ſupra citatis *de Regal.*, *de Penſion.*, *de Benef.*, *& alibi*, quoniam, licèt apud antiquiores, videantur quæſtiones inuolutæ, attamen hodiè videntur iam ſopitæ; Hinc propterea manat, quod in Curia, pro eius laudabili ſtylo, non aſſumuntur, ſed in eis præſuppoſitiuè procedi ſolet, reſecãdo ſuperfluitates.

ROMANA

LIBERATIONIS LOCORVM MONTIVM

PRO

CREDITORIBVS IN GENERE.

Reſponſum pro veritate.

An creditores, qui recipiunt pecuniam à Congregatione Baronum, vel ab alio Iudice, inueſtitam in locis montium, loco cautionis per ipſos præſtandæ, admittendi veniant ad cautionis præſtationem, etiam poſt inueſtimentum, vt ità libe-

liberent loca montium à vinculo, eaque ad liberam dispositioñem habeant.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Facta electione in alternatis non licèt variare.*
3 *In specie inuestimenti semel facti non variabilis.*
4 *Dictio loco denotat subrogationem.*
5 *De cautione præstanda per vsufructuarium.*
6 *Loco cautionis admittitur inuestimentũ.*
7 *Idem de creditore non habente cautionẽ.*
8 *Fructus inuestimenti spectant ad creditorem, etiam si pecunia auocetur.*
9 *Qui admittitur ad adimplendã per æquipollens non est prohibendus adimplere in specie.*
10 *De subrogatione fideiussoris loco alterius.*
11 *Quomodo in magnis Tribunalibus procedendum sit.*
12 *De ratione conclusionis, de qua num. 2. & 3.*
13 *Debitor non potest prohiberi vendere pignus.*

DISC. CXLI.

1 CVm ex laudabili stylo Tribunalium Vrbis, præsertim verò Congregationis Baronum, quãdo creditores, in concursu, recipiendo pecuniam retractam ex bonis debitoris, præstare non possunt idoneam cautionem de restituendo prioribus, & potioribus, vel cõtribuendo cum æqualibus, loco cautionis, pecunia inuestiatur in loca montiũ, cum hoc vinculo; Hinc dubitari contigit, àn creditori volenti præstare idoneam cautionem, concedenda esset delatio vinculi, cum libertate disponendi de locis montium iàm emptis; Atq; desuper pro veritate consultus in genere per ipsasmet Congregationes Montium, & Baronum.

Negatiuè primò aspectu respondendum videri dicebam, ex regula, quod in alternatiuis, facta semel electione, nõ

2 licèt amplius variare, ad text. *in l. serui electione ff. de legat. 1.*, & *l. quod in hæredem §. eligere ff. de tribut. action.*, cum concordan. *per Mantic. decis. 344. nu. 1. Barbos. axiom. 225. num. 1. & 2.*

Magis verò proximè, ac stringenter, 3 ob receptam praxim Curiæ, præsertim istarum Congregationum Montium, & Baronum, in inuestimentis, quæ fiunt de pretio residuali bonorum fideicommissariorum, quod inuestiendum est, vel ex Bulla Baronum, vel ex Pontificijs litteris, vel chirographis, in bona stabilia, vel census, aut loca montium, quod licèt ab initio electio sit eius, qui inuestimentum facere debet, vnam, vel alteram speciem inuestimenti facere; Attamen facta electione, nõ datur amplius variatio; Huic autẽ praxi, vel obseruantiæ nimium deferẽdum esse motiuabã, ex recepta, & quotidiana propositione, quod in omnibus ambiguis, obseruantia dicitur optima interpræs, ac interprætationum Regina, vt cæteris relatis *Rota decis. 154. num. 6. par. 10.*, & *decis. 276. nu. 13. par. 11. rec.*, & passim.

His tamen non obstantibus, contrarium sine dubio veriùs videri dixi, adeoùt pro meo iudicio, vel nullam, vel satis modicam difficultatem, punctus pateretur.

Ad id autem clarè dignoscendum, 4 quodque istud inuestimentum fiat loco cautionis aliàs præstandæ; *Non solum* ponderandam esse dixi illam dictionem *loco*, quæ subrogationem denotat; Sed fortiùs, magisque stringenter, recurrẽdum est ad iuris principium, ex quo iste stylus emanat.

De iure siquidem cautum est, quod vsufructuarius (vbi præsertim agitur 5 de vsufructu earum rerum, quæ vsu cõsumuntur), tenetur præstare idoneam cautionem de vtendo, & fruendo arbitrio boni viri, atque, finito vsufructu, de restituendo proprietatem; Idque adeò rigorosè, quod neque testator talem cautionem remittere valeat ad text. *in l. 1. Cod. de vsufruct.* vbi *Bart.*, & *alij per Surd. decis. 109. num. 3. Rota decis. 185. num. fin. par. 10. rec.*, & *sub tit. de seruitut.* ad materiam vsusfructus pluries.

Quando autem contingat, vt vsufructuarius non possit huiusmodi cautionem præstare, tunc reiecta rigorosa

opinione Antiquorum volentium, vt id
6 fic ac forma præcisa, Moderniores magis iudicioſè induxerunt hoc remedium, à Rota, aliiſque Tribunalibus admiſſum, *inueſtiendi ſcilicèt* pecuniam in bona ſtabilia, vel loca montium, loco dictæ cautionis, vt *apud Surd. d. decif.* 149. vbi *Adden.*, *Buratt. dec.* 130. *num.* 5. *De Marin. reſol.* 248. *lib.* 2. *Salgald. in labyrint. par.* 1. *cap. fin. num.* 153., & in dicta ſua materia *ſub tit. de ſeruitut.*

Et magis præcisè; In his ſpecialibus terminis creditoris nolentis, vel non valentis in concurſu præſtare cautionem,
7 vt fiat hoc inueſtimentum loco cautionis, cæteris relatis, *Galeot. lib.* 2. *controu.* 38. *num.* 34., *De Marin. in addit. ad Reuerter. decif.* 82. *num.* 2.; Et generaliter de alijs cautionibus in iure demandatis, plura colligit *Salgad. in labyrint dicta par.* 1. *cap. fin. num.* 149., & 154. *cum ſeqq.*

Quodque verè iſta ſit ſimplex cautio, ſubrogata loco illius fideiuſſoriæ cautionis, quæ regulariter præſtanda eſt, patet ex eo, quod fructus locorum montium,
8 in quæ inueſtimentum factum eſt, ſpectare debent ad creditorem, vt habetur plenè firmatum *per Rotam decif.* 232. *par.* 8. *recen.*, & *apud Celſ. decif.* 206. *num.* 7. & 8., (niſi aliàs cautum ſit, vt alibi ſupra aduertitur.)

Hoc autem poſito, de plano reſultare dicebã, quod qui loco formæ, præſtiterit
9 æquipollens, ſeù loco principalis dedit ſubrogatum, prohibendus non eſt adimplere ipſam formam, mediante cautione, cuius loco prouiſionaliter ità dedit pignus, quod de ſui natura eſt ſemper redimibile, quando præſtatur id, pro cuius implemento pignus datum eſt.

Id autem habemus in praxi quotidianum, circa ſubrogationem vnius fideiuſſoris in locum alterius, qui nolit amplius
10 perſeuerare in obligatione, ſed petat eximi, Vel quia diù ſteterit, Vel ratione obligationis cameralis, Aut ex Statuto, quod in Vrbe viget, quoniam ſi datur alter fideiuſſor æquè idoneus, tunc de plano intrat officium Iudicis pro admiſſione ſubrogationis; Ac etiam praxis docet in cẽſibus, quod ſi aſſignetur vnus fundus, qui detegatur incapax, non intrat ille rigor, quem aliqui antiquiores crediderunt, vt ſit locus reſciſſioni actus, ac repetitioni ſortis, ſed admittitur ſubrogatio alterius fundi, cum ſimilibus.

Neque his aduertebam obſtare præmiſſa in contrarium ponderata, quoniã, vltrà plures reſponſiones, quas Alij deſuper conſulti dabant (cum regulis tamen,
11 ac propoſitionibus generalibus); Cum ego incongruum eſſe dicerem, vt in magnis Ciuitatibus, magniſque Tribunalibus, in huiuſmodi axiomatibus, ac regulis generalibus immorandum ſit; Atque magis cõſiderabile obiectum eſſet illud, deductũ à contraria praxi, ſeù obſeruantia tanquam interpræte; Hinc ſuper hoc obiecto principaliter immorãdo, dicebã, quod facilis videbatur reſponſio, ex defectu applicationis, ob omnimodam diuerſitatis rationem.

Vbi enim agitur de inueſtimento faciendo per hæredem fideicommiſſo gra-
12 uatum, de pretio reſiduali, ſiuè pro multiplico, ad cautelam emptoris, cum ſimilibus, tunc eo ipſo, quod inueſtimentum factum eſt, dominium huiuſmodi bonorum, vel iurium ità electorum, acquiſitum eſt ipſi fideicommiſſo, adeout, bona, vel loca montium empta, tanquam ſubrogata loco diſtractorum, fingantur, ac ſi remanſiſſent in hæreditate fideicommittentis ad notat. *in l. Imperator ff. ad trebell.*, *Peregr. de fideicomm. art.* 44. *nu.* 28. *& ſeqq. Rot. decif.* 232. *num.* 13. *& ſeqq. poſt Zacch. de obligat. camer.*; Et in ſpecie locorum montium *Roias dec.* 44. & in alijs frequenter.

Ideoque facultas eligendi inter plures ſpecies alternatiuè poſitas, competere dicitur poſſeſſori fideicommiſſi, vel maioratus, tanquam adminiſtratori, qui poſtquam elegit, variare non poteſt, quoniam eſſet formalis alienatio bonorum iam acquiſitorum, ea incorporatorum fideicommiſſo; Iſtaque eſt vera ratio huius praxis, ea tamen, nullatenùs applicabilis erat ad caſum, de quo agebatur ob longè diuerſam rationem, dum creditor eſt verus dominus.

In idem ſuffragante alio iuris recepto principio, quod debitor prohiberi
13 non poteſt per creditorem, vendere pignus, quamuis eſſet prætorium, ſeù iudiciale, multò minus vbi eſt conuentionale, quoties creditoris indemnitati conſultum remaneat ad text. *in l. ſi creditor ff. de diſtract. pignor.*, & *l. diſtra-*

ctis

Eis Cod. de pignor., vtrobique Scribentes, *Put. decis. 260. num. 1. lib. 3. Rota dec. 759. num 3. par. 2. recen.*, *& in Romana mercium 11. Maij 1590. coram Orano*; Vbi quod si debitor offert creditori cedulam bancariam pro solutione debiti, non potest impediri per creditorem, nè vendat merces sibi assignatas, ac pignoratas, etiamsi ipsi creditori data esset facultas vendendi easdem merces, et habetur etiam *sub tit. de empt. & vendit.*; Et hūc dicebam esse casum præcisum cum hæc loca montium ità stent loco pignoris, donec præstetur cautio, atq; in eius locū prouisionaliter, ideoque casus videbatur pro meo iudicio planus; Atque ità per Congregationem resolutum fuit.

SENEN.

IVRIS REDIMENDI

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

De Statuto Senensi concedente debitori ius luendi infrà annum bona iure creditoris vendita, An capiat solum casum venditionis factæ ipsimet creditori, non autem tertio licitatori; Vel potiùs etiam istum; Et àn hoc ius alteri cessibile sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Recensentur verba præcisa Statuti.*
3 *Quod venditio sub hasta non dicatur iure creditoris.*
4 *Contrarium verius.*
5 *Creditor prohibetur emere pignus.*
6 *De ratione differentiæ inter creditorem, & tertium.*
7 8 & 9 *Quomodo statuta sint interpretanda de argumentis probantibus, quod Statutum disponat solum de creditore.*
10 *Ratio legum, & Statutorum inquirenda est.*
11 *Creditor potest publicè, & palam licitari.*
12 *In quibus terminis procedat* text. in l. 2. Cod. si in caus. iudicat.
13 *Quando creditor obtineat bona debitoris.*
14 *An isto casu debitori competat luitio.*
15 *Quid facere voluit Statutum.*
16 *De eodem.*
17 *Vt creditoribus expediat licitatorem esse tutum.*
18 *Recensentur alia similia Statuta.*
19 *Pro interpretatione Statutorum est recurrendum ad viciniora.*
20 *An hoc ius luendi statutarium sit cessibile.*

DISC. CXLII.

1 CVM ad instantiam creditorum, vendita essent sub hasta iudiciali auctoritate, quædam bona possessa per quoddam Monasterium Monialium, tanquàm hæredem debitoris, illaquè deliberata essent tertio licitatori, qui maiorem oblationem fecerat; Monasterium prædictum, ius redimendi, quod ex Statuto Senensi competit debitori infrà annum, certo recepto pretio, cessit alteri, quo dictum ius exercente aduersùs dictū licitatorem, hinc ex istius parte suppressō nomine, requisitus fui ad scribendum more Aduocati, ad causę oportunitatem; Verùm iuxtà frequentiorem stylum, in causis extrà Curiam, respondendo potiùs pro veritate, ad duos punctos iuris quæstionem restringebam (cum alia cōsisterent potiùs in facto); Primò nempè, àn hoc Statutum procedat solùm contrà ipsum creditorem ementem, vel etiam contrà extraneum licitantem; Et secundò, àn hoc ius esset alteri cessibile.

Quoad primum, pro congrua intelligentia dicti Statuti *distinct. 4. cap. 272. Rubrica de bonis debitoris iure creditoris*
2 *vendendis*, censui registrare eius verba

præcisa, quæ sunt videlicèt *Creditores, qui iure creditoris vendunt etiam mediante Curia, seù alicuius Curiæ, vel Iudicis auctoritate, vel decreto, non possint de bonis immobilibus suorum bonorum vendere, nisi tantùm quod valeat duplum quantitatis debiti, & tunc infrà octo dies teneàtur denunciare debitori suo in personam vel ad domum, vbi habitat, vel habitare consueuerit, cum cedula in scriptis dictam venditionem, & diem, qua talia bona vendita sunt iure creditoris, & si debitor infrà annum à die dictæ vtsupra sibi factæ denunciationis soluere voluerit debitum dictum creditori, & iustas, & moderatas expensas, audiatur, & dicta venditio sit irrita ipso iure dictis bonis venditis per creditorem restituendis in eo statu, quo erant tempore dictæ venditionis; Hoc intellecto, quod si intrà mensem à die factæ denunciationis prædictæ non soluerit cum effectu dictum debitum, & expensas prædictas, sed id & eas soluerit, intra residuum anni prædicti, eo casu emptor bonorum prædictorum, etiam lucretur fructus dictorummet bonorum pro toto dicto anno.*

Item si contingeret bona data in solutù, creditori, vel quæ ipse creditor vendidisset iure creditoris, & eadem emisset, seù redemisset eidem creditori euinci à priori creditore, vel alio pro iure, & facto seù oblatione sui debitoris, possit dictus creditor petere, & exigere contra debitorem, & super alijs suis bonis, sicut poterat anteà dictam dationem in solutum, vel venditionem, & redemptionem.

Ista verò statutaria dispositione sic stante; Dicebant aliqui Sapientes de partibus pro eodem reo, ac possessore scribentes, quod cum Statutum, tàm in rubro, quàm in nigro, loquatur de venditionibus, quæ fiant iure creditoris, ità nõ conueniret venditioni, quæ ad instantiã
3 creditoris per subhastationem fieret à Iudice, quoniam tunc nõ dicitur vendere creditor, sed ipsemet debitor, cuius factum, ità explicari dicitur per organum Iudicis ex collectis *per Castill. decis. 91., & per Merlin. de pignor. lib. 4 quæst. 47. num. 4. cum sequentibus*, atquè discursiuè habetur *apud Duran. decis. 445. à numer. 41. ad 50.*

Istud motiuum, mihi non placebat, quoniam (quicquid sentiant *Castill. & alij*
4 *vbi suprà*), magis communis, ac recepta est opinio contraria, vt venditio subhasta facta per Iudicem ad instantiam creditoris, dicatur iure creditoris facta, iuxtà terminos textus *in l. 1. & 2. Cod. si antiquior creditor*, vt cæteris relatis *apud Franch. decis. 69.* plenè, & magistraliter *Rot. apud Duran. dicta decis. 445. ex num. 53. ad finem*, quæ decisio perpetuò in alijs canonizata est, quoties agatur de tali emptione facta per tertium licitatorem, cum aliqua dubitandi ratio solùm cadat, quotiès emptio facta sit per ipsummet creditorem, vt liquet *ex eadem decis. 69. Franch., Rot. decis. 95. par. 9. rec.* aliàs 61. *post Merlin. de pignor. decis. 108. & 127. apud Post. de subhast.* plenè *in Bonon. prædij 15. Martij 1660. & 18. Februarij 1661. coram Beuilaqua* cũ cõcordãtibus, de quibus *sub titulo de emptione, & venditione disc. 31.*, vbi de materia iuris efferendi; Licèt enim ex his vltimis decisionibus, vna sit alterius reuocatoria, vt de illis habetur *dicto disc. 31.*; Attamen concordant in hac opinione, quam etiam tenere videtur (quamuis parùm digestè de materia agendo) *Merlin. dicta quæst. 47. num. 12.*

Clarius verò, quia statutum (iuxtà superius registrata verba), ad litteram supponit, emptionem quoquè fieri per eum-
5 dem creditorem, et tamen id de iure non est verificabile, in casu illius propriæ, ac precisæ venditionis, quæ per ipsum directè, ac immediatè fieret, in vim facultatis à lege, vel ab homine sibi concessæ, cum tunc prohibeatur emere, tàm per seipsum, quàm per intermediam personam *ad text. in l., & qui sub imagine Cod. de distract. pignor. Bald. in l. ordo Cod. de execut. rei iudic. Duran. dicta decis. 445. num. 35. dicta decis. 95. par. 9. rec. dicta Bonon. prædij 18. Februarij 1661. coram Beuilaqua*, & aduertitur *dicto disc. 31. de emptione, & venditione*; Ac etiam quià statutum vtrumquè casum considerat, quod scilicèt venditio fiat, vel auctoritate propria, vel mediante illa Iudicis.

Quarè dicebam, quod verus, ac germanus dicti Statuti sensus esset, tàm in littera, quàm in ratione, vt hoc ius luendi debitori concessum, competat aduersus
6 ipsum creditorem bona debitoris obtinentem, non autem cõtrà tertium licitatorem; Ratio enim differentiæ inter

vnum

vnum casum, & alterum habetur clara in iure, dum respectu tertij, certum est illum esse tutum à iure offerendi; Id autem est sub dubio, àn competat aduersùs ipsum creditorem ementem ex deductis *per Franch. dicta decis. 69., & Rot. in allegatis decis. 108. apud Post., & 61. apud Merlin. alias 95. par. 9. rec., ac in dicto disc. 31. de empt., & vend.*

Hinc proindè, iuxtà quotidianum receptum axioma, de restringendis Statutis, illisquè intelligendis in eo sensu, in
7 quo, eis remanentibus in aliquo operatiuis, quo magis fieri potest, iuris communis correctio euitetur, ex deductis in peculiari Statutorum sede, *sub titulo de succes.*; Dum in dicto casu operationem facere poterat, in quo minor correctio iuris concurrit, extendendū non videtur ad alium, in quo magis iuris dispositio resistat.

Eiusdem Statuti littera, idem quoque probare videtur, dum debitore volente dictum redimendi ius exercere, disponitur, vt creditori solui debeat suū debitum vnà cum expensis; Id enim
8 congruere nō videtur casui, in quo venditio facta esset extraneo licitatori; Tum quià, in isto non cadunt termini expensarum, cum totum ab eo solutum, veniat sub nomine pretij, ex quo expensæ detrahuntur; Tum etiam quia, nequè cadunt termini debiti per debitorem soluendi, dum venditio sub hasta ad instantiam creditorum, præsupponenda est præsenti pecunia, sub pœna nullitatis actus, vt in sua materia *sub titulo de emptione, & venditione*; Ac etiam quia rari sunt casus, in quibus pretium licitationis, adamussim correspondeat debito, ac expensis, cum, vel maius, vel minus esse soleat.

Magis euidenter id comprobari ponderabam, quia idem Statutum decernit, vt creditor teneatur, bona restituere in eo statu, in quo erant de tempore venditionis; Ac etiam quia in vltima parte
9 statuti *vers. Item si contingeret*, agendo de casu euictionis, supponit bona esse penès ipsum creditorem, vel iure dationis in solutum, vel iure emptionis factę iure creditoris, vndè propterea casus videbatur litteralis.

Prætereà ad clariorem dicti intellectus probationem, altiùs expetendo dicti Statuti probabilem, ac legalem rationem, sine qua, dicendū nō est, vt illud conditum esset per hanc Ciuitatem, quæ
10 insignium I. C. omni æuo fœcunda mater fuit; Et ad quod in omni lege, ac Statuto reflectendum est, quoniam ratio est eius anima.

Lex enim communis non cognouit creditorem, cuius iure pignoris venditio sequeretur in ipsomet creditore, qui eodem tempore, creditoris, ac emptoris personā gereret, dum potiùs id expresse prohibitum est vt supra; Et licèt hodiè
11 receptā habeamus propositionē, vt creditori prohibitum non sit, publicè, & palam, ac bona fide, admitti in publica subhastā ad licitationem, perindè ac si esset quilibet extraneus, quo eius conditio inferior esse non debet, ex copiosè congestis *per Post. hoc tract. inspect. 32. num. 8. cum sequen. cum alijs dicto disc. 31. de empt., & vend.*; Attamen id prouenit ex quadam DD. æquitatiua, & rationali traditione potius, quàm quod ità de iure statutum habeatur.

Quamùis enim aliqui ad id allegent textum *in l. 2. Cod. si in cauf. iudicati*; Attamen hoc est æquiuocum, cum textus prædictus, verè, & propriè loquatur de illa subsidiaria licitatione, quam creditor, non reperto iusto oblatore, face-
12 re tenetur, dum textus vtitur verbo *debet*, quod importat necessitatem, id autē non congruit dictæ propositioni procedenti in actu merè voluntario, quàm creditor iure cuiuslibet extranei facere intendit.

Cognouit autem dicta lex, vel dictam necessariam licitationem, seù adiudicationem subsidiariam demandatam *per text. in dicta l. 2., & seqq. Cod. si in cauf. iudicati, & l. à diuo Pio §. si post. ff.*
13 *de exec. rei iudic.*; Vel illam adiudicationem, quæ habetur *in l. finali C. de iur. dominij impetrando*, in quorum vno, vel altero casu, quæstio est inter DD., àn ipsi debitori competat ius luendi, & infrà quantum tempus.

Vna enim opinio est, vt competat infrà biennium, vt credunt *Bart., Bald.*, & cæteri; Altera verò negat, quodquè so-
14 lum competat in casu extraordinario impetrationis à Principe, vt credunt *Alex. Dec., & cæteri*, de quibus pro vtraquè sententia habetur *apud Neguf. de pignor.*

pignor. 3. membr. quintæ partis numer 8. Fenzon. ad Statut. 194. numer. 66., & sequen. Post. de subhast. dicta inspect. 17. num. 146., & sequen.

Quidquid autem sit de vnius, vel alterius opinionis veritate, istam quæstionem dirimere voluit Statutum, eligendo quid medium inter has opiniones, quia scilicèt debitore prætendente terminum biennij ad soluendum, creditore autem id omninò negante, Statutum, rusticano more, controuersiam dimidiare voluerit, concedendo, seù respectiuè tol-
15 lendo medietatem termini controuersi, ideoquè eius dispositio adaptabilis non est, vbi licitatio fieret per tertium, in quo dicta quæstio non intrat.

Et licèt præfato ratiocinio attento, sequeretur, vt idem dicendũ esset quando idem creditor, non iure dictæ adiudicationis bona obtineret, sed tanquàm omnino tertius, ac extraneus licitator, cum tunc talis ratio non intret; Nihilominus non omnino incongruũ videtur, vt ad istum quoquè casum dicta statuta-
16 ria dispositio trahatur, ob aliquam differentiam, quæ etiam vbi agitur de licitatione subhasta, consideratur inter ipsum creditorem, & tertium in proposito iuris offerendi, vtsupra; Et ex eadem ratione ibidem considerata, vt scilicèt creditor emendo pignus, potius sui iuris conseruandi gratia, quàm animo emendi id feciſſe censeatur; Ac etiam vrgente alia efficaciori ratione præiudicij aliàs resultantis publico commercio, eisdemquè creditoribus, ad quorum in-
17 stantiam subhastationes fiunt, cum non de facili licitatores inueniantur, qui emere velint, suasquè pecunias promptas exponere, cum hac dominij incertitudine, seù resolubilitate, vt aduertitur *dicto disc. 31. de empt., & vend.*

Ponderabam quoquè, quod Statutum declarat venditionem irritam ipso iure, quod incongruum videtur in tertio licitatore; Ac etiam quia debitore infrà certum tempus soluente debitum, & expensas, huic defert fructus, iniungendo etiam ipsi creditori necessitatem denunciæ, cum alijs, ex quibus liquet, vt non de tertio extraneo, sed de creditore intelligere voluerit.

Et si quæ dubietas caderet, dicebam, quod illa interpretationem recipere deberet à consimilibus Statutis Romæ, Perusij, Camerini, Pisauri, & Anconæ, relatis *per Post. dicta inspect. 17. numer. 152., & seqq.*; Et clarius congruere
18 dicebam *Statutum Mediolani lib. 1. cap. 164.*, quod adamussim cum isto concordare videtur.

Prò interpretatione siquidem Statutorum, ac legum, vel consuetudinum vnius Ciuitatis, vel Prouinciæ, rectè licitum est recurrere ad leges, & Statuta, vel consuetudines aliarum Ciuitatum, seù Prouinciarum, præsertim adiacentium *Ias. in l. de quibus numer. 6. ff. de*
19 *legibus Costant. in l. 1. Cod. de filij Officialium lib. 10. num. 36. Adden. ad Rouit. in pragm. 2. de cession. bonorum vers. licèt verò*, vt frequenter alibi aduertitur; Ac etiam habemus de legibus *Partitarũ* Hispaniæ attendendis prò interpretatione legum ciuilium *apud Franch. dec. 578. num. 14. Rot. decis. 271. num. 8. par. 1. rec.*

Quo verò ad alteram inspectionem, àn scilicèt hoc statutarium ius luendi, sit alteri cessibile; Negatiuam, ex traditio-
20 ne *Angeli in l. ad officium numer. 2. Cod. commun. diuiden.* probant *Carpan. ad Statut. Mediol. lib. 1. cap. 164. num. 19. Antonell. cons. 34. Thomat. decis. 46, num. 3., & seqq. Postius de subhast. in addit. ad inspect. 17. num. 12.*; Ideoq; procedendo cũ stylo pragmatico iuxtà hanc opinionem ob dictas auctoritates respondendũ esse videbatur, potissimè dum id requirenti assistebat.

Verùm reflectendo ad veritatem, atq; considerando dictam originariam traditionem *Angeli*, à qua aliæ auctoritates deriuant; Contrarium probabilius mihi videbatur, cum id procedat in iure prælationis, vel redimendi, concesso ex mero priuilegio, à iuris dispositione exorbitanti, & quod solam habeat rationem *ab Angelo* consideratam, conseruationis bonorum in familia, vel genere; Secùs autem in hac facti specie, in qua dictum Statutum, ità intelligendum aduersùs creditorem, non autem tertium, dici non potest exorbitans, & correctorium, sed potiùs decisorium dictæ dubietatis; Atquè dum fingit, vt actus venditionis habeatur prò infecto ob illius irritationem, ità dicitur in debitore potiùs continuatio antiqui dominij, quod

sicuti

ſicuti eſt ad quoſcumquè hæredes, quamuis extraneos tranſmiſſibile, ità non videtur ſubeſſe ratio, cur eſſe non poſſit ceſſibile, ex regula, vt quodcumquè eſt tranſmiſſibile, ſit etiam ceſſibile; Reſeruauit tamen ſuper hoc puncto maturius iudicium, dum ſtante dicto altero motiuo, (quod inſpecta etiam veritate, credebam eſſe pro reo requirente clarũ, ſtante quod erat tertius licitator) ità ceſſabat ſtatutaria diſpoſitio, et cõſequenter nulla vrgebat neceſſitas de hoc altero inquirendi; De hoc autẽ adhùc occaſio nõ dedit formiter, ac maturè diſputare, ità inhærendo commendabili Romanæ Curiæ ſtylo, effugiendi ſuperfluas diſputationes, atquè immorandi ſuper puncto præciſo, ſeù ſuper motiuis ſolidioribus.

ROMANA CAMBIORVM SEV INTERVSVRIORVM PRO PERSICIS CVM DECIO.

Votum arbitramentale.

An decocto debitore, ſeù aliàs minus idoneo declarato, ceſſet curſus cãbiorum, vel vſurarum, & interuſuriorum.

SVMMARIVM.

1 FActi ſeries.
2 *Quod caſus non ſit adhuc formiter deciſus per Rotam.*
3 *De auctoritatibus dicentibus, vt ceſſet curſus cambiorum.*
4 *De agentibus de curſu vſurarum, ſeù interuſuriorum.*
5 *De forma cambij, quod debitor ſuſcipit in ſe onus.*
6 *Non excuſatur debitor ob impedimẽtum, ſi antè impedimentum erat etiam contumax, & non ſolitus adimplere.*
7 *Infirmus, qui de tempore valetudinis non erat ſolitus inſeruire non lucratur diſtributiones.*
8 *Quare decoctio faciat impedire curſum vſurarum, & interuſuriorum.*
9 *Materia cambiorum non regulatur cum terminis, morę ſicuti regulantur vſuræ, & interuſuria.*
10 *A qua ſpecie vſurarum, vel interuſuriorum decoctio non excuſet.*
11 *De ſpecie cambij, de qua num. 5.*
12 *An reſultet reſciſſio contractus cenſualis ob decoctionem, vel concurſum.*
13 *De diſtinctione, an de hoc agatur in præiudicium ipſius debitoris, vel aliorum creditorum, vel tertij.*

DISC. CXLIII.

1 VSque ab anno 1666, Decius mercator fundacarius, accepit ad cambium à Perſicis Bergomẽſibus, certam ſummam, iuxtà modernam formulam, pluries inſinuatam ſub *tit. de cambijs*, quod ſcilicèt ipſe debitor aſſumpſit in ſe onus tranſmittendi ſpaccia, & girandi cambia; Cumque de anno 1670, aliquo ære alieno preſſus, idem Decius latitare coactus eſſet, atque tenere fundacum clauſum, ſub ſequeſtro, & cuſtodia de mandato Iudicis ad inſtantiam creditorum, de quorum conſenſu, poſteà negotium reaſſumpſit; Hinc orta eſt controuerſia cum dictis Perſicis, ſuper cambiorum curſu hoc medio tempore, atque vtraque Parte concorditer ſe remittente meo voto.

Quamuis de ſtricto iure, ego eſſem in ſenſu creditoribus fauorabili, ſuper continuato curſu cambiorum, dicto impedi-
2 mento non obſtante; Nihilominùs, quia cum diligentijs tùnc deſuper adhibitis, non licuit inuenire caſum, formiter diſpu-

ſputatum, ac deciſum, atque Rota *apud Seraphin. deciſ.* 1434. dicit, quod noluit id decidere; Idcircò, ex quodam modeſtiæ motiuo, aperto quidem dicto ſenſu, & communicato Partibus præſenti diſcurſu, induxi creditores ad concordem relaxationem cuiuſdam partis, cui debitor acquieuit, atque ità, controuerſia finem habuit.

In hoc autem puncto, dicebam, quod ille videretur nouus adhuc formiter pro mea notitia particulariter non diſputatus, nec deciſus in ſpecialibus terminis cambiorum; Quamuis enim *Rocch. reſp.* 41. *lib.* 1. *num.* 3., *& in notabilibus poſt* 2. *vol. conſ. tit. de decoctor. notab.* 95. *nu.* 273., agendo de intereſſe in genere, an ſcilicèt illud ceſſet per decoctionem debitoris, & ex eo *Marott. diſcept.* 34. *num.* 26. (qui agit de cambio ſicco, quod idem eſt, ac mutuum, vel ſimplex creditum pecuniarij, pro quo iuxtà illius mores data mora, vel cõuentione, debentur interuſuria lucri ceſſantis abſque illis requiſitis, quæ in Curia deſideramus) ad probandam ceſſationem, deducant dictam *deciſionem* 1434. *Seraph.*, per quam ſupponunt deciſum fuiſſe, vt contrà decoctum non currant amplius cambia; Nihilominùs aduertebam, quod clarum eſſet æquiuocum in iſta deciſione *Seraphini* fundamentum conſtituere, quodque malè ad id per allegatos Auctores deduceretur, cum in eadem deciſione in fine, expreſsè dicatur, quod falsò aſſereretur, id fuiſſe deciſum per Rotam, quæ reliquit punctum indeciſum; Quare in ſpecialibus terminis cambij, nulla deciſio pro mea notitia habetur.

Et quamuis apud *Scacc. de camb.* §. 1. *quæſt.* 7 *par.* 2. *ampliat.* 8. *nu.* 10. *Carleual. de iudic. tom.* 2. *diſp.* 8. *nu.* 3. *Prat. obſer.* 33. *Capyc. Latr. deciſ.* 133., *Rocch., & Marott. locis citatis*, habeatur quæſtio, an decoctio faciat ceſſare curſum interuſuriorum; Attamen (quidquid ſit de iſta quæſtione, in qua dictus curſus pendeat à ſola ratione moræ, à qua mors naturalis, vel ciuilis excuſare ſolet), diuerſa eſt ratio in cambijs, in quibus, iuxtà præciſum controuerſię caſum, mihi videbatur, quod verior eſſet negatiua fauore creditorum, ex pluribus fundamentis.

Primò ſcilicèt in iſto caſu ſpeciali, ex ea facti circumſtantia, quod idem debitor, qui per antecedentes quatuor annos in ſtatu valido, iſtud onus cambiandi ſuſceperat, nunquam illud de facto adimpleuerat, contentus pati curſum damnorum, & intereſſe, ob non adimpletum mandatum, quantum cambia importaſſent iuxtà notiſſimam *deciſ.* 7. *poſt Sal. gad. in labyrint. & deciſione* 829. *Dunoz.* cum alijs in ſua materia *ſub tit. de camb.*; Et conſequenter, dum in ſtatu valido erat ſolitus non adimpiere ſuſceptum onus, hinc ſuperueniens impedimentum, quod à decoctione reſultauit, ipſum excuſare non debebat, quoniam 6 ex eius conſuetudine, præſumptio eſt, quod etiam non ſuperuento impedimẽto, non fuiſſet adimpleturus, & conſequenter, fictio excedere non poteſt veritatem.

Ad quod probandum ponderabam concluſionem firmatam per *Rotam in Sulmonen. diſtributionum coram Bichio* inter ſuas *deciſ.* 567. *&* 626., de quarum caſu habetur actum *ſub tit. de Canon. poſt* 7 *tit. de benefic. diſc.* 12., quod ſcilicèt, ſi Canonicus, vel alter beneficiatus, de tempore valetudinis, non erat ſolitus intereſſe choro, ac ſeruire in diuinis, non eſt excuſabilis tempore infirmitatis, vt pro intereſſente ad effectum lucri diſtributionum habendus veniat, quoniam præſumptio eſt deſumpta ex conſuetudine, quod ſi eſſet in ſtatu valido, non inſeruiret, cum declarationibus tamen, de quibus eodem ſupra allegato *diſc.* 12; Iſtoſq; terminos, ex rationis identitate, ad rem facere obſeruabam.

Secundò quia, vbi etiam iſta materia cambiorum, regulanda eſſet, cum terminis generalibus vſurarum, ſeù interuſuriorum, ratione moræ, adhuc tamen, 8 in iſta facti ſpecie, excuſatio intrare non videbatur; Eatenùs etenim apud allegatos (quoad ipſos creditorem, & debitorem, abſque aliorum creditorum mixtura), admittitur dicta excuſatio, quatenus decoctio aſſimiletur morti, eiuſque vicem habeat, & conſequenter, quod ſicut mors naturalis excuſat à mora, ob impoſſibilitatem adimplendi, ità excuſare debeat iſta mors ciuilis.

Cum igitur, etiam in caſu mortis naturalis, eatenùs excuſatio intret, quatenùs illius caſus ſuperueniat, durante termi-

mino; & prius quam illa contrahatur, cum illa operatio impedimenti sit impediendo, ne mora contrahatur, secus autem, vbi mors superueniat post illam iam incursam, cum tunc continuet etiam cum hærede ex relatis *per Leotard. de vsur. quæst.* 81. *nu.* 20. *& quæst.* 82. *nu.* 19. *Imat. resol.* 43. *num.* 48.; Hinc proindè, danda non est morti fictæ, vel ciuili, maior operatio, quàm naturali, ne detur maior virtus exempli, quàm exemplaris.

Tertiò quia, error in terminis videtur, regulare materiam cambiorum, cum terminis vsurarum, & interusuriorum, lucri cessantis, ratione moræ, vt aduertitur *per Rot. decis.* 198. *nu.* 15. *par.* 11. *rec.* & frequenter habetur in sua materia *sub tit. de camb.*, vbi quod in isto contractu non datur vsura, vel accessio, neque in obolo, cum id, quod, ex frequentiori contingentia, dicimus fructum, vel cambium, sit augmentum valoris monetæ, seù id, quod importat pretium commutationis de vna moneta in alteram, seù transportationis eiusdem speciei de loco ad locum, vndè propterea dicitur debitum in sorte principali; Si enim importaret vsuram, vel accessionem, non posset, citrà damnatum anathocismum, dari illa conuersio in sortem, quæ habetur in recambijs, ex ibi deductis; Atque in specie, distinguendo, an interusuria proueniant à mora, necnè, benè aduertit *Turr. in adnotat. ad decis.* 23. *post eius tract. de camb.*

Quartò in idem, quoniam (vt dictum est) cambia non important vsuras, vel lucrosas accessiones, vel interesse ratione lucri cessantis, sed important potiùs refectionem damni, quod sentire dicitur dominus pecuniæ cambiandæ, illam non habendo in nundinis, vel in loco conuento, statuto tempore; Ideoque habemus quod decoctio non excusat ab interesse damni emergentis, siuè ab illis fructibus, vel vsuris, quæ debentur aliàs quàm ratione moræ; *Vt* (e.g.), sunt fructus dotales, ad terminos textus *in cap. solubriter de vsur.*, Vel sunt recompensatiui, ad terminos textus *in l. curabit C. de act. empt.*, vt in suis respectiuè materijs *sub tit. de vsur.*, occasione præsertim agendi de fructibus recompensatiuis, quod impedimenta quamuis iusta ab eis non excusent, *& sub tit. de dote disc. gen.* 161., & in pluribus alijs discursibus particularibus.

Quintò, quoniam in isto casu, in quo debitor, suscepta pecunia, assumit in se onus cambiandi, vel etiam illud quod præbet creditori, obligatio reficiendi
11 quantum interest, prouenit potiùs à mandato, quod vbi non continet gratuitum officium in gratiam mandantis, sed est in rem propriam, & correspectiuum, non cessat per mortem, etiam naturalem, multòminus per ciuilem, ex *ijs*, quæ in fortioribus terminis maioris mortis ciuilis resultantis à banno capitali, habentur *d. tit. de cambijs disc.* 1. & 2.; Et consequenter, extranei pariter sunt termini excusationis moræ, ad quã vnicè se restringunt supra allegati DD., tenentes cessationem interusuriorum, ob decoctionem.

Sextò obseruabam, vt præfatis DD. Regnicolis extrà illa Tribunalia, nõ multum in hoc deferendum esset, quoniam,
12 vt aduertitur in præcedentibus, & *sub tit. de cens.*, ac etiam *sub tit. de feud.* ad materiam Bullæ Baronum *disc.* 81.; Ex recepto illorum Tribunalium stylo, decoctio, etiam in censibus causat rescissionem contractuum ipso iure, quod in Curia non est receptum, ideoque dictis auctoritatibus deferendum non est, vtpotè procedentibus cum præsuppositio styli particularis illius regionis.

Et septimò demùm quod aliqua non improbabilis ratio dictam cessationem suadere videtur, fauore aliorum creditorum, & nè, positis bonis defecti de-
13 bitoris sub concursu, anterior, continuando in cursu fructuum, vel interusuriorum, tractu temporis totum patrimonium absorbeat, aliosque creditores posteriores spoliet, iuxtà considerationes deductas *d. disc* 81. *de feud.* (quamuis in eo casu non benè neglectas), Sed vbi concursus non est cum alijs creditoribus, adeout effectus cessationis redundet ad commodum, ac beneficium ipsius defecti debitoris, tunc nulla penitùs ratio id suadere videtur, quoniam ità esset dare inconueniens, vt debitor culposus, ex eius culpa, & delicto, commodum, ac vtilitatem reportet, in damnum innocentis creditoris, cui mora commissa est, vel non adimpleta fides, contrà om-

nia vtriusque scripti, ac naturalis iuris principia; Et quam distinctionem benè in proposito ponderat *Turr. in adnotat. ad d. decis. 23. post tract. de camb.*; Multò verò magis in hac facti specie quod agebatur de creditoribus absentibus, quibus casus ignotus extitit, vndè propterea eis imputari non poterat, cur detecto malo statu debitoris, de satisfactione solliciti non fuerint; Et consequenter, ex his omnibus simul iunctis, mihi omninò clarum videbatur, ipsorum creditorum bonum ius.

ROMANA
DEPOSITI
PRO
QVODAM MAGNATE.

Responsum pro veritate.

An, & quando debitori, liceat deponere pecuniam debitam, adeout ipse liberetur, atque depositum cedat periculo creditoris, vel è contrà.

SVMMARIVM.

1 *FACti series, seù casus quæstionis.*
2 *Ad quos effectus de hoc disputari soleat, & primò fructuum.*
3 *De casibus fortuitis, cuius periculo cedāt.*
4 *Quomodo vtraque quæstio fructuum, & periculi decidatur.*
5 *Et quomodo ista materia regulanda sit.*
6 *Recensentur requisita ad validitatem depositi, vt effectus deponenti profi-cuos operetur.*

DISC. CXLIV.

1 IOB aliquas discordias inter duos Magnatitij ordinis sanguine coniūctos, quorum vnus erat alterius creditor, contigit, vt debiti solutio, iam extante prompta pecunia, ad annos dilata esset, ratione modi solutionis, quoniam debitor prætendebat, vt creditor ad eius domum accedere deberet, pecuniam petiturus, & accepturus; Econuersò autem creditor, prætendebat, vt ad eius domū, pecunia asportari deberet, vndè propterea debitor (præuia intimatione), pecuniam deposuit; Quod etiam frequentius contingere solet ob eam controuersiam, quæ pluries insinuata habetur in præcedentibus, quod scilicèt creditor prætendat pecuniam liberam, & non præstare cautionem; Hinc proindè, tam istius, quàm plurium frequentium similium cō. trouersiarum occasione, disputare occasio dedit, àn, & quando, depositum à debitore factum pecuniæ debitæ, illum liberet, necnè, istoque præsertim casu desuper ex parte creditoris, pro veritate consultus fui.

Ad duplicem autem effectum de hoc disputari solitum esse, in discursu desuper
2 edito dicebam; Primò scilicèt (& frequē. tiùs), ad illum cursus fructuum medij temporis iuxtà quæstiones, de quibus habetur *sub tit. de dote disc. 51.*, & *sub tit. de censib. disc. 26. & 27.*, ac etiam *sub tit. de vsur. disc. 22. & 27.*; Et secundò ad effectum periculi, quod contingat in pecunia depositata, ob decoctionem banci; Vel ob mutationem monetæ, iux-
3 tà quæstiones frequentes, quæ desuper in Regno Neapolitano ex *ista* causa cō. tigerunt, de quibus *apud Capyc. Latr. consult. 139. & Rouit. dec. 35.* & amicum meū *Prat. obseru. 25. & 26.*, apud quos cæteri; Vel etiam ob furtum, seù alium casū fortuitum qui contingat.

Pro vtriusque verò determinatione respondi quod intrat idem principium, seù eadem distinctio, an benè, vel malè depositum factum sit, vt primo casu debitor liberetur, totumq; cedat damno, vel periculo creditoris, et è conuerso in
4 altero, non liberetur, sed totum damnum,

num, ac periculum sit debitoris, perindè, ac si debitum solutum non esset, vt patet ex deductis locis citatis, *de Dote, de Censibus, & de Vsur.*, ibique recensitis auctoritatibus, quas, ac alias ad scripturæ ornatum, atque vt vulgo satisfieret, in præsenti responso plenè cumulabam.

Quamuis autem Scribentes, illi præsertim, qui merè pragmatico, seù collectorio more procedunt, nimium in hoc se inuoluere videantur; Verius tamen
5 dixi, istam esse quæstionem potiùs facti, quàm iuris, non recipientem certam, ac generalem regulam, cuicumque casui indefinitè applicabilem, sed determinationem pendere, ex singulorum casuum circumstantijs, ex quibus inspiciendum est, an verificentur, necnè, generalia requisita, quæ sunt.

Primò, & principaliter, mora credi-
6 toris legitimè contracta, iuxtà deducta locis supra citatis.

Secundò, integritas debiti adeout, (sicuti nostri dicunt), etiã obolus, qui deficiat, vitiet actũ, quotiès agatur de debito liquido; Pro illiquido autem, ex competentis Iudicis decreto, præstetur cautio, vel à notoriè idoneo fiat obligatio de soluendo, statim facta liquidatione, cum deposito vnius iulij, iuxtà praxim Vrbis, vel alio modo, quo regionum praxis doceat.

Tertiò circa depositi libertatem à cõditionibus extrinsecis, cum quibus creditor de iure solutionem recipere non tenetur, & quæ circumstantia conditionum, seù vinculorum, huiusmodi quæstiones frequentiùs parere solet.

Quartò, vt totum fiat auctoritate Iudicis competentis, atque in termino cõgruo, quod coincidit cum primo requisito moræ.

Et quintò, circà qualitatem depositarij, àn sit ille, coram quo debeant, ac soleant iudicialia, seù contentiosa deposita fieri.

Istorum autem requisitorum, respectiuè, verificatio pendet, (vt dictũ est) ex singulorum casuum circumstantijs, pro facti qualitate prudenti, benèque regulato Iudicis arbitrio ponderandis; Potissimè verò, reflectendo ad bonam, vel malam fidem, & àn verè pecunia depositata, & otiosa steterit, adeòut depositi necessitas, prouenerit ex contumacia, seù ceruicositate creditoris; Vel è contrà, fuerit depositum affectatum, ac potiùs palliatum, quàm verùm; Ideòque ad hæc, pro decisione dixi reflectendum esse, atque ità congruè applicare actiua passiuis.

SENEN.

RELEVATIONIS

PRO

ILLIS DE VENTVRIS, ET ALIIS FIDEIVSSORIBVS

CVM

MONTE PIO FLORENTIÆ,

SEV

N. CONFIDEIVSSORE.

Responsum pro veritate.

An creditor recipere possit solutionẽ à debitore in causam obligationis vnius ex pluribus fideiussoribus qui ità liberationem obtineat, adeòut, alijs fideiussoribus, competat, nec nè, exceptio cedendarum, seù actio diuisionis pro releuatione.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Debitor potest soluere creditori in causam, pro qua vnus ex fideiussoribus est obligatus ad eum liberandum.*
3 *De ratione conclusionis.*
4 *Quæ differentia sit debitum ità solui in pecunia, vel in bonis quæ extent.*

5 *Quando procedat concluſio, de qua num. 2.*

6 *Fideiuſſor non opponit de exceptione cedendarum ob liberationem conſideiuſſoris ex interuallo, & non contemporaneè obligati.*

7 *De materia exceptionis cedendarum, & quod concluſio, de qua num. 2. non procedat vbi ſolutio facta eſt ex prætio bonorum ſtabilium.*

8 *Quod creditori priuilegiato non obſtet exceptio cedendarum.*

9 *De motiuis poſteà factis, & de materia beneficij diuiſionis.*

DISC. CXLV.

PRo debito contracto per Federicum Petruccium cum Monte pio Florentiæ, (ſuper quo, pro dicto Monte aliàs reſpõdi, iuxtà *diſc. 19. ſub tit. de vſur.*), contextualiter ſe obligarunt ſex fideiuſſores, diuiſis ſummis, quilibet ſcilicèt pro ſcutis mille; Debitor autem, ad aliquod tempus quædam bona ſtabilia vendidit, ſub cõuentione, vt emptor, prætium dicto creditori ſoluere deberet, in cauſam tamen ratæ, pro qua obligatus erat vnus ex dictis fideiuſſoribus, qui propterea liberationem aſſequeretur, vt ſequutum fuit, reportata etiam per emptorem à creditore iurium ceſſione; Cumque idem creditor (defecto debitore), alios quinque fideiuſſores, pro eorum ratis, vel reſiduis reſpectiuè pulſaret; Hinc ex eorum parte deſuper cõſulti fuimus in Vrbe, quidam inſignis Iuriſconſultus, & ego.

1

Alter autem credebat, quod dictus fideiuſſor benè liberatus eſſet, ideoque neque alijs confideiuſſoribus cõtrà eum actio aliqua competeret, neque contrà creditorem eiſdem aliqua obſtaret exceptio, ob dictam liberationem, per text. expreſsum *in l. ijs verò 5. §. ſi duos ff. de ſolut.*, vbi *gloſſ.*, *Bart.*, *& alij*, præſertim *Caſtrenſ.*; Atque diuiſionis beneficium, vel exceptio cedendarum non intrat, vbi vnus fideiuſſor, alterius confideiuſſoris intuitu vnitim non ſe obligauit.

2

Reſpondi ego, quod propoſitio eſſet vera, quodque reſponſum eſſet more docti I.C., in legibus, ac maiorum auctoritatibus benè verſati, ideoque cum illis pro ſtylo verè ſcientifico, benè proceſſum eſſet.

Atque ego addebam, ex moderniori-bus auctoritatem *Neguſant. de pignor. par. 5. memb. 3. num. 36. verſ. ſecundo fallit*, *Merlin. de pignor. lib. 4 qu. 72. num. 19.*, ac *Neguſantiũ* (obiter tamẽ non examinando punctum) refert *Olea de ceſſ. tit. 5. quæſt. 2. num. 34. in fine*.

Ex ea ratione, cum qua omnes pertranſeunt, quod tunc confideiuſſoris liberatio non reſultat, ex culpa, vel facto creditoris, ſed ex facto debitoris, et conſequenter non intrat exceptio cedẽdarum; Iſta verò ceſſante, aliud remedium contrà confideiuſſorem liberatum competere non poteſt.

3

Ponamus enim, quod debitor, breui manu, dediſſet ſcuta mille ipſi fideiuſſori, quem liberare intendebat, ipſeque fideiuſſor, directè ſummam à ſe debitam, creditori ſoluiſſet, vtique creditor non eſſet in culpa, liberando fideiuſſorem, cum ità feciſſe dicatur actum neceſſariũ, quem negare non poterat.

Neque confideiuſſoribus exindè competere poteſt aliqua actio vel remedium, contra creditorem, cui pecunia ſoluta eſt, quoniã licet pecunia, quæ ſoluta eſt, tanquam de bonis communis debitoris, eſſet omnib' æque affecta pro releuatione, eodem modo, quo de bonis ſtabilibus inferius dicitur, (dum ſub hypotheca omnium bonorum, veniunt, nedum ſtabilia, ſed etiam mobilia, & pecunia); Nihilominus rectè intrant ea, quæ pluries in præcedentibus habentur, ad materiam auocationis pecuniæ, per debitorem, ſecundo creditori ſolutæ, de cuius identitate præciſa, non conſtet verè, vel ex legis fictione reſultante ab obligatione de reſtituendo, vel à mala fide, quia nempè bona fide conſumpta, vel confuſa ſit, dũ tali caſu, ex recepta æquitate, fundata in ratione libertatis commercij, diligentior tutus remanet; Sic à pari, ſi ipſe debitor pro fideiuſſore ſoluit.

4

In his igitur terminis, atque cum hoc præſuppoſito, quod ſolutio huius partis debiti, per debitorem facta eſſet in pecunia, vel in alijs rebus, recipientibus functionem in genere, atque conſumptis, vel confuſis, adeòut prædicta ratio intret; Dicebam quod dicta concluſio

5

rectè

rectè procederet; Dumodo tamen, ex facti circumstantijs, præfata ratio congruat, quia nempè, solutio facta esset per ipsum debitorem, adhuc in statu valido existentem, atque habentem suorum bonorum liberam administrationem; Secus autem, vbi per eumdem iam decoctum, vel pro tali habendum, ratione præparatæ, seù imminentis decoctionis; Siuè vbi per hæredem, cui tanquam administratori hæreditatis potius, quàm domino, ista gratificandi facultas non conceditur, vt in proposito dictæ auocationis pecuniæ solutæ posterioribus, pluries aduertitur, cum stante identitate rationis, eadem moderatio sine dubio intrare videatur, cum tunc pecunia dicatur adhuc extare, perinde ac si soluta non esset.

Verùm in hac facti specie, ex eius circumstantijs, contrarium dixi, mihi videri probabilius, fauore confideiussorum, vt exceptio cedendarum, aduersus creditorem competeret, pro dicta rata liberati confideiussoris (cum præsuppositio, tamen quod omnes contextualiter obligati essent, adeout non intraret limitatio quæ intrat, quando diuersis temporibus, ac separatim, nulla præuia conuentione correspectiuitatis, obligati essent, iuxtà limitationem, super qua plura colligunt *Merlin. de pign. dicta q. 72. lib. 4. num. 12., & seqq. Ole de cess. dicto tit. 5. q. 2. &* communiter.)

Siquidem solutio facta erat, non in pecunia numerata debitoris, sed ex pretio bonorum stabilium, quæ omnibus confideiussoribus, æqualiter hypothecatis, & affecta erant, & quorum intuitu, fideiussores cēsentur se obligasse ex collectis *per Merlin. dicta q. 72. in principio*, atque est iuris principium certum; Et consequenter dicebam, quod de plano intrabat exceptio cedendarum, de qua cæteris relatis præsertim agunt *Graff. de except. cap. 10.* (vbi plura de more elaboratè cumulat), *& Merlin. d. q. 72., & Olea dicta q. 2. tit. 2. num. 25. cum plurib. seqq.*, vbi expendit aliquas leguleicas criticationes *Fabri*, & aliorum, qui cum sensu litterali aliquarum legum, non autem cum congrua epycheia, in hac materia procedunt, pro consueto more eorum, qui grammatici, vel pedagogi legales potius, quam Iurisprudentiæ forensis professores videntur.

Ità enim, confideiussores eorum hypothecam exercere possent ad dicta bona stabilia, aduersus emptorem, qui tamen eos repellere poterit, cum iuribus creditoris sibi cessis siuè cum hypothecæ remissione ità resultante; Et consequenter, quod intraret de plano exceptio cedendarum, dum confideiussorum impedimentum, à facto voluntario creditoris, ità resultare dicitur, dum hanc cessionem, seu liberationem facere non poterat, neq; in tertij præiudicium, debebat, vt cæteris relatis in specie liberationis bonorum *Graff. de except. dicto c. 10. n. 20. & seq. Gratian. discept. 701. num. 7. & 8.*

Post datum responsum, quod à dicto alio docto I. C., ex hac distinctione approbatum fuit; Cogitabam, quod ex quadam ratione circuitus, recte intraret, etiã contra confideiussorem liberatum, obligatio ad contributum; Siuè per indirectũ, vel per circuium, actio diuisionis, perindè, ac si dicta solutio sequuta non esset, sed bona, vel pretium extarent; Id autem ita mihi videbatur, stante qualitate creditoris loci pij, sub aliena legali administratione viuentis, ideoque de consequẽti, iure pupilli, vel minoris censendi, cui factum tutoris, vel curatoris, aut alterius legalis administratoris, cauſare non potuit istud damnum amissionis partis crediti, quæ ita per hanc exceptionem cedendarum resultaret; Ac propterea, aduersus hunc actum, ei subueniendum veniat beneficio restitutionis in integrum perinde ac si ille sequutus non esset, ideoque omnia in pristinum reducendo, confideiussor habendus veniat pro non liberato, sed æqualiter concurrere debeat, adeo vt effectus quæstionis redundet magis in præiudicium confideiussoris, quã creditoris ita priuilegiati; Secus autem si dicta ratio priuilegij non intraret; In eo tamen breuissimo, & quasi furtiuo spatio, quo ad hæc post datum responsũ, reflectere concessum fuit, inuenire non licuit desuper auctoritatem, quæ ad hanc specialitatem descenderet; Verum infirmitas intellectus mihi videbatur eam desuper desiderare, cum clarum fundamentum habere videatur in iuris principijs certis.

Cum autem pòst hæc scripta (meo forsan. responso non dato, vtpotè requirenti præiudiciali), causa in iudicio introducta

cta esset, atque illius Rotæ Senensis Audi-
9 tor, in motiuis pro stylo desuper editis, processisset cum dicto alio responso potissimum fundamentum constituendo in *d. l. in his* §. *si duos ff. de solut.*, Ac etiam in auctoritate. *De Marin. resol.* 140. *lib.* 1. tanquam punctuali; Hinc denuò consultus fui, atq; persistendo in dicta priori sententia.

Quatenus pertinet ad motiuum deductum ex *d. l. in his*; Respondi idem quod supra; Atque ad alterum dixi, quod quæstio tractata *per Marin*; percutit terminos diuersos, beneficij directi, ac proprij, diuisionis, & ne creditor vnum, vel duos ex pluribus, pro residuali debito, insolidum conuenire posset, quod nil cõmune habet cum casu quæstionis, diuersam habentis rationem, atque per diuersos terminos tractandæ vt supra.

Siquidem cum isti fideiussores molestati, pro eorum reuelatione agere posset ad dicta bona iam extantia, quæ eis hypothecata sunt, exindè resultare dicebam quod; Aut possessor id patiebatur, et ipsi obtinebant intentum; Aut eos repellebat cum dicta cessione iurium, et tunc de plano resultabat dicta exceptio cedendarum.

Vndè propterea, concludendo aduertebam, vt conclusio deducta *ex d. l. in his* §. *si duos*, in vno ex duobus casibus tantum recipienda sit; Vel scilicet, iam dicto, vbi solutio per debitorem adhuc integrum facta esset in pecunia manuali, vel alio genere æquipollenti, quod amplius non extet, neque pro extanti habendum sit; Vel vbi fideiussoribus, nulla quæsita esset hypotheca ad bona debitoris, pro eorum releuatione, sed solum competeret actio personalis, vt frequentius contingebat in ijs temporibus, in quibus hoc *I. C. Vulpiani* Responsum prodijt, cum isto casu cessante fraude, ob quam succurratur cum edicto *De ijs quæ in fraud. &c.* nullũ cõpetat chirographario creditori, remedium contra tertium bonæ fidei possessorem titulo oneroso, secus autem in casu, de quo agitur ex dicti circuli ratione; Incertum, est autem quid sequutum sit.

ROMANA

OBLIGATIONIS

PRO

THEOPHILO PAPEO

CVM

ABRAHAM DE MILIANO HEBRÆO

Casus disputatus coram A. C. seù Prælato deputato.

An debitum contractum per filium familias districtualem Vrbis, non seruata forma Statuti 152; sit obligatorium, ac producat actionem experibilem, nec ne, adeò vt dictum Statutum 152., districtuales etiam capiat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De Statuto Vrbis super contractibus filiorum familias, & vbi tractetur de materia.*
3 *De iure communi* S. C. Macedonian. *procedit in filijs familias in solo casu mutui.*
4 *Statuta vrbis debent seruari in toto districtu.*
5 *Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam.*
6 *Districtus, est idem, ac territorium.*
7 *Quantum se protendat districtus, & de eius significatione.*
8 *An Barones, & Magnates comprehendantur sub Statuto filiorũ familias.*
9 *De Statutis Vrbis* 143. *&* 144. *an comprehendant incolas.*
10 *Quod istud Statutum sit fauorabile, & non exorbitet à iure.*
11 *Quomodo decidenda sit materia istius Statuti filiorum familias.*
12 *De eodem, & de circumstantia excusante creditorem.*
13 *In locationibus, & vsualibus non adhibentur solemnitates Statutariæ.*

14 *Et*

14 *Et quando etiam isto casu intret infectio actus.*

DISC. CXLVI.

CVM Theophilus, adolescens Vallis montanæ, habens patrem in patria, in Vrbe autem studiorum causa, apud patruum probatum Curialem, de omnibus prouisus, moram faceret, atque debitum cum hebræo, ex iuuenilibus lenitatibus magis, quàm ex iustis indigentijs contraxisset; Hinc orta est quæstio coram A, C, seù Prælato deputato, an intraret Statutum 152., annullationum contractuum, & obligationum filiorum familias, absque consensu patris, vel potius ageretur de aliquibus casibus exceptis ab eodem Statuto, de cuius dispositione particulariter actum habetur *sub* 2 *tit. de alienat., & contract. prohib. disc.* 37.

Dubitandi ratio, in eo residebat, quod Statutum loqueretur de ciuibus, vel incolis Romanis, ideoquè non congrueret controuerso casui, in quo non agebatur de ciue Romano originario, neque incolà, seù domiciliario, dum patria debitoris erat oppidum Vallis Montanæ, ipsequè occasionaliter causa studiorum in Vrbe moram trahebat, vndè propterea incola dici non poterat; Et consequenter valida remaneret obligatio, quoniã ius commune, in filijs familias maioribus 3 per *Senat. consult. Macedon.*, disponit in solo casu mutui, de quo non agebatur, sed de diuersa debendi causa, vt infrà; Ac etiam quia (vt pluries infinuatur), per iuramentum explicitum, vel implicitum, quod sub obligatione camerali continetur, ferè in desuetudinem abijsse videtur *dictum Sen., C. Maced.*, attenta sola dispositione iuris communis, quando ius municipale nõ suffragetur; Quinimò, isto etiam accedente, quoties specifica Papæ auctoritas, vel metus, seù doli præsumtio, iuramenti vim directè, vel indirectè non tollat, vt in sua materia *sub tit. de alienat., & contract. prohib. pluries, & sub tit. de dote disc.* 143.

Scribens ego pro Theophilo reo conuento, seù verius pro patre, vel patruo, in cuius damnum potius, quàm adolescentis, condemnatio cessisset; Præsupposita tãquam indubitata nullitate obligationis, quatenus Statutum intraret, strictèque ad punctum supra insinuatum; Cum pro diligentijs, tam à me, quàm à præfato, rei conuenti patruo, aliisque Curialibus eius amicis, casus non dedis- 4 set inuenire tractantem in specie, de puncto præciso; Hinc proindè dicebam, quod cum habeamus Statutum 42., per quod expressè disponitur, vt omnia Statuta Vrbis, æquè seruari debeant, per ciues, & incolas, ac per districtuales, ideoque in toto districtu seruari debeant, sublata antiqua differentia sãlis, & focatici, vt pluries aduertitur in diuersis materijs, præsertim vero *sub tit. de fideic. disc.* 74. *cum pluribus seqq.*, occasione agendi de Statuto 142. disponente, vt filij in conditione positi censeantur vocati; Ità exindè, rectè intrabat frequenter 5 insinuata propositio de qua *apud Barbos. axiom.* 198. *Mantic. dec.* 251. *& passim*, vt habens pro se regulam, habere dicatur intentionem fundatam, donec ille, qui allegat limitationem, eam, vtpotè non præsumendam, probet.

Regula enim est, vt comitatenses, seù districtuales dicantur ciues, eorum- 6 que nomine veniant, atque ciuium priuilegijs potiantur, ac Ciuitatis legibus vel Statutis (cessante Statuto particulari) subiaceant, cum idem sit districtus, ac territorium ad textũ *in l. qui ex vico ff. ad municip. cum concordan. relat. per Gratian. discept.* 217. *n.* 9. *cum seqq. Franch. dec.* 129. *&* 604. *Rouit. dec.* 11. *Fenson. ad Statut. cap.* 7. *num.* 7. pluraque colligit in proposito Statutorum Vrbis *Antolin. in commentar. bull. Pistor. num.* 1516. *& seqq.*, & habetur actum præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 94., vbi quod ciues Romani, in vniuerso districtu, dicuntur tales, ne subiaceant dohanæ, cui forenses subiacent; *Et eodem tit. de Regal. disc.* 72., vbi 7 magis particulariter de significatione districtus, & de differentia, inter districtum, & agrum Romanum, quidnè significaret dicta differentia sãlis, & focatici.

Ponderabam in idem firmata *per Rotam in causa de qua dicto disc.* 37. *de alienat., & contract. prohib.*, vt etiam Magna- 8 tes, quibus pro quodam vsu loquendi, istud vocabulum ciuium congruere non vide-

videtur, vt potè conueniens potius ciuibus priuatis, ſub hoc Statuto veniant, ideoquè multo magis dicebam, vt diſtrictualibus conuenire deberet.

Ac etiam ponderabam queſtionem diſputatam *per Fenzon. ad Statut.* 143., àn ſcilicèt Statuta loquentia de ciuibus Romanis tantùm, non autem de incolis, iſtos quoque compræhenderent, & de
9 quo actum habetur *ſub. tit. de teſtamen. diſcur.* 52., vbi de materia *dicti Statuti* 143. & 144., in quibus agitur de facultate, vel reſpectiuè prohibitione diſponendi cum filijs illegitimis; Ità enim arguebam, quod huius Statuti 152. Gloſſatores, veriſimiliter iſtam quæſtionem excitaſſent, ſi in illis temporibus, Statutorum editioni proximis, aliqua opinio vigeret, vt pro ciuibus in Vrbe tantum viuentibus illud prodijſſet; (Quamuis hoc argumentū non multum congruere videretur, cum Vrbis Statuta non multum fælix fatum circa Gloſatores ſortita videantur).

Et nihilominus dicebā quod ſufficeret, vt verſaremur in dubio, pro lata, & benigna interpretatione magis, quàm
10 pro ſtricta, & rigoroſa, dū non agebatur de ſtatuto exorbitanti à diſpoſitione iuris communis, ſed potius conformi, ac in effectu, aliud non operante, niſi remotionem obſtaculi, quod ex iuramento reſultat, ac etiam compræhenſionem aliorum contractuum, qui *ſub Macedoniano* non veniunt.

Reflectendo autem ad veritatem; Aduertebam, quod vbi intrà diſtrictum, in contrahentium reſpectiuè patria, contractus, vel obligationes fiant per filios familias, quorum ſtatus, creditori, vel
11 alteri contrahenti, ſaltem ex iuris præſumptione, innoteſcat, adeo vt intret malæ fidei ratio ponderata *dicto diſc.* 37. *de alienat., & contract.*, in qua mala fide præſumuntur contrahentes cum adoleſcentibus filijs familias, qui ab eorum patribus de omnibus neceſſarijs prouiſi, aliam non habent contrahendi occaſionem, niſi illam luxuriandi, ſeù pro alijs iuuenilibus ſeuitatibus.

Difficultas autem notabilis eſſe videbatur in eo, quod cum iſte iuuenis, ex aſpectu, ac tractatibus, iuſtè reputaretur
12 forenſis potius, quàm ciuis, vel incola, tanquam ſcholaris in Vrbe moram trahens, hinc proindè, cum in eadem Vrbe non haberet patrem, in cuius domo viueret, arquè neceſſaria reciperet, ignoraquè eſſet eius patria, an ſcilicèt eſſet intrà, vel extrà diſtrictum, & àn eſſet pater, vel filius familias, ità ceſſare videtur ea mala præſumptio, ſiue ratio ſuperius ponderata, potiuſquè intrare altera *de qua eodem diſc.* 37. *de alienation., & contract.*, per quam creditor, vel alter contrahens reddatur excuſabilis.

Clarius verò in hac facti ſpecie, quod agebatur de debito proueniente ex locatione quorumdam ſuppellectiliū domus,
13 iuxtà forenſium, & ſcholarium vſum, conducendi ab hebreis, in menſes, & tempora, ea ſuppellectilia, quæ commoditas non ſuppetit emere, ideoquè libertati comercij, ipſorumquè ſcholarium, ac forenſiū commoditati aduerſaretur, inducere hunc rigorem, cum ſint contractus fieri non ſoliti præuia matura informatione ſtatus perſonarum, vel inquiſitione, àn ſint patres, vel filij familias in eorum patria, & àn iſtà ſit intrà, vel extrà diſtrictum, ideoquè aduertebam congruere potiùs ea, quæ habentur *ſub tit. de vſur. diſc.* 7., circa priuilegium Iudęorum recipientium pignora, etiam à non dominis.

Ac etiā, quia dum rationabiliter vſus recepit, vt in locationibus, & conductionibus domorum, ac in emptionibus, & venditionibus rerum ad victum, & veſtitum pertinentibus, alijſquè contractationibus huiuſmodi ad cōmunem vſum, & liberum commercium pertinentibus, nō deſiderantur ſolemnitates, quæ à Statuto in contractibus ſerió, ac ſolemniter fieri ſolitis deſiderentur cum ſimilibus, ità à ſimili in præſenti dicendum eſſet.

Tunc autem, contrà creditorem reſponderi debere credidiſſem, quando hic verſatus eſſet in domo patrui adoleſcen-
14 tis, rectèque ſciret eum de omnibus eſſe prouiſum, vndè propterea ſibi veriſimiliter innoteſceret id, quod per adoleſcētis patruum aſſerebatur, vt ſuppellectilia conducta deſeruiſſent pro vſu alterius perſonæ, ex imprudentia, vel iuuenilibus erroribus illi ætati connaturalibus, cum tunc intrent rationes, de quibus *dicto diſcur. 37. de alienat. & contract.*, vbi (et meritò), quod iſtæ ſunt quæſtiones potiùs facti, quàm iuris, ex ſingulo-

rum

rum casuum circumstantijs decidendæ; Atquè ex præsuppositis facti circumstantijs, in isto casu malæ fidei versari videbantur; Ideoquè vt contrà creditorem esset respondendum; Incertum autem est, quid sequutum sit, atq; credo, quod adhuc punctus pendeat indecisus; Cumquè nō viderim iura alterius Partis, hinc maturum iudicium prò veritate, efformare non potui.

ROMANA

EXPENSARVM

PRO

FRANCISCO GVERRERIO

CVM

IOSEPHO BAVA.

Casus disputatus coram A. C., & in Signatura resolutus vt infrà.

An eadem anterioritas, quæ competit pro debito, competat etiam pro expensis iudicialibus, per creditorem factis, ad quas debitor condemnatus est, vt etiam pro eis competat auocatio pecuniæ solutæ posterioribus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *De decisionibus Rotæ, vt exactum à communi debitore per diligentiam vnius ex socijs, debeat alijs communicari.*

3 *Quod hic punctus esset nouus.*

4 *De distinctione inter expensas officio iudicis, & iure actionis.*

5 *De eadem distinctione in fructibus, vel vsuris.*

6 *De* decis. 891. Seraphin., *& quod etiam pro expensis litis mulieris fiat executio in bonis viro datis in dotem.*

7 *Obligatio cameralis continet stipulationem ad damna, & interesse, imò ad expensas, ideoquè dicuntur debitæ iure actionis, & ex stipulato.*

8 *An fideiussor soluens totum creditori, reportata cessione agat etiam pro expensis contra confideiussorem in solidum.*

9 *De auctoritate* Acostæ *in hoc articulo nō attendenda.*

10 *Quando dicuntur expensæ debitæ officio Iudicis.*

11 *Stylus Curiæ est condemnandi indefinitè ad expensas.*

12 *Datur distinctio casuum, & de expensis verè intrinsecis, & necessarijs ex culpa debitoris.*

13 *Istæ deducuntur ante omnia per viam subductionis.*

14 *De expensis extrinsecis, vel accidentalibus, quæ iudicentur etiam tanquam intrinsecæ, & connaturales cum potioritate.*

15 *De expensis verè extrinsecis non habentibus naturam debiti.*

DISC. CXLVII.

1 INita societate negotij vini ripalis, inter Plattum, Pisentem, Bauam, & Parlatum, atquè huic vltimo ad commune commodum, & incommodū, commissa dicti negotij administratione, ob eius subsequutam decoctionem, socijs notabiliter damnificatis, Platti, & Pisenti, curarunt cum eorum diligentijs, recuperare in Ciuitate Neapolis scuta bis mille, super quorum communicatione orta lite inter eos, & Bauam coram A.C., prodijt ab isto sententia absolutoria reorum conuentorum, qui diligentes fuerant; Introducta verò per appellationem
2 causa *in Rota coram Verospio sub die* 25. *Maij* 1655. prodijt resolutio in oppositum Bauæ actori fauorabilis confirmata 10. *Decembris eiusdem anni coram Celso inter eius impress. decis.* 210., *&* 29. *Mar-*

vij 1658., & 4. Iunij 1659. coram Albergato, quarũ prima est impressa *decis. 324. par. 12. rec.*, vndè propterea, stantibus tribus conformibus, exequutoriales relaxatæ fuerunt, etiam pro expensis totiùs iudicij, in summa scutorum 150. circiter taxatis; Cumquè ista lite pendente, Platus, & Pisentus defecissent, hinc efformato concursu creditorum, quamuis Baua quoque comparuisset, admissus tamen non fuit, vtpotè habens creditum illiquidum, ac litigiosum, ideoquè pecuniæ ex debitoris effectibus retractæ, liberatæ fuerunt alijs creditoribus certis, & liquidis quamuis posterioribus, cum solita cautione de restituendo prioribus, vel potioribus, quorũ aliquos Baua post litem finitam pulsando, integrum creditum recuperauit; Cumquè prætenderet cum eadem anterioritate recuperare dictas expensas, hinc pulsauit coram A. C. Franciscum creditorem pariter posteriorem.

In hoc autem articulo fortè nouo, qui saltèm in Curia nõ est formiter (pro mea notitia) disputatus, neq; per DD., præsertim antiquos, & classicos ex professo tractatus; Scribens pro Francisco Reo contrà, primò aspectu, vtpotè de causa litis, ac expensarũ non benè informatus, nimiũ dubitabam, contra eum, vt scilicèt eadem anterioritas, quæ actori competebat pro debito, pro huiusmodi expensis quoque competere deberet, vt infrà. 3

Scribendo tamen more Aduocati ad causæ oportunitatem, contrà prætensionem actoris deducebam individualem 4 auctoritatem *Fabri in Cod. tit. de fruct. & lit. expens. definit. 3. in princ.*, vbi procedendo cum vera & iuridica distinctione inter expensas debitas ex stipulatione iure actionis, ac aliàs debitas officio Iudicis ob condemnationem temerè litigantis, concludit vt prima species, debiti naturam sortiatur, non autem altera.

Item in eiusdem distinctionis comprobationem, deducebam ea, quæ habemus in materia fructuum seù vsurarum habentium eamdem debiti naturam, seù anteriorritatem, quando debeantur ex 5 stipulatione iuræ actionis, secùs autem vbi tanquam interesse extrinsecum, à debitoris mora causarum, atquè in stipulationem non deductum, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur apud *Larre. decis. 37. Staib. in. iun. resol. 61. num. 24. & seqq. Rot. decis. 206. num. 18. par. 10. recent.*, & in alijs de quibus *sub tit. de Regal. disc. 10.*

Atquè respondendo *ad decis. 891. Seraph.*, quæ solum ex parte actoris deducebatur, dicebam, quod ea non percutit casum cõcursus creditorum nequè hunc 6 punctũ principaliter disputat; Licet enim dicatur, vt idem mandatum pro debito vxoris ante matrimonium, & constitutam dotem contracto, exequi deberet super bonis viro in dotem datis, etiam pro expensis, quarum condemnatio post matrimonium sequuta fuerat, atque deducatur regula, quod fideiussor debiti, sit etiam fideiussor expensarũ, quæ eamdem naturã sortiantur; Attamen principale fundamentũ resolutionis fuit, quod idem vir *litis* conscius, eam quoque sub. stinuit, & continuauit; Atquè addi potest alia fortè magis congrua ratio, quod scilicèt dos dicitur vniuersitas, cuius administrationem, pro iure actiuo, & passiuo vir suscipit, potissimè in ea facti serie, in qua erat vniuersitas, tàm facti, quàm iuris, ideoque ità vir vniuersum ius actiuum, & passiuum in se susceptisse videbatur.

Verùm reflectendo ad veritatem, aliquam vt suprà sentiebam difficultatem, stante quod contractus, cuius iure veniebat actor, continebat obligationem cameralem, in cuius formula expressè legitur debitoris obligatio ad omnia damna, & interesse, quinimò expressè 7 ad expensas, quæ tamen absquè expressione veniunt sub damnis, & interesse, vt apud *Bich. decis. 73., & 534.*; Et consequenter quod eadem vera distinctione retenta, difficultas esset in applicatione, dum ità versabamur, potiùs in prima parte distinctionis, expensarum scilicèt debitarum iure actionis, ac in stipulationem deductarum, vt in specie expensarum, vbi agatur de debitore cum obligatione in forma quarantigiæ, vel simili *Fontanell. decis. 95. num. 10.*; Et in proposito fructuum, seù vsurarum habetur *dicto disc. 10. de Regalibus, & sub tit. de dote disc. 161.* & alibi, cum sit recepta distinctio.

In idem quoquè conferunt ea, quæ collecta habentur *apud Oleam de cess. iur. tit. 5. quæst. 5. ex numer. 33. cum pluribus seqq. ad 47.*, vbi tractat quæstionem, an

vnus

vnus ex fideiussoribus, qui totum debitum, ac etiam expensas creditori soluit,
8 reportata cessione, possit à confideiussoribus, vel eorum aliquibus, dempta propria virili, totum repetere, etiam quod pro expensis soluit (quamuis hic Auctor in materia quodammodo se inuoluere videatur.)

Negligenda tamen esse credebam desuper deducta *per Acost. de priuil. credit. reg. 3. limit. 5. num. 2.*, quoniam licèt regulam statuat, vt eadem anterioritas, quæ pro sorte competit, competat etiam pro
9 expensis, attamen indigestè loquitur cũ generalitatibus, non benè examinato articulo.

Postquam autem vidi dictas causæ decisiones, ex quibus patet de lite, eiusquè expensarum causa; Credidi vt pro Francisco reo cõuento creditore posteriore, non improbabiliter respondendũ
10 veniret, quoniam necessitas litigandi, quã creditor habuit, nõ prouenit à mora, & culpa debitoris, eius obligationem non adimplentis, vndè propterea intret refectio expensarum, quas creditor irà pati coactus est tanquam ad damna & interesse in stipulationem deducta, sed id prouenit, vt ità se creditorẽ actor statueret, ac probaret, atq; acquireret illam qualitatẽ, sine qua in concursu venire non poterat; Et consequenter quod gessit proprium negotium, absquè contumacia, vel culpa debitoris, cui obijci non poterat, cur eius debitum statuto tempore nõ soluisset, atquè datam fidem non seruasset, dum probabiliter credere, ac prætendere poterat, se in nihilo debitorem esse, eiusquè bonam fidem confirmauerat sententia absolutoria Iudicis primæ instantiæ; Quinimò ponderatis decisionibus, nimiùs rigor contra eum adhibitus videbatur; Ideoquè nullatenus dici poterat, quod ista cõdemnatio prouenerit ex debitoris temeritate, vel culpa, quoniam imò in puncto iuris, sequi non debuisset, ob iustam litigandi causam, eaquè potiùs sequuta est ex quodam Curiæ (quamuis non multum commendabili) stylo, de
11 quo in sua materia *sub tit. de Iudic.*, adijciendi huiusmodi condemnationem in omni sententia; Et consequenter mihi videbatur, vt rectè dici posset, quod istæ essent expensæ potiùs accidentales Iudicis officio, ratione dicti styli, quàm iure actionis, vel stipulationis, dum earum condemnatio de iure non intrabat.

Hin proindè istius causæ occasione, reflectendo ad hunc articulum (qui in diuturna mea vita forensi nouus erat), considerabam, vt procedendum esset cum eadem casuum distinctione, quæ pro meo nimium frequenter insinuato sensu, in omni forensi quæstione hodie pro congrua determinatione, necessaria videtur, cum aliàs procedere cum generalitatibus, frequentium æquiuocorum incursum producat.

Aut enim agitur de illis expensis, quæ pro debito certo, & liquido ad effectum
12 eius consequutionis contrà morosum debitorem faciendæ sunt, tanquàm connaturales, & intrinsecæ, vt (ex. gr.) sunt expensæ pro mandato executiuo, ac etiã pro facienda executione, & subhastatione, bonorũ alijsq; actis, quas facere oportet, vsq; ad satisfactionis consumationẽ, et tunc istæ habeant eamdem debiti naturam, rectequè veniant sub dicta stipulatione, cõtenta in obligatione camerali vel in quarantigia, siuè in clausula generali *pro quibus omnibus &c.*

Quinimò aduertebam, quod impropriè pro huiusmodi expensis adhibentur termini anterioritatis, & concursus, cum potius intrare videãtur alij termini præcipuæ subtractionis, de quibus pluries
13 suprà, *hoc eodem titulo* occasione agendi de potioritate pro expensis culturæ, vel recollectæ &c., quod scilicèt, quando creditor anterior aliquam summam ex debitoris bonis obtinet, tunc prius subtrahat expensas, quas tanquàm intrinsecas, & connaturales facere oportuit, reliquum autem, quod, deductis expensis, supereße dicitur, cedat in causam debiti, in cuius causã habuisse censeatur id minus; Et consequenter quod agat contra posteriores, nõ pro credito expensarũ, sed pro ipso residuali debito principali, super cuius anterioritate nulla cadit quæstio, perinde, ac si illa detractio facta esset per Notarios, & exequutores, aliosque officiales, vel personas, qui actum exequutionis consumarunt, & pro quorum mercede tales expensæ factæ sunt.

Aut verò agitur de expensis extrinsecis, seù accidentalibus, quas creditorem certum, & liquidum, ob debitoris morã,

& culpam, non seruando datam fidem,
14 facere oportuit, puta pro recuperandis debitoris bonis à manibus posteriorum, seù aliorum, quæ illa de facto occupauerant, seù aliàs occultauerant, vt frequenter contingit, præsertim in gemmis, & pecunijs, alijsquè mobilibus prætiosis, vel scripturis continentibus nomina debitorum, quæ per decoctores occultari, siuè ad aliàs Ciuitates, vel Prouincias transmitti solent; Ac etiam contingit quandoquè in bonis stabilibus, seù æquipollentibus, cum simulatis, ac fraudulentis donationibus, alijsquè alienationibus, vt *sub tit. de donation. disc.* 59., vndè propterea notabiles expensas subire oporteat, non solùm iudiciales, sed etiam extraordinarias pro recognitione exploratorum, & denunciatorum, ac etiam pro muneribus, & alijs, quæ prò regionum stylo, seù ad violentiam coercendam faciendæ sunt; Et tunc rectè intret vulgaris, ac recepta conclusio, de qua præsertim *apud Duran. decis.* 53. *num.* 8., & pluries *Salgad. in eius labyr. credit. ac passim*, vt huiusmodi expensæ potioritatem habeant, ac pariter in eis intret dicta præcipua deductio iuxtà terminos textus *in l. interdum ff. qui potior. in pign. hab. cum concord.*, dum vtile negotium gestum est pro toto concursu &c.

Aut demum (iuxtà hãc facti speciem), debitor in culpa, vel mora dici non po-
15 test, cur promissam fidem non adimpleuerit, quia nempè, iustè credebat se non esse debitorem, atquè prætensus creditor pro iustificando eius creditum, etiam in substantia, expensas passus est in lite ad hunc effectum substentata, adeò vt tales expensas principaliter fecerit, vt se creditorem probaret in concursu aliorum, iustè aliàs eum repellentium; Et tunc omninò verius esse dicebam, quod istæ essent expensæ merè extrinsecæ, & accidentales, proueniẽtes potiùs à dicto Curiæ stylo, ac Iudicis officio, dum principaliter factæ erant in causam propriam, atquè vt proprium negotium gereretur; Ad instar illius, qui habet ius percipiendi alimenta in domo aliena, & accumbẽdi in eius mensa, cum alijs, dummodo tamen habeat vestem nuptialem, quoniam dicere non potest alijs habentibus ius in eadem mensa accumbẽdi, quod in eorum præiudicium, & exclusionem deducere debeat expensas, quas facere oportuit pro dicta veste, dum istæ non proueneruntex culpa eius, qui victum præstare, seù conuiuium facere tenebatur, sed factę sunt ad se ipsum qualificandum, atque ad acquirendum id, sine quo inter conuiuas aliàs admitti non potuisset, nec debuisset; Et hic videtur casus.

In isto autẽ casu per Iudicẽ resolutũ fuit pro actore, ex eo, quod inter socios adesset pactum, obligatione camerali vallatũ, super æquali fortuna, & participatione eius, quod exigeretur; Id autem ex hac parte negabatur, eo quia pactum diuersi intellectus capax esset; Ideoquè habito recursu ad Signaturam, ista non leuem habuit difficultatem contrà resolutionem, ac propterea non obstante natura, iudicij super exequutione obligationis cameralis, commisit causam appellationis, cum clausula suspensiua, & in hoc statu pendet.

ALATRINA

PECVNIARIA

PRO

ALEXANDRO FELICE DE RVBEIS

CVM

PETRO PAVLO ET ALIIS DE MOLELLIS.

Casus disputatus coram A. C., vbi pendet.

An, & quando probatio debiti in genere, vel in substantia, non tamen probata certa quantitate, sufficiat ad debitoris condemnationem,

nem, et quomodo tali casu procedendum sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Confessio extraiudicialis etiam parte absente de canonica æquitate probat, ea verò parte præsente probat etiam de iure ciuili.*
3 *Exceptio ineertitudinis, vel illiquiditatis admittitur etiam in executiuis.*
4 *Probata substantia debiti in genere, circa quãtitatem sufficiunt leuiores probationes.*
5 *In probatione adminiculatiua proceditur cum regula, vt singula quæ non prosunt &c.*
6 *De pretio intrinseco, & de altero extrinseco, seù accidentali locorum montium.*
7 *Quomodo probatio adminiculatiua practicanda sit.*
8 *De pluribus adminiculis in hac facti specie.*
9 *Quod deferatur etiam iuramento Partis.*
10 *De iuramento in litem, quando intret.*
11 *De regula tenenda in hac materia, & quomodo decidenda.*
12 *De præscriptione statutaria.*

DISC. CXLVIII.

1 LAuretus de Rubeis, custodiæ causa, deposuit penès Iulium Molellam cõciuem potentem, ac negotiatorem, quamdam pecuniarum summam; Cumquè eam peteret, Iulius (qui tunc negotiorum causa in Vrbe morabatur), per eius litteras de mense Aprilis 1644., Scripsit amico, qui ex parte Laureti, eum requisierat, quod ob quamdam voluntariam contributionem, tunc ratione belli, saltèm de congruo, faciendam, coactus fuerat, dictis pecunijs vti, atquè emere quinque loca montium, importantia scuta 500., ideoque offerebat, ad fauorem eiusdẽ Laureti creare censum, dum ipse effectus fructiferos emerat; Veleo non assentiente, promittebat quamprimum in proxima recollecta, pecunias restituere; Idemque ad aliquod tempus confirmauit in alia epistola, scripta eidẽ Laureto, qui tractu temporis procuratorem in Vrbe constituit, pro iudiciali coactione, dictarumquè pecuniarum recuperatione, nulla tamen facta earum summæ expressione; Verùm sequuto priùs obitu Laureti, ac deinde illo Iulij, res diù siluit, donec eiusdem Laureti hæres, cõtra Iulij hæredes, iudiciũ instituit coram A. C., pro summa scutorum 500.

In disputationibus autem desuper habitis, nulla cadebat quæstio super substantia debiti, cuiusquè probatione in genere, dum aderat secunda epistola per debitorem ipsimet creditori directè cõscripta, ideoquè adesse videbatur confessio parte præsente, quæ attento etiam
2 rigore iuris ciuilis, ad plenam, & concludentem probationem sufficit, multo magis, dum in Curia recepta est canonica æquitas, ob quàm confessio extraiudicialis, quãuis parte absente, sufficiens reputatur vt in terminis specialibus epistolæ per debitorem tertio conscriptæ firmatur *decis. 153. numer. 9., & seqq. par. 8. rec. decis. 191. num. 8. par. 12., & apud Cels. decis. 264. numer. 13.* edita in casu de quo suprà *discur. 79.*; Ideoquè coniungendo vtranque confessionem, casus quoad probationẽ in genere videbatur extra omnem controuersiam.

Hinc proindè restringebatur difficultas ad probationem quantitatis, qua nõ probata, dicebant Scribentes pro reis conuentis, quod nulla sequi poterat con-
3 demnatio, *vt rubric., & tot. titulo Cod. de Senten., quæ sin. cert. quantit.*; Idem quoquè deducendo receptam conclusionem, de qua *apud Grass. de except. cap. 36. Rot. apud Caualer. decis. 607., apud Merlin. decis. 339., decis. 165., & 306. par. 7. rec., & sæpius*, circa crediti liquiditatem præcisè necessariam.

Adeò vt, exceptio illiquiditatis, admittatur etiam in processu exequutiuo, ac priuilegiato obligationis cameralis, seù quarantigiatæ, qui quascumquè exceptiones repellat, quoniam exclusa non cesentur ista, cum incertum sit, quid, & quantum creditor sit consequuturus, dum debitum in genere verificari potest in paucis obolis; Ad instar illius inutilis legati, quod fiat de animali, vel de fundo in genere, vt pote verificabili

cabili in muſca, vel in palmo terræ, cum ſimilibus.

Scribens ego pro actore, dictamque conclusionem non negando, vtpotè in ſuo caſu veram, deducebam pariter veram, ac receptam propoſitionem, de
4 qua antiquioribus relatis *apud Bellon. iun. conſ. 93. num. 8. cum ſeqq. Gregor. dec. 324. nu. 4 Cyriac. contr. 347. num. fin. Rub. de teſtam. cap. 98. num. 353. & ſeqq. apud Bichium deciſ. 495. num. 4. & 5. Celſ. deciſ. 264. num. 10.*, quod ſcilicèt probato credito, eiuſque ſubſtantia in genere, tunc circa quantitatem, etiam leuiores, & admiculatiuæ probationes ſufficiant; Adeo ut aliquorum opinio ſit, vt etiam iuramentum creditoris ad id ſufficiat; Quod reuerà certam non habet regulam, cuicumque caſui applicabilem, ſed pro facti qualitate, & circumſtantijs, prudenti Iudicis arbitrio penſandis, decidendum eſt.

Applicando autem ad rem, plura concurrere videbantur, quæ ſimul iuncta,
5 cum conſueta regula, in adminiculatiuis attendenda, *vt ſingula, quæ non proſunt &c.*, concludere videbantur ſummam, ſeù quantitatem ſcutorum 500., vt per actorem prætendebatur.

Primò nempè, quia hanc ſummam cõtinebat prima epiſtola familiaris, quæ per debitorem amico conſcripta fuit, cuius tenor, ſeù contextus probare videbatur, quod ad effectum enunciatæ con-
6 tributionis in ſcutis 500., mediante neceſſaria, ſeù cauſatiua emptione quinque locorum mõtium, dicta ſumma requirebatur, quoniam licèt eorum prætium intrinſecum tanti importaret, attamen ob accidentales circumſtantias habebant minorem valorem extrinſecum, iuxtà illum maiorem, vel minorem extrinſecũ, ſeù accidentalem valorem locorum mõtium, de quo habetur in ſua materia *ſubtil. de Regal. diſc. 30. cum ſeqq.*, vndè propterea contributio conſiſtebat in eo, quod ſupra pretium, ſeù valorem extrinſecum erogare oportebat, ad adæquandum valorem intrinſecum.

Quamuis enim criticãdo hanc ſpeciẽ probationis, ea dici poſſet æquiuoca,
7 quoniam poſſunt ſtare ſimul, vt in erogatione ſummæ maioris, vtatur quis pecunia aliena, quæ modicam ſummam importet, ità commixta cum propria.

Aduertebam tamen, quod vbi hæc epiſtola contineret probationem vniuocam, & concludentem, vt huiuſmodi acquiſitio, integrè cum hac pecunia facta eſſet, tunc intraret vulgaris regula textus *in l. ille, aut ille ff. de legat. 3.*, quod in claris, & expreſſis non intrant præſumptiones, & argumenta, ideoque ad adminicula recurrere non oporteret, inaniſque eſſet dicta concluſio ſuper priuilegiatiua probatione accidentium, vbi certa probatio ſubſtantiæ habeatur; Cũque adminicula ponderanda ſint, ad effectum regulãdi Iudicis arbitrium; Hinc proindè dicebam quod deſideranda non erant verba expreſſa, & vniuoca, ſed benè conſideranda veniebant ea verba, quæ licèt æquiuoca, & per poſſibile, apta recipere dictum diuerſum intellectum, ſeù ſenſum, attamen per probabile, iuxtà communem loquendi vſum, recipiebant magis hunc intellectum, vt ſcilicèt, debitor, vel depoſitarius, iſta pecunia vti coactus eſſet, pro integra dicta acquiſitione facienda.

Secundò corollariè, ac in idem, quod cum debitor eſſet diues, ac etiam negotiator talis negotiationis, quod pecuniæ
8 numeratæ, ac manualis, vſum, & commoditatem promptam haberet; Adhuc tamen, etiã in ipſa prima confeſſione, ſeù epiſtola, nimium inſiſtebat, vt creditor contentus eſſet, quod crearetur cenſus; Id etenim attenta dicta qualitate debitoris, clarè arguit, quod ageretur de ſumma notabili, cuius prompta ſolutio difficilis, atque incommoda eſſet, vt ad ſenſum.

Tertiò pariter in idem, quod in ſecũda epiſtola, directè ſcripta creditori ad ſex menſes poſteà, quæ præſupponebat præcedentem declarationem animi eiuſdem creditoris, non creandi cenſum, ſed repetendi pecuniam; Cum verbis aulicis, ac depræcatiuis maiorem dilationem petebat, vt commoditatẽ expectaret, quod attentis pariter circumſtantijs ſupra põderatis, arguebat, quod ſumma eſſet notabilis.

Quartò quod, ob aliquam longè maiorem potentiam in patria, (cuius moribus attentis, atque ex alijs circumſtantijs congruebat, vt creditor amicitiam, ac beneuolentiã debitoris conſeruaret), adhuc tamen iſte mandatum dedit in-

Cu-

Curia pro iudiciali coactione, cuius ineffectuatio ab eius superuenta morte sequuta fuit; Signum clarum, quod ageretur de summa notabili, cum improbabile esset, vt pro modica summa, attentis facti circumstantijs, ad hunc actum deueniretur.

Et quintò demùm, in idem conferre obseruabam regulam, seù propositionē generalem, quæ frequenter, in materia præsertim fideicommissaria, in foro volitare solet, quod hæres, qui vbi præsertim sit filius, vel coniunctus, & domesticus, præsumitur informatus de factis defuncti, hanc summam exprimebat, atque super ea offerebat iuramentum, cui soli deferendum esse, circa huiusmodi accidentalem probationem quantitatis, vbi certa probatio generis, vel substantiæ accedat, firmatur apud supra allegatos, præsertim *apud Cyriac. d. controu.* 347. *num fin.*

9 Et quamuis reuerà id procedat in ipsomet principali, qui sit veritatis certò conscius; Secùs autem in hærede, & potissimum contrà alium hæredem, iuxtà ea, quæ ad materiam iuramenti in litem, etiam in casibus, in quibus intret, habentur *sub tit. de tutor. & administr.*, vt non concedatur hæredi, & contrà hæredem, vt præsertim *d. tit. disc.* 8 & 9.; Attamen aduertebam idem, quod supra, in primo adminiculo, de æquiuocis, vel vniuocis verbis confessionis habetur, quod scilicèt; Aliud est agere, ad effectum, vt id solum, & de per se inducat perfectam probationem, quæ ad condemnationem sufficiat; Aliud verò, vt id attendatur tanquam vnum ex adminiculis, cum dicta regula, *vt singula, quæ non prosunt &c.*, & cum alijs coniungendum sit.

10 Vt enim in omni ferè materia, præsertim verò in fideicommissaria *sub tit. de fideicommiss.*, frequenter aduertitur; In huiusmodi mecturalis, vel adminiculatiuæ probationis specie, certa, & determinata iuris regula dari non potest, sed totum pender ex singulorum casuum particulari qualitate, & circumstantijs pensandis, ex prudenti, benæque regulato iudicis arbitrio, qui propterea partes gerere debet pictoris operis musyui, qui ex pluribus paruis lapidibus, de per se non aptis ad efformandam effigiem, istā efformet; Siuè partes compositoris magnæ, ac fortis funis, ex pluribus filis, vel funiculis; Præsertim verò in ciuilibus, in quibus facilius ista coniunctio datur.

Neque in hoc (vt loco citato, & alibi aduertitur), cum doctrinis, vel propositionibus generalib' simpliciter procedi debet, quoniam stant benè simul, vt aliqua adminicula, in vno casu sufficiāt, atque approbentur; In altero autem, eadem, ac maiora reprobentur, ac insufficientia reputentur, quia sic vnius, vel alterius facti qualitas exigat; Ideoque non ex eo, quod in vno casu, aliqua adminicula canonizata sint, exindè sequitur, vt æquè in omnibus canonizari debeant, et è contrà; istaq; est vnus de consuetis, ac frequentibus erroribus pramgaticorum, qui in sola littera, seù formalitate doctrinarum procedunt.

Obijciebatur etiam de præscriptione resultante à Statuto Vrbis ob silentium sexdecim annorum; Verùm facilis videbatur obiecti solutio; Tùm quia ve-
12 rius est, vt istud Statutum, non intret inter forenses, qui extrà Vrbem contrahunt, ac solutionem in loco contractus destinent, atq; solum in Vrbe lis agatur accidentaliter ob Tribunalium residentiam; Tùm etiam, quoniam, ista non est vera præscriptio, sed potiùs præsumpta solutio, quæ ex contraria probatione, etiam præsumptiua, tollitur, præsertim in hærede ignaro, cui saltim restitutio in integrum deneganda nō est, vt in præcedentibus ad hanc materiam præscriptionis statutariæ pluries aduertitur; Incertus tamen est causæ exitus, atque credo quod adhuc pendeat indecisa.

NEA-

NEAPOLITANA CESSIONIS PRO CARDINALI BRANCACCIO CVM PRINCIPE BISINIANI.

Responsum pro veritate.

Ad materiam textus *in l. per diuersas*, & *l. ab Anastasio Cod. mandat.*, de qua supra *disc.* 60., vt debitor, cessionarium repellere valeat, offerēdo solam summam ab eo solutam, pro cessione reportanda; An procedat in ea cessione, quæ reporteretur à Principe, vel eius fisco, seù Camera; Et de alijs earumdem legum limitationibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De voto Auctoris, & fundamentis.*
3 *Quando propriè intret dispositio* l. per diuersas, & l. ab Anastasio.
4 *De ratione ob quam Camera succedit in fructibus inexactis beneficiorum.*
5 *Conclusiones iuris in hac materia non solent de facili admitti per Camerales, ideò fieri solent compositiones.*
6 *De stylo, dictarum legum dispositio non procedit in cessionibus quæ fiant à fisco, vel Camera Apostolica.*
7 *Leges ciuiles quomodo attendantur, & de earum non vsu.*
8 *Princeps concedit etiam bona aliena ad materiam* l. benè à Zenone.
9, & 10 *De rationibus, quibus innixus est stylus, de quo num.* 6.

DISC. CIL.

CVm Mutius, Cardinalis Brancaccij ex germano fratre nepos, haberet in
1 commendam, cum aliquo pensionis onere, Abbatiam regularem S. Mariæ de Matina, cuius debitor supponebatur Princeps Bisiniani in annua præstatione cuiusdam quantitatis tumulorum frumenti, atque ob huiusmodi præstationis denegatam solutionem, Commendatarius, vsque ab anno 1634., in Tribunali Regiæ Cameræ Neapolis, litem instruxerit, coniunctim cum dicto Cardinali patruo, consimilem, vel maiorem frumentariam præstationem ab eodem Principe petente, ratione alterius Abbatiæ S. Adriani, quam in commendam possidebat ipse Cardinalis, qui huius nimiùm diurnæ litis sumptus omnes, etiã ex parte dicti alterius Commendatarij (pro stylo regionis non leues), erogauit, ac etiam plures terminos pensionũ interim decursos, ab eodem Mutio debitos, de proprio soluit; Dictaque lite adhuc indecisa pendente, idem Mutius obierit, vndè officiales Nunciaturæ Neapolis, ad præscriptum Constitutionis Iulij III., ac aliarum, de quibus in sua materia *sub tit. de benefic. disc.* 81. & *seqq.*, prætenderent, vt omnes huius præstationis decursæ annualitates, tanquam fructus inexacti caderent sub spolio, atq; ad Cameram pertinerent; Hinc proindè, dictus Cardinalis, quamuis eius credita, ex dicta duplici causa, expensarum litis, & pensionum, longè excederent valorem dictarum annualitatum, pro quarum recuperatione litem prosequi oportebat, adeòut nihil pro Camera supereſſet; Attamen (iuxtà frequentiorẽ stylum), ad euitanda incommoda alterius litis, quam desuper, pro huius crediti probatione, ac liquidatione, facere oportebat, se composuit cum Thesaurario generali, mediante solutione modicæ summæ scutorum quadraginta, ità in consueta forma, reportando cessionem omniũ iurium Cameræ, vt in d. Tribunali, in quo lis pendebat, euitaret sumptus, absque dubio maiores, quos facere oportebat pro legitimatione personæ, & crediti

dini iustificatione; Quarè eo ità dictam litem prosequente, ex parte rei conuenti, confugiendo ad beneficium textus *in l. per diuersas, & l. ab Anastasio Cod. mandat.*, offerebatur dicta summa scutorum 40., quæ Cameræ Apostolicæ, pro huiusmodi litigiosorum iurium cessione, soluta fuerant; Assumptaque super hoc puncto in eodem Tribunali disputatione, desuper meum votum pro veritate, a dicto Cardinali, *in Vrbe* expetitum fuit.

Dicto igitur veritatis sensu retento; Respondi, vt hæc prætensio, omnino improbabilis, nullique fundamento innixa esset, ex tribus distinctis motiuis, quorum quodlibet sufficere videbatur, 2 etiam singulariter illa capiendo, multò magis ea vnitim ponderando; Primò scilicèt, quod cessionarius esset creditor, defuncti, cui iura cessa competebant, vndè propterea, pro eius credito recuperando, dictam cessionem principaliter obtinere curauerat; Secundò quia erat eiusdem defuncti legitimus hæres, dum eius germani fratres hæreditatem negligebant, vndè propterea ipse remanebat proximior; Et fortiùs quia ijdem fratres dabant manus, ac adhærebant; Et tertiò, quod ageretur de cessione reportata à Principe, vel eius fisco, dum ex recepto stylo fortè generali, præsertim verò, fisci, seù Cameræ Apostolicæ, dictarum legum dispositio, vsu recepta non est.

Ad comprobationem autem primi, & secundi motiui, præscindendo etiam à peculiari circumstantia tertij; Deducebam ea, quæ ex communi sensu DD. ha- 3 bentur, ad istarum legum materiam supra *hoc eodem tit. disc.* 60., & in alijs, & colliguntur elaborate de more *per Oleam de cess. iur. tit. 6. q.* 10. *num.* 53. *& seqq.*; Quod scilicet earumdem legum dispositio prodijt contra voluntarios litium redemptores, qui id, nulla necessitate, vel iusta causa impellente, agant ad industriam, turpemque negotiationem, suscitando lites, quæ alias quiescerent, atq; ita reuoluendo chartas veteres, Rempublicam inquietarent, vt cum modica summa, aliena bona, siue ad cedentem, siue ad cessionarium pertinentia, caparent.

Secus autem, vbi iusta, & probabilis causa accedat, atque cessio, cum alicuius modicæ summæ solutione obtineatur, potius iuris proprij confirmandi gratia, siuè ad effectum redimendi molestias, quas in proprijs iuribus à cedente recipere posset; Siue ad tollenda impedimenta, quæ ab eo de facto præstarentur, vt in hac facti specie rectè verificabatur, ob dictam duplicem circumstantiam, seù duplicem titulum, creditoris scilicet beneficiati defuncti, in ipsam met causam, ac etiam legitimi hæredis, cum in puncto iuris, probabilius videretur, vt ad ipsius beneficiati defuncti hæreditatem, huiusmodi decursæ annualitates spectare deberent, pro reintegratione expensarum litis, ac etiam pensionis, quæ probabiliter, pro rata istorū fructuū singulis annis quoq; soluta fuerat, quāuis vtrūque onus, ab ipsomet beneficiato, de proprijs bonis supportatum esset.

Vt enim ad hanc materiam spolij, vel successionis Cameræ in fructibus inexactis aduertitur in dicta sua sede *sub tit. de benef. disc.* 81. *cum pluribus seqq.*, id pro- 4 uenit ex eo quod fructus inexacti dicantur pars ipsorum bonorum, ideoque pertineant ad Ecclesiam illorum dominam, vbi agatur de illis fructibus, in quibus beneficiatus, (qui viuens assimilatur vsufructuario, moriens autem vsuario) foueat causam lucratiuam, secus autem si onerosam, adeout, vbi agatur de distributionibus quotidianis, vtpotè assequendis ex causa onerosa, potiùs quàm lucratiua, tanquam merx, vel salarium laboris, ac seruitij; Siuè agatur de fructibus beneficij curati, in puncto iuris, detur eorum transmissio.

Potissimè verò, ac facilius, vbi agatur de huiusmodi fructibus ciuilibus, in quibus, beneficiato diligentias adhibente, admittenda videtur transmissio, cum non vrgeat illa ratio, quæ intrat in naturalibus, vt sint pars bonorum, ac proprietatis, illique annexi; Sed quoniam 5 Camerales in praxi non de facili huiusmodi, ac similes iuris propositiones pacificè admittere solent; Hinc proindè vsus inoleuit, quod beneficiati hæredes, & successores, ità curant se componere, atque cessiones iurium Cameræ reportare, vt etiam aliqua priuilegia Cameræ competentia obtineant, pro ijsdē fructibus recuperandis; Et consequenter, idem actus dicitur potius necessarius, ad tol-

lenda impedimenta, redimendasq; molestias, vndè propterea dicta ũ legum, nec dispositio, nec ratio congruere potest.

Cæterùm, vbi etiam de penitùs extraneo cessionario ageretur, qui nullum ius habens in huiusmodi fructibus, vel iuribus, voluntariè, atque ad industriam, so-
6 lita certa summa, iurium Cameræ cessionem reportare curaret; Adhuc tamen, inconcussus est, ac notorius Cameræ Apostolicæ stylus, admittendi huiusmodi compositiones, etiam in extraneis, quoties legitimi successores, vel coniuncti, (quos præferre solet) id negligant; Neque vnquam praxis docuit, vt huiusmodi legũ dispositio admissa fuerit; Ideòq; dicebam, quod iste vsus sufficere deberet.

Cum etenim, vt pluries insinuatur, præsertim verò *in tit. de seruit. disc.* 1., leges ciuiles in foro attendantur, non
7 ex necessaria auctoritate legislatoris, sed potius, quia vsu receptæ sint; Hinc proindè, vbi de aliquarum non vsu constet, huic potius deferendum est, quoniam *vt dicto disc.* 1. *de seruitut.* aduertitur, iste non vsus, non est ille, quem rigorosè cõsiderant DD., tanquam destructiuum legis, aliàs ex legislatoris potestate obligãtis, sed est potius non initiatiuus, seù impediens earumdem legum receptionem in hac parte, ideoque magna differentia est inter vnam speciem non vsus, et alteram.

Ponderab am quoque, vt iste non vsus, in cessionibus, quæ à Camera, seù fisco Principis reportantur triplicem habeat probabilem differentiæ rationem, ob
8 quam dictarum legum dispositio, in hac specie cessionis, locum habere non debeat.

Primò nempè, quoniam agitur de concessione Principis, qui iure priuatorum, metiendus non est, cum etiam aliena bona donare possit, adeo vt, eius concessionarius, etiam à domino tutus reddatur, ad terminos textus *in l. bene à Zenone Cod. de quadrien. præscript.*; de cuius materia habetur actum *sub tit. de donat. disc.* 43.

Secundò quia, (vtsupra aduertitur), ex communi DD. sensu, eatenus dictarum legum dispositio intrat, quatenus adap-
9 tetur ratio, cui innixæ sunt, vt scilicet illæ lites, quæ penes minus potentem, siuè ad eas minus aptum quiescerent, ita excitentur per cessionarios, magisque potentes, vel magis litibus aptos; Hæc autem ratio, non congruit Fisco, vel Cameræ Principis, quæ longè potentior est, magisque priuilegiata in litium prosequutione, ideoque per huiusmodi cessiones nullum collitiganti præiudicium infertur, neque eius conditio deterior efficitur, sed potius melior, ac propterea omnino cessat istarum legum ratio, vnde de consequẽti cessare debet dispositio, ex vulgari axiomate, super quo plura colligit *Barbos. axiom.* 197.

Et tertiò fortiùs, quoniam cum huiusmodi iura ex spolijs clericorum seù be-
10 neficiorum vacationibus, vel similibus causis, Cameræ delata, vt plurimum, eidem, eiusque officialibus, tanquam accidentaliter obuenta, ignota esse soleant, atque eatenus detegi, quatenus id agant frequentius illi, qui se componere velint, atque cessiones reportare, cum aliquo lucro, quod ad hũc finem, studiosè per Camerales, libenter conceditur; Hinc proinde si ista aperiretur porta, practicandi huiusmodi legum dispositionem, id tenderet in magnum eiusdem Cameræ præiudicium, quoniam nemo hæc iura detegeret, neque cum ea se componeret.

Adeò etenim ad hunc finem Camerales, in huiusmodi occultis iuribus, latè se agunt, vt etiam simplicibus denunciatoribus, notabilem quotam condonent (quod etiam pia loca practicare solent;) Ideoque ex pluribus in hac specie cessionis, dictarum legum dispositio non est practicabilis, atq; meritò dictus vsus inoleuit; Sibique imputent collitigantes, cur hanc viam non tenuerint, atque ita se liberare à lite non curauerint, cum solutione illius modicæ summæ, quam cessionarius seù transactarius soluit; Pro ijs tamen diligentijs, quæ ista occasione adhibitæ fuerunt, in ea temporis angustia, qua perpetuò laborant Curiæ professores, semper scribendi properando, & ad horas, casus non dedit inuenire tractantes punctum in specie; Istam tamen credebam esse veritatem quamuis non visis motiuis alterius partis iudicium maturum efformari non potuerit.

BONONIEN.

PECVNIARIA, VEL SOCIETATIS

PRO

HERCVLE DE ANGELIS,

CVM

HIERONYMO VACCARIO

Casus disputatus coram A. C.

An, & quando, obligetur quis per procuratorem in alienam causam, & tanquam fideiussor; Et an mandatum extendatur ad obligationem fideiussoriam, vel insolidum, et quando dicatur debitum fideiussorium.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Procurator non potest obligare mandantem in causam alienam, & fideiussoriam.*

3 *Multò minus in causam ipsius mandatarij.*

4 *Neque potest eum obligare in solidum cum alijs.*

5 *Omnes insolidum obligati respectu creditoris dicuntur principales correi, atque non intrat distinctio debitoris principalis, & fideiussoris.*

6 *Quod pro decidendis causis forensibus non sit procedendum cum generalitatibus, sed cum distinctione casuum vel effectuum.*

7 *De eadem conclusione de qua n. 5.*

8 *Inter socios intrat soluendi obligatio, quæ negotio sociali est connaturalis.*

9 *De conclusione quod gesta vltra fines mandati inualida sint, quando procedat.*

10 *De eadem conclusione de qua num. 5., vt non procedat inter ipsos coobligatos, inter quos est principalis ille, ad quem negotium pertinet.*

11 *Quod correo non detur actio indemnitatis contra eum qui est vtriusque correi æquè fideiussor.*

12 *Quando intret conclusio de qua num. 2 & 3.*

DISC. CL.

CVM Hercules, à patria pro aliquibus negotijs in Vrbe pertractandis discessurus, generale mandatū (iuxta illius formularij amplitudinem) dedisset Antonio eius coniuncto, cum plurium actuum expressione, generaliter etiam attributa facultate faciendi quoscumque contractus ei bene visos; Præfatus autem Antonius, cum Io: Thoma patre, alijsque socijs mercimonium sericum exerceret, cuius ipse complementarius erat, Ideoque tanquam complementarius, omnium sociorum nomine, nec non, tanquam procurator Herculis; Ac etiam Hieronymus alter mercator, qui diuersum exercebat mercimonium, acceptis à Marchione Fontana libris 11.m ad negotiandum, siuè sub eo contractu trino de quo *sub tit. de vsur. disc.* 1., solidi obligationem cum eo contraxissent.

Defunctisque Antonio, & socijs, Hieronymus in vim obligationis insolidum, totam summam librarum 11. m. cum accessionibus soluere coactus esset, cum tamen, nonnisi medietas ad eius manus obuenisset, (altera medietate per Antonium habita); Hinc proinde, pro eius releuatione, iudicium instituit corā A.C; contra Herculem, cuius plures defensores per eum assumpti, in ea insistebant exceptione, quæ à defectu potestatis mā. dantis resultabat, vnde propterea obligationis nullitas absque dubio de consequenti resultabat.

Huiusmodi autem potestatis defectū deducebant, ex conclusione, quod mandatarius, cui ampla etiam potestas concessa sit debita contrahendi, aliosuè contractus faciendi, alienas seù fideiussorias
2 obligationes facere non potest, cum talis facultas, in mandantis causam propriam, non autem in alienam attributa censeatur, neque fideiubendi potestas, absque speciali mentione in generali mādato cadat, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Merlin. de pign. lib. 2. q. 101. num. 21. cum seqq. Galeot. lib. 2. controu. 29. num. 1. & seqq. Rot. apud Millin.*

fin. dec. 359. num. 1., & seqq. apud Dunozetum dec. 543. num. 8. & 566. eodem n. 8. dec. 190. post Cenc. & apud Marchesf. par. 2. fol. 583, Fortius verò, vbi hæc fideiussoria obligatio sit pro eodem mandatario, cum tunc dicta conclusio, magis de plano intret, vt apud allegatos aduertitur.

3

Ac etiam, quod vbi etiam in causam mandantis obligatio contracta esset, adhuc tamen ea inualida remaneret, ob solidi obligationem cum alijs correis, vel contrahentibus, ex alia conclusione, de qua cæteris relatis *Rota dec. 79. num. 15 in fin., & dec. 93. in fin. par. 6. rec.* quod procurator non obligat mandantem insolidum cum alijs, cum ità esset pro alijs fideiubere; Atque hinc inferebatur ad nullitatem in totum, quasi quod, ob indiuiduitatem consensus, vtile per inutile viciatum remaneret.

4

E conuerso autem, Scribentes pro actore, non negando dictarum conclusionum veritatem in suis respectiuè casibus, negabant applicationem, ex eo, quod omnium coæqualis esset obligatio principaliter, & insolidum, ob quam propterea, termini fideiussoriæ obligationis non intrarent, cum dicta obligationis formula accedente, omnes dicantur principales correi debendi, ex ijs, quæ, cæteris relatis, habentur apud *Gregor. & ada. dec. 167. 445. & 564.* cum alijs *sub tit. de feud.* ad materiam bullæ Baronum *disc. 100. & seq.*, occasione agendi, an illius bullæ dispositio, in alienis, ac fideiussorijs debitis locum habeat.

5

Cum igitur post causam diù disputatam, Iudex, ex præmissa conclusione, pro actore inclinaret, ita habendo istam mandantis obligationem à mandatario contractam, tanquam principalem, & coæqualem, non autem fideiussoriam, hinc proinde, in hoc statu, ex parte Herculis rei conuenti ad scribendum assumptus, pro difficultate superanda.

Dicebam scribens in causa (præsuppositis dictis conclusionibus hinc inde deductis, pro consueto stylo nimium abhorrente transcriptiones, vel superfluas allegationes), quod omnes hinc inde Scribentes, bene loquebantur; Punctus autem erat in applicatione, pro qua congruè facienda, aduertebam procedendū

6

esse, cum ea casuum, vel effectuum distinctione, quæ (ex pluries insinuatis) in omnibus penè foreptibus controuersijs necessaria videtur, vnde propterea erroneum est, cum solis generalitatibus conclusionum iuris in abstracto procedere, quoniam totus punctus est in applicatione congrua ad casum præcisum controuersię, facti qualitate, vel circumstantijs principaliter attentis.

Dicebam igitur quod; Aut ageretur inter dictum Marchionem creditorem, ac præfatos ita principaliter, & insolidum obligatos, & tunc rectè procederet cōclusio deducta per Scribētes pro actore, potissimè vbi, iuxta distinctionē, quæ

7

ex Roderic. de ann reddit. par. 2. q. 5. n. 21. & seqq. & alijs insinuatur *dicto disc. 100. & 101. de feud.*, obligatio æque principalis, affectatè concepta non sit, vt legi fraus fieret; Vt enim pluries *hoc tit.*, & alibi aduertitur, creditor, qui plurium correorum insolidum fidem sequitur, inuestigare non tenetur, quis nam eorum esset principalis, ad quem negotium principaliter pertineat, qui verò fideiussor, dum, ad instar sequentis fidem alicuius collegij, vel vniuersitatis, seù negotij socialis, omnium, ac singulorum fidem sequitur, vnius tantum, vel aliquorum ex eis idoneitate fretus.

Neque obseruabam, quod intraret dictus alter defectus potestatis, circa solidi obligationem, quoniam cum ageretur de contractu societatis, accessorię cōplicante alios duos contractus duplicis assecurationis sortis, & fructuum, adeo, vt

8

ipse, qui pecuniam dedit, vnam socij personam constitueret; Alteram verò formalem, seù intellectualem, collegiatiuo, quodam iure, efformarent omnes æquè principaliter obligati, hinc de consequenti resultabat, quod solidi obligatio, esset contractui connaturalis, dum in negotijs socialibus intrat solidi obligatio, atque ob mutuum mandatum, quod inter socios adesse dicitur, vnus alterum insolidum obligare potest ex deductis cæteris relatis *apud Celsum dec. 2. & 11.*, & in alijs frequenter, ac pluries *hoc eodem tit.* aduertitur.

Et consequenter, stante negotiorum socialium natura, ac etiam communi vsu, quod pecuniæ pluribus negotiatoribus insimul recipientibus credi non solent, nisi cum solidi obligatione, cum sæpius

(vt

(vt insinuatum est) vnius tantum idoneitas, credentem impellat, alias non creditorum, hinc intrat conclusio, seù limitatio conclusionis, quam habemus super invaliditate eorum, quæ vltra mandati fines gesta sint, vt scilicet non procedat in ijs, quæ de contractus natura, siue ex communi vsu, facienda sint, & sine quibus alias mandatum impleri non possit, 9 quoniam tunc, sub eo, ista implicitè veniunt, quamuis ad speciem non deducãtur, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Arias de mesa lib. 1. var. c. 50. Theodor. alleg. 96. Capyc. Latr. consult. 108. num. 9. & seqq. &* admittit. *Rot. apud Bicch. dec. 500. & 541.*, in quibus de ista conclusione eiusque declarationibus.

Verùm quia, non erat quæstio cum creditore, sed inter ipsos coobligatos, quorum vnus insolidum pulsatus, ex beneficio diuisionis, seù alias, ad reintegrationem, vel indemnitatem agebat, hinc proindè aduertebam, vt non intraret dicta conclusio per DD. deducta, sed potius altera, de qua per textum *in l sed Iulianus ff. ad Macedon.*, cæteris relatis distinguendo habetur *apud Gregor. & add.* locis citatis *apud Bich. dec. 482. num. 2. dec. 114. & 481. par. 7. rec Demarin. resol. resol. 191. par. 1. & dicto disc. 100. & 101. de feud.* quod scilicet, quamuis quoad creditorem, omnes dicantur principales correi debendi, attamen inter se ipsos, illi dicũtur principales, qui pecuniã habuerunt, siuè ad quos negotium principaliter pertinet, alij vero sunt fideiussores eorum, quibus recte id innotescit, idcòque non intrat supradicta ratio, quæ militat in principali creditore, quod scilicet ipse nesciat, siue scire, ac inuestigare non teneatur, quis nam esset principalis, & qui fideiussor, siuè ad quem negotium principaliter pertineat, & ad quẽ accessoriè.

Hinc proinde, cum Antonius in dicta obligatione, duplicem personam expressisset, Vnam scilicet complementarij socialis mercimonij, Alteram verò procuratoris Herculis, qui propterea discretè enunciatus fuit, tanquam à dicto negotio extraneus, atque eidem Hieronymo mercatori, id bene innotescceret, ità resultare dicebam, quod Hercules, per suũ mandatarium, in toto contractu obligatus insolidum, gereret personam fideiussoris omnium correorum, qui acceptam pecuniam æqualiter inter se diuiserant, et sic, non tam Antonij, & sociorum, quàm ipsius Hieronymi æquè fideiussor esset, tanquam totius contractus assecurator, quasi quod istius forte magis idonei obligatio impulisset, dictum creditorem, alias non crediturum.

Atque exinde dicebam, quod de iure, fideiussori quidem, datur actio indem- 11 nitatis contra principalem debitorem, siue contra confideiussorem ex beneficio diuisionis, nõ autem è conuerso, vt principalis debitor, qui pro altero principali correo debendi, totum debitum soluit, actionem habeat contra eum, qui sit æque fideiussor vtriusque; Tunc etenim dicebam, quod difficultas cadere potuisset, quando Hercules, pro solo Antonio, & socijs se obligasset, quasi quod tunc Hieronymus, tanquam eiusdem Antonij correi fideiussor in sua virili, contra confideiussorem, ex diuisionis beneficio, indemnitatis actionem haberet; Secùs autem, dum toti contractui pro omnibus accessit, quamuis ipse met mandãs accessisset, dum ita rectè dicere potest, quod non minus vnius, quàm alterius correi fidem, ac idoneitatem, æquè principaliter sequutus esset.

Et nihilominus, ità ineuitabilis remanebat dicta consideratio, quod ita ipsi 12 actori innotescceret, quod Hercules accedendo toti contractui, etiam pro se ipso fideiussoris personam gereret, et consequenter quod bene quoad eum intrarent dictæ conclusiones, quæ ex hac parte deducebantur, vt mandatum non censeatur datum ad fideiubendum; Incertũ autem est quid sequutum sit, atq; credo, quod adhuc causa pendeat.

AP-

APPENDIX

AD DISC. XIII.

De eadem materia, de qua *dicto disc. XIII.*; An scilicèt Constitutiones Apostolicæ, prohibentes alienationem bonorum iurisdictionalium, comprehendant quoque hypothecam: Et an circa istam, intret distinctio, inter specialem, & generalem, vt prima cadat sub prohibitione, altera verò non. Et ad quem effectum ista distinctio attendatur.

SVMMARIVM.

1 *DE distinctione inter hypothecam generalem, & specialem in prohibitis.*
2 *Quando procedat.*
3 *Quando pretium succedat loco rei.*
4 *Vt casuum distinctio necessaria sit, & de distinctione isto casu.*
5 *De concursu in commoditate vel fructibus.*
6 *Quid referat hypothecam generalem subsistineri inter creditores non habentes assensus.*
7 *De eodem contra successorem pariter sine assensu.*
8 *Secus vbi agatur de hypotheca, vt tangat rei substantiam.*
9 *Valide contracta hypotheca procedi potest ad alienationem absque alia solemnitate.*
10 *De ratione, ob quam habentes assensum præferantur.*
11 *De absurdo quod vigeat, & an sit considerabile.*
12 *De incapacitate Hebræorum possidendi stabilia, an procedat in hypotheca ad effectum exercendi saluianum super stabilibus.*
13 *Quale ius acquiratur per saluianum, & quid illud importet.*
14 *Quare in prohibitis, etiam saluianum, vel simile remedium non debeat competere.*

DISC. CLI.

1 PRÆSVPPOSITIS *iis*, quę *in* ista controuersia habentur supra *disc.* 13; Cum in repropositione causæ, tam Scribentes pro creditoribus tempore anterioribus, quam Iudices, qui eorum partes sequebantur, *insisterent in* distinctione, de qua cæteris relatis, haberur in ibi allegata *Amerina coram Roias decis.* 161.205.230. & 261., inter hypothecã generalem, & specialem, quasi quod, stante comprehensione hypothecæ, sub alienationis prohibitione *in* Apostolicis Cõstitutionibus contenta, super bonis iurisdictionalibus, ea intelligenda esset de speciali, non autem de generali, atque pro consueto abusu, remanendo in hac superficie, non inquirendo distinctionis principium, vel rationem, siue effectus, ad quos tradi solet, illa placitum haberet.

Hinc proindè scribẽs pro creditorib' 2 posterioribus habentibus assensũ (etiam cũ sensu veritatis), dicebam quod distinctio, est quidem vera, in casibus, ac effectibus suis, clarum verò æquiuocum, pro meo iudicio videbatur, illam indefinitè amplecti, atque ad omnes effectus trahere, præsertim ad istum concursus, super ipsorum bonorum substantia, & proprietate, siue super pretio, quod ex facto 3 Principis, verè, ac in omnibus ipsorum loco subrogatum est, eorumque naturam habet, dum vltra generalia, quæ habentur *supra disc.* 35. ac etiam *dicto disc.* 13. *& sub tit. de emphyt. disc.* 58. de pretio succedente loco rei, quando factum Iudicis accedat; In his specialibus terminis bullæ Baronum, id est receptissimum, ac indubitatum, ob expressam transfusionem omnium vinculorum in pretiũ, ipsorumqo; mnimodã libertatem, vt pluries aduertitur in materia eiusdẽ bullæ *sub tit. de feud.*, Multo vero magis, quãdo huiusmodi legi generali, accedit altera specialis, imo indiuidua per chirographũ Pontificium, vt in præsenti accedebat.

Quare, pro huiusmodi æquiuoco elucidando, adhibebam consuetam casuum, siue effectuum distinctionem, quæ pro meo iudicio, in omnibus ferè quæstionibus

4 bus forensibus, hodie præcisè necessaria videtur, ad euitandum huiusmodi incursum, qui connaturalis esse solet, vbi adhibeatur stylus procedendi cum generalitatibus; Ac propterea, quatuor casus, siue effectus distinguebam.

Primò nempè, vbi agatur de incursu pœnarum in eisdem Constitutionibus cõtentarum, ob alienationis, vel alterius contractus celebrationem, contra earum formam; Secundo vbi de concursu creditorum inter se, qui sint æqualis conditionis, quia nempe omnes sint sine assẽsu; Tertiò vbi de eorumdẽ creditorũ concursu super ipsis bonis iurisdictionalibus, seù alias prohibitis contra ipsum debitorem, vel eius successorem vniuersalem, vel particularem, aut alias dicta bona possidentem, absque legitimo titulo particulari translatiuo dominij, cum assensu, seù licentia ad formam Constitutionum; Et quartò demum, vbi sit concursus (vt in præsenti) inter creditores, partim cum assensu, et partim sine.

Ad primum effectum, admittebam distinctionis veritatem, quoniam cum etiam in prohibitis, rectè cadere valeat 5 hypotheca fructuum, siue commoditatis, quæ consideranda venit tanquam ius merè personale, ac nudi facti, quod nullatenus ipsorum bonorum substantiam tangat, *vt pluries sub tit. de Feud. præsertum disc. 61. & sub tit. de emphiteus. disc. 44.*, & alibi; Hinc rectè ad euitandum pœnarum incursum, etiamsi hypotheca generalis ad exercitium deducta esset super ipsis bonis, per aliquod remedium seù interdictum possessorium, dici potest, vt id practicatum sit super fructibus, seù commoditate, quodque ita pro validitate actus, euitandisque pœnis, obligatio intelligenda sit, dum etiam in feudis alijsque prohibitis, receptum est, vt ista commoditas sub prohibitione non cadat, ex pluries insinuatis locis citatis, ac etiam, *sub titul. de pension.*, quarum quotidiana praxis id docet.

Ac etiam quia, allegari potest alterum motiuum voluntatis, insinuatum *eodem disc. 13.*, vt sub generali obligatione non veniant bona prohibita, ex deficiente voluntate, cuius defectus bene allegari potest in casu hypothecæ generalis, non autem vbi ea sit specialis, et consequenter dictinctio rectè intrat, ac operatiua est.

In secundò atem casu, concursus omnium creditorum æqualis conditionis absq; assensu, tũc nimium refert, vt quoad 6 eos dici valeat quod hæc bona iurisdictionalia, more aliorum indifferentium, his Constitutionibus non obstantibus, cadant sub hypotheca generali, ad effectum, vt super concursu in eorum fructibus, vel etiam super pretio, ad instar eorum quæ disponuntur per bullam Baronum, intret regula *qui prior &c.*, ad euitandam æqualitatem concursus, vel contributi, si huiusmodi bona nullatenus caderent sub hypotheca, quoniam tunc posteriores rectè dicere possent, quod cum respectu huiusmodi bonorum, omnes essent chirographarij, atque in sola actione personali, inter quos non datur ordo temporis, ità æqualis omnium esse deberet concursus, vel fortuna, vt verius in puncto iuris esset in illis bonis fideicommissarijs, vel feudalibus, quæ ex speciali iure bullæ Baronum vendi contingat, nisi eadem bulla disponeret, vt anterioritatis, ac potioritatis ordo seruari deberet; Isto etenim casu, atque ad istum effectum, rectè allegari potest per anteriores, comprehensio huiusmodi bonorum sub generali hypotheca, compatibiliter cum prohibitione, respectu scilicet fructuum, vel commoditatis, vel etiam respectu pretij, quod non succedit loco rei, dum ad ipsam rẽ, creditoris posterioribus exclusis, competere non potest regressus iuxta distinctionem *de qua d. disc. 58. de emphyt.* & alibi pluries.

In tertiò casu, in quo creditores solam generalem hypothecam habentes absq; assensu, eam exercere velint in ipsis met bonis iurisdictionalibus, seù prohibitis, contrà ipsum principalem debitorẽ, vel eius vniuersalẽ, seù particularẽ successorẽ 7 qui allegare non possit legitimam dominij translationem, cum assensu, seù Principis potestate; Et tunc, vbi istud exercitium hypothecæ non concernat ipsorum bonorum substantiam, vel proprietatem, sed solum fructus, vel commoditatem, putà quia, iuxtà frequentiorem

cou-

contingentiam, intentetur iudicium faluiani, vel *associationis*, ad effectum sibi satisfaciendi de fructibus, iuxtà ea, quæ habentur *sub tit. de emphyt. disc.* 44.; Et tunc pariter prodest comprehensio bonorum sub hypotheca generali, dicta prohibitione non obstante.

Vbi verò non agatur de his casibus, vel effectibus, sed de quarto casu, vel effectu, (qualis est ille præcisus controuersiæ), quod scilicèt exercitium hypothecæ cadat super ipsorum bonorum
8 substantia, & proprietate, ad effectum ea vendendi, vt ex pretio creditores iuxtà eorum ordinem dimittantur, vel vbi ex facto superioris venditio ad hunc effectum iam sequuta sit; Et tunc ista distinctio, inter hypothecam generalē, & specialem, verè idealis est, nulliusque operationis, quoniam eatenùs admittitur, vt hypotheca generalis, sub huiusmodi prohitione non cadat, quatenùs illa exercibilis non sit in ipsorum bonorū substātia, & proprietate, adeout ad subhastationē deueniri nō valeat, sed eatenùs permissa dicatur, quatenùs per eā nō trāsferatur ius aliquod in re, vel ad rem, sed remaneat hypotheca solum exercibilis in fructibus, vel cōmoditate, iuxtà tertium casum, de quo supra, vt ità declarando præcedentes *decis.* 205. & 230. supra allegatas, benè firmatur *in d. decis.* 261. *coram eodem Roias*, quæ meritò in hac materia magistralis reputatur, nèdum ob ibi recensitas auctoritates, ac rationes, sed etiam, quia prodijt, tam ex iudicio Rotæ, quàm etiam ex illo totiùs Signaturæ Gratiæ.

Cum etenim in eo casu, in prima decisione edita *coram Verospio* 19. *Aprilis* 1641., ac etiam *in altera decis.* 161. *coram eodem Roias*, admitteretur etiam in prohibitis, cum dicta distinctione, validitas hypothecæ generalis, ad solum tamen effectum exercitij in fructibus, vel commoditate, non tamen in substantia, vel proprietate; Postmodùm verò in subsequentibus resolutionibus 205. & 230. dictum esset, vt eadem hypotheca exercibilis quoque esset in proprietate, idque vniuersæ Curiæ exorbitans visum esset; Hinc proindè, habitus fuit recursus ad Signaturam Gratiæ, coram *Innocentio X.*, atque cum matura discussione materiæ, concorditer conclusum fuit id, quod reformando dictas decisiones, firmatur *in d. dec.* 261., post. modùm edita.

Et meritò quidem, quoniam, eò ipso quod damus, vt hypotheca afficiat rei substantiam, atque tribuat creditori ius in re, vel ad rem, tunc perneceſsè ipsius rei alienationem saltim fictam, ac impropriam id importare dicitur; Quinimò etiam veram, ac propriam,
9 ad quam, ob hypothecæ validè impositæ exercitium, absque alia solemnitate, vel assensu, deueniri potest, vt *per Camer. in l. Imperialem pagin.* 49. *litt. A. & pag.* 50. *litt. N. in magnis, Pistor. lib.* 1. *qu.* 15. *num.* 39. *& seqq. Duard. de cens. §.* 1. *quæst.* 7. *num.* 53., & communiter.

Et consequenter, ità prohibitiones remanerent de vento, nimiumque de facili eludi possent, ità contrahendo hypothecam generalem sine aliqua licentia, cum ea validè constituta, de consequenti resultet, pro eius exercitio, facultas vendendi; Ac propterea ista distinctio, remanet solum verificabilis, pro supradictis tribus casibus, vel effectibus, non autem pro isto, cum id continere videatur implicantiam manifestam in terminis.

Accedente etiam alia viua ratione, latiùs expensa *sub tit. de feud. disc.* 78., ac alibi pluries, quod scilicèt in huiusmodi bonis prohibitis, *illi* qui de assensu solliciti sunt, *sequi* dicuntur, potiùs fidem
10 ipsius Principis, vel domini assentientis, quàm debitoris hypothecantis, atq; ità tanquam primi cum ista fide contraxerunt, aliàs non contracturi, vndè propterea, dicta publica fide elusi remanerent, vt etiam pluries aduertitur *sub tit. de Regal.* ad materiam officiorum, & locorum montium, ideoque ex pluribus, ista mihi videbatur germana veritas.

Aliqui, cum solo ingenio naturali discurrendo, exagerabant magnum absurdum, quod exindè resultare posset, quia nempè Baro, huiusmodi bonorum iurisdictionalium possessor, postquā magnū
11 æs alienum contraxerit, quod integrum assem absorbeat, ità posset omnes creditores eludere, contrahendo noua debita cum assensu; Verùm istud motiuū, quod apud plerosque plausum habere videbatur,

tur, iuxtà iuris regulas, omninò contemptibile erat, solumque deducibile apud rusticos, siuè vbi, neglectis regulis iuris scripti, procedatur cum solo discursu, vel lumine naturali, non autem, vbi per iuris tramites iudicandum est, quoniam idem inconueniens rectè dari potest indies, etiam in quibuscumque priuatis debitoribus, eorumque liberis, ac indifferentibus bonis, dum ille, qui magnam æris alieni molem in sola actione personali contraxerit, contrahere potest noua debita cum hypotheca, quæ omnia præcedentia vincant, et tamen id in iure passim admissum est, vt praxis frequenter docet in camporibus, & negotiatoribus, vt in præcedentibus insinuatur; Non per hoc tamen est motiuum, quod releuet, vel attendi debeat vtpotè nulli iuridico fundamento innixum.

Alij scribentes pro hac eadem parte creditorum habentium assensum, ad probandum, quod sub prohibitione alienationis in huiusmodi bonis, veniret etiam hypotheca, seù quod incapaces ad obtinendum sine assensu bonorũ
12 dominium, essent etiam incapaces obtinendi super eis hypothecam, ponderabant ea, quæ habentur firmata *per Rotã in Romana, seù Nepesina saluiani 27. Iunij 1664. coram Verospio*, super puncto, vt Hebręi qui in Vrbe ex Apostolicis Cõstitutionibus sunt incapaces dominij, & possessionis bonorum stabilium, vel iurium in eis, excepto solum illo inquilinatus iure, quod inter eos *Gazagà* nuncupatur, cuius mentio habetur præsertim *sub tit. de Locat. disc.* 10., ac etiam enunciatur *sub tit. de Vsur. disc.* 6., incapaces quoque sint exercendi in bonis stabilibus eorum debitorum in vim obligationis generalis, vel specialis, interdictum saluiani, vel aliud simile remedium reale, seù rei persecutorium.

Quamuis autem istud simile, de stricta iuris censura non videretur subsistere, ideòque illis I.C., qui cum veris ter-
13 minis, ac rigoribus legum procedunt, dictæ resolutiones parum probabiles viderentur; Et meritò quidem, ex ea ratione quod istud remedium, nullum ius, neque in re, neque ad rem tribuit, minusque à possessore dominium, vel possessionem aufert, neque in creditorem obtinentem transfert, cum solam tribuat simplicem tenutam, seù detentionem legalemque administrationem, qua mediante, creditor ità immissus, tanquã procurator, vel administrator debitoris, fructus percipiat, eosque sibi ipsi in satisfactionem crediti applicet, ex ijs, quæ habentur *eodem tit. de Locat. disc.* 38.; Vndè propterea resultat receptа cõclusio, quod per hanc immissionem in saluiano, euictio sequi non dicitur; Atque rectè congruere videntur eadem, quę de hypotheca, seù alienatione commoditatis bonorum feudalium, aliorumq; prohibitorũ insinuantur supra, ac etiam *d. disc.* 13., & pluries *sub tit. de feud.*, & sub altero *de empphyt.*, ac etiam *sub tit. de Pension.*, & alibi.

Attamen ponderabam, quod spectato effectu de facto, siuè spectato fine, ob quem ista prohibitio, seù incapacitas
14 prodijt, attendendo potiùs substantiam voluntatis legislatoris, quàm huiusmodi verbales formalitates, seù legales subtilitates, resolutiones censendæ potiùs essent probabiles, nè aliàs ità legibus, ac prohibitionibus fraus fieret, cum sub hoc pallio, seù prætextu, possent incapaces, de facili legem eludere, atq; de facto bona prohibita obtinere, dum iure crediti fructiferi, pro aliquibus iam decursis fructibus, ex hoc remedio, vel simili, obtinere possent eam, quam in Curia dicimus immissionem, seù possessionem, illamque perpetuò retinere, dum ob deductionem, quam creditor ex fructibus currentibus singulorum annorũ, facere potest pro fructibus, & vsuris pariter currentibus, (quæ frequentiùs maiores esse solent, quàm sint ipsorum bonorum stabilium fructus), nunquam verificaretur implementum causæ, ob quam talis immissio data sit, atque ità de facto perpetuò eorum possessor remaneret; Et consequenter, quod simile, benè quadraret, seù aptaretur.

Ideoque huiusmodi personis incapacibus, cõgruere videatur ea, quæ habentur *sub tit. de feud.* in creditoribus assensu destitutis, vt Iudicis officium implorare possint, ad cogendum ipsum debitorem, vel etiam successorem, qui titulum onerosum non foueat, vt bona vendat, ad effectum, vt ex pretio redacto in pecu-

stiam in qua eadem incapacitas non obstet, satisfactionem obtinere valeant; Sicuè iuxtà ea, quæ habemus in incapacitate manus mortuæ obtinendi bona emphyteotica, cum similibus, non autem, vt ipsorum bonorum incapacibus, sub prætextu hypothecæ, quamuis generalis, acquiri valeat ius reale, quod percutiat ipsorum bonorum substantiam, ipsisque bonis impressum sit, in concursu eorum, qui per Principem, vel alium ad id potestatem habentem, capaces effecti sint, atque ius reale in ipsis bonis, eorumque substantia acquisierunt, ac in eis, vt vulgò dicitur, eorum bullum, seù stigmata impressserunt, tanquam in re, quæ aliud bullum, seù stigma non habeat; Istaque est vera, germanaque ratio, quæ huiusmodi cõcursum omninò improbabilem reddit, cum alias lex, verbis potiùs, quàm rebus imposita diceretur, atque nimium de facili ità eludi posset; Adhuc tamen decisio pendet, dum causa, ob varia accidentia non fuit proposita.

SVMMA
SIVE
COMPENDIVM

Eorum, quæ magis in foro practicabilia, habentur in hoc Lib. VIII. De Credito, & Debito.

INDEX RVBRICARVM.

I.

Proemialia. *à num. 1. ad 3.*

II.

De existentia, vel sufficienti probatione crediti, vel causæ debendi de facto. *à numer. 4. ad 40.*

III.

De veritate, seù probatione crediti de iure, quatenùs illa facti accedat, an scilicèt creditum, vel debitum benè in facto probatum, de iure sit efficax, vel experibile. *à num. 41. ad 54.*

IV.

De exceptionibus, quæ debitori competant aduersùs debitum, eiusque obligationem, quamuis de facto, & de iure probata sit, & efficax ad eam elidendam, vel modificandam. *à num. 55. ad 66.*

V.

De debito alieno, quod fideiussor, vel expromissor proprium effecerit; Et de exceptionibus, quæ fideiussori, vel expromissori competunt; Et de assecurationibus, & assecuratoribus. *à numer. 67. ad 119.*

VI.

De actione, vel ordine iudicij, ad effectum cogendi debitorem, vt creditori soluat, quod debet. *à num. 120. ad 170.*

VII.

De debiti extinctione, vel cessatione, seù alia debitoris liberatione. *à numer. 171. ad 245.*

VIII.

De repetitione eius, quod per debitorem creditori indebitè solutum sit. *à numer. 246. ad 249.*

IX.

De debito, vel obligatione vnius, quod ex alterius obligatione, vel contractu resultet. *à num. 250. ad 266.*

X.

De concursu creditorum, eorumque priuilegijs, siuè anterioritatis, ac potioritatis ordine, ac eius, quod iam posteriori, quæ solutum est, auocatione anteriori competat. *à num. 267. ad 361.*

SVMMARIVM.

I.

1 *Genericum nomen crediti, & debiti quid contineat.*

2 *Quæ tamen species crediti, & debiti in hoc libro contineatur.*

3 *Diuisio operis.*

II.

4 *Materia probationum non habet certam regulam, sed est remissa Iudicis arbitrio pro facti qualitate.*

5 *De varijs probationum generibus, vel speciebus, de quibus agitur.*

9 *Confessio est optima probatio, & omnem aliam speciem superat.*

7 *Debitum confessatum coram Iudice, habet exequutionem paratam.*

8 *Extraiudicialis parte præsente plenè probat.*

9 *Parte verò absente probat de canonica æquitate, non autem de iure ciuili.*

10 *Quid de contenta in epistola familiari directa tertio.*

11 *Debet tamen rigorosè probari per testes benè conteστes.*

12 *Debet esse clara, non autem dubia, vel æquiuoca, & in dubio pro confitente.*

13 *Attenditur in ijs, quæ pendent à facto, vel animo confitentis, non autem si in puncto iuris.*

14 *Excluditur per errorem, vel dolum, seù*

metum, sed id debet probari concludenter.

15 Confessio eius, qui est prohibitus disponere, vel se obligare, non attenditur.

16 Nisi veritatis adminicula concurrant.

17 Confessio tutoris, vel Prælati, seù administratoris, vel procuratoris, quando præiudicet.

18 Instrumentum publicum facit probationẽ probatam, et vbi agatur de materia instrumentorum.

19 De scripturis priuatis, earumque recognitione.

20 Et de materia trini testis requisiti in scripturis priuatis.

21 De scriptura contenta in folio subscripto in albo.

22 De partitis bancorum, vel tabularum.

23 Distinguuntur species librorum.

24 Liber proprius probat contrà scribentem, Et quid de memoriali.

25 An possit diuidi, & acceptari in sola parte contrà scribentem, non autem prò, distinguitur.

26 An confessio possit diuidi.

27 Declaratur conclusio, seù distinctio, de qua num. 25.

28 Libris proprijs non defertur pro scribẽte.

29 Fallit in libris Principis.

30 Ac in illis gabellariorum, & Appaltatorum, ac similibus.

31 De limitatione regulæ, de qua num. 28., vt etiam proprijs credatur.

32 De limitationis declaratione, et quando non deferatur libris, quibus aliàs esset deferendum.

33 De libris tertij, an probent pro tertiò contrà tertium.

34 De distinctione inter libros mercatorum, & illos merè priuatarum personarũ.

35 De fide præstanda testibus; Et quando duo non sufficiant, sed maiores desiderentur, et è contra etiam vnico deferatur.

36 De probatione præsumptiua, seù adminiculatiua per coniecturas, & adminicula.

37 De probatione per iuramentum, ac tripliciti iuramentorum specie, & præsertim de iuramento decisorio, & suppletiuo.

38 De iuramento in litem.

39 Probato credito in genere, quomodo probetur quantitas, vel qualitas.

40 De regula generali in materia probationis, & præsertim circa illam per confessionem.

III.

41 De infectione debiti ob inualiditatem contractus, vel obligationis, et vbi de hoc agatur.

42 De personis prohibitis contrahere, & se obligare, vt sunt pupilli, furiosi, prodigi, & similes.

43 Iuramentum hanc obligationem non substinet, & quando sebstineatur.

44 Quando etiam maiorum, & habilium obligatio corruat ob metum, vel dolum, vel errorem.

45 De obligatione facta in carceribus.

46 De obligatione simulata, & quando simulatio inficiat obligationem.

47 De obligationibus minorum.

48 De illis filiorum familias, & de Macedoniano.

49 Et de illis mulierum, & de Velleiano.

50 Iuramentum quando tollat infectionem actus.

51 Quid operentur leges municipales.

52 De obligatione religiosi professi.

53 De inualidis obligationibus, vel contractibus contrà bonos mores, vel turpitudinem continentibus.

54 Et de ijs obligationibus, vel contractibus, qui fiant super feudis, vel Regalibus, & alijs, quæ non sint in libero commercio.

IV.

55 De exceptione non numeratæ pecuniæ, vel rei non traditæ quando intret, necnè, & de limitationibus.

56 De exceptione rei non traditæ.

57 De exceptione illiquiditatis.

58 De altera redditionis rationum, vbi debitum ab administratione pendeat.

59 De moratoria concessa per Principem, vel Magistratum, seù maiorem partem creditorum.

60 De exceptione hostica, vel illa publici Magistratus, vel nouendij luctus.

61 De exceptione super qualitate bonorum, vt non possint aliqua exequi, nisi prius excussis alijs, & quid de specialiter hypothecatis.

62 De beneficio nè vltrà quàm &c. seù deducto &c. ratione reuerentiæ, vel charitatis, vt in parentibus, filijs, fratribus, viro, & vxore, & donatore;

natore; Et quod non competat vbi creditor sit etiam pauper.

63 De eodem priuilegio in clericis, & militibus, vel nobilibus, & magnatibus.

64 De quæstionibus in hoc priuilegio, seu beneficio cadentibus.

65 De exceptione vsurariæ prauitatis.

66 De illa legitimationis personæ.

V.

67 Quarè materia fideiussorum cum creditoribus in conuentionalibus rara sit.

68 Fideiussor obligatus tanquam principalis, & insolidum, quoad creditorem est principalis correus.

69 Sed quoad eum, ad quem principaliter debitum pertinet, dicitur fideiussor.

70 In casu de quo numer. 68. non intrat necessitas excussionis principalis debitoris.

71 De materia exceptionis cedendarum, & an hæc intret vbi fideiussor se obligauit iuxtà modum, de quo num. 68.

72 Quomodo eadem conclusio, de qua dicto num. 68. intelligenda sit.

73 De exceptione, vel beneficio excussionis competente fideiussori, & de casibus, in quibus non competat.

74 De eadem excussione quando facta legitimè dicatur.

75 De alia excussione, quæ proueniat ex lege conuentionis.

76 Fideiussio strictè intelligenda est in casu præciso, & non extenditur, vt data pro conductione, vt non extendatur ad reconductionem, & de officiali prorogato, cum similibus.

77 Fideiussor administrationis pro certa summa intelligitur de residuali post redditas rationes, ideoque non liberatur per solutiones administrationi pendente.

78 Datis pluribus fideiussoribus eiusdem debiti pro summis distinctis, an debitor solutionem partis facere possit, vt vnum, & non alterum debitorem liberet.

79 Declaratur ista conclusio, quando procedat, & quando non.

80 Obligatio fideiussoris restricta ad certum casum non afficit, non probata purificatione casus.

81 An, & quando creditori negligenti cogere principalem debitorem, denegetur regressus contrà fideiussorem.

82 Fideiussor obligatus ad certum factum, putà, ad præsentandum personam, vel ad exhibendum bona, liberatur per mortem personæ, vel peremptionem bonorum.

83 Fallit vbi mora accedat.

84 Liberatur fideiussor de præsentando debitorem, si facto creditoris aufugit, aut si mutauit statum.

85 Quid vbi id contingat facto Iudicis.

86 De Statuto Ianuæ perimẽte obligationem fideiussoris per lapsum certi temporis, & laudatur.

87 An moratoria, vel aliud priuilegium concessum debitori suffragetur fideiussori.

88 An existente nulla obligatione principalis debitoris, corruat illa fideiussoris.

89 An bulla Baronum locum habeat in debito alieno, & fideiussorio.

90 An, & quando per nouationem liberetur fideiussor.

91 De obligatione fideiussoris restricta ad barattariam, vel certum casum culposum.

92 An tempus obligationi fideiussoris adiectum, stet causa dilationis, vel extinguendi obligationem.

93 Solutione simpliciter facta, ea refertur ad liberandum fideiussorem.

94 Quando id non procedat.

95 Fideiussor, qui totum soluit reportata cessione, an contrà vnum, vel aliquos confideiussores agat insolidum, vel potius teneatur diuidere actionẽ.

96 De cessione fideiussori facienda, quod sit necessaria, & fieri possit ex interuallo, & quando secùs.

97 Fideiussor docere debet de solutione, & quomodo, vt actionem releuationis habeat cõtra principalem debitorem.

98 An, & quando fideiussor agat contra principalem, vt eum ab obligatione eximat.

99 Fideiussor expensarum, vel de iudicio sisti in vna instantia, an teneatur pro altera, vel vbi in vna principalis sit absolutus.

100 An fideiussore mortuo, vel aliàs eius statu immutato, alter fideiussor debeat subrogari.

101 Assecuratio est species fideiussionis.

102 Strictè intelligitur, & non extenditur de naui ad nauim, vel ab vno itinere ad aliud, seù de loco, aut casu, vel tempore.

103 *De assecuratione seù laudatione personæ, quando fideiussionem importet.*

104 *De consulatu maris continente leges nauigationis, & assecurationis.*

105 *Quales propriè sint istæ leges vbique obligatoriæ.*

106 *De deductione octauæ partis ab assecuratore, quomodo procedat.*

107 *Quando, & quomodo duplex assecuratio sit prohibita.*

108 *De barattaria, quæ in assecurationibus excepturi solet, qualis sit.*

109 *An, & quando assecuratores non teneantur pro culpa nauarchi, seù vectoris.*

110 *Quid de culpa præpositi, vulgò* sopracarico.

111 *Quid de casibus insolitis verisimiliter non præuisis.*

112 *An valeat assecuratio facta de tempore, quo iam casus naufragij contigerat.*

113 *Et quid in sponsionibus.*

114 *De probatione sequuti casus, quomodo fiat.*

115 *Et de probatione onerationis mercium, earumque qualitate, & quantitate, ac de fide præstanda Scribæ nauis.*

116 *An attendi debeat in mercibus assecuratis valor loci à quo, vel ad quem.*

117 *Si diuersæ sint merces cum diuerso valore constituto, an extantes compensari debeant cum peremptis.*

118 *De processu executiuo, seù actione assecuratis competente contra assecuratores.*

119 *De assecuratione pecuniæ datæ ad cambium maritimum.*

VI.

120 *De actionibus, vel iudicijs, & remedijs creditori contra debitorem competentibus.*

121 *Processus executiuus non intrat nisi in casibus in iure expressis, in alijs autem ordinariè proceditur.*

122 *Etiamsi agatur de instrumento publico, & iurato.*

123 *De remedijs saluiani, & associationis an sint executiua de iure ciuili.*

124 *Quid de iudicio in actione hypothecaria.*

125 *Ius canonicum quid in hoc disponat.*

126 *De Constitutione AEgidiana reintegrãte iuris ciuilis dispositionem.*

127 *Non procedit cum personis, & bonis ecclesiasticis.*

128 *Magis communiter ex legibus particularibus, vel conuentionalibus processus executiuus præsertim instrumentis competit.*

129 *De obligatione in forma Cameræ.*

130 *De Ritu M. C. V. super liquidatione instrumentorum, eiusque forma.*

131 *Non debet seruari in Curijs ecclesiasticis.*

132 *Quarè adhibeatur contra debitores vsus censurarum, & quando intret.*

133 *De obligatione guarantigiata.*

134 *De obligationibus penès acta, & de partitis, vel apocis banci.*

135 *Debitum confessatum coram Iudice est executiuum.*

136 *Depositum, fisci, & Ciuitatis debitum, ac omnia, quæ celeritatem desiderãt, sunt executiua.*

137 *Alimenta quando hoc priuilegium habeant.*

138 *De via executiua litterarum cambij, & apodissarum mercantilium, ac rebus nundinalibus, & pensionibus domorum, ac pensionibus ecclesiasticis.*

139 *Quæ nam sint exceptiones, quæ in his executiuis iudicijs admittantur.*

140 *Damnatur vsus relaxandi executoriales, nulla præuia citatione.*

141 *An, & quando contra hæredem competat via executiua.*

142 *Quando in executiuis liceat variare.*

143 *An creditor teneatur prius excutere bona specialiter obligata, & quando, & qui ordo in executione bonorum teneri debeat.*

144 *Contrà donatarium vniuersalem, an procedatur executiuè.*

145 *Contrà tertium possessorem regulariter hic processus non competit, quod declaratur.*

146 *De casibus, in quibus ex legibus particularibus locorum, procedatur executiuè contra tertium, in Vrbe scilicèt pro dote, & in Sicilia pro censibus.*

147 *Regulariter contra tertium non competit actio executiua.*

148 *An, & quando creditori in sola actione personali detur actio contra tertium.*

149 *De actione vtili in rem verso, vel negotiorum gestorum, an, & quando contra tertium competat.*

150 *De actione, vel remedio competente contra tertium ex bulla Baronum.*

151 *De*

151 *De remedijs realibus, vel rei persecutorijs, hypothecario creditori contra tertium possessorem bonorum debitoris competentibus, & quot sint, & præsertim de actione hypothecaria, et quod non competit super mercibus alienatis.*

152 *In specie de saluiano interdicto, eiusque effectibus.*

153 *Quomodo probari debeant fructus à creditore percepti.*

154 *An teneatur reddere rationem etiam de percipiendis, vel solùm de perceptis.*

155 *De requisitis huius interdicti, & ad quæ bona, & cui competat.*

156 *De remedio associationis, eiusque effectibus, priuilegijs, & requisitis, & de differentia inter ipsum, & saluianum.*

157 *Quando in hoc iudicio intrent eius priuilegia, præsertim illud processus exequutiui.*

158 *An requiratur citatio possessoris.*

159 *De iudicio assistentiæ vsitato in Regno Neapolitano, eiusque requisitis, & effectibus.*

160 *In dicto Regno constitutum, & pactum de capiendo, sunt de stylo apponi solita, ideoque etiam non apposita subintelliguntur.*

161 *Quale remedium propriè assistentia importet, & an admittat appellationẽ.*

162 *An oporteat prius discutere principalem debitorem, vt ad hæc remedia contra tertium deueniatur.*

163 *De iure offerendi competente secundo creditori, vel possessori bonorum debitoris, quando intret, & quid requirat, et quomodo creditum offerri debeat.*

164 *De priuilegio meliorantis in iure offerendi.*

165 *Quid de meliorante, qui rem antiquam deteriorauit, vel destruxit, & an hæc melioramenta cadant sub rei antiquæ hypotheca.*

166 *Idem ius offerendi non competit contra ementem sub hasta, & quid si ipsemet creditor emat.*

167 *Declaratur vbi subhastatio sit valida, secùs autem si inualida.*

168 *Quid offerendum sit, & cuius beneficio cedat intermedium augmentum intrinsecum.*

169 *Via exequutiua vulneratur per sententiam, & quando.*

170 *Cessat item, vel præscribitur per lapsum longissimi temporis, & quando.*

VII.

171 *Solutione eius quod debetur, omnis actio extinguitur, siue sit vera, siue ficta, vel præsumpta solutio, de qua constet.*

172 *De solutione vera, & naturali per restitutionem effectiuam eius, quod acceptum est.*

173 *De factæ solutionis probatione.*

174 *Sufficit soluere ei, cui promissum est, cessante inhibitione legis, vel hominis.*

175 *Quamuis esset Monacus, vel seruus, aut minor, vel filius familias.*

176 *Ità pariter si soluatur eidem procuratori, cum quo initus est contractus, quod declaratur.*

177 *Circa prohibitionem legis, vel hominis, quæ id prohibeat, non datur regula.*

178 *Soluens contra inhibitionem Iudicis, vel mandatum sequestratiuum, ad nouam solutionem tenetur.*

179 *An inhibitio facta ad instantiam vnius, prosit alijs.*

180 *Non afficit ea, quæ fiat per Iudicem incompetentem.*

181 *Minusque si extraiudicialiter per priuatum per viam protestationis fiat operatiua est ad inducendam realem fidem.*

182 *Benè operatiua est, ne soluatur procuratori, vel Monaco, seù administratoribus.*

183 *Debitor soluens non seruata forma solutioni præscripta pro iure, vel interesse tertij, malè soluit, & denuò tenetur.*

184 *Procedit etiamsi agatur de imputatione ipso iure facienda.*

185 *Soluens creditori decocto, malè soluit.*

186 *Idem de decocturo, & quando iste dicatur talis.*

187 *Ista qualitate cessante soluens suo creditori, benè soluit, quamuis sciat, quod sit debitis oneratus.*

188 *Debet esse solutio vera, & effectiua, non autem per confessionem, vel acceptilationem, seù remissionem quoad præiudicium creditorum.*

189 *Quid vbi fiat partis remissio per transactionem.*

190 *Solui non potest amenti, vel prodigo, cui iam interdictum sit, & quando.*

191 *Quid de solutione facta inquisito in frau-*

fraudem confiscationis.

192 *Deponere, vel realiter offerre, an importet solutionem, & de requisitis depositi, vt debitorem liberet, ac de depositi periculo.*

193 *De moneta in qua solutio fieri debeat, vel possit.*

194 *An creditor teneatur recipere pecuniam vinculatam, vel debeat eam habere liberam, atque coactus acceptare vinculum, an habeat actionem ad quanti interest contra debitorem.*

195 *Augmentum, vel decrementum monetæ, cuius commodo, vel damno cedat, & quale tempus attendatur, an obligationis, vel solutionis.*

196 *Quid de debito generis, putà, tritici, vini, & olei, ac similium.*

197 *De quæstionibus loci, temporis, & modi, & præsertim in alternatis, vt ante diem solutio petatur, vel in diuerso loco.*

198 *An à tertio creditor solutionem accipere teneatur.*

199 *Si quis debitor est ex diuersis causis, ad quam solutio referri debeat, de pluribus distinctionibus.*

200 *Vbi solutio fieri non potest ipsi creditori, multò minus fieri potest alteri.*

201 *Quid operetur solutio facta anteriori, vel potiori creditori creditoris.*

202 *De solutione facta hæredi, vel procuratori, seù tutori, aut Prælato &c.*

203 *Quid de hærede, vel administratore putatiuo, vel procuratore præsumpto.*

204 *De solutione alteri, quàm verò creditori de mandato Iudicis.*

205 *Solutio facta procuratori, vel administratori debet esse vera, non autem ficta, vel præsumpta.*

206 *De solutionis probatione præsumpta, seù adminiculatiua.*

207 *De præscriptione Statutaria Vrbis, aliorumque locorum per certi temporis lapsum.*

208 *Sufficit autem minus tempus, si alia accedant adminicula ad limites iuris communis.*

209 *Est solum præsumptio, quæ inducitur à statuto, contraria probatione, vel præsumptione elidibilis.*

210 *Non intrat in debito impugnato, vel vbi diuersus solutionis modus allegatus est.*

211 *Intrat etiam aduersus hanc præscriptionem restitutio in integrum ex iusta causa.*

212 *Quæ debita, vel qui alij casus ab hac præscriptione excipiantur.*

213 *An includat forenses, & quando.*

214 *De præscriptione ad normam iuris communis, quæ debitum perimat.*

215 *Quare sit rara praxis huius præscriptionis.*

216 *Debitor principalis nunquam præscribit ratione malæ fidei.*

217 *Quando intret præscriptio non obstante scientia debiti.*

218 *Intelligitur item impedimentum de mala fide vera, non autem præsumpta.*

219 *An mala fides influat etiam in hæredes.*

220 *Datur etiam restitutio in integrum ex capite ignorantiæ, et de subductione temporis ratione pupillaris ætatis, vel alterius impedimenti.*

221 *Quod sit mala cautela præsidium præscriptionis, & quæ sit melior.*

222 *De resolutione debiti, vel obligationis causatiuæ ex cessante causa, nisi adsit delegatio.*

223 *De implicita solutione resultante à compensatione, eiusque requisitis.*

224 *An intret ipso iure, vel fiat ope exceptionis, & quando fiat ipso iure.*

225 *An fieri possit compensatio cum se ipso in præiudicium intermedij creditoris.*

226 *De alijs requisitis compensationis, & quando hæc non intret, & de alijs ad materiam.*

227 *De nouatione priorem obligationem extinguente, & quando.*

228 *Item de concessione facta creditori nominis debitoris, vel alterius iuris, vt eumdem operetur effectum, si pro soluto facta sit.*

229 *An euicta re data in solutum, priora iura reuiuiscant.*

230 *Cessio pro soluendo non extinguit obligationem, neque liberat debitorem.*

231 *Cuius sit periculum inexigibilitatis, an cedentis, vel cessionarij, vbi cessio est pro soluto, & quid vbi exigibilitas sit promissa.*

232 *Exigibilitas iuris semper est præstanda, & quando secùs.*

233 *Vbi cessio est pro soluendo periculum est cedentis, qui per cessionem non liberatur.*

234 *Sed*

234 *Sed cessionarius tenetur ad diligentias, & de qua negligentia teneatur.*

235 *Quid in giratis litterarum cambij, vel in eisdem litteris creditori datis.*

236 *De differentia inter cedulas, & ordines, seù mandata solutionis.*

237 *In dubio cessio præsumitur potiùs pro soluendo, quàm pro soluto.*

238 *De pluribus quæstionibus in materia cessionis cadentibus, ac de iuribus cedentis, vel præiudicijs, quæ cessionario facere potest, & de priuilegijs, ac alijs.*

239 *Liberatio, seù gratuita remissio quando debitorem liberet.*

240 *Quando confessio de recepto operetur liberationem.*

241 *De confusione actionum, vbi creditor succedat debitori, vel è contrà debitor creditori, & de differentia inter vnũ casum, & alterum.*

242 *Quando non intret dicta confusio, & de eius materia.*

243 *De solutione debiti, quæ resultat à solutione vsurarum indebitarum, in sortem imputandarum.*

244 *Quid de culposa peremptione, vel diminutione pignoris.*

245 *Debitore dante simpliciter bona creditori, an in pignus, vel in solutum, & quando pignus transeat in dationem in solutum.*

VIII.

246 *Id quod indebitè solutum est, repetitur, nisi constet de animo donandi.*

247 *Cui incumbat onus probandi indebitum, distinguitur.*

248 *De distinctione inter imputationem ipso iure, vel repetitionis indebiti.*

249 *An detur repetitio illius, quod sit indebitum ex parte soluentis, sit tamen debitum ex parte recipientis.*

IX.

250 *Obligatur quis per procuratorem, vel negotiorum gestorem, & de varijs istorum vocabulis.*

251 *Quando ista obligatio contrahatur, & quomodo.*

252 *De mandato præsumpto, & quomodo probetur.*

253 *Quando gesta vltrà fines mandati valeant, & obligent.*

254 *Procurator non obligat mandantem in ipsius procuratoris causam, neque in causam fideiussoriam pro alio.*

255 *De obligatione mandatarij, seù correspondalis acceptantis litteras cãbij, vel ordines.*

256 *Et quid vbi scribentis, vel mandantis decoctio accedat, an acceptatio obliget.*

257 *Decoctio mandatarij non liberat mandantem ab obligatione per eum contracta, et quando secùs.*

258 *Ratificatio æquipollet mandato, & an fiat retrotractio, & operetur vt nũc, vel vt tunc.*

259 *Quæ de procuratore disposita sunt, in institore, vel complementario, vel negotiorum gestore procedunt.*

260 *Socius obligat socium, & quomodo.*

261 *Societas dissoluitur per mortem, vel mutuum consensum, sed quando hoc non obstante socius obligetur per socium.*

262 *Socius obligat socium in solidum.*

263 *An ille, qui nomen accommodat obligatus remaneat.*

264 *De obligatione ex facto tutoris, vel curatoris, vel Prælati, aut alterius administratoris.*

265 *De obligatione ciuium, vel singulorum ex facto Ciuitatis, vel Vniuersitatis, seù Collegij.*

266 *De obligatione bonorum hæredis ob contractum, vel obligationem defuncti, quando intret, & de obligatione patris ob debita contracta per filium.*

X.

267 *Inter dominum vendicantem rem suam, & creditores possessoris non intrat concursus, vel ratio temporis, aut priuilegij.*

268 *An pretium succedat loco rei, vel res loco pretij, seù res loco rei.*

269 *De Bulla Baronum, ob quam creditores vincunt habentes ius dominij.*

270 *Creditores vincunt etiam possidentes iure dominij habiti à debitore.*

271 *Venditor in re vendita pro pretij assequutione si dominium sibi reseruauerit, omnes vincit emptoris creditores etiã anteriores, & priuilegiatos.*

272 *Declaratur dummodo reseruatio fiat ante venditionẽ, vel contemporaneè.*

273 *De operatione dictæ cautelæ reseruationis dominij, etiam si pars pretij soluta sit, atque pars tantùm debeatur.*

274 *Quid vbi agatur de creditore qui pecuniam dedit pro solutione partis pretij.*

275 *An potioritas de qua num. 271. & seqq.*

competat etiam prouſuris, & fructibus.

276 Venditor dolo per emptorẽ inductus, rem ſuam vendicat, & creditores vincit.

277 Idem ſi emptor tunc decoctus, vel decocturus eſſet.

278 Venditor ſine dicta cautela in re ſua nullum habet potioritatis priuilegium.

279 Quando dicatur facta venditio habita fide de pretio.

280 Tutor, procurator, & adminiſtrator non poſſunt vendere habita fide de pretio.

281 Idem de minoribus, & alijs, quibus aduerſus venditionẽ reſtitutio competat.

282 De potioritate dotis iure vindicationis bonorum, quæ in dotem æſtimata data ſunt.

283 Creditores hypothecarij quantumuis moderni, vincunt chirographarios antiquos.

284 Fallit vbi ratio decoctionis aliter ſuadeat, & de ſtatuto fori Mercatorum Bononiæ.

285 Fallit item vbi intret beneficium ſeparationis bonorum, ob quod creditores defuncti vincũt creditorem hæredis.

286 An in feudis, & alijs probibitis intret hoc beneficium.

287 An creditores vnius patrimonij, vel negotij eiuſdem debitoris vincant alios alterius patrimonij, vel negotij anteriores; Et de concluſione, vt creditores ſocietatis in bonis ſocialibus alios vincant.

288 De æquali hypothecariorum, & chirographariorum concurſu in bonis, quæ non ſunt hypothecabilia, ſed venduntur Iudicis officio.

289 Quarè id non ſeruetur in illis bonis, quæ venditur ex beneficio Bullæ Baronũ.

290 Quod in concluſione, de qua num. 288. deferendum ſit locorum ſtylis.

291 Chirographariorum æqualis eſt concurſus abſque temporis diſcretione.

292 De priuilegio competente creditoribus ex cauſa depoſiti.

293 Quando in depoſitis irregularibus tam quoad periculum, quàm quoad potioritatem dicendum ſit idem quod in regularibus.

294 Creditores ex cauſa oneroſa vincunt alios chirographarios ex cauſa lucratiua.

295 De alijs creditoribus priuilegiatis, qui non veniant in concurſu, ſed præferantur.

296 De illis creditoribus priuilegiatis, qui ſolam perſonalem habentes etiam hypothecarios creditores vincunt.

297 De diſtinctione plurium ſpecierum hypothecæ expreſſæ, & tacitæ, ſeù legalis, & in expreſſa inter ſpecialem, & generalem.

298 Inter creditores hypothecarios ordo temporis attenditur, atque prior in tempore, potior eſt in iure, nulla data hypothecarum differentia, an tacita ſit, vel expreſſa, ſeù ſpecialis, vel generalis.

299 Differunt hypotheca expreſſa, & tacita, vt dos poſterior vincat tacitam, ſeù legalem anteriorem, non autem expreſſam, & de ratione.

300 Princeps, vel lex poſitiua, tollere poteſt hypothecas conuentionales, earumq; effectus, ſed non debet.

301 Hypotheca, ſiuè expreſſa, ſiuè tacita non intrat, vbi conuentio Partium, vel diſpoſitio legis eam non inducat.

302 An hæredum bona veniant ſub hypotheca contracta per defunctum.

303 An bona, quæ ſub pœna ſunt prohibita alienari, veniant ſub hypotheca generali.

304 An mobilia domus, & alia manualia veniant ſub eadẽ hypotheca generali.

305 Hypotheca nõ eſt exercibilis ſuper mercibus, & manualibus contra tertium bonæ fidei emptorem.

306 An contra creditorem, cui mobilia, & manualia in verum pignus data ſint.

307 De hypotheca tacita, ſeù legali competente pupillo, & minori contra tutorem, filio contra patrem, mulieri contra virum in extradotalibus.

308 Vt eadem competat amentibus, prodigis, Eccleſijs, & pijs locis.

309 An pro fructibus, vel vſuris competat eadem anterioritas, quæ pro ſorte.

310 Quid de expẽſis iudicialibus, vel extraiudicialibus pro debiti conſequutione.

311 Quando fructuum, vel expenſarum ſtipulatio adeſſe dicatur.

312 Identitas cauſæ reddit æquales creditores, quamuis tempore inæquales.

313 Poſteriores ex cauſa refectionis, vel conſeruationis, vel acquiſitionis, ſunt potiores anterioribus.

314 Quid requiratur vt hæc potioritas intret.

315 De differentia inter credentem ad reficiendum

ciendum, & ad acquirendum.

316 *Regulariter creditor, vel mutuans ad emendum, nisi cautelam adhibeat, non habet potioritatem.*

317 *De potioritate competente mulieri, vel filijs pro dote restituenda aduersùs viri, non autem aduersùs dotantis creditores anteriores tacitam hypothecam habentes.*

318 *De potioritate fisci in bonis posteà quæsitis, in aliis autem habet hypothecam legalem à die susceptæ administrationis, & cui fisco id competat.*

319 *De potioritate maioris fisci ex causa primipilari, & an Barones, & inferiores domini hoc priuilegium habeant.*

320 *An dictum fisci priuilegium in bonis posteà quæsitis procedat fauore dotis.*

321 *De aliis creditoribus priuilegiatis, vt potioritatem aduersus anteriores habeant.*

322 *Quid agendum sit inter æquè priuilegiatos, & quando vnus alium vincat, & præsertim de mutuante ademendum cum cautela, & de expensis necessarijs.*

323 *An creditores ex causa onerosa, vincant anteriores ex causa lucratiua.*

324 *Quando creditor posterior, de cuius pecunia dimissus est anterior in istius locum succedat, atque medium vincat, & de differentia inter actorem, & reum.*

325 *An hæc subintratio suffragetur pro vsuris ex posteriori contractu debitis.*

326 *De remissione pignoris ob consensum alienationi præstitum, licèt denuò fiat debitoris.*

327 *An remissio facta in gratiam vnius creditoris præiudicet quoad alios.*

328 *Data æqualitate potior est conditio possidentis.*

329 *De concursu inter cedentem, & cessionarium, vel plures cessionarios eiusdem creditoris.*

330 *Posterior habens instrumẽtum publicum, quando præferatur anteriori cum scriptura priuata.*

331 *De cessione non suffragante nisi pro summa soluta ad text.* in l. ab Anastasio.

332 *Hypotheca non capit nisi bona de dominio debitoris, & quid de eorumdem bonorum fructibus.*

333 *Creditor non exercet eius iura ad bona debitori delata, sed non agnita, & quod debitor possit non agnoscere, & quando hoc procedat.*

334 *In feudis, aliisque prohibitis anteriorias regulatur ab assensu; ideoque posteriores creditores cum assensu vincunt anteriores eo carentes.*

335 *Quid in creditoribus hæredis cum creditoribus defuncti.*

336 *An prohibitio alienandi capiat hypothecam ad hunc effectum.*

337 *Quid in pretio ex huiusmodi prohibitorũ bonorum venditione prouenient.*

338 *An id procedat respectu fructuum, vel vsurarum.*

339 *Quale remedium ad hæc differentia bona cõpetat creditoribus sine assensu.*

340 *Quæstiones auocationis pecuniæ solutæ, sunt frequentes, atque laudatur stylus liberandi pecunias primò venientibus cum cautione, vel inuentario.*

341 *Qui agit ad auocationem contra eum, qui cautionem restituendi dedit, probare se debet anteriorem, vel potiorem.*

342 *Pecunia soluta cum dicta cautione habetur pro extante, acsi soluta non esset.*

343 *Idem de solutione facta per decoctum, vel decocturum.*

344 *Quando quis dicatur decocturus.*

345 *Hæres tenetur soluere præstita per creditores cautione de restituendo, quæ recusari non potest.*

346 *Et soluendo liberè, tenetur denuò soluere, ac inuentarium non suffragatur.*

347 *Et nihilominùs creditoribus anterioribus datur actio auocationis contra dimissos.*

348 *De regula vt cessante mala fide, non detur auocatio pecuniæ ab ipso integro debitore solutæ, & bona fide consumptæ.*

349 *Fallit vbi agitur de solutione facta sibi ipsi, vel per tertium.*

350 *Vel vbi omnium creditorum æqualis fuerit diligentia.*

351 *De auocatione competente fisco, vel dotì aliisque priuilegiatis.*

352 *Vbi auocatio competit ex dispositione legis, nõ autẽ ex obligatione, proceditur ordinariè, et nũ cõpetit nisi in subsidiũ.*

353 *Secùs vbi adsit dicta obligatio, cum tunc procedatur exequutiuè, & sine excussione.*

354 *An sit seruandus ordo super auocatione, vel potiùs electio sit creditoris anterioris.*

355 *Cuius sint fructus inuestimenti ex pecunia soluta, & auocabili, & cuius augmentum, vel decrementum.*

356 *Creditor qui auocationem patitur, regreditur ad priora iura, & an reassumatur antiquus cursus fructuum.*

357 *Anterior, qui in concursu affectauit, ne sibi solueretur, auocationem non habet.*

358 *Quando, & quarè auocationis actio præscribatur.*

359 *Quid vbi ipsa debitoris bona creditori posteriori data sint.*

360 *De debitore petente cessionem bonorum, vel alimenta in carcere.*

361 *An creditoribus detur actio contra illum debitorem, qui sententiam capitalem passus est cum publicatione bonorum, posteaque in gratiam est restitutus.*

PROEMIALIA

Cum diuisione Rubricarum.

CREDITI, & debiti generica significatio, omne id complectitur, quod ab 1 vtroque, Diuino, & humano iure præcipitur, omneque id, quod ad vtramque, distributiuam, & commutatiuam iustitiam pertinet; Ideòque, Dei, & naturæ, pro nostra creatione, conseruatione, ac redemptione, debitores sumus; Ipseque Deus erga homines, eius legem, ac præcepta benè seruantes, æternæ gloriæ, ac temporalium etiam bonorum debitorem, quodammodo se constituit.

Idemque crediti, ac debiti genus, quoad ea, quæ, iuris positiui, vel humani commercij, humanæque vitæ ciuilis sūt, omne id complectitur, quod ex viuentium contractibus, vel morientium dispositionibus prouenit, ideòque omnia, quæ ex vtroque ciuili, & canonico communi, vel municipali iure debita sunt, huic tractationi congruunt.

Quia verò, nimium hanc genericam tractationem, ob humani ingenij imbecillitatem, absque magna confusione practicabilem non esse, antiqui legislatores agnouerunt.

Hinc proinde, varias debendi, atque contractuum, vltimarumque voluntatum 2 species distinguere, prudenter censuerunt, easque sub proprijs titulis, vel sedibus collocare; Sub ista crediti, & debiti tractatione, pro nostro loquendi communi vsu, solum cadentibus ijs, quæ ex humano commercio, per actus inter viuos, in pecunia, vel alio genere, quod functionem recipiat, ex mutuo, vel alio æquipollenti contractu, debita sint, ad iustitiæ commutatiuæ limites; Emptionibus, & venditionibus, permutationibus, donationibus, alijsque huiusmodi; Ac etiam testamentis, legatis, fideicommissis, alijsque, ex morientium dispositione, vel successione debitis, proprios titulos, vel particulares tractationes habentibus.

In nouem autem partes, vel Rubricas, hæc debiti, & crediti tractatio (circa ea quæ forensi praxi magis adaptata hoc libro tractantur) distinguitur; Primò nempè super existentia, & probatione debiti de facto; Secundò super eadem existentia de iure, vt valida, & obligatoria sit debendi causa; Tertiò super exceptionibus, quæ ad eiusdem validæ, ac efficacis obligationis, elisionem, vel modificationem, ipsi principali debitori competant; Quartò super debito eorum, qui alienum debitum, faciant proprium, vt sūt fideiussores, expromissores, laudatores, ac assecuratores, (ità sub hac inspectione, nautica etiam assecuratione cadēte) Quintò super actione, quæ crediori cōpetat, vt debitorem ad solutionem eius quod debet, vrgeat, eiusdemque actionis, vel iudicij natura, seù qualitate; Sextò super eiusdem, alias validę, ac efficacis causæ debendi, cessatione, vel extinctione, per veram vel fictam solutionem, aliumque modū æquipollentem, ex quo debitoris liberatio resultet; Septimò super eius, quod solutum est, repetitione, quando indebitum prætendatur; Octauò super eo debito, quod ex alterius obligatione, vel contractu resultet, puta à socio, procuratore, vel negotiorum gestore, alioue legali, vel conuentionali administratore, siue ab vniuersitate, vel corpore; Et nonò demùm, super plurium creditorum concursu, eorumque priui-

legijs,

legijs, antelationibus, ac potioritatibus, alijsque iuribus, quæ agendo, vel excipiendo, vni pro alterius concurrentis excluſione, competant; Iſtaque vltima inſpectio, omnium latior, ac difficilior dignoſcitur, maiorumque forenſium cõtrouerſiarum, origo eſt, & mater.

Cap. I.

De exiſtentia, vel ſufficienti probatione crediti, vel cauſæ debendi.

FActi potiùs, quàm iuris eſt quæſtio probationis, cuius efficacia, vel con-
4 cluſiua qualitas, certam, ac generalem regulam non recipit, vtpotè remiſſa iudicis arbitrio, ex facti qualitate, ac ſingulorum caſuum circumſtantijs regulando; Iſtaque inſpectio, ſub iudiciorum ſede potius cadit, vbi de teſtibus, ac inſtrumentis, alijsque documentis, ac alijs probationis ſpeciebus agitur pro quacunque materia A.

Quatenus autem ad rem pertinet, Septem frequentiores probationis debiti, & crediti ſpecies dignoſcuntur, de quibus in foro tractari contingit; Primò
5 nempè per confeſſionem debitoris, vel eius negotiorum geſtoris; Secundò per publicum inſtrumentũ; Tertiò per apocã ſeu aliam priuatam ſcripturam; Quartò per libros, vel memorialia; Quintò per teſtes; Sextò per præſumptiones, & adminicula, aliaſque imperfectas probationes, ad vnam perfectam conſtituendam vniendas; Et Septimò per iuramentum, deciſiuum, vel ſuppletorium, ſiue in litem.

Confeſſio autem, vbi emiſſa ſit ab eo, qui contrahendi prohibitionem non habeat, neque referatur errori (qui in du-
6 bio non præſumitur, niſi concludenter probetur), quoties eſt iudicialis, omnem ſuperat ſpeciem probationis, eaque optima, & perfecta dicitur; adeòut cum confeſſo, vtpotè ore proprio iudicato, Iudicis partes eſſe ſolum videantur in exequendo.

Atque hinc manat fortè vbique recepta ſententia, vt debitum coram iudice
7 confeſſatum, ſummariè, ac executiuè petatur. B.

Vbi verò ſit extra iudicium, ipſo tamen creditore preſente, vtriuſque, ciui-
8 lis, & canonici diſpoſitione attenta, plenè probat, & concludit; Eo autem abſente, ex iure ciuili, non niſi ſemiplenè, de-
9 canonica verò æquitate, etiam plenè, iſtaque viget in Romana Curia, atq; in foro Eccleſiaſtico vbique C.

Adeoque iſta æquitas extenſionem ac-
10 cepit, vt etiam ea, quæ contineatur in epiſtola miſſiua tertio conſcripta, attendi quandoque ſoleat, quod tamen diſcretè pro facti qualitate intelligendum venit. D.

Huic autem æquitati admixtus eſt rigor, circa eiuſdem confeſſionis probatio-
11 nem, vt benè concluſa eſſe debeat per teſtes idoneos, beneque conteſtes, de loco, tempore, & verbis, niſi adminicula, vel numerus ſanent, vel ſuppleant teſtium exceptiones, in perſona, vel dicto. E.

Atque ſiue de iudiciali, ſiue de extra-
12 iudiciali confeſſione agatur, vt præiudicet, clara, & vniuoca eſſe debet, non autem ambigua, vel æquiuoca, cum, tunc ad ipſum confitentem excuſandum, omnis poſſibilis, vel compatibilis intellectus; vel *interpretatio capi* debeat; At-
13 que in ijs quæ à confitentis animo, vel facto pendent, non autem vbi à facto tertij, vel in ijs, quæ in iure conſiſtunt. F.

Vt è conuerſo, poſita clara, & valida
14 confeſſione, ſi aduersùs eam allegetur, metus, vel dolus, aut error, vnus, vel alter, pariter perfectam, ac vniuocam exigit probationem, quæ contrariam poſſibilitatem excludat, omniſque interpretatio compatibilis prò eius excluſione capienda eſt G.

Procedunt hæc omnia in confeſſione
15 illius, qui contrahendi, ſuaque bona adminiſtrandi habilitatem, ac libertatem habeat, ſecùs autem è conuerſo, quoniam

pro-

A. *Lib. 15. tit. de iudicijs.*

B. *diſc. 116.*
C. *diſc. 79. & 80.*
D *dicto diſc. 79.*
E. *Eod. diſc. 79. & ſeq.*
F. *Ibidem.*
G *Ibidem.*

prohibitus contrahere, vel se obligare, confiteri etiam prohibetur, ne indirectè sequatur id, quod est directè prohibitum, atque ita legi fraus fiat; Nisi confessio sufficientibus adminiculis munita sit,
16 quoniam etiam illi actus, qui ex defectu formæ, vel solemnitatum non sunt habiles ad obligandum, attendi solent ad veritatis probationem, quando alię probationes, vel adminicula concurrunt. H.

In confessionibus autem eorum, qui aliena bona administrant, vel negotia
17 gerunt, regula est negativa, vt principalibus non præiudicent, nisi munitæ sint vehementibus, vel efficacibus adminiculis, ex quibus confessio tutoris pupillo, Prælati Ecclesiæ, procuratoris, vel famuli domino præiudicatį, cum istis, veritatem, ac bonam fidem recognoscere non sit prohibitum.

Quinimò, & illa tertij quoque attendenda venit pro qualitate facti, cuius tota est quæstio, in qua proinde circa adminiculorum efficaciam, certa non datur, ac determinata regula generalis cuicumque casui applicabilis, sed varia, & singularis est decisio, ex singulorum casuum circumstantijs prudenti arbitrio desumenda.

Instrumentum publicum, quod de iure requisitas habeat solemnitates, adeo vt
18 publicum, & authenticum dici mereatur, probationem probatam, atque rem claram facere dicitur, ideòque facti pariter est quæstio, pro singulorum casuum qualitate decidenda, an dicta qualitas instrumenti publici, & authentici accedat, nec ne, nimiamque euagationem saperet distinctum examen eorum, quæ ad id necessaria sunt, cum de illis in iudiciorum magis congrua sede agatur. I.

In eadem quoque sede agitur de priuatarum scripturarum fide, quæ potissimùm pendet à recognitione, pro cuius
19 conclusione iuris regula est, vt desideretur sufficiens testimonium eorum, qui scribere viderint, non autem eorum, qui de nota manu deponant.

Quod tamen Curiæ Romanæ stylus non admittit, dum etiam recognitione per testes habentes notam manum contestatur; Fortiùs autem, vbi alia accedant adminicula; Et clarius vbi de talibus agatur scripturis, quæ fiducialiter, ac extra testium præsentiam fieri soleant, vt præsertim sunt epistolæ missiuæ, seu *cambiorum litteræ*, aliæque negotiatorum apocæ, vel pagellæ, pro facti qualitate,
20 cum tunc ferè generalis idem stylus videatur totius Orbis.

Non cadit autem in hac *inspectione* trini testis requisitum, quod in scripturis
21 priuatis à lege desideratur, cum id vltimam percutiat *inspectionem* concursus creditorum, non autem ipsum debitorem, cuius respectu, sola scripturæ subscriptio sufficit; Nisi doceatur quod ea fuerit fiduciaria in folio albo, quod non præsumitur nisi per ipsum debitorem id allegantem, probetur. L.

Bancorum, vel tabularum, seu *Mensarum* numulariarum apocæ, aliæque
22 scripturæ pro cõmercij fauore, ac libertate, ex cõmuni vsu, magnam vim habent, quamuis id iudicij ordinem, atque processus executiui, & priuilegiati effectum, potius concernat, non autem recognitionis modum, eodem *modo* quo de cambij litteris habemus, cum ipsorum bancorum, vel tabularum fides, sub librorum sequenti specie potius cadat.

Quarta probatio, per libros, vel memorialia, distinctionem recipit in tres li-
23 brorum species; Propriorum scilicet debitoris contra ipsum scribentem; Et è conuerso librorum creditoris ad eius fauorem, Et librorum tertij, an probent, pro, vel contra tertium.

In prima specie; Regula est affirmi-
24 tiua, vt plene probent contra scribentem, nisi de errore doceatur; *Vel* nisi agatur de liberculis, vel notulis informibus memoriæ causa, quibus memorialium nomen congruit; Ex his etenim neque contra scribentem probatio resultat, benè tamen adminiculum inducunt, cũ alijs coniungendum.

Cadente, quæstione, an *libris* continentibus plures partes, scribenti contra-
25 rias, ac respectiuè fauorabiles; eis in omni-

H. *Sub tit. de alien. & contract. prohib. pluries, & sub tit. de dote disc.* 159. *& hoc tit. sepius.*

I. *dicto lib.* 15. *tit. de iudicijs.*

L. *disc.* 81.

nibus, tanquam indiuiduis deferendum sit, & non aliàs, vel potius, reiecta parte fauorabili, attendi debeat odiosa; *Alijs primam partem simpliciter tenentibus; Alijs verò simpliciter alteram; Et alijs probabilius distinguentibus, inter libros bene, ac legaliter tentos, & è conuerso malè, ac infideliter, vt primo casu, prima opinio procedat, posterior autem in altero.* M.

Ad instar eorum, quæ circa primam speciem probationis per confessionem, habemus in ciuilibus (quidquid sit in criminalibus), vt ea diuidi non valeat, sed vel tota approbari, vel tota reprobari debeat, secus autem vbi pars confitenti fauorabilis, iuris præsumptionem contra se habeat.

Adhuc tamen, neque hæc tertia opinio distinguens, statui potest pro regula certa, & generali cuicumque casui applicabili, cum distinctionis ratio, propriè cõgruat illis libris, qui publici sint, seù publicorum iure haberi videantur, quos culposum est, benè, ac legaliter non conficere, ac tenere, cum debitis præparatorijs, distinctaque quotidiana descriptione inalterabili, vt in campsorum seù negotiantium libris statutum est; Secus autem in priuatis, quamuis more mercantili teneantur, cum eadem non vrgeat obligatio, ideoque prudenti Iudicis arbitrio ex facti qualitate regulãndo, quæstionis decisio remissa videtur. N.

In altera verò specie librorum creditoris, an pro ipso probent; Regula è conuerso est negatiua, vt nemini concèdatur ad sui ipsius commodum, ac vtilitatem ferre testimonium, nisi de supremo Principe, vel Republica agatur; Ex ea congrua ratione, quod non per ipsum met creditorem, sed per Magistratus, ac officiales ad id deputari solitos, (quorum probitas præsupponenda est) illi confici, ac retineri solent; Ideoque in alijs casibus, quibus eadem ratio congruat, idem quoque ius statuendum venit; *Vt in publicanorum, aliorumque publica iura administrantium, vel conducentium libris, praxis pro facti qualitate, ac regionum, seù locorum moribus recepit.*

Adhuc tamen, potissimùm in mercatoribus, & campsoribus, *in quibus ratio libertatis commercij, vel publicę fidei vrgeat, regula hæc negatiua, recipit limitationem (quę in priuatorum quoque libris admitti quandoque solet) quoties nempè, eorumdem librorum benè ordinata qualitas, aliæque circumstantiæ, illa præsertim iustificatæ veritatis in alijs partitis, siue alia adminicula hanc fidem probabiliter exigant;* Quod pariter, vtpotè in quęstione facti potius, quàm iuris, certam non recipit determinationem, quæ à singulorum casuum qualitate, & circumstantijs pendet: Potissimum verò, circa mercatorum, ac negotiatorũ libros, an controuersæ partitæ, ipsum mercimonium, seù negotium percutiant, vel alia ab eo extranea contineant; Ac etiam, an ad alia documenta vel iustificationes relationem habeant, necne, vt primo casu ex regula, quòd referens absque relato non probet, etiam in casibus, in quibus aliàs deferendum esset, eorum fides insufficiens reputetur, nisi alia adminicula suppletionem inducant.

Prout etiam, vbi aliàs libri fide digni essent, ea indigni reputantur, si minus fideles, vel erronei in aliquibus deteganter, ex regula quod mendax in vno, in alijs quoque talis præsumatur, siue vbi etiam nõ culposum mendacium adsit, idque non culposo errori possit referri, adhuc altera obstat regula, vt qui in vno errauit, in altero quoque errare potuerit, istaque possibilitas à lege ita præsumpta, & canonizata, perfectam & concludentem excludit probationem, qualis dici non potest ea, quæ contrariam habet probabilem possibilitatem à lege potissimum præsumptam. O.

In tertia librorum specie, qui tertij sint, àn inter tertios probent, distinctio est inter publicos, seù alias officij, vel muneris ratione confectos, ac tentos, vt præsertim in publicorum vectigaliũ, & gabellarum libris frequentior praxis docet, ac etiam in illis sacrarum ædium, aliorumque bancorum, quibus veræ publicitatis qualitas congruat, vt ijs generalis regula affirmatiua assistat, quæ generaliter in quorumcumque aliorum officia-

M. *disc.* 78.
N. *Eodem disc.* 78,
O. *Eod. disc.* 78. & 68.

ficialium libris recepta est, quoties ipsius officij vel muneris qualitas, ipsorum confectionem, ac retentionem exigit.

Inter alios autem priuatorum libros, adhuc altera cadit distinctio, an merè
34 priuati sint, vel potius aliquam iuris publici speciem, vel imaginem habeant, vt in campsorum, & mercatorum libris cõtingit; Quamuis etenim istis, non ea maior fides præstetur, quam verè publici merentur, adhuc tamen minoribus indigent adminiculis, quàm indigeant merè priuati, quibus etiam pro facti, & adminiculorum qualitate integra fides præstari solet, ideoque pariter totum est facti, ac arbitrij, quod certam, ac determinatam excludit regulam, cuicumque casui applicabilem.

Nulla verò iuris determinata regula generalis circa quintam probationis spe-
35 ciem per testes statui potest, cum totum iudicantis arbitrio, seù religioni pro facti qualitate lex commiserit; Quamuis etenim ex vtroque Diuino, & humano iure, in ore duorum stet omne verbum, ideoque duo testes contestes perfectam concludant probationem; Nimium tamẽ in praxi rara est huius generalis regulæ pura, & simplex applicatio, cum frequentiùs vel in persona, vel in dicto, vel in contestualitate, vel in modo, siue solemnitate examinis, testes pati soleant exceptiones, quæ eorum fidẽ diminuunt, ideoque; Vel ex numero maiori; Vel ex adminiculis; Vel à subiecta materia, quæ alias ex sui natura probari non valeat, suppletio quærenda est.

Et è conuerso non sẽper binus numerus cui contestualitatis qualitas adiuncta sit, præcisè necessarius est, cum quandoque etiam vnico qualificato de facto proprio deponenti, nullamque proprij interesse, vel affectionis exceptionem patienti, pro facti qualitate deferri soleat; Ac etiam ijs, in quibus examinis iudicialis, ac iurata solemnitas non concurrat, vbi adminicula accedant, ponderata etiam grauitate seù leuitate materiæ, alijsque circumstantijs, ex quibus hoc arbitrium regulandum est, ideoque facti, ac arbitrij potius, quàm iuris quæstio est. P.

Idemque fortius in sexta specie, imperfectæ seù præsumptæ, ac adminicula-
36 tiuæ probationis; Quamuis etenim iuristæ, longas desuper quæstiones retexãt, super adminiculorum, ac præsumptionũ coniunctione, & an plures imperfectæ probationes, quarum coniunctio in ciuilibus datur, ad vnã perfectam constituẽdam sufficiat; Verius tamen est, vt id, certam, ac determinatam regulam non recipiat, sed singulorum casuum decisio ab adminiculorum qualitate, potissimum locum verisimili, vel inuerisimili obtinente, alijsque circumstantijs, pendeat. Q.

In vltima specie probationis per iuramentum; Idem in effectu, quod proximè supra, dicendum venit, pro ipsius iura-
37 menti diuersa specie, quæ triplex est; Vna scilicet illius, quod partiti seù decisorium dicitur; Altera eius, quod in litem à lege explicatur; Et tertia suppletorij. In prima etenim specie, iudicantis religioni, ac prudentiæ remissum est, àn ad illud petitor admitti debeat, necne, pro facti qualitate, personarum scilicet, summæ controuersæ, seù materiæ maiori, vel minori grauitate, potissimùm autem pro moribus regionis; Istaque species generica, omnibusque communis est.

Qualis etiam reputatur tertia iuramenti suppletorij imperfectę probationis per alias species factæ, vt ita perfecta, & concludens reddatur, quoniam non omnis, qui illud offerat, admittendus est, sed solum, qui alterius periurij, vel infamiæ, seù malæ vitæ suspicionem nõ patiendo, ita integer probabiliter reputetur, vt peierandi suspicio absit, quod etiam ex controuersiæ materiæ, maiori, vel minori importantia, seù grauitate, determinationem recipit; Ideòque (vt præmissum est) certa, & determinata regula generalis desuper statui non potest; Quæstiones autẽ, quas Iuristæ disputant, earumque determinationes seù regulæ, ac limitationes respectiuè per eos traditæ, normam solum præbent pro dicto arbitrio benè regulando. R.

Se-

P. *de his super testium fide sub tit. de Iudicijs.*

Q. *Eod. tit. de iudicijs, vbi de materia probationis.*

R. *Eod. tit. de Iudic. ad materiam probationũ.*

Secunda verò ſpecies iuramenti in litem non omnibus communis eſt, ſed pupillis, ac minoribus aduersùs tutores,
38 & curatores, alijſque ſub neceſſaria legali adminiſtratione viuentibus, ſeù quibus eadem congruat ratio contra adminiſtratores, vel negotiorum geſtores, ex, quorum culpa, vel facto, difficilis, vel impoſſibilis effecta ſit probatio, cum requiſitis tamen vel moderationibus[S], de quibus in tutorum, aliorumque adminiſtratorum ſede, cui potius, quàm præſenti hæc inſpectio congrua eſt. S.

Percutiunt hæc omnia caſum, in quo, de perfecta, ac ſufficienti probatione concludenda agatur, etiam circa ſubſtãtiam crediti, vel debiti; Secus autem vbi, ipſa ſubſtantia certa ſit, probationis autẽ
39 quæſtio ſolam quantitatem, vel qualitatem, aliudè accidens percutiat, quia nempe, ſubſtantia crediti in genere certa ſit, ac perfectè, concludenterque probata; Tunc etenim, minus perfectæ probationes, pro facti qualitate, iudicantis etiam prudenti arbitrio, ac religione metienda, admittuntur, atque ſufficientes reputantur. T.

Atque in ſumma, vniuerſa probationis materia per quaſcumque ſpecies fiat, facti, ac arbitrij dicitur, ideòque certam,
40 ac determinatam non recipit regulam, cum etiam illa confeſſionis, quæ omnium certior, ac maior reputatur, difficultates recipere ſoleat, ita quoque decidendas; Vel ratione allegati erroris; Vel quia verſetur circa ea, quæ iuris ſunt; Siue à tertij facto pendeant, in quibus operatiua non eſt; Cum confeſſio reputetur ſumma probatio in ijs tantùm, quæ ab ipſius confitentis facto pendent; Super confeſſione etiam tertij, àn tertiò præiudicet, quæſtiones frequenter forus audit, pro facti etiam qualitate decidendas, àn ſcilicet, ſufficientia accedant, nec ne adminicula, ex quibus limitationem recipiat regula, quæ generaliter eſt negatiua.

Cap. II.

De veritate, ſeù probatione crediti de iure, quatenus illa facti accedat, an ſcilicet creditum, vel debitum benè in facto probatum, de iure ſit efficax, & ex peribile.

PRohibitarum alienationum, vel contractuum particularem ſedem, potius iſta Rubrica percutit, quàm hanc generi-
cam crediti & debiti tractationem, ideòq. ad eamdẽ ſedem relatio congrua
41 eſſet V; Pro aliqua tamen sũmaria inſpectione, duplex debiti, vel crediti, iam benè probati, infectio, ſeù inefficacia, ſub forenſi trutina cadere ſolet; Vel ſcilicèt ob inhabilitationem perſonæ, cui libera contrahendi, vel diſponendi facultas interdicta ſit; Vel ratione ipſius contractus, ſeù cauſæ debendi, quæ à iure prohibitionem aliquam habeat, adeòut, creditore ob concludentem crediti, ac debiti probationem, fundatam intentionem iam habente, eiuſdem crediti vel debiti inefficacia, tanquam exceptio, ſeù limitatio, ex perſonæ, vel actus ſpeciali qualitate deducatur.

Vtraque verò, perſonæ, vel actus inhabilitas, duplicem habet inſpectionem; Vnam nempè iuris communis; Alteram verò ſtatutarij, ſeù municipalis; Atque prima, quæ à iure communi manat, aliam recipit diſtinctionem, inter illam infectionem, quam naturæ defectus cauſet, ac alteram, quam iuris poſitiui deficiens forma, vel ſolemnitas producat.

Naturæ defectus, qui perſonam reſpiciat, eos omnes generaliter percutit, qui
42 iudicij, vel mentis compotes non exiſtant, adeòut, velle, vel nolle careant, vt putà in infantili ætate conſtituti, ac etiam in ea pupillari, quæ doli, & peccati incapax ſit, ſiuè in eo amentiæ, vel furoris ſtatu conſtituti, vt infantibus aſſimilati, doli, & peccati incapaces quoque exiſtant; Atque inter eos, qui mentis infirmitate laborant, prodigi quoque

S. *Sub tit. de tutor. diſc. 8. & 9.*
T. *diſc. 148.*

V. *lib. 7. p. 3. de alien. & contract. prohib.*

veniunt, vbi fertiatis seruandis à competenti iudice tales declarati sint.

Istos autem, nulla, quamuis iuris iurandi religione munita, afficit conuentionalis obligatio, quæ vtpotè effectus
43 voluntatis, absque illa non datur, ideoque in hoc, nulla est potitiuæ legis, vel Principis potestas, quæ non datur supra naturam; Eaque solum dignoscitur obligatio efficax, quæ per alterum eius vice, qui ad id legitimam haberet potestatem, contracta sit, ità huiusmodi voluntatis defectum supplendo, qualis est tutor, curator, vel actor, quatenus tamen ea, quæ circa solemnitatem, & causam à lege requisita sunt, impleantur. X.

In illis etiam, qui mentis compotes, contrahendi, vel disponendi capacitatem habeant, naturæ defectus, quandoque dignosci solet, quia nempè voluntas
44 se obligandi non adsit, illaque coram testibus, vel per scripturam explicata, meticulosa, vel coacta, seù dolosa, vel erronea, & cum falso præsuppositio, aut simulata sit, quatenus circa vim, vel metum, ea concurrant, ex quibus lex, voluntatem abesse declarat.

Id autem præsertim in ijs contingit, à quibus in iniusto carcere detrusis, ad carcerantis, vel eius, qui carcerationem pro-
45 curauit, fauorem, obligatio contracta sit, secùs autem, vbi iusta sit carceratio, qualem in dubio, non probata iniustitia, lex præsumit. Y.

Vbi verò simulationis defectus accedat, in ijs, quæ à sola voluntate se obligantis pendent, eiusque munificen-
46 tia, adeùt creditor, cuius fauore obligatio contracta sit, lucrativam causam foueat, illa benè probata, actum inficit, illumque inefficacem reddit, quamuis accedat iuramentum; Istud etenim, religionis, ac veritatis vinculum, confouere non debet mendacium, neque contrectationem rei alienæ inuito domino, licitam reddere; Vbi verò de correspectiuo contractu agatur, in quo, ad commutatiuæ iustitiæ limites, vterque onerosam causam foueat, nil releuat ea simulatio, quæ alteri contrahenti patefacta non sit, quamuis coram testibus, vel per scripturam declarata fuerit.

In illis autem, quos naturaliter doli, & peccati capaces, ac voluntatis vsum habentes, positiua lex, imperfecti, vel imbecillis iudicij reputat, ideòque con-
47 trahendi, vel se obligandi facultatem, absque certa solemnitate eis adimit, vt in ijs contingit, quos iam adultos in imperfecta pubertate adhùc constitutos, minores dicimus, vtpotè non completa ætate, quam lex communis, vel municipalis, maiorem statuit, curatoris auctoritatem, atque iustam necessitatis, vel vtilitatis causam, eadem lex desiderat, sine quibus, in libito minoris est, effecti maioris, obligationem exceptionis ope impugnare, vltra id, quod in eius vtilitatem versum esse constet.

Filiorum quoque familias, quamuis in maiori ætate constitutos, nisi iustè patres familias ab altero contrahente reputentur, obligationes ex causa mutui, eadem lex communis inficit, quod pleræ-
48 que leges municipales, ad alios quoque contractus ampliarunt, vbi patris assensus, vel ratihabitio non accedat. Z.

Mulieres autem ætate maiores, excepto casu per Sen. Cons. Velleian. prohibito fideiussionis pro viro, ad contrahendum, virorum adinstar, habilitauit; Earumdem tamen inhabilitationē, absq;
49 certa solemnitate, ob imbecillis iudicij suspicionem, facilemque seductionem, ex sexus fragilitate resultantem, pleræq; leges municipales induxerunt, de quibus in præfata alienationum, & cōtractuum prohibitorum sede; Vbi etiam de iuramenti efficacia, huiusmodi iuris positiui prohibitiones in minoribus, ac mulieribus, alijsq; similibus tollente, vel suppleu-
50 te, quoties naturæ defectus non accedat; Eadem tamē prohibitione, id operante, vt facilius ex capite lesionis, restitutionis in integrum beneficio locus aperiatur.

In hoc autem maioris operationis remanēt leges municipales, vt nullitatē actus ipso iure inducāt, atq; directè, vel indirectè pro earū qualitate iuramēti vim
51 tollant, iuxtà distinctiones, & declarationes, de quibus in eadem superiùs insinuata alienationum, & contractuum prohibitorum propria sede. A.

Religiosi professi, eamdem de iure com-

X. *de his omnib. eod. tit. de alien. & contract.*
Y. *eod. tit. de alien. & contract. disc.* 41. & 42.
Z. *eod. tit. de alien. & contract. disc.* 37.
A. *eod. tit. de alien. & cōtract. disc.* 28. *cū seqq.*

communi, adinstar seruorum, parantur incapacitatem; Nisi in tempus futuræ capacitatis, ob Episcopatum, vel aliam status mutationem obligatio collata sit. A.

Altera infectio est, quæ ratione contractus, vel causę debendi, resultet, quamuis in debitore contrahendi capacitas accedat, vbi nempè turpitudinem, aduersus bonos mores naturales, vel rem impossibilẽ, obligatio contineat; Atq; in specie ludi, causa infecta, seù inefficax reputatur, vt efficacem non tribuat actionem, quamuis alterius correspectiui contractus ex diuersa causa, velamen simulatè adiectum sit. B.

Siuè quod super ijs, quæ in priuato commercio absque Principis, vel alterius assensu, vel alia solemnitate non existant, in quibus lex obligationem, vel contractum expresè irritauerit, vt in rebus sacris, sanctis, & religiosis, siuè spiritualibus, ac etiam in feudis veris & proprijs, aliisque rebus, quæ de Principis regalibus existant, in suis respectiuè sedibus, in quibus huiusmodi rerum specialis tractatio habetur, statutum esse constat. C.

Cap. III.

exceptionibus, quæ debitori competant aduersùs debitum, eiusq; obligationem, quamuis de facto, & de iure probata, atque efficax sit, adeam elidendam, vel modificandam.

DOsita debiti, ac respectiuè crediti certa probatione, ac validitate; Vltrà exceptionẽ solutionis veræ, vel interpretatiuæ, per quàm creditoris actio extinguitur, eius particularem, vt infrà Rubricam habentem; Plures debitori lex communis, vel particularis, exceptiones concedit, actionem creditori aliàs competentem, ac exercibilem, in toto, vel in parte elidentes, vel modificantes.

Primà est illa non numeratæ pecuniæ, quia nẽpè, sub spe futuræ numerationis, debitor se talem confessus fuerit, atq; ad solutionem se obligauerit, istaque exceptio, in mutuo intrà biennium competit, in alijs verò contractibus infrà triginta dies; Vtriusquè termini præfinitione illum effectum operante, vt intrà illum debitori allegare sufficiat, transfuso in creditorem onere probandi numerationem; Eo verò expirato, id in oppositum sequatur, vt onus probationis negatiuæ, in debitorem transfusum sit; Nimium autem raro ista exceptio, ità generaliter competens, in praxi debitorem releuat, vt potè, per tot limitationes, vel modernas cautelas, penè annihilata; Vel scilicèt ob renunciationem cuicumque exceptioni; Vel ob geminationem confessionis; Vel (iuxtà vnam opinionem) quia confessio iuris iurandi religione munita sit; Vel ob priuilegiatam causam debendi, vt præsertim ex veriori sententia in depositio contingit, quamuis irregulari; Vel quia communis vsus eam abolenerit, vt inter mercatores, & negotiatores, præsertim in litteris cambij, vel apocis banci, siuè in libris mercantilibus, aut in paruis pagellis, quæ inter eos in vsu sunt, praxis docet, ità commercij libertate exigente; Siuè vbi cõfessio formulam habeat obligationis cameralis, vel quarantigiatæ, vel similem, quæ generalem cuiuscumq; exceptionis renunciationem contineat, cum similibus; Per hæc autem sublata non est debitori facultas extrinsecùs probandi contrariam facti veritatem, cui semper iuris regulæ cedunt, cum illo eiusdem debitoris præjudicio, quod vbi obligatio exequutiuum, seù alias summarium, ac priuilegiatum iudicium mereatur, per huiusmodi exrinsecas probationes faciendas, retardationem non recipiat. D

Eadem, penè in omnibus in altera cõsimili exceptione rei non traditæ procedunt, vbi traditionis confessio accedat, 56 atque obligatio purè concepta sit, secus autem vbi obligatio, explicitam, vel implicitam contineat conditionem traditionis, vel alterius implementi, cuius exceptio, vtpotè oriens ex ventre eiusdẽ obli-

aisc. 83.
ead. tit. de alien. & contract. disc. 49.
hac tit. disc. 13. & 51., & *sub tit de feud., de Regal., & de Emphyteus., & de Benefic.*

D. *de hac exceptione non numeratæ pecuniæ disc.* 69. 78. & 83.

obligationis omniũ efficacior apud practicos reputatur, adeò vt etiam aduersus obligationem cameralem, aliaquè pacta, vel iudicia quantumuis exequutiua, & priuilegiata admittatur, illaq; impediat, ideoq; isto secundo casu, creditoris onus est docere de traditione, ac implemento ex eius parte, vt agere valeat. E.

Tertia frequentior esse solet exceptio compensationis, quæ vtpotè sapiens speciem solutionis, sub Rubrica solutionum tractatur.

Quarta est incertitudinis, siuè illiquiditatis, quia nempè, pro incerta, ac illiquida summa, vel quantitate, obligatio
57 concepta sit; Siuè quod, vbi etiam sit certa, & liquida, incontinenti certa accedat probatio obuentionis pecuniarum, ac bonorum debitoris in genere ad manus creditoris, cum incertitudine, quid & quãtum id importet, iflaque exceptio, etiam in processu executiuo, ac priuilegiato admittitur, cum incertum sit, an, & quid creditor sit consequuturus, ideoquè super incerto iudicium proferri non potest. F.

Huic autem affinis est quinta exceptio redditionis rationum, vbi de debito aga-
58 tur, quod ex administratione pendeat, cum antè redditas rationes incertum sit, àn debitor, vel creditor remaneat; Nisi contumax, vel culposus in tali redditione sit, cum tunc vrgeri valeat ad eam certam summam in sorte, quæ sibi administranda data est. G.

Sexta exceptio moratoriæ, seù dilationis, quæ quatuor modis sequi solet; Primò scilicèt ab ipso singulari credito-
59 re, qui illam neget, à debitore oppositã, idquè nullã habet iuris quæstionem, sed tota est facti; Secundò ab aliqua parte creditorum, alia parte inuita, vel ignara, vndè intret quæstio, àn id fieri valeat, quod plures recipit distinctiones, ac declarationes, non de facili sub compendio cadentes; Verius autem est, vt huiusmodi quæstio, pro locorum, ac Tribunalium legibus, vel stylis particularibus decidenda sit; Tertiò vbi concedatur à Principe, vel à Magistratu ad id potestatẽ habente, quod pariter plures sub se inuolvit quæstiones, verius cum eadem prox
mè insinuata regula decidendas, vt scil
cèt, cum locorum legibus, ac stylis part
cularibus, procedendum sit, cum prax
varia desuper dignoscatur; Et quand
vbi à lege moratoria concedatur, quo
pariter, certam, ac generalem nõ recip
determinationem, quæ ex locorum di
uersis legibus, vel stylis manare debet, si
alicubi praxis eas receperit, alicubi ac
tem non.

Vt potissimùm contingit in excepti
ne nouemdij luctus, & in altera, quæ,
60 (præsertim in vtriusquè Siciliæ Regni
Hostica dicitur, pro tempore scilicèt,
quo debitor miles, in belli expeditione
pro seruitio Principis fuerit aduersus
hostes; Siuè pro eisdem varijs legibus,
vel moribus, pro eo tempore quo debitor
in publico Ciuitatis Magistratu, vel in
alio Principis, vel reipublicæ munere
occupatus fuerit.

Septima est ea modificatiua exceptio, quę exequutionis subsistãtiã nõ percutiat
Sed modũ tantũ, nè scilicèt in vna bono-
61 rum specie fiat, nisi altera excutiatur, quia nempè, exequi non possint feudalia, nisi excutiantur allodialia, siuè magis prætiosa, aut aliàs qualificata, nisi alia inferioris qualitatis, magisquè debitis proportionata excutiantur, cum similibus, super quibus pariter certa regula generalis desuper statuta non habetur, sed totum pendet à locorum legibus, ac stylis seù recepta praxi, quæ pro locorũ seù Tribunalium diuersitate nimium diuersa est, ideoquè stylo, vel praxi particulari deferendum venit; Altera etenim exceptio, vt priùs excutiantur bona specialiter hypothecata, non ipsi debitori, sed secundo creditori, vel tertio competit, vt infrà concursus vel prælationis Rubrica aduertitur. H.

Octaua præcedenti similis, non impugnatiua, sed modificatiua, quæ obijciatur per debitores, quibus vel ratione reuerentiæ à creditoribus eis debitæ, vel ratione ordinis, seù alterius qualitatis, benefi-
62 cium competat, ne vltra quàm possunt, conueniri valeant, ideoquè personalem adstrictionẽ pati non debeant, minusq;

rea-

E. *disc.* 78. *tit. de vsur. disc.* 14.
F. *disc.* 148. *& sub tit. de Iudic.*
G. *disc.* 61. 62. *& 76.*
H. *disc.* 126. *& 127.*

realem, pro bonorum rata subsistentatione congrua, vel necessaria; Vt ex ratione reuerentiæ contingit in parentibus, vel ijs, qui parentum loco habentur; Ac etiam, ex eadem, vel ex altera charitatis ratione, in liberis, ac descendentibus, vel fratribus; Seù etiam in donatore, ex cuius liberalitate debitum proueniat cum similibus; Ac etiam inter coniuges; Id autem fauore pauperis debitoris procedit, nè à diuite creditore vltrà quàm facere potest, vrgeatur; Secus autem si creditor quoq; indigeat, cum in pari causa, istius conditio debeat esse potior, dictumq; beneficium cesset. I.

Ratione verò dignitatis, vel ordinis, vel qualitatis, eadem competit exceptio, vt frequens praxis docet in clericis, & in militibus, atquè pro locorum, seù regionum moribus, vel legibus, in nobilibus, primi, vel magnatitij ordinis. L.

Super hac autem exceptione, siuè de vna, siuè altera personarum specie, siuè de hoc beneficio agatur, multæ habentur quæstiones, non de facili sub compendio cadentes, potissimùm verò super modo praticandi hoc beneficium, siuè an illud ex eiusdem debitoris dolo denegari debeat, quamuis aliàs competeret, quæ omnia impossibile videtur, sub compendio recensere, cum quæstiones facti potius, quàm iuris esse videantur, pro singulorum casuum, qualitate, ac particularibus circumstantijs, diuersam recipientes determinationem. M

Nona frequens esse solet exceptio vsurariæ prauitatis, ea tamen sub Rubrica solutionis, vel extinctionis debiti potius cadit; Aut etenim id, quod vsurarium prætenditur, solutum non est, istaquè exceptio nullius remanet operationis in debito sortis, cui aliàs verò, et legitimo vsuraria conuentio nullum parit præiudicium; Aut verò sub nomine vsurarum aliquid solutum est, quod indebitum, ac vsurarium prætendatur, ideoquè in sortem imputandum sit, et tunc solutionem, seù debiti extinctionem operatur; Solumquè huius exceptionis inspectio cadit vbi de ipsarum accessionum, quæ vsurariæ prętendantur, quæstio sit, quæ tamen certam, ac generalem regulam pariter non admittit, sed pro facti qualitate decidenda est, iuxtà illas accessionum diuersas species, de quibus in vsurarum, & cambiorum, vel censuum, ac societatum officij particularibus sedibus habetur. N

Decima est exceptio legitimationis personæ creditoris, quando cum ipso agente directè contractum non est debitum, sed
66 cum altero, ex cuius persona alter veniat, vt in hęrede, vel cessionario, seù creditore creditoris, aut procuratore contingit, eaquè facti potiùs, ac probationis, quàm iuris inspectionem habet.

Cap. IV.

De debito alieno, quod fideiusor, vel expromissor proprium effecerit, & de exceptionibus, quæ fideiussori, vel expromissori competunt; Et de assecurationibus, & assecuratoribus.

ISta fideiussorum, seù eorum qui alienam obligationem, sub quouis alio titulo propriam faciunt, materia, in conuentionalibus, nimium rara in praxi esse videtur inter creditores, & fideius-
67 sores, vel expromissores, cùm frequentior, ac penè generalis praxis vbiquè inoleuerit, huiusmodi obligationes concipiendi nõ in forma accessoria, seù fideiussoria, sed æquè principali, ac principaliter, & in solidum, vndè propterea, quoad creditorem nulla inter principa-
68 lem debitorem, ac fideiussorem dignoscitur differentia, cùm omnes eius respectu, æquè correi debendi, ac principales debitores reputentur. M

Huiusmodi distinctione attẽta, inter ipsos met correos, quorum ille, ad quem negotium principaliter pertinet, siuè in cuius gratiam debitũ contractũ est, prin-
69 cipalis dicitur; Alter verò qui in eius gratiam se correum constituit, fideiussor remaneat, à principali debitore releuandus. O.

Hinc

---

disc. 118. *& seqq. præsertim disc.* 121.
ibidem,
M. *eodem disc.* 118. *cum pluribus seqq.*

N. *sub tit. de vsur.*
M. *disc.* 150. *& sub tit. de feud. discur.* 100. *& 101.*
O. *ibidem proximè.*

Hinc proindè, omnia quæ habẽtur de principalis debitoris excussione facienda, prius quàm aduersus fideiussorẽ actio de-
70 tur, quodammodo antiquata, atquè ab vsu abolera videntur.

Adhuc tamen praxis illàs dosset quæstiones inter huiusmodi obligatos, & fideiussores, quæ cedendarum materiam,
71 seù exceptionem percutiant, àn scilicèt pluribus alienam obligationem suscipientibus, se autem debendi correos constituentibus, si creditor vnum, vel aliquos eorum liberet, vel pactum de non molestando faciat, competat alijs exceptio cedendarum, cuius competentia indubitata est, in vero fideiussore, adeout in iudicio etiam exequutiuo, ac priuilegiato, ex camerali, vel quarantigiata obligatione competente admittatur.

Quamuis autem Iuristæ, in hoc nimiũ se inuoluere, ac variare videantur; Verius tamen est, vt huiusmodi exceptio, dicta obligationis formula non obstante, concedatur, quoties agatur de correis ex causa onerosa, & correspectiua, secus autem vbi de lucratiua; Ac dummodo contemporaneè, se obligauerint, adeout adaptari valeat ratio, vt vnus intuitu alterius se obligasse censeatur, eo modo, quo inter fideiussores de iure statutum est.

Istà etenim coæqualis, seù æquè principalis obligationis formula, creditorũ cautelam, nimium quidem proficuam,
72 percutit, nè excussionis onere grauentur, alijsquè subiaceant, quæ fideiussorum fauore lex induxit; Rei autem, seù veritatis substantiam non immutat, vt si verè ille fideiussor est, pro tali haberi non debeat, illisquè priuari beneficijs, quæ nedum lex scripta, sed etiam ipsa naturalis æquitas, vel ratio concedere videtur, ideoque, non in summo legum apice, vel rigore, sed pro naturali veritate, et æquitate, materia hæc pertractanda videtur. O.

Quatenus verò, retentis eisdem terminis obligationis conuentionalis, circumstantia, coæqualis, seù principalis obligationis cesset, eaque in forma verè fideiussoria (vt lex præsupponit) concepta sit, tunc plures exceptiones, vel beneficia fideiussori, vel expromissori,
73 alienam obligationem suscipienti, lex concedit aduersùs creditorem; Præcipuè verò illam superius insinuatam, excussionis principalis debitoris, qua non sequuta, nulla contra fideiussorem exercibilis est actio.

Verùm adhuc huius exceptionis nimium rara est praxis; Vel quia, ei expressè renunciatum sit, vt ex moderna cautela frequentiùs sequi solet; Vel quia communis vsus, pro libertate commercij eam aboleuerit, vt inter mercatores, ac negotiatores magis receptum videtur; Siuè quod obligationis formula illam dirimat, vt obligatio camerals facit; Vel quia iuramentum id operetur; Vel quia lex particularis disponat, vt sũmariè, ac sola facti veritate inspecta procedatur; Vel quia notoria sit principalis insufficientia, cum adhibendæ non sint illæ diligentiæ, quas liquet non esse profuturas, cum similibus limitationibus in sua sede deductis, ex quibus huiusmodi exceptionis regula penè annihilata videtur.

Vbi verò eidem regulæ locus fiat, tunc facti potiùs, quàm iuris quæstio remanet, super eiusdem excussionis qualitate, & àn benè, ac sufficienter ea facta sit, necnè, quod certam, ac determinatam
74 non recipit regulam, sed decisio, ex facti circumstantijs, potissimum autem ex locorum, vel Tribunalium legibus, vel stylis, aut recepta praxi, manat.

Regulariter autem, ex iuris communis dispositione, de iudicis mandato, per duos exequutores, audito etiam fideiussore, facienda est, contra omnes debitores, nequè sufficit si contra vnum vel plures fiat; Quamuis, et ista quæstio potiùs facti quàm iuris sit, ob insinuatam limitationem, vbi nempè conster, hanc diligentiam inanem esse, quod adminiculatiuam quoque probationem admittit.

Rigorosiùs autem ista discussio requisita est, vbi non solùm à iuris dispositio-
75 ne, sed etiam à partium conuentione manet, quia nempè fideiussoris obligatio, subsidiariè, atquè sub excussionis conditione, explicita, vel implicita, concepta sit, cum, tunc, non dicatur nuda exceptio

O. *discur.* 94. & 145., & *de feud. discur.* 100. & 101.

ceptio debitoris, sed fundamentum intentionis creditoris actoris; Ac etiam quia vbi dispositioni legis, altera hominis accedit, tunc ista, nè inanis, ac fatuà remaneat, aliquid plus operari debet. P.

Strictam quoquè significationem fideiussoria obligatio recipit, ideoquè, vltra casus expressos, nullatenus exten-
76 denda est; Quod in assecurationibus præsertim, quę fideiussionem important, seù eius iure regulantur, frequens occasio agere suppetit; Q. Ac etiam in conductionis fideiussione non complectente reconductionem; R. Siuè in illa officialis, non capiente prorogationem, quādo hæc, primo tempore expirato, nouum officium importet; Aut pro famulo, seù ministro ad vnum opus, vel munus, si diuerso, maioriquè muneri præponatur, cū similibus pro facti qualitate pensandis, quæ voluntatem fideiussoris probabiliter excludant.

Restricta verò fideiussio pro administratore ad certam summā, eam residua-
77 lem capit, quæ redditis rationibus debenda remaneat, quamuis post factā obligationem, solutiones accesserint, eamdē summam absorbentes, vel excedentes; Licèt enim iuris regula sit, vt solutiones à debitore factæ, in duriorem causam fideiussoriam priùs cedere debeant, procedit tamen, vbi de ipsius debitoris bonis solutio fiat; Secùs autem vbi directè, vel indirectè de pecunijs, vel bonis eiusdem creditoris per debitorem administratis, ità communi vsu, ac administrationis natura suadentibus, vt cautiones prò certa summa, quæ longè minor esse solet, quàm tota administratio importet, prò reliquatus solutione, & assecuratione præstentur. S.

Si verò plures, non coniunctim, sed diuisim prò diuersis summis, eiusdem debiti fideiussores dati sint, debitor autem
78 partem debiti solutam referre declaret ad dissoluendum obligationem vnius potiùs, quàm alterius fideiussoris, id rectè fieri in iure statutum est, nequè proindè confideiussoribus actio aliqua contra fideiussorem liberatū, minusquè exceptio cedendarum contra creditorem liberantem competit.

Recipiendum verò id est, vbi cum debitoris pecunia, vel alia re manuali solutio facta sit, quæ functionem in genere
79 recipiat, vndè propterea aduersus tertium, ex recepto vsu, vel æquitate, à commercij libertate inducta, hypothecæ experimentum non detur, idquè in statu integro, quia nempè debitor, qui soluit, idoneus sit, liberamquè habeat administrationem, non autem si decoctus, vel decocturus, aut eius iam defuncti hæres; Siuè si solutio facta sit de pretio rei stabilis, vel æquipollentis, in qua huiusmodi ratio cesset, atquè confideiussor suæ indemnitatis actionem hypothecariam superea experiri valeat, cum tunc ista gratificandi facultas nō concedatur, sed benè dicta cedendarū exceptio, vel equipollens intret, non autem fauore fideiussoris hypotheca destituti, cui (cessante fraude) actio ad ipsa bona contra tertiū non competit. T.

Quandoquè autem fideiussoris obligatio, pura non est, sed ad certum casum restricta, siuè sub certa conditione concepta, atquè tunc planum est, actionem
80 contra eum exercibilem non esse, nisi ex parte creditoris agentis, de casu, vel cōditionis purificatione, actionis productiua, eiusquè fundamento concludenter doceatur. V.

Istoquè casu facilius, magisquè generaliter, vbi verè accessoria, seù fideiussoria obligatio sit, adeò vt non sit æquè
81 principalis tāquā à correo, nocet nimia negligentia creditoris non pulsandi debitorem, qui interim minus idoneus effectus esset, vnde propterea fideiussoris non remaneat, ità prò eius indemnitate, benè consultum, vt remaneret, si cōgruo tempore id sequutū esset, vt ipse fideiussor exceptione tueatur, neq; amplius molestias recipiat à creditore, cui propria negligentia imputanda est; Rarò autem praxis, vel forus id admittit, cum non de facili verificatio detur huiusmodi inexcusabilis negligentiæ, quæ hunc effectū pro-

P. *disc.* 90. & 93. & 96.
Q. *disc.* 91. & *disc.* 106. *cum plurib. seqq.*
R. *tit. de locat. disc.* 22. & 36.
S. *disc.* 102.
T. *disc.* 145.
V. *disc.* 93.

producat. X.

Cessat etiam fideiussoria obligatio, etsi quoad principalem debitorē adhùc duret, vbi ea, non in dando, sed in faciendo consistat, quia nempè non debiti, sed alicuius facti sit fideiussor, ob cuius non
82 implementum, obligatio debiti subsidiariè, vel consequutiuè resultet; Vt est obligatio de præsentando debitorem in carceribus intrà certum tempus, vel ad creditoris requisitionem; Siuè obligatio exibendi pignora, seù bona; Tunc etenim ob debitoris mortem, seù aliam status immutationem, ob quam fideiussori personæ præsentatio impossibilis reddatur, eius obligatio cessat, ac resoluitur; Idemquè respectiuè operatur, casualis, & non affectata peremptio bonorum, quorum exhibitio promissa est.

Nisi mora fideiussoris exhibèndi personam statuto tempore, vel post requisitionem, istud beneficium auferat, quoties
83 tunc implementum rectè sequi potuisset, atquè iustum impedimentum nō vrgeret, quod pro facti qualitate iudicandum est. Y.

Prout eadem obligatio cessat, si facto creditoris, principalis debitor in fuga sit positus; Aut si aliàs immutauerit statum, adeò vt ista facti obligatio, impossibilis, vel difficilior sit reddita; Quamuis etenim ad factum iudicis, id quoquè extendi soleat; Attamen in fideiussore
85 iudiciali, præsertim in criminalibus, id procedit, secùs autem in conuentionali fauore creditoris, quamuis in iudicio. vel eius occasione cautio hæc præstita sit. Z.

Alicubi verò, Ius municipale, ob alicuius temporis decursum, huiusmodi fideiussorias obligationes cessatas, vel ex-
86 tinctas esse statuit, talequè ius est seruādum, vbi ab habente legis condendæ potestatem conditum sit; Illudq; rationabile videtur, commendatione potiùs dignum, non autem à iure communi exorbitans, vtpotè potiùs interpretatiuum, eiusdem iuris communis, quod creditori negligenti suum ius prosequi cum debitore, aduersùs fideiussorem, de tempore quo commodius releuationem obtinere poterat, actionem negat, ità per certi termini præfinitionem, dirimendo quæstiones aliàs super huiusmodi negligentiæ verificatione cadentes, eo modo quo iura municipalia, præsumptam solutionem statuunt, sub statutariæ præscriptionis termino explicari solitam. A.

Principis autem, vel alterius Magistratus, ad id potestatem habentis, moratoria, vel aliud priuilegium, àn fideius-
87 sori prosit, eiusquè obligationem tollat, vel impediat, sub quæstione est, cui non de facili certa, & generalis regula, cuicumquè casui congrua, adaptabilis est, cū ex obligationis, vel respectiuè moratoriæ forma, siuè ex Ditionum legibus, vel Tribunalium stylis, inter se frequentiùs diuersis, decisio pendeat, vt in sua sede. B.

Nullitas verò obligationis principalis debitoris, vel alia exceptio, quæ huic competat, àn fideiussori quoque suffra-
88 getur, sub non modica quæstione pariter existit, quæ certam, ac generalem regulam cuicumque casui applicabilem nō admittit, sed pro singulorum casuum circumstantijs decisionem expectat; Quamuis etenim, ex magis communi sensu, ea sit distinctio generalis, àn nullitas, vel exceptio, à iure communi, vel speciali proueniat, & àn ea sit talis, vt ipsi fideiussori soluenti, vel molestias patiēti, indemnitatis actionem aduersus ipsum debitorem neget, necnè, vt in vno casu prosit, in altero autem non; Attamen, ex eadem ratione, ob quam praxis forensis rarò admittit excussionis beneficium, ista etiam regula, rarò locum inuenit, cum frequentiùs hodiernæ fideiussoriæ obligationes conuentionales, non in earum connaturali accessoria forma concipi soleant, sed in diuersa principalium correorum debendi, quo casu cessat regula accessorij sequētis naturam principalis, cum rectè creditor dicere valeat, se non minus vnius, quàm alterius fidem æquè sequutum esse, ideoquè sollicitum non fuisse de habilitate eius, de quo suspicio haberetur, àn liberam se obligandi facultatem haberet, siuè aliam exceptionem

X. *disc.* 94. & 96.
Y. *disc.* 94.
Z. *disc.* 98.

A. *disc.* 92.
B. *dicto disc.* 98.

nem deducere posset, dum alterius correi, à quo ista suspicio absit, fidem insolidum, ac principaliter sequutus est. C.

Et ex qua ratione, praxis, quandoquè recepit, vt etiam in debitis verè fideiussorijs, ac alienis, (sub ista tamen æquè principalium correorum forma contractis) Bulla Baronum locum habeat, quod tamen recipiendum videtur iuxtà declarationes, de quibus in sua sede. D.

Nouatio item inter creditorem, ac principalem debitorem inita, fideiussorem, huic nouatiuæ conuentioni non accedentem, vel non consentientem, liberat; Adhuc tamen rarò forus huiusmodi liberationis praxim videt; Vel quia eius requisita non accedant, quæ huiusmodi effectum producant, cum non omnis simplex dilatio, vel conuentio nouationem inducat, hodie ex nouo iurè non inducendam, nisi vbi expressè dicatur, vel omnimodæ incompatibilitatis ratio vrgeat; Vel quia præfernatiuæ clausulæ frequentius, ac pœnæ prò generali stylo adijci solent.

Vbi verò ad certos casus fideiussoris obligatio restricta sit, onus est creditoris concludentur probandi eiusdem casus verificationem, sine quà actio denegatur, vt praxis in quibusdam maritimis contractibus docet, vt obligatio, ad barattariæ casum restringatur, quæ àn accedat, nec ne sub hac assecurationis materia agitur. E.

Quandoquè, verò certum tempus huiusmodi obligationibus adijci solet, quod producit quæstionem, àn illud gratia dilationis, vel potius causa extinguendi obligationem adiectum sit; In ea tamen certa iuris regula statuta non est, cum tanquam in quæstione facti, & voluntatis potius quàm iuris, ex indiuidui facti qualitate, & circumstantijs decisio pendeat; Regulariter autem siue in dubio, dilationi potius, quàm extinctioni tempus referendum venit. F.

Illa quoquè solutio, quæ principalem debitorem non omnino liberet, fideiussoriam obligationem regulariter cessare facit, quæ à debitore ex diuersis causis creditori simpliciter fit, nulla expressa causa, cum ad eam referatur, prò quà fideiussor præstitus est, vt potè duriorem, nisi aliud exprimatur, cum in expressis quæstiones non intrent; G Nisi ex superius insinuatis, fideiussio residualem summã post rationes dispunctas, ac solutiones admissas, referenda veniat, vt in cautionibus, quæ per administratores præstantur, contingit.

Vel nisi pluribus, æquè duris atquè fideiussorijs debitis concurrentibus ex diuersis causis, vel administrationibus, solutio facta sit in causam secundæ administrationis de eius effectibus, cum tunc, huic, licet posteriori, atquè ad secundum fideiussorem liberandum, solutio referatur.

Vbi verò vnus ex fideiussoribus, quorum omnium solidi obligatio sit, totum debitum soluat, reportata à creditore iurium cessione; Sub quæstione est, àn contrà confideiussorem, vel correum, ad totum agere valeat, vel potius diuisionis ordinem seruare teneatur, quemlibet prò eius virili pulsando; Aliquibus primam partem simpliciter tenentibus, vt ad totum agat, propria virili non detracta, quasi quod diuersam creditoris personam, ac tertium repræsentet; Alijs autem, de directò oppositum, vt non nisi prò virili, quemlibet molestet; Vtrumquè verò extremum vitiosum est, magisquè probabilis, ac recepta est media opinio, vt ex ea æquitate, quàm inanis circuitus vitandi ratio suggerit, propriam virilem detrahere debeat; In reliquo autem eam optionem habeat, quam cedens haberet, vnum, vel aliquos, tantùm insolidum conueniendi, vt quilibet extraneus, qui eamdem cessionem haberet, facere posset; Nisi alià maior æquitas, prò facti qualitate, prudentis Iudicis arbitrio pensanda, vnum, vel alterum magis suadeat, vt in sua sede. H.

Cessio autem fideiussori soluenti facienda, fideiussionis comes est connaturalis, ac necessaria, tam contra princi-

disc. 101.
de feud. disc. 100. & 101.
sup. 93.
sup. 96.

G. dicto disc. 102. & disc. 43. & seq.
H. disc. 95.

palem debitorem, quam etiam contra confideiuſſores, vel etiam debendi correos, ex eadem tamen onerosa, & correſpectiua cauſa, non autem lucratiua; Adeò vt creditor, etiam inuitus, ad eam teneatur, Ac etiam poſt ſolutionem ex interuallo fieri valeat; Atque creditori nolenti, vel non valenti eam facere, obſtet iam inſinuata cedendarum exceptio; Dumodo tamen, confideiuſſorum, vel correorum reſpectu, contemporanea, correſpectiuaq; ſit obligatio, adeò vt vnus, alterius, vel aliorum intuitu, atque ſub diuiſionis beneficij clypeo ſe obligaſſe dicere valeat; Secus autem hac circumſtantia ceſſante. I.

Vt autem fideiuſſor, qui debitum ſoluit, contrà debitorem, vel confideiuſ-
97 ſores reſpectiuè, releuationis actionem habeat, docere debet de ſolutione, eamq; veram, atque à ſe factam probare; Creditoris quietantia ei non ſuffragante, cũ ea, ob ſolutionem ab ipſomet debitore vel alio factam ſequi potuerit, ideoque præcisè docere tenetur, vt à ſeipſo de proprio facta ſit, vel ab alio eius intuitu, faciente vt eidem donaret, non autem debitori. L.

Non ſequuta verò ſolutione, minuſque accedentibus moleſtijs, frequens eſt
98 quæſtio, an fideiuſſor, debitorem vrgeat, vt ab obligatione eum eximat, ſoluendo debitum, vel aliam cautionem præſtando; Et quauis regula ſit negatiua, ea tamen in praxi quodãmodo idealis remanet, ob tot limitationes, quibus obnoxia eſt, adeòut nimium rari ſint caſus in quibus earum aliqua non intret; Vel quia per ius municipale, (quod in pleriſque partibus præſertim verò in Vrbe viget) ità diſponatur; Vel quia fideiuſſor diù in obligatione ſteterit; Vel quia debitor conditionem immutauerit; Vel quia obligatio cum pactis executiuis, ac priuilegiatis concepta ſit, adeòut fideiuſſor ſub parata exequutione ſtare dicatur, vt in obligatione camerali, ſiue quarantigiata, vel ſimili verificari eſt receptum. M.

In iudiciali autem fideiuſſione, de iudicio ſiſti, vel iudicatum ſoluendo, aut
99 refectionis expenſarum præſtita, cadunt quæſtiones, non de facili certam, ac generalem recipientes determinationem, cuicumque caſui applicabilem, ſed pro facti qualitate decidendę; An ſcilicet, ea per abſolutoriam in ea inſtantia ſequuta euaneſcat, quamuis in cauſę progreſſu, alijſque inſtantijs, condemnatio ſequatur, ſiue an ſolum de illa inſtantia, eiuſque actis, ac expenſis, non autem de alijs intelligenda ſit, vt in ſua ſede. N.

Fideiuſſore iam preſtito, naturaliter, vel ciuiliter defecto, alium debitor (ceſſante pacto), ſubrogare non tenetur, vbi de conuentionali cautione agatur, niſi ſtatus immutatio actionẽ ſuſpicionis fugæ creditori tribuat, quod diuerſum habet inſpectionem, ac Rubricam; In ea verò cautione, quam ex legis diſpoſitione, vel ex Iudicis officio, vel pro forma, ſeù pro alicuius finis implemento dare oportet, iſta ſubrogationis obligatio intrat.

Aſſecuratio, fideiuſſionis eſt imago, eiuſque iure, pro veriori, magiſque re-
101 cepta ſententia, regulanda venit; Potiſſimum verò ſuper eius ſtricta ſignificatione, atque extenſionis prohibitione, vt non niſi caſum præciſum, ac expreſſum capiat; Adeòut aſſecuratio ſuper vna naui, aliam, quamuis eiuſdem ſpe-
102 ciei, non capiat, multò magis ſi de diuerſa ſit; Ita pariter, de loco, ſeù itinere, vel de mercibus, aut de perſonis, vel de modo, ſeù tempore, cum ſimilibus.

Duplex autem aſſecurationis ſpecies eſt, vna nempè, quæ perſonæ fidem, vel idoneitatem percutiat, eaque ab approbatione, ſeù laudatione reſultet, adeò-
103 ut à laudatoris, vel approbatoris teſtimonio, aſſecuratum ſe dicat ille, qui perſonæ laudatæ credidit, eiuſque fidem ſequutus eſt; Idque facti potius, quàm iuris quæſtionem redolet, ideoque certam determinationem genericam non recipit, ſed pro ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantijs decidendum eſt, præſertim verò, pro locorum, ac perſonarum ſtylis, & vſibus, vt in ſua ſede. O.

Al-

I. *diſc.* 144.
L. *diſc.* 105.
M. *diſc.* 103. & 104.
N. *diſc.* 99. & 100.
O. *diſc.* 90.

Altera verò in foro frequentior est, quæ super mercibus, vel pecunijs de loco ad locum vehendis fiat, potissimum verò si per nauigationem, quamuis etiamsi per terrestre iter traductio fiat, quod tamen longè magis rarum est.

Habet ista assecurationis species (vbi præsertim de maritimo itinere agatur), 104 quasdam antiquas leges, ex negotiantium concordi consensu initas, ac respectiuè receptas ab antiquo, priusquam legum ciuilium Romanorum casualis inuentio sequeretur, ac haberetur vsus, quibus *Consulatus maris*, vocabulum attributum est, illæque per vniuersum illum Christianum Orbem, qui inter eius incolas, pro ciuili vita commercium habet, à iustitiæ legibus regulatum, receptæ sunt; atque legum vim habent, nisi leges municipales, vel contraria consuetudo, earum aliquas aboleuerint; Siue contraria conuentio partium aliter statuat.

Hanc autem vim non habent, aliquæ peculiares Barchionensium, aliarumque 105 nationum recentiores leges, vel ordinationes, quamuis in eodem volumine registratæ sint, eisque vulgò idem attribui soleat nomen *Consulatus maris*; Nisi specifica accedat probatio, vt istæ in loco controuersiæ inter negotiatores, vsu receptæ sint, atque ad antiquarum instar, pro legibus obligatorijs habeantur; Ad id verò aduertendum est, cum pleraque producere soleat æquiuoca, huiusmodi particulares, ac modernas leges, promiscuè, seù pariformiter attendendo, vt antiquas; quæ generaliter, ac vbiq; ex antiquissimo vsu receptæ sunt.

Præ cæteris verò id verificari, docemur, apud aliquos modernos pragmaticos, in ea deductione octauæ partis 106 mercium, quam ab assecuratione faciendam esse, vtpote sub periculo domini mercium, qui assecuratus est, remanere debentem, Barchionensium ordinationes disponunt; Id etenim extrà eam ditionem recipiendum non est, nisi probetur in loco iam receptum esse, cum iuris communis dispositione attenta, quemadmodum prohibitum non est fideiussores pro toto debito recipere, ita pro integro mercium valore prohibitum esse non debet accipere assecurationem, quæ fideiussio fortunæ, seù euentus dicitur, siue illius habet imaginem, eiusque iure censetur.

Duplicem, earumdem mercium assecurationem pro eodem itinere, ac periculo facere prohibitum est; Secus autem si prò itinere, vel casu diuerso, siuè vbi plures essent diuersæ assecurationes, quæ simul iunctæ integrum mercium valorem non excedant, eo modo quo pro eodem debito, plures, ac diuersos fideiussores inter se distinctos, recipere non est prohibitum pro diuersis summis, quæ debitum non excedant.

Ea etenim est huius prohibitionis ratio, ne in casu periculi duplicatum earumdem mercium valorem assecuratus assequatur, ideoque huius lucri cupiditate, naufragij, vel alterius periculi casus, studiosè, vel collusiuè affectetur.

Atque hinc praxis inoleuit, in omnibus assecurationibus, pro generali, & consueto stylo excipiendi casum barat- 108 tariæ; Super cuius tamen verificatione, quæstiones forus frequenter audit, quando scilicet itineris mutatio, siue mercium, vel personarum prohibita introductio, seù non benefacta nauis refectio, ac similia, quæ nauis, ac mercium peremptionem, seu commissum causent, barattariam importare dicantur, vel potius simplicem culpam, cui hoc barattariæ vocabulum non congruat; Neglectisque varijs opinationibus, verius est, vt istud barbarum vocabulum iuri communi, veteribusque linguæ latinæ professoribus ignotum, quod pro ribalderia quoque tanquam synonimum vsurpatur, positiuam fraudem, ac affectationem casus importet, ad quem ipse culposus actus directè sit ordinatus; Puta quia nauarcus derelicto itinere destinato, vela ventis dederit versus Turcarum, vel aliorum hostium ditionem, in qua vtpotè extrà nostrum commercium, impunè barattariæ lucro potiretur, denegato iustitiæ aditu mercium dominis, vel quod studiosè, ac præordinatè, merces vel personas prohibitas in nauim introduxerit, vt ita collusiuum commissum sequatur, cum similibus, quibus eadem ratio congruat, secus vero si ad alium finẽ id gestum sit, ex quo commissum, vel alter periculi casus sequatur, quia tunc, culpam quidem, non autem barattariam id importabit.

An autem culpam (quamuis barattariæ metam non attingat) assecuratores
109 præstare teneantur, cadit etiam sub quæstione, in qua opinionum diuersitas quoque dignoscitur; Aliquibus simpliciter affirmantibus; Alijs è conuerso simpliciter negantibus; Alijs autem melius distinguentibus, vt lex conuentionis, vbi per eam id præuisum sit, antè omnia seruari debeat; Ista verò cessãte, adeò vt per iuris tramites quæstio decidenda veniat, tunc vbi idem culposus nauarcus, mercium assecuratarũ dominus, vel particeps esset, culpa culposi damno, atque periculo cedere debet, non autem assecuratorum, quantumuis ampla, omniumque casuum complexiua sit assecurationis formula; Idemque si mercium dominj, eiusdem nauarchi fidei, earum curam, ac administrationem commiserint, eis etenim imputandum est, cur minus diligentem administratorem elegerint; Secus autem si culposo nauarco, seù vectori, solum vecturæ munus commissum sit, Alter autem mercium institor,
110 vel curator sit præpositus, cui *sopracarico* vocabulum, ex communi vsu tribuitur, cum tunc, illius quidem culpa, præponentis damno cedat, non autem ea vectoris, quæ inter casus ad hunc effectum constituenda videtur; Potissimè verò, vbi barattariæ, vel alterius speciei accedat exceptio, quæ regulam in reliquis firmet.

Aliorum verò insolitorum, ac verisimiliter non præuisorum casuum dam-
111 num, cuius nam esse debeat, (neglectis consuetis opinionum varietatibus), ex verborum assecurationis prægnantia, vel restrictione, fortius autem ex regionis moribus, vel stylis, ac negotiatorum iudicio, decisionem recipere videtur pro qualitate facti, cuius potius est quæstio, quam modernæ assecurationum formulæ dirimere curarunt, quamuis numquam sufficienter, vt assecuratorum subterfugia, & subtilitates, facto casu, effugi valeant.

Vbi autem contingat, vt in diuerso loco fiat illius nauis assecuratio, quæ
112 tunc iam perierat, siue aliàs casum passa erat, adhuc verius est assecurationem substineri, ac afficere; Nisi ex facti qualitate, assecurato verisimiliter casus contingentia innotescere potuerit, vnde
113 fraudis suspicio cadat, (cuius contrarium in spolionibus est verius), adeant nulla iuris quæstio sit, sed facti, ex illius qualitate, & circumstantijs, prudentis iudicis arbitrio decidenda, cum itineris, ac temporum qualitas, aliaque accidentia, in proposito ponderanda sint, vt in sua sede aduertitur, cum desuper certa regula, cuicumque casui applicabilis statui non valeat.

Super casus iam sequuti iustificatione,
114 vt assecuratis actio aduersus assecuratores pro commissa stipulatione competat, quæstiones etiam frequenter in foro cadunt, certam pariter, ac generalem non recipientes regulam, cum probationis materia Iudici arbitraria sit, pro facti qualitate regulanda, potissimum, àn deferendum sit nautis; Idq; ab eorum interesse pendet; Ea specialitate in hac materia concurrente, vt ob difficilẽ probationem per alias species, vel testes magis idoneos, minus idoneis adhuc deferre congruat, quamuis in proximo naufragij loco, ad formam consulatus maris, vel styli, eorum testimoniale, parte non citata, absque tela iudiciaria recipiatur; Nisi id in eo loco fiat, in quo parte interessata presente, citatio, aliaque congrua acta impleri valeant, tanquam à cessante dictæ specialitatis ratione.

Eadem probationis inspectio cadit super ipsarum mercium oneratione, ea-
115 rumque qualitate, & quantitate, quod pariter ex facti qualitate, potissimum verò ex loci vsu determinationem recipit; Melior autem, magisque subiectæ materiæ congrua reputatur ea probatio, quæ per apocam oneratoriam (quæ *dicarico* vulgò dicitur) fiat, siue per librum, seù fidem, pro stylo, Scribæ nauis, qui Notarij personam, seu figuram in hac specie facere dicitur.

Valoris item liquidatio, controuersias frequenter parit, vtpotè necessaria, ad hoc, vt ad certam summam, seù quantitatem condemnatio fieri valeat, potissimùm autem, àn locus à quo, vel ille
116 ad quem attendi debeat, quod cum distinctionibus decidi solet, de quibus in sua sede, quamuis frequentius conuentionalis partium taxa, quæ de iure valida, & cõmendabilis est, huiusmodi quæstiones dirimat.

Si-

Si verò diuersæ sint merces sub assecuratione cadentes, in quibus diuersus ex dicta conuentione valor sit statutus, ea-
117 rum verò aliquæ periculum passæ sint, aliæ verò non; Quæstionis pariter est, an extantium lucrum, peremptarum, vel diminutarum damnum compenset; Talisque est regula affirmatiua, ex facti diuersa qualitate limitanda.

Ex præmissis autem legibus maritimis,
118 quibus consulatus maris vocabulum tribuitur, clariusue ex ipsarum assecurationum consuetis formulis, statutum est, vt aduersus assecuratores, executiuum, ac summarium iudicium, per supra enunciatas, vel similes exceptiones non sit retardandũ, adeout in dubio solutio præcedere debeat, postmodum verò de exceptionibus disputari; Adhuc tamen praxis frequentior docet, id non sufficere, adeout experientia probet, vt assecurationes, aliam non cauſent effectum, nisi illum certi damni solutionis pretij, quatenus casus non contingat, eo autem contingente, frequentius longæ, ac dispendiosæ lites oriuntur.

Alia species est assecurationis pecuniæ, quæ vere traiectitia non sit, iure aliarum mercium recensenda, sed negotia-
119 tioni exposita, siue super ipsamet negotiatione, eiusq; lucris, ac forte expositæ, quod vsurarum, seù nautici fœnoris materiam percutit, ideoque in propria sede agitur. O.

Cap. V.

De actione, vel ordine iudicij, ad effectum cogendi debitorem, vt creditori soluat quod debet.

POsita debiti substantia, seù veritate, tam de iure, quàm de facto, adeòut nulla iuridica, impugnatiua, vel modificatiua exceptione debitori competente, adhuc tamen debitum soluere ip-
120 se negligat, vel renuat, ideòque de solo actionis exercitio, siuè coactionis remedio agi contingat, tũc potiùs alteram iudiciorum, ac praxis materiam, vel sedẽ, quàm istam id percutere videtur; Quia verò sub hac debiti, & crediti tractatione, pleraque id concernentia adnotantur; Hinc eadem obiter insinuare, quamuis ibi latiùs agatur, incongruũ non est.

Aut igitur, nulla peculiaris ratio iuris municipalis, vel consuetudinis, seù pacti vrgeat, quæ processum summariũ, & executiuum suadeat, adeò vt cum ge-
121 neralibus iuris communis regulis procedere oporteat; Istoque casu, vbi de merè personali actione agatur, quæ per capturam personæ, vel pignorum ad exercitium deducenda sit; Regula est, vt in iudicio ordinario per tres cõformes, vel rem iudicatam terminando, id sequi debeat quamuis publicum instrumentum desuper accedat, quinimò illud iuris iurandi religione vallatum sit; Li-
122 cèt enim aliquorum sententia sit, vt iuramento hæc operatio tribuatur summarij, ac executiui processus; Verior tamen, magisque recepta est contraria opinio, cum id nullibi iure cautum sit, atque regulam generalem habeamus, vt processus executiuus præter consuetum iuris ordinem, non nisi in casibus à iure expressis, competat P.

Vbi verò, in vim hypothecæ, vel pacti de capiendo propria auctoritate, siuè clausulæ constituti, reale, seù rei perse-
123 cutorium remedium, vel interdictũ, in solo adipiscendæ possessorio ad bona debitoris obtineri contingat, vt frequẽtiùs in eo, quod *saluianum* dicimus, praxis docet, siuè in eo, quod *associationis* nuncupatur; Iuris ciuilis dispositione attenta, summarium est, ac exequutiuum iudicium, quod suspensiuam appellationem non admittit, nisi nullitatis, vel iniustitiæ, aut mixturæ, siuè excessus ra-
124 tio aliter exigat; Secùs autem, si illud intenterur iudicium hypothecæ connaturale, quod *hypothecaria* dicitur, cum istud petitorij quandam speciem habeat.

Illud autem, quod in possessorijs interdictis lex ciuilis concedit, lex canonica negat, ideoque ista, suspensiuam quo-
125 que appellationem admittit, præterquam in eo remedio, quod associationis dicitur, quod nõ ex sola hypotheca competit, sed constituti clausulã, vel capiendi propria auctoritate facultatem exigit; Huic etenim, in forma summaria-

pro-

O. *Disc.* 106. & *pluribus seqq. vbi de omnibus præmissis, ad materiam assecurationis.*

P. *Disc.* 116.

pro ſola conceſſione familiæ petito magis communis, ac vſu recepta opinio, vbi etiam cum iuris canonici diſpoſitione procedatur, appellationem ſuſpenſiuam denegat, atque proceſſum executiuum decernit.

Quamuis autem in temporali Eccleſiæ ditione, etiam inter laicos, & coram
126 Iudice ſæculari, cum iuris canonici diſpoſitione potiùs, quàm illa ciuilis procedendũ ſit; Ægydiana tamen Conſtitutio, Apoſtolica auctoritate ad Vrbẽ vniuerſumq; Italicum temporalem Statum immediatum extenſa, iuris ciuilis diſpoſitionem in hac parte reſtituit, atque ſuſpenſiuam appellationem ſubſtulit; Quia verò Pontifex, cum laicali tantùm, non autem Pontificia poteſtate id agere ex-
127 plicitè, vel implicitè profeſſus eſt, hinc inter ſolos laicos in laicali foro, de laicalibus bonis contendentes procedit, adeò vt, nulla perſonarum, vel bonorum eccleſiaſticorũ, aut fori eccleſiaſtici mixtura accedat; Ea etenim accedente, firma iuris canonici diſpoſitio remanet, quamuis perſonæ eccleſiaſticę qualitas in victore, ſeù creditore concurrat; Atq; reſpectu bonorum Eccleſiæ directum dominium ſufficit, licèt de ſolo vtili inter laicos quæſtio ſit. Q.

Omnium ferè Ditionum, ſeù Principatuum leges, vel ſtyli, præmiſſam iuris communis regulam, ſuper iudicio
128 ordinario, ferè inanem reddiſſe videntur, cum ferè vbique locorum, particulares leges, vel contrahentium conuentiones, viam exequutiuam, inſtrumentis, vel reſpectiuè apocis, aliiſque documentis tribuant; Vt in noſtra Italia, iuxtà Principatuum, ſeù Ditionum varios mores, praxis docet; In temporali etenim Eccleſiæ Principatu, ac etiã
129 generaliter cum perſonis eccleſiaſticis in foro eccleſiaſtico, inoleuit quædã obligationis formula, quæ cameralis, vel in forma cameræ dicitur, per quam, in ſummario, nimiumque priuilegiato executiuo iudicio, appellationem, omnemque aliam exceptionem extrinſecã, ac altiorem indaginem requirentem excludendo, proceditur cum vnica citatione; Quoties tamen præcedat eiuſdem obligationis formulæ extenſio, quæ neceſſaria reputatur, vt ad executionem deueniri valeat, niſi ex conuentione ſpeciali, conſentiendo in vnicam citationem, dictæ extenſioni renunciatum ſit, eaque habita pro facta; Iſtaque conuentio, quamuis non expreſſa, ſubintelligitur in obligationibus, aliiſque contractibus initis per Notarios A.C., pro eorum peculiari ſtylo.

Pluribus quęſtionibus cadẽtibus, ſuper huius obligationis operationibus, ac effectibus, eiuſdemq; retardatione, & præſertim circa ſtipulationem, quam ſub ſe continet fauore omnium intereſſe habentium, licèt abſentium, vt procedat reſpectu habentium intereſſe principale, ſeù coæquale, non autem acceſſoriũ, vel accidentale, ſed de his, ac aliis in ſua iudiciorum ſede habetur. R.

In Regni Neapolis laicalibus Tribunalibus, ex quodam illius M.C.V. Ri-
130 tu, qui Regia auctoritate in ſcripturam redactus, vbique legis vim habet, quidam rigoroſus proceſſus exequutiuus practicatur, in forma iudicij criminalis, cui quædam pœna pecuniaria fiſco applicanda, atq; loco antiquæ maioris pœnæ amputationis manus dexteræ, ob periurij reatum, annexa eſt, ſoluenda per debitorem, qui debitum ſtatuto tempore, contrà fidem datam non ſoluit, et è conuerſo debita per creditorem, qui indebitum petat; Ideòque tanquam in criminali iudicio, debitor, non per procuratorem, ſed ſolum perſonaliter comparendo, auditur in vinculis, vel facto depoſito, & non aliàs, niſi in continenti, per æquè publicum inſtrumentum liquidum, de ſolutione doceat infrà ſibi ſtatutum peremptorium terminum; Ipſeque creditor pariter ex eadem ratione iuramenti ſuper crediti veritate per ipſũ præſtandi, ob quod dictæ pœnæ quoque ſubijcitur, per procuratorem non auditur, ſed eius perſonalis præſentia neceſſaria eſt, cui, vt ibi dicitur, de facie ad faciem, ſolutio promiſſa ſit, adeout neque ceſſionarius ad id admittatur; Herede tantùm legitimè declarato in hoc admiſſo.

Non omni tamen credito experiendo iſtud iudicium competit, ſed illi tantùm, quod per publicum, ac iuratum inſtru-

Q. *De his omnibus ſub tit. de iudicijs.*

R. *Eodem tit. de iudicijs.*

instrumentum, in ea solemni, seù probanti forma, quæ per eiusdem Regni leges præscripta est, redactum, omninò ex sui facie liquidum sit, nulla indigens alia extrinseca probatione, vel liquidatione, nisi hæc, per æquè publicum, ac liquidum instrumentum incontinenti facta sit, cum plerisque alijs formulis, ac declarationibus, quæ apud eiusdem Regni Sapientes habentur.

Quāuis autē eiusdē Regni ecclesiastica Tribunalia hāc iudicij formam, seù pra-
131 xim vsu recipere, cōtrà clericos, & ecclesiasticas personas cœperint; Attamen id illicitum esse Curia Romana censuit, quasiquod incongruum sit, pro ciuili debito, criminale, ac pœnale, famosumq; iudicium peragere, interdicta præsertim dictæ pœnè exactione. S.

E' conuerso autem incongruum, ac scandalosum reputant laici, vt pro pecu-
132 niario, vel alterius rei temporalis merè priuato debito, in vim dicti alterius iudicij obligationis cameralis, seù alterius exequutorialis, ecclesiasticarum cē-surarum vsus habeatur; Improbabile tamen est scandalum, cum id nonnisi in subsidium practicetur, quatenùs debitoris positiua malitia, seù proteruia accedat, atque creditori de facto impediat, ex potentia, vel occultatione, suorum iurium experimentum, in persona, vel bonis; Ideoque hoc subsidiarium remedium denegatur aduersùs minùs idoneum, qui ex impotentia potiùs, quàm contumacia, seù proteruia non soluat, vel non impleat id, quod debet, quasiquod istud spirituale remedium pro spiritualis delicti punitione adhibeatur, quoniam voluntaria contumacia debitoris idonei, spirituale positiuum delictū redolere videtur. T.

Per aliàs verò Italiæ partes, versus montes, in vsu est ea antiquior obliga-
133 tionis formula, quæ quarantigia dicitur, processum exequutiuum, aliaque priuilegia continens.

Neque alia, pro ditionum, seù dominiorum varijs legibus, vel stylis, aut contrahentium conuentionibus, desunt iudicia exequutiua, vt præsertim in di-
134 cto Regno, ac altero Siciliæ vltrà Farum, sunt obligationes penès acta iudicij, ac bancorum, seù tabularum apocæ, seù partitæ, cum similibus, quæ certam, & determinatam regulam non recipiunt, cum à singulorum locorum legibus, vel stylis totum pendeat.

Generaliter autem, ac vbique, ex iuris communis dispositione, vel inten-
135 tione, summarius, atque exequutiuus processus conceditur, contra eum, qui coram Iudice in forma iudiciaria debitum agnoscat, ac fateatur; Necnon
136 contrà depositarium, seù fisci debitorem, illumque Ciuitatis etiam, seù publici ærarij ex annonaria, vel alia publica causa debitorem; Ac generaliter in omnibus ijs, quæ de sui natura celeritatem desiderant, atque appellationis, vel alterius telæ iudiciariæ dilationes, absq; irreparabili præiudicio non admittunt, vt præsertim in præsentibus, vel futuris alimentis subsidiarijs, atque Iudicis of-
137 ficio debitis ei, qui aliundè prouisus non sit, ex regula quod venter dilationem non patitur, praxis docet, non autem in præteritis, vel ijs, quæ citrà subsidij casum actionis iure, personę aliàs prouisæ debita sint, cum similibus, in quibus eadem vrgentia, seù promptæ prouisionis ratio intret.

Ex generali pariter, seù communi vsu, vel introductione, pro communis com-
138 mercij ratione, ac publica vtilitate, cābij litteris, ac mercatorum, & campsorum cedulis, & apocis, quinimò, & paruis pagellis, quæ vulgò *pagarè* nuncupantur, siuè in nundinarum, ac mercatorum negotijs, & contractibus, ac etiam inter quoscumque priuatos, pro habitationis domorum pensionibus, idem processus summarius, & exequutiuus generaliter introductus est, vt etiam Romana Curia, pro solutione ecclesiasticarum pensionum introduxit, vt in sua peculiari pensionum sede aduertitur.

Posita verò huiusmodi processus competentia, quæstiones cadunt (quibus in foro nullæ frequentiores), super exceptionibus, quæ per debitores deduci solent, an, & quando ità incontinenti probatæ

S. *Dicto disc.* 116.

T. *Eodem tit. de Iudicijs, & tit. de censur. in diuersor. Ecclesiast.*

batæ dicantur, vt in huiusmodi exequutiuo processu admitti mereantur, illumque retardare aptæ sint.

Quamuis autem aliquas generales regulas desuper habeamus, vt nempè tales dicantur solum, quæ ex facie, seù ventre
139 oriantur eiusdem scripturæ, ex qua oritur actio, vt præsertim sũt; Illa implemẽti per creditorem prius faciendi, siuè in illa liquidationis, vel purificationis dèbiti contingit, vbi de illiquido, vel conditionali agatur; Aut vbi exceptio per rem iudicatam, siuè creditoris confessionem, aut omninò clarum & liquidum publicum instrumentum, quod probabilem exceptionem non patiatur; Siuè etiam, vbi ea consistat in solo puncto iuris clari, absque alio extrinseco facti adminiculo, adeòut (sicuti nostri dicunt), ex librorum apertura, ictu oculi, res incontinenti decidi valeat; Adhuc tamen, vt praxis docet, certa, & determinata regula desuper tradi non potest, cum pro locorum legibus, vel stylis ex facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantijs decisio pendeat proludicũ, seù magistratuũ arbitrio.

Illum autem stylum Romana Curia perpetuò damnauit, qui in dicto Siciliæ citrà, seù Neapolitano Regno habetur, vt
140 pro obligationibus penès acta, vel pro cambij litteris protestatis, nulla præuia, nec quidem vnica debitoris citatione, ad exequutorialium relaxationem, earumq; exequutionẽ procedatur, cũ id nullã iuris probabilẽ rationem habeat, vnica saltim citatione, in quibuscumq; actibus ex ipso naturæ iure desiderata nõ accedẽte; Quamuis etenim ea in obligationibus penès acta ratio tribuatur, quæ in confessum coram Iudice absque vlteriori citatione ex iuris communis regulis hunc processum exigit, non tamen congrua, seù adaptabilis ratio est, cum hæc voluntaria conuentionalis obligatio, non eamdem sapiat speciem, seù rationem habeat, quæ verè iudiciali confessioni contentiosi iudicij calore factæ congruit; Ac etiam, quia huiusmodi conuentionales obligationes, tempus, ac diem, vel conditionem continere solent, cuius purificatione, vel cessu pendente, solutio vel implementum sequi potuit, aut alia legitima, & prompta exceptio superuenire, quę per non citatum deduci non potest, minusque, absque saltim vnica citatione, Iudex certus saltim præsumptiuè reddi, an obligatio, quæ coram ipso inita est, adhùc subsistat, ac exequutionem mereatur. V.

Conceditur in suis casibus iste summarius, ac exequutiuus processus, qui contrà ipsum principalem debitorem, competeret, etiam contrà vniuersalem hæredem, quoties omninò certum sit, il-
141 lum inuentarij beneficio destitutum esse, ac etiam extrà dubietatem vt esset talis, secùs autem, vbi, vel ipsa hæreditaria qualitas sub quæstione sit, vel de inuentarij beneficio adhibito constet, quamuis illud minus legitimè confectum esse, vel quod rationes sufficienter redditæ non sint, per creditorẽ prætẽdatur, cum de hoc in ordinario iudicio contrà hæredem in persona, & bonis proprijs, agendum sit, non autem in exequutiuo; Duplici etenim casu tantùm, cum hæde, in persona, & bonis proprijs, processus exequutiuus intrat, Vel vbi posita certa hæreditatis aditione, pariter certa sit inuẽtarij negatiua; Vel vbi cõtumacia accedat, ob quã huiusmodi nõ existentiæ præsumptionem, lex inducat, quia nempè, monitus de inuentarij confectione, vel rationum redditione, infrà terminos, pro Tribunalium vario stylo seruari solitos, comparere negligat, veramque incurrat contumaciam, quæ huiusmodi exequutiuum iudicium contrà eum producit. X.

Istoque exequutiuo, vel summario iudicio contrà principalem debitorem, vel hæredem competente, variationis etiam
142 quæstiones cadunt, an scilicèt, creditori, qui iudicij ordinarij formam aggressus est, licitum sit, variando, ad illam iudicij exequutiui regredi; Siuè in eadem exequutiui iudicij forma, exequendi modum variare, à reali scilicèt exequutione ad personalem, velècontrà; Siuè in eadem

V. *de his ordinem iudicijs concernentibus cod. tit. de Iudic. & hoc tit. dicto disc.* 116.

X. *dicto tit. de iudicijs, ac etiam tit. de hærede,*

eadem realis exequutionis ſpecie, de vna re ad aliam, quod pariter certam regulam generalem cuicumque caſui applicabilem non recipit; Quamuis enim in exequutiuis, pro variandi facultate creditori aſſiſtat regula, limitationem tamen de facili pro Tribunalium diuerſo ſtylo ea recipit. quando æquitas, vel alia facti qualitas, pro Iudicis prudenti arbitrio regulanda, diuerſimodè ſuadeat.

Hinc proindè, quamuis lex contrà debitorē, vel ſucceſſorem ab eo cauſam immediatè habentem, actionem tribuat, ſuper vna, vel alia re debitoris, pro eius
143 arbitrio, ac voluntate ſua iura experiri, quamuis aliquarum rerum ſpecialis obligatio accedat, cum neceſſitas, quam lex regulariter induxit (extrà caſus limitatos inferius recenſendos) experiendi prius ea, quæ ſpecialiter obligata ſunt, adeòut ad alia ſub generali obligatione cadentia, ſubſidiarius eſſe debeat regreſſus, procedat fauore ſecundi creditoris, vel tertij, qui ex particulari oneroſo, ſeù correſpectiuo titulo poſſideat iure domini, non autē, ipſius debitoris, vel eius ſucceſſoris reſpectu; Adhùc tamen, pro Tribunalium diuerſo ſtylo, pro Iudicis arbitrio, ex quadam non ſcripta æquitate pro facti qualitate regulanda, huiuſmodi arbitrium moderationem recipere ſolet, vt ſi abſque creditoris notabili præiudicio eius iurium experimentum in bonis debito magis proportionatis ſequi poteſt, in alijs magis pretioſis, vel qualificatis, exequutio permittenda non ſit; Quod tamen, vtpotè ex facti qualitate diuerſiſque Tribunalium ſtylis determinationem recipiens, non de facili certam, ac determinatam recipit regulam cuicumque caſui congruam. Y.

In vniuerſali autem donatario, alia quæſtio cadit, an adinſtar vniuerſalis hæredis, eidem exequutiuo proceſſui ſubiaceat, ob regulam, quod loco hære-
144 dis haberi videatur; In puncto autem iuris negatiua verior eſt, ex non ſcripta æquitate, ſeù Tribunalium ſtylo limitari ſolita, vt in peculiari donationum ſede aduertitur. Z.

Contra tertium bonorum debitoris poſſeſſorem, hic proceſſus exequutiuus, in actione perſonali denegatur, quamuis
145 de ipſorummet bonorū debitoris exequutione agatur, cum penès tertium, realia, vel rei perſequutoria remedia, lex tantùm concedat; Dummodò tertij poſſeſſio ſit iure dominij per ipſum prætenſo, ſecùs verò, vbi iure pignoris, cum tunc bona in dominio, & poſſeſſione debitoris, non autem tertij eſſe dicantur; Niſi lex poſſidendi titulum infectum decreuerit, vt in ijs alienationibus, vel dominij translationibus contingit, quæ poſt litigioſi vitium verè contractum, fiant, ſiuè quæ fraudulenter, & colluſiuè, in paratæ exequutionis fraudem, aut quę fiat per iam certò decoctum, vel decocturum, cui à lege, fortiùs autem, ſi quoque ab homine perconcurſus introductionem bonorum adminiſtratio interdicta ſit. A.

In pleriſque tamen regionibus, ex earum peculiaribus legibus, quandoque iudicium exequutiuum, etiam contra
146 tertium admittitur, vt præſertim in Vrbe, dotis fauore ſtatutum eſt B; Atque in Siciliæ vltrà farum Regno, eiuſque adiacenti Meleuitana Inſula (quæ eiſdem legibus, ac ritibus regitur), pro cenſualis contractus implemento, etiam contrà tertium, ex lege peculiari, via exequutiua competit; Quamuis enim iſta lex, alteri Siciliæ citrà, ſeù Neapolitano Regno quoque ſit communis, vſus tamen in eo id non recepit. C.

Cum igitur contrà tertium bona debitoris, ex proprio iure, proprioque do-
147 minio poſſidentem, exequutiuus proceſſus in actione perſonali, non ſit regulariter experibilis; Hinc proindè, chirographarijs creditoribus, quibus, vtpotè hypotheca deſtitutis, non niſi perſonalis actio competit, nullum contrà eum proditum eſt remedium, niſi illud, quod prouenit ex edicto Prætoris *de his, quæ in fraudem creditorum geſta ſunt*, quia nem-
148 pè conſtet alienationem factam eſſe in fraudem, cuius tamen particeps eſſe probetur ille, cui ea facta ſit, cum in dubio non præſumatur, quoties de oneroſo, &

Y *hoc tit. diſc.* 126. *& ſeq.*
Z *ſub tit. de donat. diſc.* 45.

A. *tit. de iudicijs.*
B. *tit. de dote, diſc.* 57.
C. *dicto tit. de iudic.*

correſpectiuo contractu agatur; Secùs autem ſi de lucratiuo, in cuius caſu, nedùm hæc actio competit, ſed etiam alia æquitatiua, quæ de vtili in rem verſo dicitur, fundamentum habens in ea æquitatis regula, quæ prohibet locupletationem cum alterius iactura.

Itaque actio de in rem verſo, ſeù de vtili ſubſidiaria vendicatione, quæ ex eadem æquitate prouenit, cõceditur etiam contrà illum tertium, ad quem conſtet, quod in ſpecie, vel in æquipollenti pecunia, vel alia re creditoris obuenerit, vt
149 frequentiùs praxis verificari docet, vbi per debitorem, de pecunia vel bonis creditoris, tertij debita ſoluta ſint, ſeù aliàs vtile eius negotium geſtum ſit.

Duplex autem copulatiuum requiſitum pro huiuſmodi actione deſideratur, Illud ſcilicèt ſubſidij, quia nempè aliàs creditori conſultum non ſit cum directo debitore, cuius bonorum excuſſio validè præceſſerit; Niſi notoria ſit inſufficientia, ideòque certum ſit inanes eſſe diligentias; Et alterum, vt tertius, de tempore quo, actio hæc ad exercitium deducitur, lucratiuam foueat cauſam, adeòut verſum duret, ſiuè vtilitas in ſpecie, vel in æquipollenti adhùc præexiſtat, & non aliàs; Nil enim refert, an de pecunia creditoris, debitor tertij debita extinxerit, ſeù aliàs in eius vtilitatem erogauerit, ſi ille, huiuſmodi negotij geſtorem reintegrauerit; Siue quod pecuniam, vel rem à debitore, tanquam rem ſuam effectam, citrà fraudem, ac malam fidem, tertius libenter in ſuperfluos vſus impenderit, aliàs non impenſurus, adeòut verſum, de tempore petitionis non duret, minuſque pro duranti habendum ſit, vt durare lex fingit in eo, qui dolo egit, nè duraret; Adinſtar eius, qui dolo deſijt rem poſſidere, vt ità, domino, vel creditori eius vendicationem impediat, cum tunc pro poſſeſſore habeatur, ideòque ad valorem, ſeù æquiualentiam hæc actio ſubſidiaria conceditur. D.

In temporali quoquè Eccleſiæ ditione, ex eius peculiari lege, Baronum, ac
150 domicellorum creditoribus, ex officio cuiuſdem Tribunalis, quod ſub Congregationis Baronum vocabulo explicatur, quamuis ſola perſonalis actio competat, ius conceditur, etiam in ſummario, & exequutiuo proceſſu, contra tertium iure proprio fideicommiſſi, vel inueſtituræ poſſidentem, obtinere exequutionem, ac venditionem bonorum, quæ per Baronẽ debitorem poſſeſſa fuerint, quamuis per eius mortem naturalem, vel ciuilem ſuum ius ceſſauerit, ſuæquè poſſeſſionis titulus reſolutus fuerit, cum praxi tamen, ac declarationibus, de quibus in propria, & particulari huius legis ſede, vel tractatione. E.

Vbi verò creditores, hypotheca muniti ſint, ad bona in libero commercio exiſtentia, atquè per debitorem ex ſola priuata conuentione hypothecabilia,
151 ſeù etiam ad ea, quæ licet non libera, ſed differentia, cum ea ſolemnitate, quæ neceſſaria reputetur, hypothecata ſint, etiam contra tertium, ſiuè immediatum, ſiuè mediatum, reale, vel rei perſequutorium remedium competit, quo mediante, poſſeſſionem, vel retentionem bonorum creditor nactus, ità ſui crediti conſequutionem obtineat; Denegatur autẽ hypothecæ proſequutio in mercibus, aliiſquè vſualibus rebus, contra tertium, in quem, citra fraudem, oneroſo titulo diſtractæ ſint ex quadam æquitate, à commercij libertate inducta. F.

Iſtud autem reale, ſeù rei perſecutorium remedium, quod pro freqnentiori praxi triplex eſt; Vnum ſcilicet, quod hypothecariæ actionis dicitur, in praxi tamen magis rarum, vt potè ſpeciem habens petitorij, ideoq; in ordinario, ac appellabili iudicio tractandum, atque facilius admittens exceptiones altioris indaginis; Alterum, quod Saluiani interdicti dicitur, in praxi frequentius, vt potè priuilegiatum, vt altioris indaginis exceptiones non admittat, neque ſuſpenſiuam appellationem, ſolum dene-
152 gandam, vbi cum iuris canonici diſpoſitione procedere oporteat; Iſtudq; remedium proditum eſt, vt creditor in bonorum ſibi hypothecatorũ poſſeſſionem immiſſus, ex eorum fructibus, tanquam

D. *diſc.72.& ſeqq.*

E. *ſub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum, diſc.73.& ſeqq.*

F. *diſc.22.*

quàm ex pignore prætorio sibi satisfaciat, ipsa bona restituere obligatus priori possessori postquam satisfactio sequuta sit; Frequenter in hoc iudicio cadentibus in foro quæstionibus, super quantitate fructuum, ex quibus satisfactio resultet, quomodo scilicèt ea iustificanda
153 sit; Receptumquè est, ipsius creditoris notulam, seù assertionem sufficere, donec per eum, qui contrarium prætendit, iustificetur; Talem autem notulam iuris iurandi religione munitam esse debere, praxis frequentiùs recepit, nisi facti circumstantiæ ab hac iuramenti præstatione excusent, vt in sua sede.

Quæstione item cadente, àn percipiendos quoquè imputare teneatur, eo modo quo in cõuentionali pignore cautum esse proximè sequenti Rubrica ad-
154 uertitur; Veriùs tamen est, magisquè receptum, vt in hoc huiusmodi prætoriũ pignus à conuentionali differat, vt non nisi de perceptis, vel de ijs, qui merè culposè percepti non sint, non autem de percipiendis teneatur creditor, qui vice administratoris, vel procuratoris debitoris nomine huiusmodi bona possidere dicatur, adhuc tamen, quia talis in rem propriam est, ex legis, vel Iudicis beneficio, non autem ex conuentione, idcircò minus grauatur, quàm ille, qui conuentionale pignus recipit. G.

Crediti præexistentiam, seù veritatem, cum hypothecæ qualitate per necessè hoc iudicium exigit, nequè creditori hypotheca destituto conceditur;
155 Istaquè etiam accedente, aduersus possidentem ex hypotheca anteriori denegatur; Illudquè solum competit ad ea bona, quæ de tempore contractæ hypothecæ, vel posteà per debitorem iure proprio possessa sint, non autem ad ea, quæ tunc iam distracta essent, ideoquè sub præsentium, vel futurorum hypotheca non cadant, cum alijs ad huius remedij materiam in magis propria iudiciorum sede. H.

Tertium est remedium, quod vulgò associationis dicitur, istudque pinguius est, magisquè priuilegiatum, dum etiam ad ipsius proprietatis distractionem,
156 Iudicis facto mediante, post illud obtentum deueniri potest, quod in altero remedio saluiani denegatur, nisi Principis, vel supremi Magistratus indulgentia concedat, pro varia locorum praxi; Ac etiam quia, ex magis recepta sententia, iuris canonici etiam dispositione attenta (vt superius etiam insinuatur) istud remedium suspensiuam appellationem non admittit, ideoquè tãquam magis exequutiuum, vberius reputatur, quando competere potest; Illud autem non adeò frequenter praxis docet, cum pro eius competentia, vltra hypothecam, aliaq; extrema, quæ in altero saluiani requiruntur, clausula cõstituti, vel pactum, seù facultas capiendi propria auctoritate desideretur, atquè sine vno, vel altero, nõ competit, nisi venditori, vel domino, cui dominij reseruatio, vel reseruata manuũ iniectio assistat.

Eatenus verò executiui processus beneficium huic remedio competit, quatenùs Iudicis brachium, seù familia
157 in forma summaria, & quodammodò extraiudiciali petatur, vt ità ex proprio iure, propriaquè auctoritate potiùs actus adipiscendi possessionem sequatur; Secùs autem si cum telæ iudiciariæ formalitate, ob quam suo iuri renunciasse videatur.

Adeoquè extraiudicialis, ac propria auctoritas in proposito considerandaue nit, vt antiquiorum magis communis
158 sententia sit, nequè possessoris citationem adhibendam esse; Contrarium tamen ex moderniorũ magis recepto sensu praxis penè vbiquè recepit, ex quadã vrbanitate, seù congruentia, quæ meritò transijt in necessitatem, cum multa possessori competere possint, quæ huius remedij exercitium impediant, ideoquè iustum, & congruũ est, vt inauditus possessor de facto, propria possessione non spolietur. I.

In sæpiùs enunciato Neapolitano Regno, ex eius peculiaribus legibus, quoddam possessorium remedium creditori
159 hypothecario aduersus tertium possessorem bonorum, quæ sibi affecta sint, in

G. *De dicta materia saluiani, & fructibus disc.* 133. *& seqq.*

H. *sub tit. de iudicijs.*

I. *eod. tit. de iudic.*

vsu est, quod *Affidentia* dicitur, per quod ipsorum bonorum adiudicatio pleno iure in satisfactionem creditori per iudicem conceditur, siuè eodem creditore eligente, ad eorum venditionem proceditur, vt de pretio satisfiat, quoties tamen ea requisita, seù extrema concurrant, quæ in alijs enunciatis remedijs necessaria sunt, illud præsertim hypothecæ, sub qua cadant bona, ad quæ remediũ
160 exercetur, dum clausula constituti, ac facultas, seù pactum capiendi, tanquam de stylo apponi solita, inesse censentur, quamuis appositа non sint.

Certant proindè Regnicolę super specie, quam hoc remedium redoleat; Aliquibus opinantibus esse primam hypothecariæ actionem; Alijs autem esse secundam saluiani interdicti; Et alijs esse
161 tertiam associationis; Vndè propterea Rota Romana, ac exteri DD., quandoquè pro vno, & quandoquè pro altero ex his remedijs, istud vsurparunt; Verius tamen magisquè receptum videtur, vt sit quoddam mixtum à regionis moribus vel stylis inductum, quod de omnibus tribus speciebus participet; Ideoquè de stricta iuris censura peritorij potiùs, quã nudi possessorij speciem redoleat, dum ipsorum bonorum in proprietate adiudicationem, seù venditionem causat, ac propterea suspensiuam appellationem, iuxtà ordinarij iudicij naturam, recipere deberet, quam ex altera peculiari lege regionis non recipit; Adhùc tamen ista lex moderationem à recepta praxi sortita est, vt in solo casu adiudicationis id admittatur, secùs autem in altero venditionis.

Cadente quæstione in omnibus his remedijs realibus contrà tertium exercendis, an priùs principalem debitorem ex-
162 cutere oporteat, et quamuis affirmatiua sit regula, attamen ob clausulas, vel ob pacta executiua, seù pro stylo, ista regula ab vsu exulasse videtur. L.

Possessori verò, siuè iure crediti posterioris, siuè iure dominij sit, aduersus hæc omnia remedia, vel similia, lex iuris offerendi beneficium concedit, vt scilicèt
163 creditorem agentem cum sui crediti oblatione repellere valeat, dum etiã ipsimet debitori, vel hæredi id cõcessum est.

Eas tamen conditiones hæc oblatio exigit, vt de pecunia libera sit, obligationis restituendi vinculo, vel simili non admisso; Ac etiam, vt de integro crèdito, eiusquè fructibus, vel vsuris, quamuis bonorum valor esset inferior, ipsequè solũ offeratur; Id etenim non conceditur nisi tertio possessori, qui bona fide meliorамenta in ipsis bonis fecerit, cum tunc sufficiat rei antiquæ non melioratæ valo-
164 rem offerre, dum ad eam tantùm creditoris hypotheca exercibilis est, non ad ea, quæ tertius de proprio addiderit, ea etenim in debitoris dominio nũquã fuerunt, ideoq; sub hypotheca per eum contracta non cadunt.

Quæstione cadente, vbi idem tertius, qui melioramenta fecit, antiquũ rei hypothecatæ statum destruxerit, vel diminuerit, àn id quod de nouo constructũ est
165 antiquæ rei loco cedat, ideoquè sub hypotheca cadat, atquè negatiua verior est, vbi iure proprio, citra malam fidem, ac affectationem, licitè id gestum sit per eum, cui conseruationis antiquæ rei onus ex debito officij, vel administrationis nõ incumbat, sed ita sit vsus ea re, quã iustè suam credidit.

Denegatur autem istud iuris offerendi beneficium aduersùs eum, qui iudiciali auctoritate, bona iure creditoris di-
166 stracta, ad hastam publicam emerit; Cadente solum quæstione, vbi ipsemet creditor, cuius iure, siuè ad cuius instantiam hæc iudicialis venditio sequatur, emptoris, seù licitatoris personam gerat; Atquè probabilior, magisquè recepta est negatiua opinio, quoties iure tertij, ac extranei licitatoris, publicè, ac bona fide, personam gerere professus sit, secùs autẽ si pignoris gratia conseruandi, siuè vt legi fraudem faceret.

Eatenus tamen iudicialis emptor ab huius beneficij competentia exemptus est, quatenus actus de iure validus exi-
167 stat; Secùs autem eius nullitate ex forma non benè seruata, siuè ex alio accidenti resultante, cum tunc actus vtpotè infectus, pro non gesto reputandus veniat, ideoquè hunc effectum operari non valeat.

Vbi verò hoc beneficium iuris offerẽdi competat, quamuis de stricta iuris cen-

L. eodem tit. de iudicijs.

censura solum creditum, seù antiquum
168 pretiũ offerre sufficiat, cum illis melioramẽtis, quæ medio tẽpore per possessorem facta sint, cũ illis tamen distinctionibus, de quibus in peculiari melioramẽtorũ sede habetur, adeoùt ipsius rei intrinsecũ augmẽtũ, quod ex tẽporis, vel aliorũ accidentium beneficio, medio tempore superuenit, prioris domini, vel possessoris commodo cedat; Fori tamen recepta praxis meritò contrarium statuit, vt istud quoquè augmentum offerri debeat, atquè possessoris beneficio cedat, ex rationabili non scriptæ æquitatis motiuo, quod claudicationi, aliàs contrà iuris naturalis regulas resultanti, innixum est, vt ille, cui istud iuris offerendi beneficium competit, cum ad id inuitus à possessore cogi nõ valeat, in solo augmẽti casu illud exerceret, non autem in altero decremẽti, ideoquè lucrum absquè damni periculo contra naturalem æquitatem reportaret; Ad instar eorum quæ pariter in propria retractuum legalium, vel conuentionaliũ sede habentur. M.

In ijs tamen casibus, in quibus via executiua competat, ea cessat, vbi sententia debitoris absolutoria accedat, cum per
169 eam vulnerari dicatur; Quoties tamen crediti substantiam percutiat, nõ autem ordinatoria iudicij, vel accidentia, neq; adeò nulla sit, vt pro non extante habenda veniat. N.

Prout etiam, iuris communis dispositione attenta, eadem via executiua cessat per lõgissimi temporis 30. annorũ negligentiã, nõ legitimè excusabilem, quamuis ipsius debiti, vel actionis ordinariæ præ-
170 scriptio non intret; In Regno autem Neapolitano id sequitur per lapsum viginti annorũ in instrumentis, & in obligationibus penes acta, vel apocis banci, seù litteris cambij per decem. O.

Cap. VI.

De debiti extinctione, vel cessatione, seù alias debitoris liberatione.

CReditum, quamuis de iure, & de facto benè probatum, ac experibile, nullique ex iam insinuatis, vel similibus impugnatiuis, vel modificatiuis exceptionibus obnoxiũ sit, adhùc tamen cessat, ac extinguitur per veram, & naturalem, seù fictam, atquè à lege subintellectam solutionem, per quàm omnem extingui obligationem receptum positiuæ,
171 ac naturalis legis principium est; Iuris quæstionibus cadentibus, super huius circumstantiæ verificatione, tàm de facto, quàm de iure, cum non omnis vera, vel ficta solutio hunc operetur effectum, sed ea tantùm, quæ legitimè facta per legem probata sit.

Multas autem lex induxit, veræ, vel fictæ solutionis species, pluresq; alios introduxit modos ipsi solutioni æquipollentes, ex quibus idem resultet effectus; Inter omnes autem primum, ac potissi-
172 mum occupat locum, ipsa vera, & naturalis solutio, quæ ipsimet creditori, cui debiti restitutio promissa est, ad promissionis normam per actum retrosimilem, in eodem genere, vel specie facta sit; Istaque nullam habet quæstionem iuris, sed facti, circa eius veritatem seù probationem, super qua eædem in-
173 trant inspectiones, quæ super ipsius debiti, vel obligationis probatione superius insinuata sunt, cum vnumquodquè vinculum, eodem modo, quo ligatum est, dissolutionem recipiat; Aliqua tamen maiori facilitate seù benignitate cadente in ea probatione, quæ ad liberandum fiat, quàm ad obligandum, ideoquè (vt in dicta probationis obligationis sede aduertitur), certa & determinata regula generalis cuicumque casui applicabilis, desuper non cadit, cum probationum releuantia iudicis arbitrio remissa sit, ex facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantijs regulãdo.

Vbi autem, super ipso solutionis facto, nulla cadat quæstio; Ea verò iuris tantùm sit, àn scilicèt benè facta censenda veniat, vt eius consuetum, atquè con-
174 naturalem effectum extinctionis debiti, ac obligationis operetur, agatur autem de solutione, quæ ipsimet creditori facta sit, cum quo debitum contractum est,

M. *tit. de emptione, & venditione discur.* 31. & 32.
N. *disc.* 117.
O. *eod. disc.* 117.

est, nisi intermedia status mutatio id prohibeat, ob quam legis, vel hominis inhibitio accedat, nulla dignosci videtur dubitandi ratio, ex recepta regula, vt benè distrahatur cum eo, cum quo contractum est, illequè soluat, qui ligauit.

Idquè verum, quamuis ille liberam disponendi, vel contrahendi facultatem nõ
175 habeat, vt de seruo, vel monaco, seù filiofamilias, aut minore, ac similibus, cautum est; Quoties tamen sibi ipsis id, quod datum est, reddi stipulatum sit.

Idemquè in procuratoribus, & administratoribus, ac alijs aliena negotia gerentibus receptum est, vbi explicita,
176 vel implicita stipulatio accedat sibi reddi; Quæstione cadente vbi domini, seù principalis nomine, ac fauore stipulatum sit, àn eidem alieno nomine stipulanti, quamuis ipse det, ac obligationem recipiat, reddi, vel solui possit; Constituta in hoc regula negatiua, ex facti qualitate, & circumstantijs limitationem recipiente. vt in sua sede. P.

Ea verò legis, vel hominis inhibitio, quæ prohibet, ne cui dedit, reddi valeat, seù distrahi nõ possit cũ eo, cum quo contractum sit, ab intermedia status mutatione, alijsquè accidentibus oriens, mul-
177 tiplex esse solet, pro facti qualitate, ideoque certam restrictionem, seù regulam de facili non recipit, ità aliquas species recensendo, vt potè foro magis adaptatas, ac frequentes, à quibus aliæ, quæ magis raræ sunt, normam accipiant.

Hominis etenim inhibitio ea est, quæ per competentem Iudicem fiat debitori, ne proprio creditori soluat, eaquè, sub sequestri, seù mandati sequestratiui no-
178 mine, explicari solet, quod ad creditorum ipsius creditoris, vel aliorum interessatorũ instantiam sequi solet; Taliſquè inhibitio legitimè facta, legitimèque exequuta, adèout debitor, ex probabili eius ignorantia excusari non valeat, quoties reintegra facta sit, ità afficit, vt solutionem respectu tertij, ad cuius petitionem facta est, omnino inficiat, ideoquè ad reiteratam solutionem debitor meritò cogi valeat, indemnitatis, seù releuationis actione sibi remanente aduersus creditorem, cui soluerit.

Quæstione cadẽte, àn huiusmodi inhibitiones, & sequestra, quæ non genera-
179 liter ex officio, sed specialiter ad alicuius instantiam, vel gratiam demandata sint, alijs prosint, dictamquè reiteratę solutionis actionem præbeant; Regula existente negatiua, quæ ex facti qualitate, limitationem recipere apta, est.

Istum verò effectum, illa inhibitio non producit, quæ ab incompetenti Iudice inhibiti facta sit; Multoquè mi-
180 nus ea, quæ per tertium interessatum priuata auctoritate per speciẽ protestationis, vel denunciationis fiat; Ista-
181 solum operatiua remanente ad malam fidẽ inducendã, siuè ad indicandam eam imminentem creditoris decoctionem, quæ tunc verè immineret ex subsequuto euentu detecta, non tamen præuisa, vel nota.

Operatiua verò est, hæc priuata, vel incompetentis Iudicis inhibitio, quæ re integra fiat à domino, seù principali,
182 ne procuratori, vel alteri negotiorum gestori, seù etiam personæ inhabili, vt sunt monacus, seruus, filius familias, & similes, solutio fiat, quæ aliàs fieri posset.

Altera est hominis inhibitio, quæ à lege contractus, vel obligationis emanet, quia nempè ob ius tertij, cuius in-
183 tersit, vt pecunia, quæ creditur, in eo inuestimento perseueret, ac restituenda denuò inuestiatur, ità cautum sit, vt frequentiùs in ea pecunia, quæ ex bonorum venditorum pretio prouenit, pro euictionis cautela praxis docet; Ac etiam vbi per eum, qui cogitando per fideicommissum (pro cõsueta humana stultitia) eius bona ponere sub illa perpetuitate, quæ in Mundo denegatur, legem adijcit, vt debitor hæredi, vel successori solutionem facere non valeat, certa forma non seruata; Ista etenim neglecta, pro iure tertij, vel successorum, qui ad fideicõmissum vocati sint, solutio infecta est, atquè obligationem non soluit; Eadem indemnitatis, seù releuationis actione competente, de qua suprà in Iudicis inhibitione habetur aduersùs eum, qui solutionem recipit.

Adeoquè infecta huiusmodi solutio repu-

P. *sub tit. de censib. disc.* 24.

reputatur, quod si expressè non fiat per actum retrosimilem, sed ea implicita ex
184 legis dispositione resultet, iuxtà illàs fictæ, seù implicitæ solutionis species, quæ inferius recensentur, imputationis scilicèt fructuum pignoris, vel vsurarum, siuè compensationis ipso iure intrantis, vel confusionis actionum, cum similibus, vt id quoad tertij præiudicium non intret, suumque consuetum connaturalem effectum non operetur. Q.

Legis autem inhibitio frequentior illa est, quæ à creditoris decoctione resultet; Vbi etenim ista, formalis, ac vera,
185 quæ mortem ciuilem, bonorumquè administrationis interdictionē causet, iam detecta sit, nulla cadit quæstio, quæ frequentiùs eos casus percutit, in quibus illa incerta, seù ambigua sit, vndè propterea debitori, decocturi potiùs, quàm
186 formaliter decocti, titulus congruat.

In hoc autem, neglectis opinionum varietatibus, super certi temporis meta, quæ præcedere debet antequam detecta sit; Veriùs est, vt tanquam in quæstione facti, certa generalis regula, cuicumq; casui applicabilis non detur, sed pro facti qualitate, singulorumquè casuum circumstantijs, bonam, vel respectiuè malam fidem in soluente redolentibus, prudenti Iudicis arbitrio pensandis, determinationem recipiat. R.

Vbi etenim vera formaliter decocti, vel decocturi qualitas soluenti cognita non accedat, nil refert, quod eidem
187 soluenti innotescat, vt eius creditor alicuius æris alieni mole sit pressus, adhuc etenim illi benè soluit, atquè liberationem assequitur, omnesquè hypothecæ super eius nomine creditoris creditoribus quæsitæ resoluuntur.

Dumodo tamen vera, & effectiua solutio accedat, secùs autem vbi sola recepti confessio sequatur, quæ probabilibus veritatis adminiculis destituta sit; Mul-
188 tò verò minus, si remissio, vel condonatio sit, seù alia liberationis species; Nisi alicuius partis remissio per transactionem sequatur, quæ inita sit bona fide,
189 cuius inspectio à debiti probabili dubietate pendeat, adeout remissio, valori, seù æstimationi dubij incerti litis euentus congrua, seù proportionata sit, iuxtà eam generalem regulam, quæ in feudali, emphyteotica, fideicommissaria, & simili materia habetur, super transactionibus, quæ successorem independēter, proprioquè iure venientem afficiant, necnè.

Eademquè legis inhibitio, ab intermedia mutatione status prouenit, vbi creditori, tanquam amenti, vel prodigo,
190 bonorum administratio legitimè interdicta sit, seruatis ijs, quę seruare oportet, idquè debitori innotescat, adeoùt eadem bonæ, vel malæ fidei inspectio cadat; Siuè quod professionem in Religione emiserit; Aut quod pœnæ seruus, vel quasi effectus sit, per veram vel contumacialem capitalem condemnationem, cum bonorum publicatione; Quæstione cadente, vbi eadem publicatio imminеat, seù aliàs, in eius, ac fisci fraudem solutio fiat, quod pro eisdem regulis, quæ
191 in decocturo, vel suspecto habentur, determinationem, pro facti qualitate recipit cum similibus, ex quibus collusio, seù mala fides actum infectum reddat; Et hæc de solutione, quæ ipsimet creditori volenti, ac recipienti facta sit.

Vbi verò idem creditor viuens, ac habilis, solutionem à debitore oblatam, recipere renuat, adeoùt ipse solutionis
192 actus in quæstione sit; Vndè propterea debitor pecuniam offerat, vel deponat, adeoùt eius casu, vel periculo postmodùm contingente, quæstio cadat, àn creditoris, vel respectiuè debitoris damno, id cedere debeat, tunc certam ac determinatam regulam, id nō recipit, sed pro facti qualitate variè decidendū est; Regula etenim creditori affixit, vt depositum, seù realis oblatio, multò verò minus verbalis, debitorem non liberet, quoniam deponere, vel offerre non est soluere; Limitationem autem recipit, vbi præuia creditoris contumacia legitimè contracta, de mandato Iudicis competentis, id sequatur, cum suis requisitis, inter quæ, vltra iam insinuatum, quod est primum, ac essentiale contumaciæ legitimè contractæ, ob quam à competenti Iudice, depositum, vel alia oblatio admittatur, illud quoquè necessarium reputatur, vt de integro debito fiat, adeoùt

oboli

2 *lit. de censibus disc.* 23.
3. *disc.* 10.

oboli defectus actum vitiet, pro ea tamen parte, quæ liquida & certa sit; Pro illiquida verò, siuè incerta, ea in praxi frequentior adhibeatur cautela depositi vnius nummi, cum cautione siuè obligatione promptæ solutionis eius, quod liquidatum erit; Ac etiam vt penès eam ædem sacram, vel publicam mensam fiat, in qua iudicialia, & contentiosa deposita fieri debeant, vel soleant; Super quibus tamen, ac similibus, locorum, seù Tribunalium vsibus, ac stylis deferendum est; Atquè ex hoc pendet, cuius damno cedat periculum, quod in depositio contingat, quoniam eo legitimè facto, est creditoris, è conuerso autem est debitoris. S.

Faciendæ item solutionis per debitorem oblatæ, à creditore autem neglectæ, quæstiones cadunt circa modum, locum,
193 & tempus; In modo scilicèt, vbi de pecuniario debito agatur, super monetæ qualitate, àn de meliori fieri debeat, vel etiam de deteriori, ac minuta seù reproba, vel de reprobatione suspecta, recipienda sit, quod ex conuentionis legibus, siuè locorum vsibus, ac stylis, aliisque circumstantijs, determinationem recipit pro facti qualitate, cuius potiùs, quàm iuris videtur quæstio. T.

Idemquè super eiusdem pecuniæ libertate, vel vinculo, & àn cautio, seù obligatio de restituendo anterioribus præ-
194 standa sit, seù aliud vinculum adijciendum, quod inuitus creditor acceptare teneatur, quod pariter certam generalem regulam cuicumque casui applicabilem non recipit, sed pro facti qualitate, & circumstantijs, est decidendum; Quamuis etenim creditori assistat regula, vt liberam pecuniam assequi debeat, vinculatam verò recipere non teneatur; Pluribus tamen limitationibus ea obnoxia est, quas non facilè est sub compendio recensere, ideoquè in propria sede videndæ sunt; Ibiquè etiam, àn creditor, qui vinculum recipere coactus est, actionem aduersùs debitorem habeat, vt ab eo illum eximat, vel quantum interest suppleat, quod pariter ex facti qualitate pendet. V.

Frequentius quoque cadunt quæstiones, vbi inter obligationis, ac solutionis tempus, monetæ alteratio sequuta sit, àn
195 scilicet alterationis augmentum, vel decrementum, vnius, vel alterius commodo, ac respectiuè damno cedat; Siuè an in ea præcisa monetæ specie solutio facienda sit, de qua obligatio disponat vel in simili, seù æquiualenti facere liceat, quod pariter plures habet distinctiones, ac declarationes, ita compendiosè non de facili explicabiles, ideoque pariter ad propriam sedem, pro casuum occurrentijs, eorumque qualitatibus, recurrendum est. X.

Eædemque quæstiones, quæ modum percutiant, cadunt, in alijs rebus, vel generibus, quæ in obligatione sint, præ-
196 sertim in ijs, quæ ad instar pecuniæ, functionem in genere recipiant, vt sunt triticum, vinum, oleum, ac similia, an de vna meliori specie solutio facienda sit, vel de altera deteriori, cum similibus pro facti pariter qualitate decidendis, ideoque certam non recipientibus regulam; Præsertim verò vbi mora accedat, àn ipsa species præstanda sit, vel pretium, de præsenti, vel alio tempore, proùt vnius, vel alterius magis interfit.

Loci etiam quæstio cadere solet, an in vno, vel altero, solutio fieri debeat, & cuius electio sit, Y; Ac etiam temporis, an scilicet ante cessam conuentionis diem, creditor debi-
197 torem vrgeat, vel è conuerso cessam diè vlterius creditor protrahere teneatur; Z. Ac etiam circa modū, vbi plures res, vel species alternatim positæ sint, cui competat electio, & quatenus ea sit debitoris, vt regula in dubio exigere videtur, an per moram, vel semel factam electionem seù declarationem, amittatur, cum similibus, de quibus pariter in propria sede, vtpotè certam, ac determinatam regulam recipere non aptis.

Personæ item soluentis, vel soluere volentis est quæstio, àn scilicet, ab altero, quàm à debitore, creditor solutio-
198 nem recipere teneatur, atque affirmatiua est regula, vbi nil sua interfit, nullumque præiudicium de præsenti, vel de futu-

S. *disc.* 144.
T. *disc.* 140.
V. *disc.* 52. *cum duob. seqq.*
X. *dicto disc.* 140.
Y. *disc.* 115.
Z. *disc.* 112.

futuro timeatur vel resultet.

Causæ quoque solutionis quæstio esse solet, an scilicet debitore ex pluribus cau-
199 sis, vel debendi titulis simpliciter soluente, vni potius, quàm alteri causæ solutio referenda sit, idque frequentius, tertij interesse percutit, puta fideiussoris, vel secundi creditoris, quandoque verò etiam ipsiusmet creditoris, vel debitoris respectiuè, pro vsurarum cursu, siuè pro vnius, vel alterius actionis, vel iudicij competentia, falsique effectibus, ex vna, vel altera debendi causa resultantibus.

In hoc autem, vbi causa expressa sit, omnes cessant quæstiones, qnæ in ambiguis, non autem in claris intrant, ideòque ad causam expressam solutio referenda est, nisi ob tertij fraudem, vel præiudicium, lex ipsorum, creditoris, ac debitoris declarationem infectam reputando, eam illi referat causæ, pro qua facienda erat.

Huiusmodi autẽ expressa declaratione cessante, debito habenti fideiussorem potius, quàm simplici referri debet, siue duriori, magisque executiuè obliganti, Aut data æquali plurium causarum natura, seù qualitate, antiquiori, regulata antiquitate, non ex tempore contractus, sed ex illo cessæ obligationis, ideoque antiquius dicitur, quod prius maturauerit; Aut si vna sit causa propria, altera verò aliena, prius ad illam, quàm ad istam, cum similibus pro facti qualitate pensandis; Non iuris etenim, sed voluntatis quæstio est, præmissæ autem iuris regulæ, simplicem inducunt præsumptionem, ex contraria probatione etiam præsumptiua, seù adminiculatiua elidibilem; Potissimum verò, vbi aliqua congruentia, seù honestatis ratio ita exigat; Frequenter enim promptiùs beneuoli officiosi mutui pro aliqua vrgenti, vel oportuna causa facti, restitutio fieri solet, quamuis recentioris, minusque duri, quàm antiquioris, ac durioris, & vsurarij; Quinimò, et illius, quod ex causa ludi, seù aliàs ex sola data fide proueniat, pro facti qualitate, & circumstantijs redolentibus verisimile, vel inuerisimile, quod potissimum in ambiguæ voluntatis quæstionibus attendi debet. A.

Percutiunt regulariter hæc omnia solutiones, quæ ipsis directis, ac immediatis creditoribus fiant; In illis, verò, quæ cum diuersa persona sequantur Ea in primis cadere videtur certa regu-
200 la, vt ea legis, vel hominis inhibitio, quæ solutionem ipsimet directo creditori fieri vetat, multo magis eam alteri fieri prohibeat; Quamuis etenim, antiquiori, vel potiori eiusdem creditoris creditori facta, soluentem tutum reddere
201 soleat, per accidens tamen, siuè per inanis circuitus rationem id sequitur, atque exceptionis ope, obliquam soluentis liberationem causat, non autem illam propriam, ac naturalem debiti extinctionem, quàm iuris ministerio, solutio legitimè, proprio, ac directo creditori facta, inducit.

Vbi verò ea persona, quæ diuersa est, illam creditoris in omnibus repræsentet,
202 eiusque vice, ac nomine, solutionem recipiendi, ac debitorem liberandi potestatem habeat, idem resultat liberationis effectus, vt contingit in defuncti creditoris vero hærede, seù cessionario, aut procuratore, alioque conuentionali, seù legali administratore, qualis est tutor, curator, prælatus, sindicus, vel æconomus, maritus respectu dotalium, (& quandoque etiam in extradotalibus) institor, seù negotiorum gestor, ac socius, & similes, quorum respectu, quæstiones cadunt super facto, seù huius qualitatis existentia, vel potestatis competentia, cum sæpiùs hæredes, vel prælati, alijque similes, putatiui potius, quàm veri sint, ac etiam vbi veri quoque existant, ex defectu solemnitatum, seù aliàs hanc potestatem non habeant, à lege, vel homine eis non attributam; Super quo tamen licet iuris regula soluenti resistat vt bene inquirere teneatur cui nam soluat, quoties alteri, quàm proprio, ac di-
203 recto creditori soluere contingat, adhuc tamen, bona fides, iustaque credulitas pro facti qualitate solutionẽ factã putatiuo hęredi, vel prælato, vel præsumpto procuratori, ac simili, in quo eadem vrgeat ratio, libeationem inducunt, pro qualitate, ac circumstantijs fa-

A. *dise.* 43 *& seq. &* 102.

cti, cuius est quæstio, certam proindè regulam recipere non apta. B.

Sæpius quoque contingit, vt de Iudicis mandato, alteri, quàm creditori solutio fiat, quod pariter certam non re-
204 cipit regulam, cùm decisio ex pluribus distinctionibus, seù circumstantijs pendeat, præsertim ex Iudicis competentia, atque ex diligentijs per soluentem adhibitis, tam in denunciatione proprio creditori facienda, quàm in oppositione non iuris eius, qui solutionem petat, atque, vel præcisè, vel saltim moralis coactionis effecta vel imminentia; Potissimum verò, an talis accedat ipsius debitoris mora, quæ huiusmodi casum quamuis aliàs excusabilem, vtpotè ex eius mora, & culpa sequutum, eius potius, quàm creditoris damno lex referat, cum alijs distinctionibus de quibus in sua sede. B.

Prout de soluente ex iusto errore, cum creditoris fallis ordinibus, vel signis, àn liberationem assequatur ex facti qualitate determinationem recipit. C.

In omnibus autem casibus, in quibus, alienam rem gerentibus solutio vt supra quoties vera sit, debitorem liberet, idem
205 non refultat effectus, ex ea solutionis specie, quæ vera, & effectiua non sit, sed potius ficta, quamuis cum ipso principali, ac directo creditore, liberationis operaretur effectum, vt sunt, confessio de recepto, non munita efficacibus veritatis adminiculis, pro facti qualitate metiẽdis, necnõ acceptilatio, nouatio, remissio, vel in causam propriam cõpensatio, ac similes fictæ, siue à lege subintellectæ inferius recensendæ solutionum species, quoad principalẽ creditorẽ efficaces, non autem quoad eum, qui aliena negotia gerit, in quo solum vera, & effectiua solutio liberationis soluentis, ac extinctionis debiti effectum operatur. D.

Fictæ autem, seù à lege præsumptæ, vel subintellectæ solutionis species, quãplures habentur; Ea præsertim, quæ ve-
206 ra quidem allegetur, veram autem, ac expressum non habeat probatiõẽ, ideoque ad præsumptam, seù adminiculatiuã confugere oporteat; Super hac autem, licèt nostri maiores, super singularum præsumptionum, vel argumentorum pondere, ac efficacia, valdè certent, nimiumque se inuoluant, præsertim verò super eo argumento, quod ex diuturno silentio, seù temporis lapsu resultet, alia quoq; requisita coniunctionis sanguinis, vel sæpiùs dispunctæ rationis, aliaque similia rigorosè, ac verbaliter pro consueta pragmatica ineptia criticando.

Veriùs tamen est, vt id certam, ac determinatam regulam non recipiat, cuicumque casui adaptabilem, sed pro altera generali regula, quàm in vltimarum, ambiguarum voluntatum coniecturalibus, ac adminiculatiuis quæstionibus habemus, ex facti qualitate, & circumstantijs particularibus decisio pendeat, cum ex eis frequenter contingat, vt aliqua in vno casu argumenta abundent, in altero autem, eadem, ac maiora insufficientia sint, eaque non singulariter, ac distinctè, sed vnitim ponderanda sunt; diuturnum scilicèt silentium, creditoris inopia, vel diligentia, debitoris idoneitas, vel promptæ solutionis consuedo, eiusdem debitoris expectata mors, ac similia pro facti qualitate. E.

Alicubi autem, ad tẽporis quæstiones dirimendas, per leges municipales, certũ
207 tẽpus præfinitum est, quod à cessa, seù maturata die numerari debet, cuius lapsus solutionis præsumptionem inducit, atq; creditoris actionẽ perimit, vt præsertim in Vrbe, eiusq; districtu, per Statutum particulare dispositum est, vt sexdecim annorum silentium ad id sufficiẽs reputetur, absque interuentu aliorum adminiculorum, quæ iuris communis dispositione attenta, necessaria sunt, & sine quibus non sufficit solum tempus, quod causa non est inducendi, vel perimendi obligationem, iftaque est huiusmodi Statutorum, seù legum operatio; Ea verò desideranda non est, vbi alia concurrant
208 adminicula, quæ ad iuris communis limi-

B. *disc.*58. *vbi de materia solutionis alteri, quàm creditori de mandato Iudicis.*
C. *disc.*68.
D. *disc.*40.
E. *disc.*132.

limites, ad huiusmodi probationem inducendam sufficiant, cum tunc, etiam breuior terminus ad id sufficere valeat.

Quamuis autem præscriptionis vocabulum, seu terminus, vulgò desuper adhiberi soleat, verè tamen præscriptio nõ est, quæ ex legis municipalis potentia
209 creditum extinguat, vel actionem perimat, sed solutionis præsumptionem inducit, iuris tantùm contraria probatione, vel fortioribus præsumptionibus elidibilem, dum eiusdem principalis debitoris fauore, mala fide non obstante, eadem præsumptio intrat, quod præscriptioni repugnat.

Inter contrarias verò præsumptiones, illa efficax reputatur, quæ resultet à de-
210 biti negatione, siuè de facto, siuè de iure, quia nempè, de facto verum, inefficax tamen, atque non obligatorium allegetur, ex ea efficaci ratione, quod solutum præsumendum non est id, quod indebitum prætenditur; Idemq; vbi debitor alium solutionis alleget modum, qui minùs verus, vel minùs legitimus postmodum conuincatur ob eiusdem rationis identitatem.

Arq; vbi contraria probatio, vel præsumptio desit, adhuc, ratione ignoran-
211 tiæ, vt in hærede contingit, vel in pupillo facto maiori; Siuè ratione absentiæ, vel impedimenti, seù alterius iustæ causæ, in integrum restitutio admittitur.

Plerisque alijs desuper cadentibus limitationibus, in ijs debendi speciebus, quæ à statuto excipiantur, vt sunt debi-
212 ta ex causa dotis, vel ex illa census esse solent; Pluribusque cadentibus etiam quæstionibus, an huiusmodi Statuta, creditores non subditos, vel exemptos afficiant; Siuè an fideiussoribus prosint, Vel in actionibus realibus procedant, cum alijs de quibus in sua sede.

An autem forenses comprehendant, in quæstione est, atque licèt opinionum varietas habeatur, probabilius tamen,
213 magisque receptum est, vt ex qualitate loci, in quo debitum contractum sit, ac destinata solutio, decisio pendeat; Si etenim, in Statuti loco id sequutum sit, rectè intrat, nilque refert, an debitor, vel creditor, neque ciuis, neque verus incola sit, sed accidentaliter ibi moram trahendo, vel contrahendo, Statuti subditus dici non valeat; Secùs autem vbi, cessantibus præmissis, contingat ob fori competentiam, vel debitoris in eo loco apprehensionem aliamuè accidentalem circumstantiam, inter forenses ibi causam tractari, vt frequens Vrbis, vel Romanæ Curiæ praxis docet. F.

Præscriptio autem vera, ac propria solutio non est, sed eius vim habet, ob debiti, vel obligationis peremptionem,
214 quam lex, ob alicuius temporis lapsũ, cum alijs requisitis iunctum; Siuè sit in odium, ac punitionem negligentiæ creditoris, siuè sit ex publici fauoris ratione, vt dominia diù in incerto non sint, inducit.

Nimiùm autem rarus est casus, in quo huius cessationis causæ debẽdi, praxis habeatur; Tum ob diuturnum lon-
215 giffimi temporis decursum à die, qua creditor agere poterat, numerandum in iure ciuili præscriptum, cum prius intret regula, vt non valenti agere, non currat præscriptio; Tum etiam ob frequentem vsum iuramenti, quod, vel iuxtà vnam sententiam, actionẽ perpetuat, vel iuxtà alteram ad annos quadraginta eam protrahit.

Fortiùs verò, ac pro frequentiori impedimento, propter malæ fidei obstaculum, quod quocumque temporis decursu non obstante, præscriptionem impe-
216 dit ex iuris canonici decreto, quod vtpotè peccati ratioui innixum, vbique etiam inter laicos, atque in laicali foro receptum est, ideoque ipse primus debitor, vtpotè proprij debiti conscius, ac malæ fidei nunquam præscribit.

Nisi de eo debito agatur, quod respectu creditoris, ius quærendum importet, quod potest non quæri, ideoque debitor ex diuturno silentio, iustam huius
217 animi non quærendi opinionem, seù credulitatem concipiat, vt præsertim, in hærede, legatorum, vel fideicommissorum debitore, ea per tempus longissimũ præscribente, contingit, cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Requiritur autẽ vt mala fides vera sit,

F. *De materia præscriptionis statutariæ disc* 139. & 140.

qualis dignoſcitur in debitore, qui ex
218 cauſa mutui vel alterius cõtractus, pe-
cuniã, vel rẽ alienã in manibus habeat,
eiuſq; reſtitutionẽ promiſerit, ſed pro fa-
cti qualitate mala fides præſumpta ſolum
ſit, cum in iſta, ex ceſſante peccati ra-
tione, cui dicta iuris canonici diſpoſitio
innixa eſt, ius ciuile maneat incorrectũ.

Scribentium autem rigor, præfatum
malæ fidei effectum ad hæredes, præſer-
219 tim primum, quoque tranſmitti cre-
dit, quod tamen aſperum eſt, ideoque
cum ea moderatione intelligendum eſt,
de qua in ſua ſede.

Et tamen, vbi huiuſmodi obſtaculis
ceſſantibus omnia præſcriptionis requi-
ſita impleantur, adhuc tamen nimium
220 rara eſt, ferèq; nulla eſt eius praxis, quo-
ties de centenaria, vel immemorabili nõ
agatur, ob tot ſubductiones, quæ pu-
pillaris, vel minoris ætatis, vel iuſti im-
pedimenti ratione, aduersùs eam con-
ceduntur; Ac etiam ob reſtitutionis in
integrum beneficiũ, quod ex iuſtæ igno-
rantiæ cauſa, vel ſimili ratione, magis
communis, ac recepta ſententia tribuit;
Siuè quod ex proprio, ac independenti
iure ille veniat, cui prædeceſſoris negli-
gentia præiudicare apta non ſit. G.

Ideoq; imprudens cautela reputatur,
ad huiuſmodi formalis præſcriptionis
221 præſidium recurrere; Cautiùs autem
eſt, diuturnum temporis lapſum,
cum aliquibus argumentis, quæ deeſſe
non ſolent, ad præſumptæ ſolutionis, vel
extinctionis probationem potiùs refer-
re. H.

Alter quoque in iure modus habetur,
quo mediante, quãuis certũ ſit ſolutionẽ
222 abeſſe, ceſſet obligatio, ex ceſſante. f. de-
bendi cauſa, quoties de cauſatiua obli-
gatione agatur, vt in eo debitore contin-
git, qui ex cauſa emptionis bonorum,
pretij debitorem ſe conſtituat; Eo ete-
nim citrà proprium factum merè volun-
tarium, vel culpoſum, rem ampliùs non
poſſidente, vtpotè ab alio euictam, obli-
gatio tanquam cauſatiua, ex ceſſante
cauſa, ceſſat; Niſi vera delegatio accedat,
de cuius requiſitis in ſua ſede.

Idemque in ijs, qui temporaliter, ſeu
aliàs reſolubiliter bona, vel officia, ſeu
iura poſſideant, quorum intuitu, onerũ,
vel debitorum ipſis bonis, vel iuribus
annexorum, obligationem contrahant,
ex ceſſante cauſa reſoluendam, vbi ceſ-
ſatio, citrà propriam culpam, ſeu volun-
tarium factum ſequatur. Ea tamen re-
ſolutione non admiſſa in effectu iam cõ-
ſumato, qui per ſuæ cauſæ ceſſationẽ non
ceſſat, vt in decurſis annualitatibus, pro
tempore ſuæ poſſeſſionis contingit, cum
ſimilibus, quibus eadem congruat ra-
tio. I.

Omnium autem frequentior, ficta, ſeu
à lege ſubintellectæ ſolutionis ſpecies,
quæ ſub forenſi quæſtione cadat, ea eſt
quæ compenſatio dicitur, quia nempè
223 debitori aduersùs creditorem ſuper-
ueniat creditum, cum quo proprij de-
biti compenſationem alleget, tanquam
per occultam ſolutionem, legis miniſte-
rio, ſibi ipſi factam.

Multæ verò deſuper quæſtiones ca-
dunt certam, ac generalem iuris regulam
non habentes, vtpotè ex facti qualita-
te, & circumſtantijs determinationem
recipientes, ac propterea non de facili
ſub compendio explicabiles, ſed in pro-
pria ſede videndæ.

Ea verò potiſſima eſt, ac frequentior,
an ipſo iure ſequatur, abſque oppoſitio-
224 ne, vel potiùs iſta neceſſaria ſit, quod
plures percutit notabiles effectus, illum
præſertim curſus vſurarum, ac alterum
extinctionis iuris, quod alteri ſuper eo
nomine quæſitum ſit, cum ſimilibus.

Quamuis autem magna deſuper opi-
nionum diuerſitas habeatur; Ex proba-
biliori tamen, magiſque recepta ſenten-
tia, regula eſt, vt non ipſo iure, ſed ex-
ceptionis ope, per oppoſitionem, & non
aliàs, compenſatio fiat; Pluribus tamen
limitationibus eadem regula ſubiecta
eſt, potiſſimùm verò vbi de debito vſu-
rario agatur, adeò vt intret fauor impe-
diendi vſurarum curſũ; Siuè vbi nego-
tiatorum vſus ità exigat; Aut ità exigẽ-
te æquitate ex eo, quod aliàs debitori
conſultum non ſit; Vel quod ratio ina-

nis

G. *De materia præſcriptionis veræ de iure communi diſc.* 141., *& de alienat. & contract. diſc.* 3.

H. *d. diſc.* 3. *de alienat. & contract.*

I. *De obligatione cauſatiua eiuſq; reſolutione diſc.* 71.

nis circuitus intret, cum similibus eam-dem rationem habentibus.

Vbi verò contingat, vt creditũ quod debitori superuenit, proprio debito sit
225 posteriùs, frequens quæstio cadit, etiã potestatis, quamuis declarata voluntas accedat, an scilicèt compensatio fieri possit, in præiudicium intermedij creditoris, cui debitoris nomen, antè superuenti crediti competentiam, affectum sit, idque magnum habet opinionum conflictum; Verius tamen est, vt ex facti circumstantijs, bonam, vel malam fidem redolentibus decisio pendeat, cum distinctionibus, de quibus in sua sede.

Æqualem quoque naturam compensatio exigit, vt vtrumque scilicèt debitũ,
226 & creditum sit quantitatis, vel generis, quod functionem recipiat; Secùs autem de quantitate ad speciem, vel è contrà; Quodque vtrumque proprium sit, cum proprij debiti cum alieno credito compensatio non detur; Quæstione cadente, vbi personarum diuersitas intellectualis, vel ficta accedat, quæ formalis dicitur, ex legis fictione, distinctionem habens, pro respectuum diuersitate, naturaliter autem, seù materialiter sit eadẽ, vt in hærede beneficiato, siuè in feudi, vel fideicommissi, seù maioratus, vel similis iuris possessore contingit, an proprium debitum, cum credito ex tali diuerso iure competente, compensetur, quod pro facti qualitate, ac circumstantijs verius determinationem recipit, vt in sua sede.

Posita verò personæ, ac naturæ debiti, & crediti identitate, quia nempè vtrumque sit quantitatis, vel generis functionem recipientis, ideoque compensabilis; Altera coæqualis natura, seù qualitas ad compẽsationem desideratur, æqualis certitudinis, ac liquiditatis, ex regula, quod liquidi ad illiquidum prohibita est compensatio; Vbi tamen debitum, & creditũ ex diuersis causis, vel stationibus, emanent; Secùs verò vbi ex eadem, cum tunc veræ compensationis terminus non intret, sed potiùs ille dati, & accepti, seù calculorum, aut partitarum contrapositio.

Æquali autem liquiditate concurrente, non curatur priuilegium summarij, vel exequutiui iudicij, quod vni credito competat, alteri verò non, cum id obstaculum non præstet compensationi, quæ aliàs habeat necessaria extrema, seù requisita.

Crediti quoque præexistentis de tempore contracti debiti, iuris regula compensationem prohibet, quasi quod ille, qui sui debitoris se debitorem cõstituit, compensandi facultati renunciasse dicatur, potissimùm verò, vbi soluendi promissio iuris iurandi religione munita sit; Adhùc tamen, siuè ex ipsius cõpẽsationis, siuè ex altera retentionis ratione, praxis quandoque eumdem admittit effectum, vbi doli, vel inanis circuitus ratio, seù alia æquitas, ità exigat, pro qualitate facti, cuius potiùs quæstio est, ideòque certam, ac determinatam regulam non recipit, sed à casuum circumstantijs prudenti iudicis arbitrio pensandis decisionem expectat.

Illud autem præ cæteris ad compensationem necessarium est, vt vtrumque debitum, ac respectiuè creditum inuicem compensabile, experibile, seù repetibile sit, ideòque cum credito pro sorte census, compensatio non datur, nisi ex parte debitoris, istius tamen declaratione accedente, idque ex natura contractus, vt sors ab inuito debitore sit irrepetibilis, ac demortua, ideòque respectu creditoris verè debitum non sit, nisi debitor declaret, cum alijs, de quibus ad istam compensationis materiam in propria sede, cum non facile sit omnia sub compendio recensere, satisque sit ea insinuare, quæ forensi praxi magis adaptata sunt. L.

Habet item solutionis speciem, eiusq; operatur effectum nouatio, siuè debiti in diuersum contractum transfusio, quo-
227 ties tamen nouationis requisita concurrant, cum ità, prioris debiti solutionem, lex occultet, atque solutæ pecuniæ immediatam conuersionem, in aliam causam; Nisi priorum iurium reseruatio accedat, in ijs operatiua, quæ compatibilia sint, secùs autem, vbi incompatibilia

L. *de hac materia compensationis, ac omnibus præmissis ad eam disc. 46. & seqq., & 60., cum seqq.*

bilia pro facti qualitate, cuius potiùs quæstio videtur. M.

Cessio item, solutionis effectum operatur, eiusque vicem habet, Vbi tamen
228 ea formalis delegationis cessi debitoris fomentum habeat, siuè quod pro soluto facta sit, ideóque speciem habeat dationis in solutum, quæ vbi habeat essentialia requisita emptionis, & venditionis (cum qua in omnibus fraternizat) verę solutionis vicem habet, atque obligationem extinguit.

Quæstione tamen cadente, super eiusdem obligationis, priorumque iurium reuiuiscentia, vbi rei in solutum datæ,
229 vel ità cessæ euictio sequatur; Super quo regula est negatiua, vbi species pro quantitate detur, secùs autem, vbi species pro specie, limitanda tamen, vel ex priorum iurium reseruatione, vel ex creditoris priuilegio, vt in dotali credito contingit, vel ex ipsius actus infectione, aut per legem inducta resolutione. N.

Vbi verò cessio, pro soluto non sit, sed pro soluendo, istum non operatur effe-
230 ctum, cum potiùs mandati traditionem, ac respectiuè susceptionem ad exigendum, id importet.

Ex hac autem distinctione, an pro soluendo, vel pro soluto cessio facta sit, ille resultat effectus, vt quando pro soluto est, cessionis periculum, creditoris
231 damno cedat, vtpotè effectum de eius dominio, cuius periculum sequela est, quamuis vbi ex inopia, seù inexigibilitate illud resultet, de ipsius cessionis tempore, adhùc de facto præexistat, cum cedenti sufficiat, nomen cessum de iure verum, ac exigibile præstare; Nisi dolus, vel deceptio ex parte cedentis accedat.

Vel nisi exigibilitas de facto quoque promissa sit; Eam tamen explicare oportet, cum aliàs exigibilitatis genericum vocabulum (cessante creditoris priuilegio, seù alia circumstantia suadente, vt etiam de illa facti intellectũ sit), ea de iure tantùm veniat; Quandò verò ea facti promissa quoque sit, nisi verba perpetuitatem denotent, (cum tunc omni tempore debeatur), discretè pro aliquo moderato tempore intelligendum est pro qualitate facti, cuius, ac voluntatis potius, quàm iuris est quæstio.

Iuris autem veritas, seù exigibilitas semper præstari debet; Nisi defectus, vel
232 suspicio ipsi creditori cessionẽ recipienti innotescat, cum scienti, ac volenti nulla fiat iniuria; Vel nisi cedentis protestatio accedat, cedendi nomen tale, quale &c.; Istoque etiam casu, doli, vel facti proprij obligatio remanet.

Vbi verò pro soluendo sit, res in oppositum est, vt cessi nominis dominio à cedente non abdicato, sed adhuc perseuerante, eiusdem quoque sit eius conna-
233 turalis sequela periculi; Alio creditori cessionario non incumbente onere, nisi illo diligentiarum, quibus non præcedentibus, (non tamen exquisitis, sed moralibus), regressus aduersus debitorem
234 cedentem denegatur; Cum etenim ità mandatum ad exigendum, creditor accepisse dicatur, hinc susceptо muneri satisfeciisse docere debet; Et de consequenti, ob negligentiam, cui non exactionis, vel superuentæ inexigibilitatis damnum referri possit, sub mandati actione cadit, vt ea culpa præstanda sit, ad quam mandatarius in gratiam mandantis tantùm de iure tenetur; Nisi particularis loci, vel personarum, seù negotiorum lex scripta, vel non scripta, seù aliàs subiectæ materiæ ratio diuersimodè suadeat,
235 vt in cambij litteris, alijsque mercatorum, ac negotiantium apodissis, vel pagellis, vel campsorum, & bancorum schedulis, seu ordinibus, diuersa locorum, seù regionum lex, vel consuetudo disponit; Ideòque certa regula desuper caicumque casui, vel loco applicabilis non cadit. O.

Ea potissimùm notabili cadente differentia, inter illas bancorum, & campso-
236 rum apocas, vel schedulas, quæ cedulæ, seu crediti fides dicuntur, ac eas, quæ per cedentem, vel soluere volentem, campsoribus, vel bancis diriguntur, pro solutione facienda, quas, ordines, seu mandata, vulgò appellamus, vt prima species, veræ solutionis, atque numeratæ pecuniæ vim habeat, quod etiam communis vsus illis paruis campsorum, vel negotiantium pagellis attribuit, quæ vulgò

pa-

M. *disc.* 67.
N. *disc.* 64. *& seqq.*, *& tit. de dote disc.* 64.

O. *dicto disc.* 64. *& seqq.*

pagarò dicuntur, adeòut ad satisfaciendum formæ pecuniæ numeratæ huiusmodi bancariæ cedulæ sufficiant; Secus autem, vbi de alia ordinum, seu mandatorum specie agatur, cum tunc, pro soluendo, non autem pro soluto receptæ censeantur.

Iuxtà verò hanc secundam speciem, vt pro soluendo potius, quàm pro soluto, nominis cessio facta præsumatur, pro
137 magis communi, & recepta sententia, regula est, ex contrarijs argumentis, vel coniecturis limitanda, ideòque facti, & voluntatis potius quàm iuris est quæstio pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, particularem recipiens determinationem.

Huiusmodi cessione accedente, plures, ac frequentes forus audit quæstio-
138 nes, tam super exercitio actionum, quæ cedenti competunt, an ad cessionarium pertineãt; Siuè an potioritatis, vel aliud priuilegium in cessionarium transeat; Aut, an exceptiones, quæ cedenti obstarent, cessionario quoque obstare debeant; Siuè, an vera, vel ficta solutio, quæ cedenti fiat, cessum debitorem liberet, ac cessionario præiudicet; Idemque de eiusdem cedentis declaratione, seu liberatione, vel testimonio; Aut etiam, an post factam cessionem, cedens primæuas actiones exercere valeat, seù quas retineat, cum similibus, quarum omnium, nimiam opinionum varietatem, atque conflictum habentium, decisio ex pluribus distinctionibus, vel particularibus facti circumstantijs pendet; Potissimùm verò ex verborum amplitudine, siuè ex natura cessionis, an in solius cedentis gratiam, vel respectiuè cessionarij facta sit; Ac super scientiæ, vel malæ fidei, siuè inhibitionis, vel agnitionis cessi debitoris, qualitate; Nec non ex cessionarij indemnitate aduersùs cedentem, qui actum præiudicialem fecerit, cum similibus, quæ impossibile videtur, absque confusionis, vel nimiæ prolixitatis, ac euagationis vitio, sub compendio decisiuè recensere, cum reuerà, vel omnes, vel maiores, facti potiùs, quàm iuris quæstiones esse dignoscantur, ideòque, vtpotè pariter, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantijs decidendæ, generalis regulæ, seù determinationis incapaces existunt. P.

Liberatio, seù remissio, quamuis gratuita, siuè inter viuos, siuè per vltimam
239 voluntatem facta sit, solutioni æquipollet, eumdemque extinctionis debiti, vel obligationis effectum operatur, vbi nullam habeat validitatis quæstionem, quæ duplex esse solet; Voluntatis scilicèt, quæ ambigua sit, vt in legatis præsertim, alijsq; vltimis voluntatibus dubitari contingit; Vel etiam potestatis, quia nempè lex, ipsimet creditori liberam bonorum dispositionem non habenti, eam deneget, vt in pupillis, ac minoribus, & similibus; Vel ratione fraudis, quæ eidem legi fieri possit inter eos, cum quibus donatio prohibita sit, vt inter coniuges, vel concubinas, & similes; Siuè, vbi exindè, tertio præiudicium resultet, vt præsertim sunt ipsius creditoris creditores, cum similibus.

Atque hinc iuris, vera, & recepta propositio manat, vt simplex, & nuda cre-
240 ditoris ità prohibiti, vel suspecti confessio, quamuis veram, ac effectiuam solutionem exprimat, in prohibitam remissionem, seù liberationem resoluatur, nisi accedant confessatæ veritatis adminicula, super quorum pondere, vel efficacia, (quidquid Scribentes varient, vel se inuoluant), certa regula, vel vniformis determinatio non cadit, sed iuxta coniecturalium, ac adminiculatiuorum generalem regulam, seu naturam, in singulis casibus, ex eorum qualitate, & circumstantijs, decisio metienda est, pro Iudicis prudenti arbitrio; Ea generali norma, seù regula cadente, super distinctione, an confitentis tantum, eiusque successoris præiudicium confessio contineat, vel etiam tertij, vt primo casu, minora, in altero autem maiora, magisque efficacia argumenta, seù adminicula desideranda veniant, eo modo, quo in tutorum, ac prælatorum, & procuratorum, aliorumque aliena negotia gerentium confessionibus, vel quietantijs, superiùs aduertitur. Q.

Solutionis vicem quoque habet, siuè eumdem liberationis effectum operatur, actio-

P. *de his eod. disc. 64. & seq. & disc. 27.*
Q. *de dote disc. 159. vbi de materia.*

241 actionum confusio, quæ ex incompatibili actionis, & passionis concursu, in eodē subiecto resultet, vt in eo casu præsertim contingit, quòd creditoris hæres, debitor efficiatur, vel è cōuerso creditor debitoris; Ea differentia inter vnum, ac alterum casum ad aliquos effectus considerari solita, vt in debitore creditori succedente, hic effectus ex sola incompatibilitatis, vel confusionis actionum ratione resultet; E conuerso autem in creditore succedente debitori, id ex occulta, seù imaginaria solutione sibi ipsi facta, prouenire; Id autem pro effectuum, seù respectuum diuersitate, diuersas recipit quæstiones, certam pariter non admittentes regulam, sed ex pluribus distinctionibus, vel facti circumstantijs decisionem recipientes, ideòque, vt præmissum est, sub decisiuo compendio non de facili explicabiles, sed in propria sede videndæ sunt.

Ab hac autem confusione, præseruat inuentarij beneficium, quod plurium, incompatibilium formalium, seù intellectualium personarum, debitoris, & cre-
242 ditoris, in eadem naturali, seù materiali persona pro respectuum, vel titulorum diuersitate, concursum admittit, & conseruat.

Minusquè vbi tertij præiudicium exinde resultet, vt in ipsius succedentis, vel respectiue defuncti creditoribus, vel aliud ius habentibus, contingit, vbi præsertim de credito hypotheca munito agatur.

Aut vbi non simplex, ac irreuocabilis, & perpetua successio, seù hæreditaria qualitas sit, sed temporalis, ac reuocabilis, vt in eo hærede contingit, qui per fideicommissum alteri restituere sit grauatus; Tunc etenim, ex præmissa incompatibilitatis ratione, pro tituli incompatibilis duratione, actiones obdormiunt, vel suspenduntur, ideoquè facto restitutionis casu, atque hæreditario titulo incompatibili cessato, suas reassumunt vires, tanquam ex cessante suspensionis causa, atque vt nostri dicunt, per excitationem à somno potiùs, quàm per reuiuiscentiam à morte. R.

Frequens quoquè in foro habetur illa solutionis species, à lege subintellectæ, vel inductæ, quæ resultat ab indebita solutione, in diuersam causam facta, quàm
243 lex ad causæ debitæ extinctionem refert, vt in fructibus ex pignore perceptis S.; Vel in indebitis vsuris alijsq; prohibitis accessionibus, vt in sua vsurarum, & cambiorum sede aduertitur, ac etiam in proximè sequenti Rubrica, obiter insinuatur, occasione differentiæ, quæ super solutionis probatione, aliisquè effectibus dignoscitur, vbi indebitè soluti repetitio, vel potius ipso iure imputatio intret, T.

Pignoris quoquè culposa peremptio, vel deterioratio, inter species solutionis recenseri solet, effectu potius attento,
244 cum id reuerà solutionem non redoleat, neque extinctionem debiti ipso iure inducat, efficacem tamen producat exceptionem.

Eiusdemq; pignoris immutata natura, quæ per legem ex diuturna negligentia, cum valoris adæquatione præsumitur, eamdem solutionis speciem habet, vel extinctionis effectum operatur, quia nempè eius insolutum dationem lex sub-
245 intelligat; Frequentiori quæstione cadente in ambiguo, vbi nempè debitor creditori bona tradat, nulla expressa tradendi causa, àn pignori, vel dationi insolutū potius referendum sit; Cumq; facti, ac voluntatis potius quàm iuris quæstio sit, veriùs ex argumentis, ac facti circumstantijs decisionem recipit, vt in ista, ac alia vsurarum sede aduertitur. V.

Cap. VII.

De repetitione eius, quod per debitorem creditori indebitè solutum sit.

NVlla iuris quæstio cadit, vt id, quod, citrà donandi intentionem, ex errore, vel deceptione, debitor indebitè creditori soluerit, quia debere crediderit, repeti

R. *disc.* 40. & 41.
S. *disc.* 133. & *seqq.*
T. *Rubr. sequ. & sub tit. de vsur. & tit. de cambijs.*
V. *disc.* 135. & *seq.*

246 repeti valeat, ex ea lege condictionis, quæ indebiti dicitur, adeoùt sola facti, ac voluntatis quæstio cadat, àn donandi, vel potiùs debitum soluendi animo actus gestus dicatur.

Ea vero, in hac indebiti materia, generalis distinctio cadit, àn voluntariè, vel coactè solutio sequuta sit, vt hoc se-
247 cundo casu, creditoris potiùs probandi debitum, quàm debitoris probandi indebitum, debeat esse onus; In altero autem voluntariæ solutionis (indebiti præsumptione ab ea exulante) grauetur debitor omninò perfectæ, nimiumque concludentis probationis onere, vt contrariam possibilitatem excludat, adeoùt fictæ, vel præsumptæ solutionis species, de quibus proximè præcedenti Rubrica habetur, etiam per ipsius recipientis confessionem extrinsecùs nõ comprobatam, vel adminiculatam, ad id non sufficiant, ideoquè adminiculatiuæ, vel præsumptiuæ probationes, contrariæ veritatis, vel possibilitatis capaces, non admittantur. X.

Hinc proindè, (vt in propria vsurarũ sede aduertitur) nimium refert, àn vsurarum, aliarumquè accessionum solutio, im-
248 putationem ipso iure in sortem ex legis ministerio, vel operatione inducat, vel potiùs sub indebiti repetitione, vel condictione cadat, cum ad primum effectum, solutionis vsurarum probatio leuior, ac adminiculatiua admittatur; Ad alterum verò rigorosior, ac perfectè concluſiua, necessaria sit. Y.

Quæstione cadente, àn illius indebiti repetitio detur, quod ex parte soluentis sit quidem tale, non autem recipientis, quia nempè illi, qui verè creditor existat, alter qui debitoris debitorem erroneè se
249 credat, pro eo soluat, seù quod aliàs in soluente verificetur indebitum, quod tamen in recipiente debitum sit; Idquè aliquem opinionum conflictum habet, probabilior autem ea videtur opinio, quæ negatiuam statuit regulam, vt qui debitum accipit, inquirere non debeat, àn soluens indebitè agat; Altera verò opinio, quæ affirmatiuam sequitur, pro limitatione recipi debeat, quæ ex personæ soluentis priuilegiata qualitate, seù recipientis dolo, vel circumuentione, aliaue mala fide, aut ex æquitatis, vel subsidij ratione resultet, ideoquè non de facili certam recipit regulam, seù determinationẽ, quæ ex facti particulari qualitate pendere videtur.

Cap. VIII.

De debito, vel obligatione vnius, quod ex alterius obligatione, vel contractu resultet.

EX alieno contractu, seù obligatione, alterum obligari, atquè debitorem constitui, frequentèr casus præbet, præsertim verò, ac frequentiùs, per manda-
250 tarium, vel negotiorum gestorem, cui prò regionum moribus, vel negotiorum qualitate, varia cõgruunt vocabula, procuratoris scilicèt, institoris, complementarij, vel factoris, quæ, similiaquè vocabula, in idem sonant, mandatum denotantia.

Posito autem mandato tradito per eũ, qui à iure communi, vel municipali, ad contrahendum, aut se obligandum non
251 inhabilitatus, verè illud dederit, quodquè ad eiusdem mandati limites, obligatio contracta sit, nulla iuris quæstio cadit, super mandantis obligatione, ex iuris regula, quod qui per alium facit, per se ipsum facere videtur; Ideoquè super huiusmodi specie obligationis, facti potiùs quæstiones cadere videntur, vel super ipsius mandati, siuè institoriæ veritate, vbi expressus actus non accedat, cũ etiam tacita, seù præsumpta mandati da-
252 tio, in iure probata sit, illudquè per coniecturas, ac præsumptiones probari posse in iure sit receptum, vndè propterea quæstio, ad præsumptionum, vel argumentorum vim, seù efficaciam restricta, generalem nõ recipit determinationem, sed eã particularem habet, pro singulorum casuum qualitate, & circumstãtijs, eo pariter modo, quo in omnibus ambiguis, seù coniecturalibus voluntatis quæstionibus, pluries aduertitur; Ponderando, àn mandatarius, mandantis coniunctus, siuè in alijs deputari solitus esset, cum alijs similibus circumstantijs, pro facti qualitate pensandis.

X. *Disc. 78. & 129.*
Y. *sub tit. de vsur. disc. 12. & seqq.*

Expressa verò, vel præsumpta, seù administrativa mandati probatione accedente, eius forma inspicienda est, & àn
253 fines mandatarius excesserit, ex regula, vt gesta vltra fines mandati, inualida sint, atquè mandantem non obligent; Nisi talia sint, quæ mandati executioni, vel fini connaturalia, de natura actus, vel ex communi vsu, siuè ex verisimili subintellecta voluntate, quamuis expressa non sint, intesse censeantur, quod pariter, pro facti qualitate, particularem, in singulis casibus, determinationem recipit.

In propriam verò ipsius procuratoris causam, mandantem obligari nõ posse, lex decernit; Minusquè pro alieno debito
254 merè fideiussorias obligationes facere, siuè in parte mandantis negotium gerẽdo, pro alterius virili in solidum obligare, nisi pariter facti circumstantiæ hanc potestatem suadeant. Z.

Datur è conuerso ipsius mandatarij obligatio fauore tertij, quamuis non ipse sed mandans debitor sit, vt frequens pra-
255 xis docet in illa obligatione, quæ ex cambij litterarum acceptatione resultat, vbi ea fiat per eum, cui per correspõsalem, litteræ directæ sint, quamuis scribens, non autem recipiens verè acceptæ pecuniæ debitor existat, cum ille, qui acceptat; Siuè iuxtà vnam opinionem, fideiussoris personam assumendo; Siuè illã mandatarij, vt altera opinio credit, eò ipso debitor efficiatur eius, cui solutionem fieri debere, scribens mandat.

Quæstionibus frequenter cadentibus, vbi post acceptationem, vel etiam antea, scribentis decoctio sequuta sit, adeò
256 vt, acceptanti, aduersùs scribentem, pro summæ soluendæ reintegratione, consultum non remaneat, àn ipsius acceptantis, (siuè fideiussorem, siuè mandatarium ipsum dicamus), damno id cedere debeat, ideoquè hoc non obstante, ad solutionem tertio promissam, obligatus remaneat, vel potiùs è conuerso, damnum sit tertij, cuius fauore scriptæ sint litteræ.

In hoc autem, vna opinio, quæ apud negotiatores, atquè in magis mercantilibus foris verior creditur, magisquè recepta est, indefinitè acceptantem obligat, quomodocumquè, & quouis tempore, scribentis decoctio sequuta sit, nisi de positiuo dolo, vel collusione constet, istaquè opinio publici commercij libertati, ac fauori, magis congrua est; Altera verò, quæ magis Iuristarum subtilitatibus innixa est, atquè priuatis potiùs, quã mercantilibus, ac publicis negotijs congruit, distinctionem adhibet, àn de tempore acceptationis decoctio præcesserit, vel eam subsequuta sit, vt primo casu, nulla acceptantis obligatio adesse videatur, tanquam ex iam resoluto mandato, per scribentis, vel mandantis mortem ciuilem; Secùs autem in altero; Cum alia distinctione verisimilis, vel inuerisimilis notitiæ casus in acceptante, vt in cambiorum sede aduertitur. A.

Mandatarij autem decoctio, mandantem non excusat, quin ab eo gesta, ipsum obligent, sibiquè imputet, cur minus ido-
257 neo propria negotia commiserit, nisi in altero contrahente, dolus, vel collusio, seù mala fides accedat. B.

Deficiente mandato, ratihabitio, quæ subsequatur, illi æquipollet, eiusquè vim habet; Quæstione cadente retrotractio-
258 nis, & àn tempus gesti contractus, vel potiùs illud, in quo ratus habitus est attendi debeat; Idquè à primi actus validitate, vel inualiditate determinationem recipit, vt eo valido, ac obligatorio existente, adeoùt secundus ratihabitionis actus necessitati potiùs, quàm voluntati referendus veniat, retrotractio intret; Secùs autem in altero. C.

Omniaquè generaliter in procuratore, seù mandatario procedentia, in institore, seù complementario, omniquè
259 alio negotiorum gestore, ex rationis identitate pro subiectæ materiæ natura, recipienda quoq; veniunt.

Ex socij contractu, ac obligatione, consocius obligatus remanet, nulla curata causæ expressione seù veritate, quoties
260 vniuersalis societas accedat; Vbi verò particularis, tunc, vel causæ expressio requiritur, quamuis de versione non con-

Z. *de contractibus, alijsq; actibus gestis per procuratorem, vel negotiorum gestorem disc. 72. 75. & seq. & 84. & seq.*

A. *discur. 85. & sequ. & sub tit. de cambijs disc. 22.*

B. *tit. de Regal. disc. 115.*

C. *disc. 13.*

conſtet; Vel iſta, quamuis illa deſit; Niſi contractus qualitas, de ſui natura, implicitam præferat ſocialis negotij cauſam, quamuis ea non exprimatur, cū alijs diſtinctionibus, de quibus, vt potè non de facili ſub compendio cadentibus, in ſua ſede habetur; Cum ex facti circumſtantijs, præſertim verò ex negotiorum qualitate, ſeù natura, atquè regionum, ſeù locorum, vel negotiatorum legibus, vel ſtylis, huiuſmodi quæſtiones determinationem congruã recipiant.

Societatis autem diſſolutio, quæ per reciprocum conſenſum, vel etiam, per vnius ſociorum mortem, eo ipſo ſequi dicitur, niſi inter ſuperſtites noua inea-
261 tur, quamuis implicita, & adminiculatiua, quæ ſufficit, non ſemper conſocium liberat ab ijs, quæ ab altero geſta ſint; Vel quia ſcilicèt de negotijs, ſocietate durante præparatis, agatur quamuis ea diſſoluta perfecti ſint; Vel quia tertio, negotij ſocialis, omniumquè ſociorum fidem ſequente, diſſolutio pro regionis moribus, vel negotiorum ſtylo, non benè publicata, probabiliter ignota ſit, cum pro durante habeatur, inter ipſos tamen, releuationis obligatione vigente.

Solidi ſociorum obligatio eſt, atq; ad illud vnus alterum obligat, ex ratione mandati, quod vnus ab altero habere dicitur, cum negotio etenim ſociali cõ-
262 trahentes vnius intellectualis, vel collegiatiuæ perſonæ per plures conſtitutæ, fidem ſequi dicuntur, non magis vnius, quàm alterius fidem inquirendo, cum vnius tantum probata fides æſtimari ſoleat.

Vbi verò ſocietas non adſit, nominis tamen accommodatio accedat, ſiuè ex-
263 plicita ſit, ſiuè implicita, per patientiam, vt eius nomine contrahens vtatur, eumdem effectum parere ſolet, niſi facti qualitas aliud exigat, pro facti qualitate, ex qua deciſio pendere ſolet. D.

Tutoris, vel curatoris, ac prælati, ſiuè alterius legalis adminiſtratoris actus, pupillum, vel minorem, ſiuè Eccleſiam,
264 aut alium ſub adminiſtratione viuentem, quoquè obligat, vbi tamen ſolemnitas, & cauſa, aliaquè de iure requiſita accedant, de quibus in peculiari tutorum, ac adminiſtratorum ſede, vel in altera alienationum, ac prohibitorum contractuum aduertitur. E.

Ciuium, ſeù aliorum, vniuerſitatem, ſeù collegium conſtituentium, ex contractu per ipſam vniuerſitatem, ſeù Ciuitatem, aut collegium inito, obligatio
265 quoquè reſultare ſolet, vbi ea accedant requiſita, quæ ad id lex neceſſaria reputat. F.

Omniumquè frequentior, ea eſt obligatio, ex alieno facto producta, quæ in hærede, alioue ſucceſſore, locum ſortitur, ob defuncti contractum, iſtaquè
266 nedum legalis eſt, ex eo quaſi contractu prodiens, quem hæres, adeundo hæreditatem, inire dicitur cum defuncti creditoribus, ſeù aliàs ius cum eo habentibus; Verùm expreſſa quoquè datur, cum defuncto licentiam lex tribuat, proprium hæredem, eiuſque bona obligandi. Sola verò poteſtas non ſufficit, niſi voluntas accedat, ad ſpeciem redacta, ſeù explicata, vel ea implicita accedat, quam obligationis formula contineat, vt ex camerali obligatione ſequi receptum eſt; Niſi ea ad propria ipſius contrahentis bona, reſtrictionem contineat, obquam, obligandi bona hæredis voluntas excluſa remaneat; Ideoquè tanquam quæſtio voluntatis, ac facti potius, quàm iuris, certam non recipit regulam, ſed ex eiuſdem facti qualitate, ac circumſtantijs, in ſingulis caſibus, deciſio quærenda eſt. G.

Per filium, pater quandoquè obligatur, quia nempe ex cauſa prælaturæ, vel publicorũ munerum, ſiuè alimentorũ, ac
267 ſimili, filius debita contrahat, ad quæ pater obligatus remanet pro facti qualitate, iuxtà diſtinctiones, de quibus in ſua ſede. H.

D. *diſc.* 87. *cum ſeqq.*

E. *de contractu Abbatis, vel Prælati hoc tit. diſc.* 82.

F. *tit. de alienat. & contract. diſcur.* 23. *& ſeqq. & ſub tit. de Regal. diſc.* 98.

G. *diſc.* 36. *& ſeqq.*

H. *diſc.* 86.

Cap. IX.

De concursu creditorum, eorumquè priuilegijs, siuè anterioritatis, ac potioritatis ordine, ac eius, quod iam vni solutum est, auocatione, alteri competente.

INter illas personas, concursus, vel ordinis quæstiones cadunt, quæ coæquali creditorum titulo, inæquali tamen iure, de satisfactione contendant, super ijs communis debitoris bonis, quæ de ipsius dominio fuerint, vel sint, non autem inter eos, qui inæquali, seù diuerso
267 titulo veniant, vno scilicèt dominij, & altero crediti, cum primus titulus (vbi per veritatem competat), nulla data discretione temporis, vel priuilegij semper vincat secundum, qui quomodocumquè conceptus, ius quidem tribuit ad propria debitoris bona, non autem ad aliena, ideoquè ille, qui iure dominij rem suam vendicat, quam, ex furto, vel spolio, aliaque illicita occupatione, vel etiam ex regulari depositò, vel commodato, siuè alio, etiam alienationis titulo resoluto, debitor possideat, nullũ cõcursum admittit eiusdem possessoris, vel detentoris creditorum.

Quæstione cadente, vbi eadem res propria non esset, sed eius pretium, aliauè res, quæ mediatè, vel immediate ex ipsa re obueniat, àn iure subrogationis, in idem coincidat dominium, quod quascumquè hypothecas, aliauè creditorum iura vincat; In hoc autem, vbi
268 de re immediatè obuenta tractetur, regula subrogationi assistit; Vbi autem de pretio, vel de specie ex eodem pretio mediatè comparata, regula eidem subrogationi resistit; Nisi Iudicis, vel Principis auctoritas; Siuè ipsius acquirentis explicata voluntas; Aut domini prioris rei priuilegium subsidiarium, aliter suadeat, dictæquè regulæ limitationem inducat, iuxtà eas plures distinctiones, ac declarationes, de quibus, vtpotè non de facili sub compendio cadentibus, in sua sede, vel fonte subrogationis videndum est. I.

Illud autem speciale in Romanæ Ecclesiæ temporali immediata Italica dictione dignoscitur, vt resoluto etiàm, vel
269 resolubili quocumq; debitoris dominio, eius creditores quamuis simplices, & chirographarij, omni hypotheca vel priuilegio destituti, vincant eum, qui iure dominij bona possideat, seù vendicare velit; Vbi scilicèt, de illis bonis agatur, quæ per debitorem Baronem, vel Domicellum, iure proprio iurisdictionalia bona, cum iurisdictionis potentia, & exercitio habentem, possessa sint, vel possideantur, fideicõmissi, vel maioratus, aut inuestituræ iure, ex quo successor, tanquã dominus possideat, seù vendicet; Ità eiusdem Ditionis disponente particulari lege, per quam fingitur, vt resolutio quæ aliàs de iure sequuta est, vel sequi debet, locum sibi non vendicet, cum requisitis tamen, ac declarationibus, de quibus in sua sede. L.

Quamuis etenim creditor, quandoq; vincat eum, qui iure dominij possideat, seù dominij ratione vendicet; Id ta-
270 men sequitur in ijs bonis, quæ de debitoris dominio iam fuerint, ab eodem, immediatè, vel mediatè in alterum indebitè translata, ideoquè ius creditorũ operetur huiusmodi dominij resolutionem, vel annihilationem, perindè ac si nunquam à debitore abdicatum esset; Secùs verò vbi dominus concurrat iure suo, à debitore independenti.

Procedunt hæc, vbi per veritatem, ac proprietatem, bonorum vendicator, vel possessor, domini personam gerat, atquè de vero, proprioquè dominio, (quod ad omnes effectus penès eum resideat), agendo, vel excipiendo, opponat, cum tunc, nulla cõcursus creditorum alterius non domini, cadat quæstio, seù dubitandi ratio vrgeat.

Non improbabilis autem dubitandi ratio cadit, vbi, verè, & propriè, creditoris personam quoquè ille, qui ius dominij allegat, gerere dicatur, de quodam ficto seù intellectuali, non autem vero, ac proprio dominio opponendo; Vt in eo frequens praxis docet, qui re sua vendita, pretij fidem habeat, cuius solutione pendente, pro eius assequutionis cautela, ipsius rei dominium sibi reseruet.

Quam-

I. *disc.* 35.

L. *disc.* 13. *& sub tit. de feud. ad materiam bullæ Baronum disc.* 73. *& seqq.*

Quamuis etenim plurium sententia sit, vt hæc reseruatio, contractus venditionis perfectionem, ac de consequen-
271 ti etiam veri dominij abdicationem, ac respectiuè translationem impediat, alterum locationis, & conductionis contractum (huiusmodi conditione pendente) occultando; Improbabilis tamen, minusquè recepta videtur hæc opinio, probabilior autem altera, vt datis huius contractus requisitis, ad eius perfectionem necessarijs, positaquè traditione, verus dominus emptor efficiatur, suæquè sint, periculi, & commodi sequelæ; Venditor autem purus pretij creditor sit, cui ex quadam æquitate, fructuum rei æquiualentia, donec pretium obtineat, ab emptore reficiatur; Reseruatio autem dominij, istud fictum, seù intellectuale importet, pro quadam potioritatis, nimium æqua, & rationabili prærogatiua, seù ob animi explicationem, vel conditionis adiectionem, ità subintellectam, nè alteri in re sua ius quæri valeat, nisi priùs ea purificetur solutionis pretij cõditio, sub qua tradidit, aliàs non traditurus.

Ideoq; lex meritò potioritatem, concedit aduersùs omnes quãtumuis antiquos, vel priuilegiatos anteriores creditores in ipsa re, vel altera, in qua subrogatio vt supra intret.

Dummodo tamen, ante alienationis perfectionem, ac dominij translationem, vel in ipso instanti, tanquam actus indi-
272 uidui pars, talis lex, vel conditio adijciatur; Secùs autem si ex interuallo, postquam res de dominio debitoris effecta est, quamuis breue, ac penè momentaneum sit, cum tunc, ius hypothecarijs creditoribus, in ipso acquisitionis instanti quæsitum, ità tolli, vel præiudicari non valeat.

Vbi verò, non integri pretij, sed partis fides, cum huiusmodi reseruationis cautela, habita sit, alia parte soluta, tunc
273 quæstio est, àn pro virili, res de pleno emptoris dominio effecta sit, adeoùt, eius creditorum, ac venditoris, æqualis, ac proportionabilis esse debeat concursus, æqualisquè fortuna, super eiusdem rei intermedia naturali, vel accidentali diminutione; Plerisquè id affirmantibus; Alijs verò negantibus; Istaquè posterior sententia probabilior, magisquè recepta videtur; Potissimum verò vbi reseruationis lex, vel conditio integri pretij assecutionis adiecta sit. M.

Aliqua maiori, non improbabili dubitandi ratione cadente, vbi de illo creditore agatur, qui ad ipsius pretij dissolutionem crediderit; Adhuc tamen, nisi
274 de pura iurium venditoris cessione, sibi cauerit, vel de subintrationis pacto, cui ipse venditor purum præbuerit assensum, probabilitas maior venditori assistit; Ex ea congrua ratione, quod emptoris fidem aliàs non sequuturus, ob rei suæ cõtingibilem diminutionem, vel deteriorationem, ita & nõ aliàs in parte sit sequutus, sibique mutuator imputet, cur absque dicta cessionis cautela, emptoris fidem sit sequutus; Clarius verò vbi talis mutuator, qualificatam venditoris cessionem reportet, ac acceptet, vt contra ipsum cedentem non sit retorquibilis, ipsumque non afficiat. N.

Conceditur autem hoc potioritatis beneficium pro sola pretij sorte, nullatenus
275 verò pro vsuris, vel accessionibus, quãuis licitis, ac debitis, præterquam in iam extantibus fructibus; Secus autem vbi, ex non extantibus, & consumptis, debitum proueniat, cum tunc, dominij ratio nullatenus congruat, ideoque in hac parte venditor, emptoris fidem sequutus, nudi creditoris personam gerendo, in aliorum creditorum concursu veniet. O.

Alterũ quoq; vẽditori ius vendicationis, ex dominio in re sua, conceditur excluſiuè ad quoscũq; emptoris creditores, quamuis venditionis contractus, ex re-
276 quisitorum concursu, perfectus exiſtat, atque ad traditionem quoque deuẽtum sit; Vbi nempè pretij fides verè habita non sit, sed sub spe, vel iusta credulitate, momentaneæ, seù aliàs promptæ solutionis, traditio sequuta sit, ad quam venditor, emptoris dolo ita inductus dici valeat; Seù aliàs actum gesserit cum hoc præsuppositio, quod consensum ab actu adi-

M. *disc.* 4. *cum seqq.*
N. *ibidem proximè præsertim disc.* 6.
O. *eodem disc.* 6.

adimat, vt in mercibus, alijsque manualibus, rebus frequens praxis docet. P.

Siue vbi tunc, iam exiſtens, vel immi-
277 nens ſeù præparata emptoris decoctio, eamdem doli rationem inducat, ſiuè deficientiam animi eius fidem ſequendi, lex præſumat.

His autem non verificatis circumſtantijs, venditor, etiam in re aliàs ſua, aliorum creditorum fortunam curre-
278 re debebit, atque in concurſu veniendo, ab anterioribus excluſionem patietur, niſi lex, vel vſus loci aliter diſponat, vt aliquarum regionum praxis docet; Facti verò potius, quam iuris, idcircò agi ſolent quæſtiones, in mercibus præſertim, quæ de loco ad locum empto-
279 ri, per venditorem tranſmittantur ſub futuræ ſolutionis prætij fide, quando ſcilicet venditio, ſeù dominij translatio perfici dicatur; Idque ex facti circumſtantijs, alijſque diſtinctionibus, in ſua ſede recenſitis, deciſionem recipit. Q

Illis iuris quæſtionibus cadentibus, quæ poteſtatem vendendi, ac dominium reſpectiuè transferendi, pretio non ſo-
280 luto percutiant, vt in ijs alienationibus contingit, quæ per tutores, alioſque legales adminiſtratores fiant; Ac etiam per procuratores, alioſque quamuis voluntarios, & conuentionales adminiſtratores, vel negotiorum geſtores abſque ſpeciali facultate per mandantem, ſeù dominum attributa, ſiuè per legem ex ſubiectæ materiæ natura, vel adminiſtrationis qualitate, ſeù regionis vſu, eadem facultas ſubintelligenda veniat.

Eadem prærogatiua, vindicationis iure huius improprij, ac intellectualis dominij, tanquam per ſpeciem dictæ re-
281 ſeruationis per legem ſubintellectæ, ſeù verius ob actus inualiditatem ipſo iure, vel reſciſſionem ope exceptionis, ſeù reſtitutionis in integrum beneficio competente ijs, qui ætatis, ſeù aliàs imperfecti, vel imbecillis iudicij ratione, rei propriæ dominium, ità minus cautè in alterum tranſtulerint, cum ità per actus retractationem, pro non translato habẽdum veniat, ideoque titulus creditoris ceſſet, atque intret ille domini.

Eamdemque prerogatiuam, abſque tamen iſta veri dominij reſolutione, vel reaſſumptione, ſed crediti titulo adhuc durante, lex mulieribus concedit in ijs bonis, quæ iure occultæ venditio-
282 nis, æſtimata viro tradita ſint pro dotis ſolutione, quæ in quantitate conſiſtat, quoties ita ſubſidij ratio exigat, cum ijs declarationibus, de quibus in peculiari dotis ſede. R.

Ceſſante igitur dominij prærogatiua, adeout omnium idem ſit creditorum titulus; Ea primitùs cadit inſpectio, vel
283 diſtinctio, inter eos, qui conuentionalis, vel legalis hypothecæ beneficio muniti ſint (hypothecarij proinde appellati); Ac eos, qui hypotheca deſtituti, ſolam habeant perſonalis actionis competentiam (quibus chyrographariorum vocabulum lex tribuit); Inter iſta enim genera, nullus eſt concurſus, cum hypothecarij, nulla data temporis, vel priuilegij ratione, quoties præmiſſa dominij prærogatiua non accedat, potiores exiſtant, nullumque cum eis concurſum, chyrographarij habeant.

Niſi vbi debitoris, imminens, ac præparata, ſeu à particulari lege præſumpta
284 debitoris decoctio, iſtum æqualem concurſum producat, vt in aliquibus regionibus, mercatorum leges ſtatuiſſe videntur. S

Aut vbi, eadem, de qua ſupra dominij ratio, per improprietatem accedat, ex eo beneficio per legem introducto,
285 quod ſeparationis bonorum dicitur, vt frequens praxis docet in eo concurſu, qui ſequatur in bonis hæredis, vel alterius, qui duplex poſſideat patrimonium, proprium ſcilicet, ac defuncti, cum ex dicto ſeparationis bonorum beneficio, defuncti creditores, quamuis chirographarij, ſolamque perſonalem habentes actionem, hæredis, vel alterius ſucceſſoris creditores, in ipſius defuncti bonis, vincant.

Niſi de feudis, alijſque prohibitis, ac differentibus bonis agatur, quorum reſ-
286 pectu, quæſtio eſt, an domini aſſenſus, vel altera qualitas, iuris realis attributiua, huiuſmodi ſeparationis beneficium neget, ideoque etiam creditoribus defuncti

P. *diſc.* 23.
Q. *eod. diſc.* 23.

R. *diſc.* 166. *tit. de dote.*
S. *diſc.* 10.

cti in istius bonis concursum cum ita qualificatis defuncti hæredibus neget, super quo opinionum conflictus habetur, vt etiam in sua peculiari feudorum sede aduertitur. T

In eiusdem quoque debitoris bonis, inter eiusdem creditores respectiuè, idē separationis beneficium, siue eius species,
287 vel imago, cadere solet, vt eius medio, chirographarij, multo magis hypothecarij, quamuis posteriores, hypothecarios, vel anteriores vincant; Vbi scilicet pro negotiorum vel regionum, siue bonorum diuersa qualitate, lex duplex omninò diuersum, atque inter se distinctum fingat patrimonium, duasque inter se diuersas, ac distinctas, intellectuales, seù formales personas, in eadem materiali fingat, vel supponat, vt in mercatoribus, vel feudatarijs, ac militibus, seù clericis, ac alijs, de quibus in sua sede, praxis docet, cum tunc, ad præfati beneficij instar, vnius patrimonij creditores chirographarij, vincant illos alterius, quamuis hypotheca, & priuilegio munitos, vtpotè diuersæ personæ, cum declarationibus, in sua sede contentis. V

Atque hinc manat assumptum, per forensium ora volitare solitum, vt creditores societatis, in bonis ad eam, vel sociale negotium pertinentibus, vincant anteriores, ac priuilegiatos, singulorum sociorum creditores priuatos; Nili tamen ea bona, quæ in sociali negotio posita sunt, præcedenter affecta essent hypothecis, quas pro eorum natura, seu qualitate, adhuc retinerent, etiam vbi in tertium translata essent, cum tunc, in lucris seù incrementis, idem assumptum verificabile maneat. X.

Æqualis etiam concursus, absque hac hypothecæ discretione, intrat in ijs differentibus bonis, quæ in commercio non existentia, hypothecæ incapacia non
288 sint, atque sub ea non cadant, adeòut, nulla directa, realis, vel rei persequutoria actio competat, minusque ius aliquod quæsitum esse dici valeat, quod rei substantiam tangat; Solumque ex nobili Iudicis officio, quod nulli inseruiat actioni, siuè potius ex Principis indulgentia, vel extraordinario remedio per creditores implorato, huiusmodi rerum differentium venditio fiat, vt ex pretio satisfiat creditoribus; Tunc etenim cum in ea re, quæ hypothecæ incapax est, omnium æqualis chyrographaria conditio existat, hinc propterea, in pretio, quod ob Principis, vel Iudicis factum, loco rei subrogatum supponendum est, eiusdemque naturæ, omnium æqualis in puncto Iuris conditio est. Y.

Quamuis etenim, in superius enunciata peculiari temporalis Ecclesiæ Di-
289 tionis lege, super Baronum debitis edita, contrarium praxis doceat; Eadem tamen vrgente ratione, dum in pretio bonorum hypothecæ non affectorum, atque ex Principis extraordinario beneficio distractorum, anterioritatis, ac potioritatis ordo seruatur; Attamen ita sequitur, quia sic expressè eadem lex disponat; Ideoque, locorum, seu Tribunalium legibus, vel stylis, in hac bonorum
290 specie deferendum est, quamuis iuris communis regulæ, vel rationes aliàs disponant, cum sæpius commercij fauore ab rigore deflectere congruat, vel quia receptum vsum seruare oporteat. Z

Vbi verò, hac discretione cessante, inter eiusdem generis, vel qualitatis creditores, concursus fiat, quia nempè omnes chirographarij sint, vel omnes æquè hypothecarij; Eiusdemque concursus quæstio sit, super indifferentibus bonis, quæ in libero priuato commercio existant.

In primo chirographariorum genere, Regula est, vt nullum, temporis, vel anterioritatis priuilegium detur, nulla-
291 que discretio, vel inæqualitas intret, sed omnium eadem sit conditio, atque æqualis concursus, omnesque per contributum, illi subiaceant diminutioni, quā ex patrimonij insufficientia, pati oporteat.

Ea solum inter eos cadente potioritate, quæ ab aliquo priuilegio per legem
292 attributo resulter, quod potissimum est illud, quod à depositi, quamuis irregularis, causa oritur, ita quadam æquitate, seù commercij ratione exigente; Quam-

T. *disc.* 27.
V. *disc.* 11.
X. *eod. disc.* 11.
Y. *disc.* 12.
Z. *dicta disc.* 12. & 13.

Quamuis etenim, regulari tantùm depositò istud priuilegium competere, atque de illo id intelligendum esse, aliquorum opinio sit; Non tamen ea recipienda videtur, cum tũc ex ijs, quæ superius insinuata sunt, non crediti, vel creditorum concursus, sed dominij, ac vendicationis termini cadant; Ideoque irregulari depositò id referendum est, cum alias fatua legis prouisio remaneret; Ità tamen, vt suam retineat naturam, quæ ex vsurarum conuentione, aliauè circumstantia, corrupta non sit. A.

Quinimò, vbi de illis agatur depositis, quæ in sacra, vel publica æde, prò publica vtilitate, vel commoditate erecta, in deponentium gratiam principaliter fiant, vnde resultet, vt quamuis
293 commixta, vel confusa, irregularia potius, quã regularia de stricto iure censenda sint, adhuc tamen, quoad periculum, quod ex fortuito casu contingat, regularium potius naturam habeant, vt in sua sede, seù fonte aduertitur, B vt tunc, aduersus priuatos depositarij creditores, quamuis hypotheca, & priuilegio munitos, idem priuilegium, tanquã per speciem dominij, seù vendicationis, ex rationis identitate, intrare debeat; Æquali concursu, seù contributo inter ipsos met deponentes solum cadente; Super quo tamen, locorum moribus, vel stylis deferendum est.

Idem quoque priuilegium, causæ discretio producit, vbi vna onerosa, altera verò lucratiua sit, cum primam po-
294 tius implere congruat, incongruat autem alteri, æqualem dare concursum C; Idemque vbi æquitas, vel humana ratio, pro Iudicis prudenti arbitrio id suadeat; Siue quod locorum leges vel mores ita receperint, adeòut praxis doceat nõnulla dari personalia credita, quibus potioritas etiam aduersus hypothecarios, ac
295 priuilegiatos concedenda sit, vt ex iuris communis dispositione, vel intentione, in expensis vltimæ infirmitatis, ac funerum, receptum est, ac in plerisque locis, pro certis respectiue ratis, ex causa victualium, ac vestitus; siue pro famulorum, vel artificum mercede sta tutum, vel receptum est, cum similibus; Vt etiam inter chirographarios venditori in re sua indulgendum videtur.

Quamuis etenim, inter hæc adeo pri-
296 uilegiata credita, et si personalia, tantum, vt etiam hypothecarios, ac priuilegiatos creditores vincant, administratorum, ac aduocatorum, & procuratorum, aliorumque operantium salaria, seù mercedes, ac etiam iudicialium actorum expensæ, vel similes necessariæ, seù oportunæ recenseantur, Non tamen priuilegij ratione, per legem positiuè concessi, id prouenit, sed ex ratione naturali, deductionis, quæ prius facienda est, id oritur, quasi quod concursus in ijs bonis cadat, quæ deductis prius huiusmodi, ac similibus expensis supersint, siuè quod eis congruat inferius recensendum priuilegiũ ad rem conseruandã, vel reficiendam mutuantium; Illud etenim legis priuilegiũ est quod ex naturali tamen ratione, vel æquitate manat, quod etiam contrà hypothecarios anteriores, vltimæ infirmitatis vel funerum expensis, aut etiam alimonijs ex lege communi, vel municipali competit.

Hypothecariorum verò, duplex species est; Eorum scilicèt, qui conuentionalem ex propria prouidentia sortiantur hypothecam, cui expressæ, seù legalis vocabulum, vel terminus tribuitur; Ac eorum, qui absque conuentione, vel prouidentia, illam obtinent, ex legis beneficio, istaque tacita, seù legalis dicitur; Prima verò expressæ, seù conuentionalis species, aliam recipit distinctionem, inter specialem, ac generalem.

Omnium tamen, eadem conditio est, circa concursum, vt scilicèt, temporis ordo attendi debeat, atque priores vincant eos, qui tempore posteriores exi-
298 stant, nulla data, expressæ, vel tacitæ, siuè generalis, vel specialis hypothecæ discretione.

Nisi ea, quæ ex probabili, magisque recepta sententia dignoscitur, quoad ea potioritatis priuilegia, quæ ex mera legis benignitate, ac indulgentia posterioribus hypothecis, aduersùs anterio-

res

A. *disc.*25.
B. *disc.*68.
C. *disc.*31.

res tributa sint; Vt in dote restituenda, mulieris, vel filiorum fauore statutum est, quoniam licèt generaliter lex loqua-
299 tur, eiusque generalitate attenta, scholastici, legis litteræ, grammaticorũ more inhærentes, generaliter eam accipiant, etiam aduersùs expressas, & conuentionales hypothecas, probabilius tamen forenses, ad tacitas, seù legales tantùm id restrinxerunt; Ex ea nimiũ probabili ratione, quod faciliùs lex tollit id, quod suum est, atque ex eius prouidentia, seù priuilegio manat, quàm quod priuatus, ex propria industria, seù prouidentia quæsiuit, quod de facili, sine publicæ vtilitatis, vel necessitatis iusta causa, fieri non debet. D.

Adeout non desint, qui in lege positiua viua, vel mortua, hanc potestatem negent, quotiès insinuata publicæ ne-
300 cessitatis, vel vtilitatis ratio non accedat; Cuius tamen contrarium verius est, quoniam hypothecæ, quamuis expressæ, & conuentionalis priuilegia, vel operationes, ipsius legis positiuæ inuentum continent, atque ab eius prouidentia manant, ideoque nil datori prohibet, auferre id, quod ipse dedit; Benè tamen, honestatis, vel congruentiæ ratio id vetat, cum non omne quod licèt, honestũ sit. E.

In vtraque pariter, legalis, & conuentionalis hypothecæ specie, eadem intrat
301 generalis regula, seù propositio, vt ea, sine legis, vel hominis voluntate, subintelligenda non sit, ideoque non cadat, nisi vbi expressa legis, vel hominis voluntas verificetur. F.

Hinc propterea, in conuentionali, voluntatis quæstiones cadunt, quæ facti potiùs, quàm iuris dicuntur, ideoq; pro facti qualitate decidendæ sunt, certam,
302 ac generalem non admittentes regulam, an .s. hæredum bona hypothecata sint; Vel etiã ea propria, à quibus alicuius prohibitionis ratio, vel pœnarum incursus, hypothecandi voluntatem ve-
303 risimiliter excludat; Atque in vtraq; bonorum specie, exclusioni potiùs regula assistit, ex facti circumstantijs limitanda, præsertim verò in hac secunda prohibitorum specie, vbi in alijs adiecta hypotheca verificabilis non sit. G.

Eademque voluntatis exclusio, in aliquibus suppellectilibus, alijsque manua-
304 libus, pro locorum moribus, vel personarum qualitate, alijsque circumstantijs intrare solet, nulla tamen firma, seù generali regula cadente, quæ cuicumq; casui applicari valeat, cum singulorum decisio, pro eorum peculjari qualitate diuersa sit.

Atq; hinc, pro communi vsu, eademq; æquitatiua ratione, pro commercij li-
305 bertate inducta, ob quam, mercium, aliarumque manualium rerum hypotheca prosequutionem non habet aduersùs tertium, qui ex bonæ fidei oneroso titulo quæsierit.

Ità eiusdem hypothecæ prosequutio, aduersùs illum mutuatorem, seù alium creditorem, qui sub veri, ac manualis
306 pignoris fide, crediderit, aliàs non creditурus, deneganda videtur; Quasi quod huiusmodi manualia, vt promptè necessitatibus occurator, retineri solita, ex verisimili voluntate, sub generali omnium bonorum hypotheca non cadant. H.

In legali pariter hypotheca, ob insinuatam regulam, vt ea non intret, nisi vbi per legem attributa legatur; Super eiusdem legis implicita, seù virtuali vo-
307 luntate, quæstiones cadunt in casibus, quibus eadem congruat ratio, ob quam ea concessa est; Idque probabilius, magisque receptum videtur, vt scilicèt illa hypotheca, quàm lex, pupillis, vel minoribus aduersùs eorum tutores, & curatores concessit, vel filio aduersùs patrem, vel mulieri aduersùs virum extradotalia administrantem (à die susceptæ administrationis, non autem ex tempore, quo illa malè sequatur metienda); Concedi quoque debeat, amentibus, prodigis, Ecclesijs, & pijs locis, cæterisque omnibus, qui per se ipsos, à natura, vel accidenti, administrare impediti,
308 vel prohibiti, sub aliena administra-

D. *de dote disc.* 166. & *in alijs eodem tit. ibi insinuatis.*
E. *disc.* 5.
F. *disc.* 36.
G. *disc.* 13. & 151.
H. *disc.* 22.

tione, ex eiusdem legis, vel iudicis necessitate, seù prouisione, viuere cogantur, cum omnibus eadem congruat ratio, ideoque ex legis verisimili voluntate, eadem congruere debeat dispositio. I.

Super accessionibus autem, quæ sub fructuum, vel vsurarum, siuè interusuriorum vocabulo explicari solent, aliisq;
309 consequutiuis, vel dependentibus à principali debito, pro quo, vna, vel altera hypothecæ species competat, quæstiones cadunt, an eadem ad hæc accessoria, seù dependentia trahatur, adeout eodem sortis principalis iure censenda sint, idque non leuem Iuristarum pugnã habet; Ea tamen distinctio, in praxi recepta est, quod; Aut eiusdem stipulationis iure veniunt, sub qua ipsius debiti solutio promissa est, et eadem sit natura; Aut verò iudicis officio, siuè alio iure à dicta stipulatione diuerso, et secùs.

Idemque iudicialibus, ac alijs expensis, congruit, quas pro debiti recuperatione ac debitoris coactione facere
310 oporteat, cum eadem sit ratio, quoties tamen de illis expensis agatur, quarum refectio de iure debita sit.

Hinc proindè, facti potiùs, ac applicationis, huiusmodi quæstiones videtur, quando scilicèt vna, vel altera pars distinctionis locũ sortiatur, quod ex obligationis verbis, vel clausulis, determi-
311 nationem recipit, an scilicèt ista explicita conuentio adsit; Eaque non accedente, an adsit implicita, quæ inesse dicitur in generica stipulatione, ad damna, & interesse, quæ de communi stylo in instrumentis adijci solet pro generica omnium conuentorum obseruantia, ac etiam in forma cameralis, vel quarãtigiatæ obligationis ineſt. L.

Ordinis autem prioritatis, ac temporis regula hæc, non semper firma est, quamuis de indifferentibus bonis aga-
312 tur, cum plures recipiat limitationes, eam potissimùm, quæ ab æqualitate, seù identitate causæ resultat; Si etenim pro eiusdem rei acquisitione, vel pro eiusdem debiti dissolutione, siuè pro alterius causæ implemento, plures in eam, atque cum conuentione cautelæ, ex illa resultantis diuerso tempore eidẽ debitori crediderint, omnium est æqualis fortuna, seù concursus, ac si eodem tempore, vel momento, per vnicum actum credidissent, quamuis pro generali more contradicentes non desint. M.

Prout causæ credendi qualitas, posteriorem, anteriori potiorem reddit, vbi
313 nempè ad ipsius pignoris, vel hypothecatæ rei, super qua concursus quæstio sit, in refectionem, vel conseruationem, seù acquisitionem (versione præsuppositа) creditum sit.

Ea discretione, inter causam refectionis, vel conseruationis, & alteram nouæ acquisitionis militante, vt in prima specie, sola expressio causæ sufficiat, quæ
314 iuncta cum versione desideratur; Nil etenim refert, an pecunia debitori simpliciter credita sit, cuicumq; vsui, pro libito applicabilis, quæ in istam causã erogetur;
315 In altera verò emptionis, vel acquisitionis specie, vltrà eadem æquè necessaria requisita, alterum specialis hypothecæ eiusdem rei necessarium est. N.

In hoc etenim, dura lex, humanæq; rationi aduersa videtur, vt ista formalita
316 te cessante, in re, quæ ex propria pecunia quæsita sit, per creditores anteriores acquirentis excludatur; Quinimò (quod durius) vt ipse met venditor, qui pretij fidem habuerit, nisi de superius insinuata cautela reseruationis dominij sit sollicitus, à prioribus excludatur; Vel nisi accedat ratio dominij, quod à prior domino abdicatum non sit, ob fraudem, vel inhabilitatem vendentis, vt superius insinuatum est.

Personæ quoque priuilegium, hanc potioritatem producit, vt in dote per virum restituenda, non autem per do-
317 tantem soluenda, lex fauore mulieris, ac liberorum tantùm, non autem extraneorum, aduersus anteriores hypothecas statuit, quod (ex iam insinuatis), ad solas legales, non autem ad conuentionales hypothecas, forensis vsus meritò re-

I. *disc.* 36. & 39.
L. *disc.* 147.

M. *disc.* 1. *cum seqq.*
N. *eod. disc.* 1. *cum seqq.* & *disc.* 15. *cum seqq.*

restrinxit, vt in peculiari dotali sede latius. O.

Fisco, non quidem pœnali, seù aliàs lucratiuam causam fouenti, sed de onerosa, atque correspectiua causa contendenti, cum ijs, qui ex causa publicæ administrationis, seù aliàs ex fiscalium rerum conductione, vel appaltu, directi, ac immediati debitores existant, idem potioritatis priuilegium, aduersùs tam conuentionales, quàm legales hypothecas, pro eius, et si legali tantùm hypotheca, in bonis posteà quæsitis, conceditur, non autem in ijs, quæ antè fiscalem debendi causam, debitor obtinebat, in quibus iure priuati creditoris solo tẽporis beneficio potitur, quod ab illo susceptæ administrationis, non autẽ eius mali exercitij pro legali hypotheca metiendum est. P. 319

Primipilari causa tantùm maius priuilegium habente, vt etiam in bonis præteritis competat potioritas; Quæstione cadente, an, & quomodo ista causa hodiè verificetur, & an sit in vsu, vt in sua sede Q. 319

Alia quoque cadente quæstione, an Baronibus, alijsque inferioribus Dominis qui veri fisci iura non habeant, hoc priuilegium competat; Probabilior verò est negatiua quoad potioritatem; Affirmatiua verò quoad legalem hypothecam admitti debeat, cum legalis, ac penè necessaria videatur administratio. R.

Stante autem exequatione, quam alia occasione, inter fiscum, & dotem lex facere visa est; Vna opinio, doti quoque hanc potioritatem aduersus conuentionales hypothecas, in bonis posteà quæsitis tribuit, quod non placet, minùsque probabile videtur, nisi probabilia vrgeant argumenta, quod ex ipsa dotali pecunia, bonorũ acquisitio proueniat. S. 320

Plerisque alijs pro bonorum cultura, vel fructuum recollectione, ac præparatione, siuè pro animalium pastura, & similibus, Iuristæ potioritatem, aduersus priores conuentionales hypothecas, tribuunt, quod sub prima potioritatis enunciata specie, refectionis, vel conseruationis cadit; Plures circà concursũ inter se ipsos, (inter quos locator pro pẽsione fundi recensetur), retexendo quæstiones maioris, vel minoris potioritatis, non de facili sub compendio explicabiles, ideoque in sua sede videndas. T. 321

Inter æque autem priuilegiatos, conquassatis priuilegijs, temporis ordo, more priuatorum intrat; Nisi qui ad rei acquisitionem credit, de cautela sibi consuluerit, quæ resultet à pacto, anteà, vel incontinenti, non autem post acquisitionem adiecto, vt nemini in eius præiudicium in re acquirenda ius competat, vel quæratur; Aut vbi creditum, ex culturæ, vel conseruationis causa, referri mereatur expensis necessarijs, quæ ante omnia deducendæ sunt, vtpotè per ipsummet creditorem anteriorem faciendæ, si pignus possideret, eiusque dominus esset. V. 322

Causæ debendi diuersitas, pro antiquiorum sententia eamdem diuersitatem conuincit, vt nempè, onerosa posterior, lucratiuam anteriorem vincat, quamuis hypotheca munitam; Quod tamen non admittit opinio recentior, quã forus magis recepisse videtur, vbi fraudis, vel collusionis ratio cesset, quæ priori opinioni locum relinquat, quamuis prima rationabilior videatur, altera vero de stricto iuris rigore verior. X. 323

Posterior quoque, sib priorem, alteri tamen antiquiori iam dimisso posteriorem, vincere frequenter solet, ex primi iam dimissi iuribus, in quibus succedere dicatur ille posterior, de cuius pecunia dimissio facta sit; Quoties tamen in eã causam, eaq; intentione iurium cessionem reportãdi, vel in locũ subintrandi, pecunia credita sit, atque alterum vertionis requisitum accedat; Secùs autem, vbi debitori, ad eius liberum vsum pecunia detur, quamuis in id pro ipsius debitoris electione erogata sit; Ideòque facti potiùs quæstio remanet, super existentia huiusmodi requisiti, quod adminiculatiua probatione con- 324

O. *de dote disc. 166. vbi concordantes.*
P. *disc. 19.*
Q. *disc. 20.*
R. *disc. 39.*
S. *de dote disc. 166. vbi concordantes.*
T. *disc. 14. cum plur. seqq.*
V. *proximè supra.*
X. *disc. 31.*

tentum videtur; Eodem modo, quo receptum est, vt in altero versionis ea sufficiat; Cessionis autem, vel pacti de subintrando requisitum, ad effectum agendi, non autem ad alterum excipiendi in possessore desideratur, dummodò in eam causam, eoque animo dimissio sequuta sit. Y.

Inuoluta verò apud modernos est quæstio, an hæc successio vltimi in locum primi, ob quam excludat medios, in vsu-
325 ris, alijsque accessionibus operatiua sit, quod probabilius ex distinctione in sua sede recensita determinationem recipit.

Vincit quoque posterior priorem, in ijs bonis, quorum distractioni, prior consensum præbuerit, fortiùs verò si il-
326 lorum pretium in causam proprij debiti obtinuerit, quamuis eadem bona, ex diuersa non tamen ex eadem causa, ad eumdem redeant debitorem, quoniam sub futurorum hypotheca non cadunt, atque remissio semel inducta semper operatiua remanet, eaque resultat, quamuis pignoris distractioni consensus non præcesserit, sed ratihabitio sequatur, cum declarationibus, de quibus in sua sede. Z.

Quæstione cadente, quoties nullo accepto ipsius pignoris pretio, gratuita, seù beneuola remissio sit, in vnius tamen creditoris gratiam facta, an alijs profit,
327 qui eumdem vincant, idque varias habet opiniones, ac distinctiones, recipit; Verè autem facti, ac voluntatis quæstio est, pro facti propterea qualitate, ac circumstantijs decidenda A; Siue vbi anterior affectauit postponi, ac solutionem neglexit, cum tunc postponatur. B.

Aequalitate autem posita, possidentis conditio potior est, vbi possessio non
328 vitiosa, vel affectata, sed legitima, ac vera sit, iuxtà declarationes in sua sede contentas, præsertim si ordo scripturæ anterioritatem præbeat. C.

Super huius æqualitatis autem requisito, quæstiones cadunt, inter cedentem,
329 & cessionarium, qui partem eiusdem cedentis debiti cum eius pecunia dimiserit, siuè inter eos, qui cum eorum pecunia eumdem dimiserint creditorem, cessione ab eo, diuerso tempore, æquè reportata, idque pariter, ex facti qualitate, pluribusque distinctionibus determinationem recipit. D.

Posterior etiam quandoque anteriorem vincit, quia nempè, ille publico sit
330 munitus instrumẽto; Iste autem habeat priuatam scripturam, quæ trino teste munita non sit E, nisi alia accedat certa probatio æquipollens, quæ antidatæ suspicionem tollat, cum æquipollentiam sufficere sit receptum.

In aliqua etiam parte, anteriorem posterior vincit, vbi non de ipso creditore agatur, sed de eius cessionario, qui pro minori summa cessionem reportauerit, quàm creditum importet; Id autem concursus ordinem non respicit, sed sub-
331 stantiam crediti, cum etiam ipsimet principali hoc beneficium competat, id solùm offerre, quod cessionarius soluit; Vbi tamen litigiosi iuris cessio sit voluntaria ad lites redimendas, non autem iusta causa accedat, aliaue limitatio, vt in sua sede. F.

Præmissæ, aliæque plures concursus quæstiones, quas omnes cum solo memoriæ beneficio, successiuis horis, sub compendio recensere, humani intellectus imbecillitas non patitur, ea percutiunt bo-
332 na, quæ indifferentia, atque in libero priuato commercio sint, illaque de dominio debitoris iam effecta, cum sine hoc dominij requisito, creditorum hypotheca non detur; Ideòque ea non capiat, eiusdem pignoris, vel hypothecatæ rei fructus, qui extrà debitoris dominium nascantur, cum sub hypotheca non cadant, nisi, quæ de hypothecantis dominio sint. G.

Exindèque sequitur, vt ad bona, quæ debitori ex successione directa, vel obli-
333 qua, seù legato, aliaque gratuita dispositione, delata sint, nisi per ipsum agnoscantur, illeque sequatur agnitionis effectus, per quem dominij acquisitio re-

sul-

Y. *disc.* 1. *cum plur. seqq.*
Z. *disc.* 4 & 32. 34 & 35.
A. *disc.* 4.
B *disc.* 29.
C. *disc.* 9.
D. *disc.* 1. & *seqq.*
E. *disc.* 33.
F. *disc.* 60. & 149.
G. *disc.* 37.

fuiset, cum possit debitor (creditoribus præiudicando), nolle quærere, neque creditoribus concedatur ea, quæ sunt facultatis, atque illa, quæ in animo latent explicare, vel exercere; Quæstione cadente, an in legitima, quæ iuris ministerio defertur, hæc agnitio quoque desideranda sit, quod ex aliquibus distinctionibus determinationem recipit.

Ea verò, quæ ex iam perfecto contractu acceptato competunt, respui non possunt, cum id iuris quæsiti potiùs amissionem, quàm non agnitionem quærendi redoleat, ideòque rem delatam non agnitam debitor agnoscere non potest, atque ab acquisitione abstinere, agnitam verò dimittere prohiberur, quamuis ea restitutioni post mortem, vel per aliam conditionem obnoxia sit, quam sub refutationis, vel præuentiuæ restitutionis titulo, proximo, ac necessario successori faciat, cum eius iure iam agnito durante, creditorum hypothecæ durent. H.

Vbi verò de ea diuersa bonorum specie agatur, quæ differentium dicitur, quia nempè, absque alterius assensu, vel alia solemnitate, alienari, siuè obligari
334 prohibita sint, non à tempore, sed ab assensu, vel alia ad id necessaria solemnitate, creditorum ordo resultat, ideoque ille prior dicitur, qui priorem habeat assensum, qui verè actum perficit, ac informat, quamuis ille, qui temporis prioritatem habeat, eumdem posteà sortiatur assensum, cum iustius, non autem priuatæ conuentionis tempus attendendum veniat; Ideòque si iste contemporaneus, & coæqualis esset, omnium erit conditio æqualis, quamuis temporis inæqualitas accederet, cum non debitoris hypothecantis fidem, sed illam assentientis, seù aliàs actum perficientis, ille, qui credit, sequi dicatur, vt in feudis, ac regalibus iuribus, alijsque in libero priuato commercio non existentibus, vtpotè legis, vel hominis, alienandi, vel hypothecandi prohibitionem habentibus, frequens praxis docet.

Adeòq; vna opinio, (vt superiùs insinuatum est,) bonorum separationem quoque negat, atque hæredis, vel successoris creditores assensu munitos præfert
335 illis defuncti, qui eo destituti sint, quod pro Tribunalium diuerso stylo determinationem recipit.

Hinc super prohibitionis natura, seù qualitate cadit quæstio, an scilicèt hypo-
336 thecam quoque complectatur, probabiliorque affirmatiua videtur, vbi non de fructibus, vel eorum commoditate, sed de rei proprietate, ac substantia tractetur.

Vbi verò, non in ipsa re, sed in eiusdem pretio concursus quæstio sit; Vna
337 opinio credit hunc diuersum ordinem non intrare, ex iuris regula, vt pretium loco rei non succedat, eiusque non sortiatur naturam, sed iure indifferentium bonorum habendum sit; Verius autem videtur, vt ab eo id pendeat, an creditori, qui ratione assensus cæteris potior, magisque priuilegiatus est, in huiusmodi indifferentibus bonis, super eis consultum remaneat aduersùs possessorem, quamuis pretium quoque extet, ab eodem possessore debitori solutum, quod in ea contingit alienatione, quæ priuata auctoritate, absque assensu facta sit; Quæstione ità remanente inter ipsos priuatos, seù indifferentes creditores, & emptorem, qui à priuilegiato creditore super ipsa re reales molestias, vel euictionē patiatur; Secùs verò, vbi ex Principis, aut legis, vel Iudicis prouisione, seù aliàs, ex ipsius rei natura, creditoris ità per assensum priuilegiati ius, in ipsa re non sit exercibile, cum tunc, pretij subrogatio intret, ideòq; idem ordo, seruandus est, qui in ipsa re seruari deberet.

Quæstione cadente, an hæc assensus operatio pro debiti accessionibus, quoq; intret; Aliquibus indefinitè negantibus;
338 Alijs autem è conuerso generaliter affirmantibus; Et alijs veriùs distinguentibus, an explicita, vel implicita accessionum mentio in assensu accedat, illæq; in assentientis animo fuerint, necnè, dum ex insinuatis, ab assensu totum ius creditoris pendet; Præsuppositа tamen eius validitate, ac perfectione, (qua cessante habetur, ac si non esset, dum nullum, & nihil parificantur); Huiusmodi autem validitatis inspectio, non sub ista, sed sub altera gratiarum, ac indultorum,

seù

H. *aiss.* 42. 137 *& seq.*

seù feudorum sede cadit. l.

Iis autem, qui assensu destituti sint (vt superiùs quoque aduertitur), nullum rea-
339 le, vel rei persequutorium ius, vel remedium conceditur, sed vtpotè in hac bonorum specie habendis pro chirographarijs, ea solùm remedia dantur, quæ huic creditorum generi, ad alia debitoria indifferentia bona conceduntur. L.

Frequentiores autem fori quæstiones, inter creditores defecti debitoris contendentes, illæ videntur, quæ iam solu-
340 tæ pecuniæ auocationem concernant, Vbi præsertim (ex commendabili stylo) creditorum gradus, vel ordinis determinatio expectanda non sit, quod huiusmodi causarum æternitatem penè causat, sed primò venientibus, pecuniæ, cum idoneis cautionibus de restituendo, vel earum loco (vbi tales haberi non valeant), cum idoneo inuestimento, quod dictæ cautionis vicem suppleat, liberantur, ideòque alij postmodum venientes, de auocatione contendant, quia se priores, vel potiores esse dicant.

Quamuis autem apud antiquiores nimium inuoluta videatur hęc auocationis materia, cum ea tamen casuum distinctione, quæ probabilior, magisque recepta videtur, plana hodie remanet.

Aut etenim de illa solutione agatur, quæ per iudicē, vel alium ad id potestatem habentem, seù etiam pertertium, ex pecunijs defecti debitoris, vel ex eiusdem
341 bonis obuentis, cum dicta cautione, vel obligatione solutæ sint; Iftoque casu, nulla cadere videtur quæstio, nisi ea, quæ ipsam anterioritatem, vel potioritatem percutiat, de qua, onus eius est, qui ad auocationem agit, concludenter docere, cum id suæ intentionis fundamentum sit.

Consumptione posteriorem creditorem non excusante, neque ea potioritate, quam data æqualitate, possessio, vel ex-
342 ceptio producat, cum ità pecunia pro extante habenda sit, ac si solutionis actus non esset sequutus, eū resoluendo in præcariam quamdam, seù prouisionalem, & quandocumq; reuocabilem traditionem, stante potissimùm clausula ampliatiuè adijci solita, vt ad omne mandatum iudicis ea fieri debeat.

Vbi verò, non per iudicem vel alium, cum dicta cautione, sed liberè per eumdē creditorē, vel tertium solutio fiat, tūc
343 ex eiusdem debitoris statu quæstionis decisio pendet; Si enim vel formiter decoctus, vel decocturus existat, idque ex vera, vel à lege præsumpta, siuè subintellecta scientia, creditori solutionem recipienti innotescat, idem resultat effectus, quem cautio præmissa producit; Ideòque facti potiùs, quàm iuris quęstiones desuper cadentes esse dignoscuntur, super vnius, vel alterius qualitatis verificatione, ità & taliter quod ad veram, vel præsumptam inferri valeat creditoris malam fidem, cuius hæc operatio est.

Potissimè verò, vbi de secunda decocturi specie agatur, vnde cessante positiuæ malæ fidei vera probatione, ad præ-
344 sumptam recurratur; Varijs varia desuper sentientibus; Verius tamen est, vt quæstio facti sit, ideoquè prò regulari huiusmodi quæstionum natura, certam non recipiat determinationem generalem, sed ista, particularis pro singulorum casuum indiuidua qualitate sit; Nisi locorum leges, vel styli, ad huiusmodi quæstiones dirimendas, certam statuerint regulam indefinitè attendendam.

Idem effectus, qui ex mox insinuata ciuili morte (quàm decoctio causare dicitur) ex altera morte naturali debitoris quoque resultat; Quamuis etenim, cre-
345 ditoribus aduersus hæredem cum prædicta cautionis, hodie vsu recepta cautela per creditores nō recusabili, soluere obligatum, ea neglecta, soluentem, actio competat, inuentarij beneficio non suffragante, perinde ac si solutio poste-
346 rioribus facta non esset, ipsaquè pecunia soluta extaret; Adhuc tamen anterioribus aduersus posteriores ità per hæredem dimissos, eadem lex, quæ inuentarij beneficium induxit, auocatio-
447 nis actionem tribuit, quasi quod, ab ad-

---

l. *de his omnibus disc.* 12. & 13. & 151. & *sub tit. de feud.*, & *sub tit. de Regal.* & *de emphyteus.*

L. *ibidem.*

administratore potius, qui gratificandi facultatem non habeat, creditor posterior solutionem recipere sciat, vel scire debeat, ideoque malæ fidei censeatur.

Ipso autem debitore adhuc in statu integro existente, suique patrimonij liberam habente administrationem, vbi collusionis, vel malæ fidei probationes, vel efficacia argumentata non
348 accedant; Quamuis de stricta iuris censura soluti cõdictio anteriori aduersùs posteriorem competat; Vbique tamen recepta rationabilis æquitas, commercij libertati, publicoque fauori innixa, nè ità mundus inuoluatur, contrarium statuit, vt pecuniæ bona fide receptæ, & consumptæ, auocatio non detur; Consumptione, quamuis impropria, per confusionem solutæ pecuniæ cum reliquo creditoris patrimonio ad id sufficiente, adeout sufficiat, ipsam individuam pecuniam non extare, à reliquo patrimonio distinctam.

Huic autem æquitati, locus non conceditur, vbi non à debitore solutio facta sit, sed à tertio, siuè ipsemet credi-
349 tor manu sua eam sibi fecerit, quoties compensationis bonæ fidei cum se ipso factæ ratio non accedat; Idemque si ab integro debitore, omnium creditorum pari petitione, ac diligentia præcedente,
350 creditori posteriori iam conscio, per gratificationem solutio facta sit.

Fisco, ac doti, alijsque priuilegiatis, pleriq; hoc speciale tribunt, vt huiusmodi auocationem, etsi regulariter ob bonæ fidei consumptionem denegandam,
351 faciant; Id autem non ità indefinitè recipiendũ est, sed quãdo lucri ratio, vel alia peculiaris circumstãtia, quæ æquitatis repugnantiam excludat, ità suadeat.

In pluribus autem differunt huiusmodi auocationis species; Vbi etenim dicta obligatione de restituendo non ac-
352 cedente, ea ex sola legis dispositione manet, tunc non nisi in subsidiũ facta debitoris formali excussione, atque in ordinario iudicio exercibilis est; Vbi verò, cautio, vel obligatio accedat, ex iudicij calore, in processu executiuo exercibilis
353 est, neque dictum excussionis requisitũ desiderandum venit.

Ordinis tamen, vel inanis circuitus quæstio cadere solet, àn scilicèt anterior, vltimum, non autèm medium, vrgere
354 debeat, vbi vnus alterum indicet; Aliquibus affirmantibus; Alijs verò negantibus; Istaquè posterior magis recepta est, quamuis prudens praxis in exequendo, circumspecta esse soleat, vt ad inanem circuitum vitandum, ab eo, qui sit vltimus vnica fiat restitutio. M.

Super fructibus medio tempore, ex pecuniæ solutæ inuestimento, in posteriorẽ creditorẽ obuentis, siuè in eiusdem inuestimento, augumento, vel decre-
355 mento, siuè peremptionis periculo, cadere item solet quæstio, quæ ex facti qualitate, & circumstantijs determinationem recipit, àn scilicèt, tanquam speciem, creditor illud inuestimentum receperit, ad illius restitutionem, tale quale reperietur, obligatione restricta; Vel potius obligatio sit quantitatis, quæ ità loco cautionis inuestita sit, vt hoc secundo casu, omnes fructuum, ac periculi, seù augmenti, & decrementi effectus, ipse creditor sentiat, tanquam dominus, secùs autem in primo, in quo ex non scripta æquitate, à fructibus medio tempore iam perceptis, atquè ante anterioris creditoris molestias consumptis excusatur. N.

Ille verò, qui auocationem patitur, vbi potissimùm per Iudicem, cum dicta obligatione, solutio facta sit, ad priora redit iura, suumque reassumit creditum;
356 Quæstione cadente, àn priorem quoq; reassumat naturã censualem, vel similem quæ fructuum productiua sit, pro ipsorũ fructuum cursu, quod varias habet opiniones, variasque recipit distinctiones in sua sede recensitas. O.

Anteriori autem, qui in concursu, vt solutio sibi nõ fieret, affectauit, huiusmodi auocandi facultas, cautione, vel obligatione non obstante, probabiliter de-
357 neganda venit. P.

Prout

M. *de his omnibus ad materiam auocationis disc.* 52. *& seq.*
N. *disc.* 141.
O. *de feud. disc.* 81.
P. *disc.* 29.

Prout longissimi temporis 30., fortiùs verò 40. annorum decursus, posteriorem creditorem, huiusmodi obligatione, vel
358 cautione non obstante, per quamdam præscriptionis speciem, tutum reddit, nè perpetuò creditores de iure suo incerti viuere cogantur; Quamuis etenim eius, qui propriæ obligationis conscius est, perpetua sit mala fides, ex vbiquè recepta canonica lege, quæ præscriptionis impeditiua est, cum hærede quoque operabilis, vt in solutionum Rubrica, præscriptionis occasione aduertitur; in eo tamen principali debitore procedit, qui alienam rem in manibus habere sciat, adeout, præscriptionis beneficiũ, à lege inductum, lucrum de alieno producat; Secus autem vbi diuturna quies, iustam in eo credulitatem inducat, quod alij desint creditores anteriores, potissimè dum, non de lucro, sed de damno contendit, ideoque nimia suppetit æquitas, quæ fauorabilem hanc præscriptionem reddit, nequè ità odiosa est, vt ea, quæ pœnam negligentiæ creditoris cum debitoris lucro redoleat.

Vbi autem loco solutionis ipsa debitoris bona posteriori assignata, vel adiudicata sint, nulla cadit auocationis
359 quæstio, cum anteriorem hypothecam habenti, reale, vel rei persequutorium remedium ad ipsam rem attributum sit.

Super debitoris decoctione, vel decocturi qualitate, plures cadunt quæstiones, pro diuersis effectibus, suprà
360 sparsim insinuatis; Atquè vbi ipsius debitoris qualitas, illud iam insinuatum excludat beneficium, nè vltrà quàm facere potest, conueniri valeat, ipseque ad miserabile cessionis bonorum beneficiũ recurat; Siuè idem in carcere detrusus, præuia bonorum indicatione, alimenta petat à creditoribus, frequentes quæstiones cadere solent, certam generalem regulam, vbique practicandam, verè non recipientes, cum locorum, ac Tribunalium legibus, vel stylis deferendum sit, pro Tribunalium, vel dominiorum varietate, nimia in hoc diuersitate concurrente.

Illa verò exorbitans debitoris liberatio per Iuristas admitti solet, quæ ex eiusdem crimine resultet, ob quod bannum capitale, cum generica bonorum
361 publicatione resultet, vndè pro mortuo habendus veniat; Vt scilicèt ex Principis indulgentia priori vitæ ciuili, non autem priori fortunæ, vel bonis restituatur, tàm in persona, quàm in bonis posteà quæsitis, à priorum creditorum molestijs, tutus maneat, quasi quod tanquam omnino nouus, ac diuersus homo, habendus veniat; Id autem asperũ est, atque leguleicum continet rigorem, à naturali ratione, vel æquitate extraneum, vt crimen, ità criminoso prosit, quod ad hunc effectum per obæratum debitorem posset affectari, ideoq; delinquendi occasio, vel incitamentum præberi; Nisi facti circumstantiæ, probabilem suggerant rationem, vel æquitatem, quæ absurdi, quod ex creditorũ damno, ac debitoris lucro resultat, rationem tollat, quia nempè ex ipsis antiquis, ac publicatis bonis, bene creditoribus consultum sit, adeout fisci potiùs lucrum, actio, quæ creditoribus aduersùs reuiuiscentem concederetur, produceret, ideoque pro facti qualitate decisio metienda est.

Reliqua, in hoc adeo vasto gurgite, in quo plus remanet dicendum, quàm dictum sit, studiosus perquirat, & addat, cum memoriæ imbecillitati, properando, ac in succesiuis otij horis, plus non concedatur.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Quæ in hoc Libro de Credito, & Debito habentur.

A

ABLATIVI.

Bſoluti conditionem imporè tant priùs implendam, diſc. 113. num.4.

ACCEPTANS

Adminiſtratorio nomine litteras, nõ tenetur de proprio diſcur.85. num.3. & 4.

Fideiuſſor àn dicatur, vel mandatarius, ibidem num.2.

Litteras eius, qui pendente ſolutione decoxit, ad quid teneatur remiſſ. diſc.85.n.2.

Tenetur ſi decoctio ſecuta fuerit poſt lapſum tempus ſoluendi, ibid.num.5.

Alia *vid.* Litteræ Cambij.

ACCEPTILATIONEM

Cedens quando facere poſſit nomini ceſſo, diſc.70.n.12.& 13.

ACCOLLATARIVS

Dimittere poteſt creditores anteriores accollatis, diſc.45.num.6.

Habetur, ac ſi directè debitum contraxiſſet, diſc.55.num.9.

Soluere non poteſt ei, cum quo contraxit, ibid.num.14.

ACTIO

Æquitatiua ex *l. ſi me, & Titium*, quando competat, diſc.24.num.13. *vid.* proximè *verſ.* De in rem verſo.

Banco acquiritur ob pecuniam datam ab eius miniſtro, diſc.50. num.8.

Et remanet actio etiam contrà miniſtrum, ibid. num.9.

De Conſtituta pecunia non eſt exercibilis ſi debitum non ſit verum, vel extinctum, diſc.74.num.2. *vid.* Conſtitutus.

Debitoris contra debitorem competit creditori, diſc.73.num.5.

Directa pupillo non competit contrà Adminiſtratores deputatos à tutore, diſ.88. n.12.

Donatario abſenti, vel cui facta eſt promiſſio de donando quænam competat, ſi res reperiatur penès tertium, diſcur.31.numer.14.

Ab Exceptione, in quo differat, diſcur.68. num.20.

Ad Exhibendum pignora competit tertio contrà creditorem, diſcur.22.numer.10. *vid.* Exhibitio.

Filij pro debitis contractis in exercitio publici muneris àn, & quando detur contrà Patrem, diſc.86. ex nu.6. *vid.* Pater, *verſ.* pro filio.

De In rem verſo contrà creditorem, qui inhabitauit domum pignoratam, quando detur, diſc.133. num.7.

Competit contrà eum, in cuius vtilitatem eſt verſa pecunia, diſc.72.nu.5. diſc. 73. num.4.

Intellige ſi ſit effectus locupletior, ſiq; verſum duret, diſc.72.num.7.& 8., ac de ratione num.9.diſc.73.num.9.& 10.

An competat contrà eum, qui gratuitò alimenta percepit, vel domum habitauit, diſc.73.num.8. Et quid de vxore, & filijs, ibid.num.9.

Ad Intereſſe oritur ex alienatione earum rerum, quæ ſine alterius aſſenſu non ſunt in commercio, diſc.42. num.8.

Locatori non competit contrà ſubconductorem, qui ſoluit conductori penſionem diſc.73.num.7.

Melioranti quænam cõpetat pro refectione melioramentorum, diſc.24. numer.3. *vid.* Melioramenta Meliorans.

Negotiorum geſtorum, vel de in rem verſo datur dimittenti creditorem abſquè ceſſione, vel pacto de ſubintrando, niſi ſit poſſeſſor, diſc.2.num.7.

Oritur ex obligatione, ſine qua non datur, diſc.72. num.6.

Pacto non generatur ex nudo, ſed agitur ex æquitate prætoria, diſc.74. num.3. *vid.* Pactum, *verſ.* Nudum.

Ex Promissione de faciendo quænam oriatur, disc.42.num.7.

Realis, vel personalis àn competat agenti in subsidium ad pretium subrogatum rei disc.35.num.58. & 60.

Reuocatoria ex edicto, *quæ in fraudem*, quãdo detur, disc.37.num.13.

Rarò verificatur cõtrà tertium fouentem causam onerosam, disc.31.num.13.

ACTIONES

Confunduntur eo ipso, quod debitor creditori succedit, & è contra, disc.40.nu.11. disc.41.num.2.

Amplia, vt procedat etiam in actionibus hypothecarijs quoad creditorem; Secùs quoad debitorem, disc.40.nu.27. & 28., & de ratione differentiæ, ibid.nu. 29. & 30.

Intell. vt confusio sequatur pro sola virili, disc.41. num.4.

Et quid referat àn ille qui adit hæreditatem sui debitoris esset aliorum debitor ante aditionem, vel talis postea efficiatur, ibid.num.5.

Confusæ per aditionem in hærede reuocabili, resurgunt restituta hæreditate, disc. 34.num.6., disc.36.num.22.

ACTVS

Decocto, vel à decocturo gesti sunt inualidi, disc.10 num.12.

Et quando talis dicatur, ibid.num.13. & 14.

Iurati àn & quando veniant sub statuto laicali, disc.10. ex num.6. *vid.* Statutum, *verf.* laicale.

Nulli ratificatio operatur, vt ex nunc, vndè interemedijs non præiudicat, discur.13. num.9.

Positiuus, & negatiuus, in quo differãt, disc 29. num.6.

Veri multa habent, quæ non conceduntur fictis, disc.40.num.8.

Vnicus ordini scripturæ non subiacet, sed vltima syllaba perficit totum, discur.9. num.7.

ADIECTVS

Aliud pro alio accipere non potest, disc.66. num.2.

Fallit si pro pecunia accipiat merces, vel alia solutioni conuentæ æquiualentia, ibid.num.7.& 8.

Diuerso in loco si recipiat solutionem, creditori debetur tantùm interesse, disc.66. num.8.

ADITIO

Maternæ hæreditatis àn resultet ex retentione dotium maternarum facta à patre, disc.137.num.2. Alia *vid.* Hæres.

ADIVDICATIO

Debitum non extinguit, si deducantur ad exercitium ius redimendi competens, disc.74.num.10.

Offerendi à iure creditorem non liberat, & quomodò fiat æstimatio, disc.32.nu.22. *vid.* Ius offerendi.

Subsidiaria quando facienda sit creditori, disc.142.num.12.& 13.

Ac quando ius luendi debitori competat, ibid. nu.14.

ADMINISTRATOR

Acceptans dicto nomine litteras cambij nõ tenetur de proprio, disc.85. n.3.

Beneficiatus dicitur hæres, & quare, disc.36. num.23. disc.37.num.3.

Non autem hæres simplex, & de ratione, disc.36.num.25.

Beneficio *cap. Odoardus* àn gaudeat, disc. 119.num.10. & seqq. *vid.* Deducto *verf.* Administratorio.

Ciuitatis hanc quando obliget ex mutuo, remiss. disc.82.num.3.

Culpa de qua teneatur, & ad quid sit adstrictus non faciendo diligentias, discur.18. num.13. & 14.

Debitor, vel creditor non dicitur antè redditas rationes, disc.61.num.6. discur.76. num.2.

Debitum ex alia causa petere quando possit non obstante, quod rationem non reddiderit, disc.61.ex nu.6. disc.62. ex n.5.

Grauatus reputatur hæres, disc.36.num.15. & 22.

Legalis dicitur depositarius dotium Monialium, & datur contrà eum hypotheca, disc.39. num.9.

Loci pij ad quid teneatur, disc.44.nu.9.

Patrimonij positi sub concursu non potest liberè soluere, disc.52. num.8. aliàs tenetur de proprio, & datur auocatio, ibidẽ num.9.

Rei communis cum minore, àn & quando subiaceat iuramento in litem, discur.41. num.10.

Satisfactus præsumitur ex bonis administratis, disc.41.num.8. disc.61. n.4.

Soluens durante administratione, quando censeatur feciſſe ad liberandum suum fideiussorem, disc.102.num.4.

Soluisse præsumitur de pecunijs administra-

ſtratis, diſc. 44. num. 11.
Solutionem recipere poteſt, ſed non facere confeſſionem de recepto, diſc. 40. nu. 6. & 10.

ADMINISTRATORIS

Eccleſiæ contrà bona datur hypotheca, diſc. 39. num. 7.
Fideiuſſor quando datus cenſeatur pro reliquatu, diſc. 102. num. 3.
Priuati in bonis hypotheca, àn, & quando detur, diſc. 36. num. 20.; Et quid accedente dolo, diſc. 39. num. 10.
Publici in bonis datur hypotheca, & quando, diſc. 36. num. 15. & ſeqq.
Et incipit à die ſuſceptæ adminiſtrationis, diſc. 37. num. 5.
Voluntarij, & neceſſarij differentia in materia hypothecæ enucleatur, diſcur. 39. num. 8.

ADMINISTRATORI

Pecunia ſimpliciter tradita, àn referenda ſit ad mutuum, diſc. 76. num. 12. & 13.

ADMINISTRATORES

Dare inter ſe, & recipere ſolent pecunias, diſc. 76. num. 12.

ADVOCATI

Motiua fallacia, àn & quando licitè deducant, diſc. 22. num. 13.
Romanæ Curiæ quomodo ſe gerant, diſc. 65. num. 3.
Cauſæ ad defenſionem quando adhibeantur, diſc. 101. num. 7.

ÆMVLATIO

Eſt quærere, quod tibi non prodeſt, & alteri nocet, diſc. 92. num. 8.

ÆQVITAS

Rigori quando præferatur, & è contrà, diſc. 26. num. 12., diſc. 32. num. 15.

AGERE

Decoctum contrà debitorem, vel ſuſpectũ poteſt creditor antè diem, diſc. 112. n. 6. Alia *vid.* Actio: Debitor.

AGNITIO

Iuris delati debitori decedenti nulla facta declaratione, àn debeat fieri per hæredem, vel poſſit per eius creditores, diſc. 137. numer. 14. 15. & 16. *vid.* Debitor, *verſ.* poteſt.
Neceſſaria in ſucceſſione, àn & quando requiratur, diſc. 40. num. 18.

ALBVM

Folium ſubſcribens non obligatur, neque præiudicatur, diſc. 81. num. 5. *vid.* Subſcriptio, *verſ.* albo.
Alienandi facultas. *vid.* Facultas.

ALIENATIO

Cenſus ex impoſitione, àn & quando inducatur, diſc. 13. num. 7.
Fideicommiſſariorum bonorũ pro diſſoluendo ære alieno, quo fine à Pontifice permittatur, diſcur. 29. num. 7. *vid.* Facultas.
Iuriſdictionalium bonorum Status Eccleſiaſtici quomodò ſit prohibita, diſc. 13. num. 4. *vid.* Caſtra.
Minoris rerum requirit decretum Iudicis, diſc. 27. num. 12.
Item interuentum minoris adulti, ibid.
Rerum ſine aſſenſu non exiſtentiũ in commercio, quam actionem, vel effectũ producat, diſc. 42. num. 8.
Fieri poteſt abſquè ſolemnitatibus vigore hypothecæ cum aſſenſu contractæ, diſc. 150. num. 9.

ALIMENTA

Debitori valenti aliundè victum quærere relinqui nõ debent ex beneficio *deducto* diſc. 118. num. 15.
Decernenda quomodo ſint ex beneficio deducto debitori culpoſo, diſc. 119. nu. 22. diſc. 120. num. 11.
Et quod taxentur arbitrio Iudicis, diſ 120. num. 10.
Atque in clerico in ſacris attendatur taxa patrimonij, ibid. num. 12.
Et quid in clerico in minoribus diſc. 120. num. 13.
Domi præſtanda, vel extrà, in quo differant diſc. 86. num. 5.
Donatori ſubminiſtrare tenetur donatarius diſc. 31. num. 18.
Filio exibere tenetur pater iuxtà ſtatum, in quo eum conſtituit diſc. 86. num. 4. *vid.* Pater.
Gratuito qui percepit, àn & quando teneatur actione de in rem verſo, & quid de vxore, & filijs diſc. 73. numer. 8. 9., & 10.
Hypotheca, àn pro eis competat diſc. 28. num. 5.
Et quid de debitis poſſeſſori Feudi, vel maioratus ibid. nu. 6., & 7.
Inopi debitori carcerato tenetur præſtare creditor diſc. 31. num. 18. diſc. 118. num. 2.
Amplia in debitore iudęo, & quo modo hodiè practicetur, diſc. 118. n. 3.
Præterita non ſunt priuilegiata, vti futura diſc. 28. num. 7., & 8.

Qualificato debitori quando sint reseruanda, ibid. num. 7.
Vsori extrà domum præstanda quomodò sint, disc. 86 num. 4.

ALIVD

Pro alio adiecto solui non potest, & quando secus, disc. 66. num. 2., & 7. *vid.* Adiectus.
Solui, àn dicatur si solutio fiat in monetæ specie diuersa à conuenta, disc. 66. num. 9. disc. 92. num. 18. *vid.* Monetæ *vers.* Species *vid.* Solutio *vers.* Monetæ.

ALTERNATIVA

Resoluitur quandoque in copulatiuam, & è contrà, disc. 55. num. 7.
Alia vid. Electione.

ANCHARAN.

In *cap.* 1. *num.* 6. *de depos.* dictum expenditur, disc. 119. num. 13.

ANGELI

In *l. ad officium num.* 2. *C. com. diuid.* traditio exaratur disc. 142. num. 20.

ANIMALIA

Clericis licitum quando sit citrà mercaturam emere ad industriam, disc. 18. nu. 4.
Mutuans ad emendum Colono pro suo fundo instruendo, àn, & quando habeatur iure domini, disc. 18. num. 12.
Pascuorum domino obnoxia sunt præcæteris creditoribus, disc. 16. nu. 14. disc. 18. num. 4.
Et àn retineri possint, & quid si sint extrà pascua, disc. 16. num. 15. *vid.* Pascuorum.
Subrogata in locum deficientium, ex quibus non fuerint nata, àn, & quando loco eorum succedant, disc. 35. n. 31.

ANNONA

Ciues, & particulares cogere potest ad ipsi vendendum, disc. 88. num. 8.
Et hi pro re vendita gaudent priuilegijs eiusdem annonæ, ibidem numer. 7. & 8.
Eadem àn sit cum fisco, & àn gaudeat priuilegijs fiscalibus quoad gabellas, & alia disc. 19. num. 2.
Hypothecariam àn habeat contrà admissum ab Appaltatore ad participationem, vel societatem, disc. 88. num. 9.
Quomodò administretur, ibid. num. 7.
Et quod eius administratio sit publici iuris, disc. 88. num. 7.
Via executiua gaudet, disc. 65. num. 6.

ANTERIORITAS

Attendi debet inter creditores postquam per Bullam Baronum soluta sunt vincula d. 12. n. 10. *Vid.* Bulla Baronum.
Chirographarijs non suffragatur creditoribus contra hypothecarios d. 10. n. 9.
In concursu super pecunia, quam tertius donat in gratiam debitoris ad commodum vniuersitatis creditorum non respicitur d. 12. n. 11.
Debiti àn competat etiam pro expensis iudicialibus d. 147. num. 3., & seqq. *Vid.* Expensæ.
In debitis resultantibus ab eadem scriptura desumitur ex eiusdem scripturæ ordine d. 9. n. 4.
Declara si sint diuersa negotia ibid. num. 5. & 6. Secus si actus sit vnicus, quia tunc non datur ordo scripturę ibid. num. 7.
Hypothecarios inter creditores attenditur non autem chirographarios d. 10. num. 9.
Positiua à lege concessa creditoribus, per eandem tolli potest d. 10. num. 9. d. 21. num. 3.
Sufficiat etiam quod sit per momentum d. 9. num. 7. Alia *Vid.* creditor anterior.

ANTIDATA

An et quando persumatur *in materia l. scripturas C. qui pot. in pign.* d. 22. num. 8., & 9.
Delictum, & falsitatem sapit, vnde non persumitur ibid. n. 6. Alia *Vid.* leg. vers. scripturas.

APPALTATOR

Gabellarum soluere potest in moneta reprobata, in qua gabellas exegit d. 68. n. 25. *Vid.* Moneta.

APPELLATIO

Adipiscendæ, & recuperandæ in possessorijs datur suspensiua de iure Canonico d. 112. n. 3.
Datur à sententia reuocatoria sententiæ denegantis viam executiuam, & de ratione d. 117. n. 11.
Manutentionis à decreto suspensiua non datur; secus à sententia d. 112. n. 4.
Suspensiua quando concedatur à Signatura etiam in executiuis ibid. n. 5.

APPROBANS

Opus ad vnum non est obligatus pro altero opere d. 106. num. 14. Alia *Vid.* laudator.

ARGENTARIORVM

Bancherij nostri temporis loco an succesferint d. 25. num. 9. & seqq. *Vid.* Bancherij.

Munus àn esset publicum ibid. num. 11. & 14.
Assecuratio dotis dominij translationem non importat, sed pignus, & quando istud resoluatur d. 136.n.6.

ASSECVRATIO IVDICII

Conceditur quandoque ex causa d. 114. num.8.
Debitoris conditio vbi non est immutata, peti nequit ibid. n.7.
Et quando immutata dicatur d. 114. num.10.
Intrare propiè vbi dicatur, vel potius sequestrum ibid.n.4.
Alias vid. sequestrum. Suspectus.

ASSECVRATIO

Duplex prohibita est, & declaratur quomodo procedat disc.106.n.18.disc.107. num. 7.
Fallit si accedat diuersitas itineris, vel periculi disc.106.n.22.
Earundem mercium per plures in praxi quomodò fiat disc. 106. num.21.
Frumenti euecti per terram si fiat, non porrigitur, si oneraretur frumentum nauigatum, & de ratione disc.108. num.9., & 10.
Incertitudinis ex capite àn vitietur in totũ, & quando hęc detur disc.106.n.23.
Et quid si assecuratæ fuerint sarcinæ obsignatæ ibid.
Iuri communi ignota àn sit, & cuinam contractui assimilanda disc.107.n.4.
Mercium vltrà valorem àn vitietur in totum, vel in excessu tantùm ibid. n.8.
Nauis non extenditur si merces vehantur fregata, vel barca disc.108.num.6.disc. 110.n.7.
Et attenditur ipsa nauis identificata disc.108.n.7.
Negotij initi cum altero fieri potest disc. 111.n.9.
Cautio deducta facienda est disc. 107. num.2.
Deducta vbi non est, relinquitur in suspenso, & relaxatur mandatum pro septem partibus ibid. n.3.
Iure communi deducenda non est disc.107.num. 4.& quid attento Consulatu maris ibid. ex num. 5. *Vid.* Consulatus.
Portus, vel loci mercium onerandarum ex errore, àn, & quando vitietur disc. 108. n.3. & seqq.
Sequuta tempore quo poterat haberi verisimilis notitia casus euentus est inualida disc.109.n.3.
Secus dicta notitia cessante ibidem num.4.
Totumque circa notitiam remittitur arbitrio Iudicis disc.109.n.5.
Sponsiones verè non sunt, quæ fiunt super fortuna nauis disc.111.n.5.
Strictè intelligenda est, & quando disc.110. num.3.
Traiectitiæ pecuniæ quomodo fiat, & quod probanda sit oneratio disc. 111. n. 6. & 7.
Vnica quando sit, vel plures disc. 108. num.12.

ASSECVRATIONIS

Cambij maritimi per viam societatis initi contractus fieri potest disc. 111. num.9 & 10.
Et an possit fieri cum eodem, qui contraxit cambium ibid. n.10.
Quodque non sit opus probare identitatem pecuniæ disc.111.n.11.
Casus probatus dicitur, si per sex menses non habeatur nuncius nauis disc. 106. num. 6.
Causæ decidi quomodò debeant ibidem num.8.
Materia, & decisiones de ea agentes recensentur disc.106.n.7.
In materia vtile per inutile quandò vitietur disc.110.n.5.
Et quandò vitietur solus excessus ibid. num.6.

ASSECVRATORES

Assecurationis Casus si contingat in parte, atque assecuratio sit etiam in parte, quomodo teneantur contribuere disc. 106. num. 9.
Cogi in dubio debent ad soluendum, & non debent audiri, nisi facta solutione ibid.n.5.
Commissum nauis si fiat ob suspicionem, quod iret ad inimicos, tenentur, disc. 106.n.25.
Conueniri non possunt, nisi probetur oneratio mercium disc.111.n.2.
Et qualis sit vera assecuratio istam probationum exigens ibid. n. 4.
Damnum quodcunque contingat in itinere tenentur ad integrum mercium valorem disc.106.num.11.
De Damno causato ab inimicis assecurati àn teneantur, & quid de bello publico disc.109.num.7.

In-

Incertum si sit quænam merces perierint ad quid teneantur *disc.* 106. n. 23.

Lites sæpè mouere solent euenientè casu ibid. n. 5.

Mala de custodia non tenentur disc. 106. num. 34.

Nauarchi si ex culpa damnum sequatur, ad quid sint adstricti disc. 93. num. 8. *vid.* Nauarchus.

Projectus in casu ad quid teneantur disc. 106. num. 12.

Taxare possunt ab initio pretium mercium disc. 107. n. 9.

Valorẽ mercium in soluendo àn attendant locum à quo, seù locum ad quem disc. 106. num. 10. disc. 107. n. 9.

Et quid in eo liquidando, si fuerit incerta quantitas mercium peremptarum disc. 108. ex n. 14. *vid.* valor.

ASSECVRATORVM

Commodo merces saluæ cedere debent, & compensari disc. 108. num. 11.

Intell. si assecuratio sit vnica, secùs si plures ibid. n. 12.

Et quomodo probetur valor mercium saluarum, si pretium erat taxatum disc. 108. n. 13.

Alia *vid.* Barattaria. Merces. Nauarchus. Nauis. Portus. Valor.

ASSENSVS

In Bonis alienari prohibitis quid operetur disc. 12. num. 7. Et quod contrahens cum illo sequatur potius fidem Domini, quàm possessoris disc. 151. n. 10.

Emptorem, qui cum illo emit, tutum reddit, ac bona remanent libera, & de ratione disc. 14. n. 9.

Commoditatis bonorum prohibitorum, vel fructuum in obligatione non requireretur disc. 151. n. 5.

Concursus pro sorte in feudis, & officijs, an extendatur ad fructus remiss. disc. 15. n. 23.

Dotis pro credito, & antiphato generaliter est concessus super feudis in Regno Neapolitano disc. 27. n. 3.

Hæredis creditores præfert in feudis creditoribus defuncti illo non munitis de ratione disc. 13. ex n. 20.

Conclusio non procedit in bonis iurisdictionalibus, & de ratione ibid. n. 25. *Vid.* Castra.

Posteriorem creditorem eo munitum præfert anteriori in bonis prohibitis, & de ratione disc. 13. num. 2. & 9. disc. 21. num. 13.

Et quid in pretio disc. 21. num. 14. & 15.

Et in concursu cum creditore habente generalem hypothecam in bonis iurisdictionalibus disc. 151. nu. 1. & seqq. *Vid.* Castra.

ASSIGNATIO

Bonorum facta per debitorem creditori, titulo non expresso, àn sit datio in solutum, vel pignus disc. 135. n. 8. & 14.

Et quod pendeat à facti circumstantijs ibid. n. 9. & seqq. Ex quibus aliquæ referuntur ibid. n. 11. & 12.

Et àn attendatur declaratio debitoris disc. 135. num. 13. Atque de effectu quæstionis ibidem num. 4. *vid.* Datio in solutum.

Census redimibilis, qui redimatur cum cedente, habetur pro soluendo disc. 27. num. 19. & 20.

Facta vbi est pro soluto, intrat priorum iurium extinctio, secus si pro soluendo disc. 27. n. 7. disc. 32. n. 8.

Facta quando dicatur pro soluto, vel pro soluendo disc. 27. num. 9. & 10. disc. 64. ex num. 23. disc. 65. num. 7. & 8. Et quando intret hæc quæstio disc. 27. num. 17. & 18.

Præsumitur in dubio pro soluendo ibid. num. 11. accedente maximè priorum iurium reseruatione, & promissione exigibilitatis, & de alijs adminiculis disc. 27. n. 12.

Iurium cum Principe pro soluto facta àn arguatur ex descriptione effectuum in faciem assignatarij disc. 65. ex n. 15.

Pro soluendo facta obligat assignatarium ad diligentias disc. 27. num. 8. disc. 64. num. 10. & 11. Alia *vid.* cessio.

ASSISTENTIA

Ex quibus remedijs constet, & quod peculiaris sit in regno Neapolitano disc. 131. n. 3.

Quanto tempore præscribatur ibid. num. 4. & 5.

ATTENTATA

Declarantur omnia gesta in iudicio executiuo, si rescribatur de appellatione simpliciter disc. 116. n. 2.

AVOCATIO

Bona fide consumptæ pecuniæ non conceditur anteriori disc. 46. num. 6. & 12. disc. 52. num. 3. & 7. disc. 54. n. 20.

Commixtæ bona fide pecuniæ cum reliquo debitoris patrimonio non datur an-

anteriori creditori disc.16. num.7. disc. 17.n.15.disc.52. n. 3.
Consumptæ pecuniæ datur, si de tempore solutionis debitor erat decoctus disc.17. num.16.disc.48.num.8.disc.52. num.10. disc.54.n.20.
Aut æqualis fuisset omnium creditorum concursus disc. 17. n. 16. disc. 52. num.14.
Siuè solutio fieret per Iudicem, hæredem beneficiatum, aut administratorem, & de ratione disc.17.num.16. disc. 48.num.9.disc. 52.nu.12.& 16. disc.53. n.8.disc.54. n.21.
Vel per hæredem simplicem minus idoneum disc.52.n.12.
Executiuè fieri potest disc.29. n.2.
Intell. si fuerit præstita cautio disc. 52.num.19.
Secus si auocatio fiat ex dispositione iuris ibid.n.20.
Fisco àn, & quando concedatur rem. disc. 50.n.11.
Fructuum inuestimenti subrogati loco cautionis non datur disc 141.n.8.
Frugum, vel mercium cum patrimonio bona fide commixtarum anteriori non conceditur disc.16.n.7.
Nominis delegati posteriori creditori, ac inexacti conceditur anterioribus, vel æqualibus pro contributo disc. 10.n.36.
Ordine quo facienda sit, & quid seruet praxis disc.28.num. 2. disc. 52. num. 17. & seqq.
Pecuniæ, quam creditor sibi met soluit, conceditur disc.50.num.7.disc.52.n.15. disc.54.n.20.
Pecuniæ solutæ cum obligatione de restituendo operatur iurium priorum creditoris reuiuiscentiam disc.32.n.5.
Quando datur, requiritur principalis debitoris excussio, ac intelligitur in subsidiũ disc. 52.n.4.
Fallit data cautione ibid.num.5. cum clausula persertim *ad omne mandatum* ibid.n.6.
Alia *Vid.* Cautio.

AVTHEN. *Res quæ*
Mulieri non prodest, quæ neglexit agnoscere emolumentum sibi delatum disc. 137.n.9.
Fallit si non agnitio sequeretur per viam transactionis disc.138.n.5.
Possessori partis fideicommissi non suffragatur contra compossessorem disc.126. num.16.

B

BANCHERII

Ministri ex cedula obligantur disc.69. n.2. & 3.
Mutationis monetarum damnum subire an debeant disc.68.n 24.
Nostri temporis àn successerint loco antiquorum argentariorum disc. 25. n. 9. & seqq.
Publici officium àn sine licentia Principis quis possit assumere ibid.n.13.

BANCVM

Actionem habet contrà officiales, & ministros indebitè confitentes depositum, seù aliàs malè agentes disc.69.n.11.
Cedulam exhibenti soluere tenetur, & sine ea malè soluit, & quid faciendum, si fuerit deperdita ibid.n.7.
Falsi ordinis vigore soluens àn liberetur, distinguitur inter publicum, & priuatum d.68. n.4. 5.6.& 26.
Et quid si publicum pecunia depositata vteretur ibid.n.11.
Vel ordines essent veri, sed citra voluntatem creditoris disc.68. n. 27. *V.* soluens vers. Falsi.

BANCI

Apertura priuata auctoritate permitti non debet disc. 15.n.25.
Campsorum dicuntur priuati, et non intrat in eis priuilegium potioritatis depositi, & quando secus disc.25.num.13.& 16.
Ac quare in eis fiant depolita ibid. num.4.
Hypothecaria teneri deberent deponentibus in eis pecunias, sicuti tenentur in multis ciuitatibus disc 25.n.26.
Iudicialia depolita quinam recipere possint ibid.n.17.
Partitæ viam executiuam habent in Ciuitatibus Neapolis,& Panormi disc.65. n.6.
Pro pecunia data per ministrum actionem acquirunt contra recipientem,& contra ministrum disc.50.n.8., & 9.
Publici à Principe, vel supremo magistratu approbati, qui nam dicantur disc. 25. num.13.
In Vrbe qui nam sint,& alijs Italiæ locis ibid.n.15.
Creditores ex causa depositi in eis facti sunt potiores disc.25.num.8. & seqq. *Vid.* Depositi vers. Potioritas.

Ve-

Veteres libri solent spoliari, & residua transportari in novos disc. 68. n. 23.

BARATTERIA

Commissa àn & quando dicatur à Gubernatore nauis iter mutante disc. 93. n. 5. & 10.

Diuersa est à culpa disc. 106. n. 27.

Prohibitarum mercium ob introductionem in naui perpetrata àn dicatur ibid. n. 26. & 28.

Verbum quid significet disc. 106. n. 28.

Alia *vid.* Assecuratio. Nauarchus.

IN BELLO

Bona capta, quæ in hostium præsidijs pernoctauerint postliminio non redeunt disc. 4. n. 9.

Publico cum natione assecurati capta si fuerit Nauis assecurata, ad quid teneantur assecuratores disc. 109. n. 7.

BENEFICIVM

Accessoriè alteri vnitum euadit prædium illius remiss. disc. 10. num. 26. disc. 35. num. 19.

BENEFICII

In fructibus inexactis quarè Camera succedat. disc. 149. num. 4. & 5. *vid.* Camera.

BONA.

Allodialia etiam emere tenetur feudi emptor in Regno, & de ratione, disc. 27. num. 22. & 23.

Indifferentia relinquenda sunt alijs creditoribus à creditore valente agere super bonis priuilegiatis, disc. 127. nu. 3. & de veritate num. 9.

Principis sunt diuersarum specierum, remissiuè, disc. 20. num. 6.

Tradita per debitorem creditori, àn censeantur data in solutum, vel in pignus, disc. 64. num. 25. *Vid.* Assignatio.

BONA FIDES.

Abesse dicitur eo ipso, quod recipitur solutio de bonis decocti, disc. 52. num. 10. Alia *Vid.* Auocatio.

Requiritur, vt admittatur compensatio cũ ipso, disc. 48. & 49. num. 5. disc. 50. n. 4.

Et quando dicatur adesse, disc. 50. n. 5. Alia *Vid.* Compensatio.

Soluentem alteri, quàm verò creditori, an, & quando excuset, disc. 58. num. 3. *Vide.* Soluens.

Alia *Vid.* Creditor quoad Auocationem, Mala fides, Præscriptio.

BVLLA ARCHIVII.

Moderatoria est bullæ Baronum, remissiuè, disc. 61. num. 10., disc. 127. num. 8.

BVLLA BARONVM.

Castri àn comprehendat emptorem cum pacto retrouendendi ad exercitium deducto, remissiuè, disc. 105. num. 2.

Creditoribus extrà Statum Ecclesiasticum non suffragatur, disc. 30. num. 10.

Creditorum in gratiam introducta est, vnde cogi non possunt ad ea vtendũ, disc. 127. num. 15.

Donatario non suffragatur, ibid. num. 2.

Fauorabilis àn sit, vel odiosa, d. 127. n. 10.

Fideicommissa tollit, & facit bona libera, disc. 126. num. 7. & de veritate num. 18. disc. 127. num. 5. & 13.

Reintegranda tamen sunt ex alijs bonis Baronis, disc. 126. num. 19. disc. 127. num. 13.

Fideicommissi scientia data in creditore àn cesset, disc. 61. num. 10.

Fideiussorio in debito àn locum habeat, disc. 7. num. 7. disc. 95. num. 10.

Fraternizat cum remedio *Auth. res quæ*, disc. 126. num. 10.

Moderatur per Bullam Archiuij, disc. 127. num. 8.

Ius aliquod creditoribus àn tribuat, disc. 42. num. 3.

Et àn operetur ex nunc, vel vt ex tunc, disc. 13. num. 27. disc. 126. numer. 6. & 17.

Pretium subrogat loco rei, disc. 35. nu. 64. disc. 150. num. 3.

Et seruandus est ordo in pretio, qui seruaretur in ipsa re, disc. 35. num. 65.

Prohibitis in bonis quid operetur, exemplificatur, disc. 12. num. 9. & 10.

Vincula ex bonis tollens, ea transfert in pretium, disc. 13. num. 3. disc. 150. nu. 3.

Alia *Vid.* Congregatio Baronum.

C

CADVCITAS.

CVlpa absque positiua non incurritur, disc. 57. num. 3.

Euitatur qualibet ex causa, ibid. num. 7.

CAMBIVM.

Clericis est prohibitum, disc. 120. num. 2.

Et quid si contrahant sub nomine laici, disc. 77. num. 11.

Limitatè contractum sub pacto, quod eo non soluto sit currens, àn valeat, disc. 56. num. 8.

Lucrum certum non habet, sed eius subsistentia in incertitudine consistit, d. 5. n. 17.
Mandatum ad faciendum datum per debitorem creditori, àn possit expleri cum seipso, disc. 83. num. 7.
Maritimum, àn, & quando lucretur, si periculum obuenerit ob mutationem itineris, disc. 93. num. 6.
Assecurari, an, & quando possit, disc. 111. num. 8. & seqq.
Vid. Assecurationis, *vers.* Cambij, & Assecuratio, *vers.* Traiectitiæ.
Societatis per viam quomodò contrahatur, disc. 111. num. 8. *Vid.* Pecunia, *vers.* Traiectitia.
Socius contrahere potest cum negotio sociali, remissiuè, disc. 62. num. 2.
Valet quamuis eadem pecunia identificè non giretur per nundinas, discurs. 111. num. 11.

CAMBII.

Anterioritate an gaudeat census impositus pro eo dimittendo quoad sortem, & fructus, disc. 5. num. 17.
Forma qualis sit, cum debitor suscipit in se cambiandi onus, disc. 143. num. 5.
Et quod hoc mandatum morte debitoris non cessat, ibid. num. 11.
Fructus in sortem licitè conuertuntur, & quarè, remissiuè, disc. 5. num. 17.

CAMBIORVM.

Alteratio vndè proueniat, disc. 115. nu. 2.
Cursus debitore decocto, vel aliàs minùs idoneo declarato, àn cesset, disc. 143. à num. 2. per totum.
Materia non regulatur cum terminis moræ, ibid. num. 9.

CAMERA.

Quarè in fructibus inexactis beneficiato succedat, & in quibus fructibus, dis. 149. num. 4.
Et quod conclusiones iuris de facili in hac materia non admittit, vnde expedit transigere, ibid. num. 5.

CAMERÆ.

Cessionario non potest opponi dispositio *l. per diuersas, & ab Anastasio*, & de ratione, disc. 149. num. 6. & seqq.
Vid. Leg. *vers.* per diuersas.
De lucro agentis cessio in quo differat à cessione, quando agat de damno vitando, disc. 48. num. 10.
Alia *Vid.* Fiscus.

CAMPSORI.

Ordo si tradatur vulgò dicto *Pagherò*, habetur loco pecuniæ numeratæ, & depositi, ac quando pariat actionem mandati, disc. 25. num. 5. & 6.
Pecunia data regulariter depositio refertur, ibidem num. 3.
Et quarè depositi fiant penès campsores, disc. 25. num. 4.

CAMPSORVM.

Banci non sunt publici, & ideò in depositis factis penès eos non intrat potioritas, disc. 25. num. 16.
Iudicialia depositi non recipiunt, sed benè faciunt cedulas, ibid. num. 17.
Alia *Vid.* Bancherij Bancum, Depositum.

CAPITVLIS.

Potiùs standum est quàm instrumentis, discurs. 104. num. 8.

CAPITVLVM.

Idem semper est, licèt omnes Canonici mutati fuerint, disc. 35. num. 29.

CAP.

Odoardus, & cap. *Peruenit de solut.* beneficio, an, & quando clericus gaudeat, *Vid.* Deducto.

CARCERATVS.

De obligatione carceratorum, *sub tit. de alienat. & contract. disc.* 41. *&* 42.

CARLEVAL.

De Iudic. tom. 2. *tit.* 3. *disput.* 34. *num.* 20. *& seqq.* impugnatur, disc. 19. num. 7. & seq.

CASTRA STATVS ECCLESIASTICI.

Alienari non possunt sine licentia, disc. 13. num. 4. 8. 11. & seqq.
Dari prohibentur in dotem', ibid. num. 14.
Feudalia àn sint, disc. 4. num. 4. & 8.
Hypotheca sub generali veniunt, secùs sub speciali, disc. 151. num. 1.
Examinatur conclusio, & distinguitur, ibid. ex num. 4.
Et àn agatur super commoditate, vel proprietate, disc. 151. num. 5. & 9.
Atque inter creditores sine assensu, disc. 151. num. 6.
Hypothecari, vel census super eis imponi non potest, ibid. num. 6. Contrarium probatur, disc. 13. ex num. 11. num. 4.
Et àn illa hypothecans incurrat pœnas alienantium sine licentia, ibid. num. 19. disc. 150. num. 5.
Locari non possunt absque licentia ex Constitut. Pauli V., disc. 13. num. 13.
Super illis creditores defuncti sine assensu præferuntur creditoribus hæredis cum assensu, & de ratione, disc. 13. num. 25.

Et quid si defunctus grauatus erat fidecommisso, ibid. num. 26. & 27.
Vide supra proximè vers. Hypotheca.

CAVSA.

Anterior dicitur illa ex qua debitor priùs cogi potest, disc. 43. num. 5.
Cessante deficit obligatio causatiua, disc. 74. num 6.
Vid. Obligatio, *vers.* Causatiua.
Durior ea est pro qua datus est fideiussor, & ad eam solutio est referenda, disc. 43. num. 2. *Vid.* Solutio, *vers.* Duriorem.
Falsa vitiat obligationem, sed probanda est concludenter, disc. 123. num. 12.
Turpis inualidat obligationem, disc. 123. num. 13.

CAVSÆ.

Defectus facit corruere obligationem, disc. 123. num. 2.
Suppletur per iuramentum, ibidem num. 8. *Vid.* Obligatio, *vers.* Sine causa.
Diuersæ tot sunt in censibus, quot sunt anni, disc. 3. num. 9.
Identitas facit omnes creditores æquales non curata discretiua temporis, disc. 3. num. 3. & 11. *Vid.* Creditores quoad cōcursum, *vers.* Identitas.

CAVTIO.

Bononiæ ex Statuto præstanda quando sit à forense litigante cum ciue, disc. 100. num. 5. in medio.
Indemnitatis, an, & quando præstanda sit creditori, cui fuit soluta pecunia vinculata, disc. 53. n. 27. disc. 139. num. 21.
Et quando sit soluendum interesse vinculi, disc. 53. num. 26. & 27. disc. 139. num. 4. & 9.
Prætecti prætorio sententiæ executione pro obtinenda, quomodò, & quando præstanda sit, disc. 92. num. 13.
Prætoria, seù necessaria à voluntaria in quo differat, disc. 99. num. 7.
Reciprocè demandata si fuerit à Iudice, vnius cautio non afficit, si alter suam non præstiterit, ibid. num. 3.
Declaratur conclusio quando procedat, disc. 99. num. 8. & 9.
Et ad quid teneatur ille, cui cautio nō præstatur, ibid. num. 10.
Per Vsufructuarium præstari debet, disc. 92. num. 12. disc. 141. num. 5.
Et si non possit, eius loco admittitur inuestimentum, disc. 141. num. 6.
Alia *Vid.* Fideiussio, Fideiussor.

CAVTIO *de restituendo prioribus &c.*

Beneficiato negligi non potest ab hærede, qui aliàs teneretur de suo, disc. 52. nu. 11. & 12. disc. 53. num. 6. & de ratione numer. 7. & seqq.
Concipi quomodò soleat, disc. 2. num. 10.
Et quid operetur clausula ad omne mandatum, disc. 52. num. 6. d. 53. n. 25.
A creditore de iure præstanda non est, disc. 53. num. 3. disc. 54. num. 2. disc. 139 nu. 8.
Dari vbi non potest inuestitur pretium in locis montium, disc. 53. n. 23. d. 141. n. 7.
Decocto vbi agitur de debitore præstanda est, disc. 53 nu. 5. disc. 54. nu. 14. & de rationibus, disc. 54. num. 18. & seqq.
Etiam pro fructibus si peteretur immissio in saluiano, disc. 54. num. 19.
Pecuniam facit extare, & de alijs effectibus, disc. 2. num. 8. & seqq. disc. 52. n. 5.
Præstanda non est in casu, quo possessor, vel creditor posterior velit repellere anteriorem cum iure offerendi, disc. 53. nu. 16. disc. 54. num. 2. 5. & 6.
Vid. Ius offerendi, *vers.* possessori.
Pretij rei venditæ iudiciali authoritate depositi cum hac lege in liberatione præstanda est, disc. 53. num. 14. & de ratione disc. 54. num. 12.
Vnius ad fauorem præstita, suffragatur alijs, disc. 53. num. 24.
Præsertim accedente clausula *ad omne mandatum*, disc. 53. num. 25.
Voluntaria in venditione præstanda non est, ibid. num. 15.
Fallit si venditio fiat cum communicatione facultatum Congregationis Baronum, & an hæc gratia sit exorbitans, disc. 53. num. 17.
Item fallit in venditione necessaria, disc. 54. num. 14. & 15.
Vrbis Tribunalium ex reformatione quando præstanda sit per creditores, disc. 53. num. 2. disc. 54. num. 14.
Et non præstita vitiat tantùm executionem, disc. 92. num. 14.
Alia *Vid.* Auocatio, Creditor quoad obligationem cautionis.

CEDENS.

Censum deficientem ex fundo, quamuis nō promiserit exigibilitatē, tenetur ad emendationem, disc. 64. num. 8.
Cessionarij ad commodum potest exigere etiam concurrentibus requisitis, disc. 70. num. 15.
Exigere an possit, vel acceptilare, seù quie-

tare debitorem cum distinctionibus differitur, ibid. num.12. & 13.
Nomen simpliciter tenetur illud præstare verum, disc.64.num.7.
Transigere an possit cum debitore cesso, disc.70.num.14.

CEDENTI.

Cessus debitor benè soluit cessantibus requisitis l.3. Cod. de nouat., disc.70. n.3. Et de dictis requisitis, ibid. num. 4. Ac qualis esse debeat denunciatio, ibidem num.5. 10. & 11.
Fallit conclusio vbi cessio esset ampla disc.70.num.6.
Reijcitur hæc limitatio, & de rationibus, ibid. num.8. & 9.
Et quid accedente scientia debitoris disc.70. num.9.
Alia *Vid.* Cessio, Cessionarius.

CEDVLA.

Bãci habetur pro pecunia numerata etiam in creatione census, disc.69. num.4.& 6.
Distinguitur inter cedulas depositi, & quas faciunt Mercatores causa fideiussionis, ibid. num.5.

CEDVLAM.

Exhibenti bancum tenetur soluere, ac sine ea malè soluit, disc.69. num.7.

CEDVLISTA.

Concurrere, an, & quando possit cum creditore, cui partem debiti soluit ad bona communis debitoris, disc.7.n.2. & 14.
Fideiussor esse dicitur, & de cedularum distinctione, ibid. num.5. disc.69.nu.5.
Et qualis esse dicatur eius fideiussio, disc.7.num.8.

CENSVS.

Actum retrosimilem in extinctione, an, & quando exigat, remissiuè, d.48. n.13.
Alienationem imposito, an & quando importet, disc.13. num.7.
Assignatus quando censeatur pro soluto, vel pro soluendo, disc.27.num.19.
Cambio pro dimittendo impositus an gaudeat eius anterioritate, tàm pro sorte, quàm pro fructibus, disc.5.num.17.
Causas tot diuersas habet quot sunt anni, disc.3. num.9.
Cedula bancaria in creatione girata habetur loco pecuniæ numeratæ; Secùs de ordinibus, disc.9.num.4. remissiuè, disc. 130.num.13.
Creditor non potest compensare cum seipso sortem, sed benè fructus, & de ratione, disc.46. num.8. disc 48. nu.12. disc. 49.num.8. & 9.
1. *Amplia* etiam in debitore, & quãdo secùs, disc.48.num.13.
2. *Amplia* in censu vitalitio, disc.49. num.9.
Decocto debitore sors est repetibilis, quia rescinditur contractus, disc. 112. nu.7. disc.143.num.12.
Et currit interesse ad metam fructuũ, quod non parit aliud interesse, disc.112. num.9.
Et de praxi Romanæ Curiæ, ibidem num. 8.
Deficientis ex fundo, quamuis non sit promissa exigibilitas, euictio præstari debet à cedente, disc.64. num.8.
Disdicta quomodò in facienda, disc.46.n.8. disc.48.num.13.
Dotis ex causa imponi potest sine pecunia, & quare, disc.10.num.16.
Durare quãdo dicatur, vel euanescere, cum fundus censitus melioratus fuerit, & de diuisione fructuum inter creditorem census, & meliorantem, d.24.n.4.
Exigibilitas de facto promissa quanto tempore præstari debeat, disc.64. num.21. & 22.
Extinctio facta cum procuratore, cum quo creatus est, an sit valida, disc.55.n.4.
Fideiussor exemptionem vigore statuti cõtrà principalẽ debitorem petere nequit, disc.97.num.6.
Fructus interesse an pariant, discur. 112. num.9.
Exacti si fuerint pro præterito in inferiori moneta, illud minus non petit creditor, & de ratione, disc.140.num.5. & seqq.
Fructuum primi anni pro solutione credens, præfertur credenti pro solutione anni secundi, & de ratione, disc.3.num.7. & 9.
Gravato cum hærede validè extinguitur absquè sollicitudine inuestimenti, d.40. num.9.disc.59.n.9.
Grauatum per hæredem impositus, quando cedat in causam detractionum, disc.13. num.7.
Impositio à simplici hypotheca, in quo differat in materia alienationis, discur.13. num.7.
Iurisdictionalibus super bonis in Statu Ecclesiastico imponi non prohibetur, ibid. num.6.
Liberè redimi, quando nequeat à debitore

ob interesse tertij, disc. 48. num. 14.
Pactum rescissorium, an admittat, disc. 56. num. 11.
Pœnæ contrà formam Constitutionis non substinetur, disc. 30. num. 9.
Præscriptio quanto tempore inducatur, disc. 131. num. 14.
Et quod requirantur tot præscriptiones, quot sunt anni, disc. 3. num. 8. disc. 140. num. 4.
Re super prohibita impositus, substinetur super melioramentis, disc. 14. nu. 12.
Redemptione facta omnia iura tertio quæsita euanescunt, disc. 27. num. 20.
Reductio non inducitur per trienalem solutionem, & quandò secus, disc. 140. num. 3.
Reuiuiscit euicta re in solutum data, disc. 32. num. 6.
Sortem restituens, vel fructus soluens non seruata forma instrumenti, malè soluit, atque adhuc remanet debitor, disc. 59. num. 2.
Sortem an minuant fructus excrescentes percepti per immissum in Saluiano, pro fructibus Census, disc. 134. num. 15.
Sortis restitutioni certa forma, vbi præscripta est fructus excrescentes, non imputantur in sortem, disc. 59. num. 3.
Inter stabilia connumeratur, & super eo potest imponi census, disc. 48. nu. 12.
Translatiuam cessionem obtinere, non expedit, & quarè, disc. 5. num. 9.
Sed expedit vti remedio iuris luendi, vel pacti subintrationis, ibid. num. 10., & 11.
Vitalitius, non est redimibilis, ac non habet debitum sortis, & de ratione, disc. 49. num. 9.

CESSIO BONORVM

Ei non permittitur, qui aliàs hoc beneficiũ obtinuit, disc. 120. num. 8.
Trium conformium pro expensis non suffragatur ibid. nu. 3. *vid.* Deducto *vers.* Trium.

CESSIO

Affectatè reportata, non prodest ad compensationem cum seipso in præiudiciũ creditorum, disc. 50. num. 6.
Clerico facta an dicatur facta in potentiorem, disc. 60. num. 15.
Facta per Cameram agentem de lucro captando, in quo differat si tractaret de damno vitando, disc. 48. num. 10.
Iuris, quale habeo, & si quod habeo in quo differant, disc. 64. num. 5.
Pro soluendo, vel pro soluto facta quando dicatur, disc. 64. num. 23., & seqq. disc. 65. num. 7, & 8.
Pro soluendo, in dubio esse præsumitur, disc. 64. num. 9, & 24.
Ac periculum est cedentis ibid. nu. 9., sed cessionarius tenetur ad diligentias ibid. num. 10., Et quid si in cessionario adsit negligentia positiua, disc. 64. num. 11.
Pro soluto facta si fuerit nomen debet præstari exigibile de iure, & quando secus, disc. 64. num. 13., Et quid si inexigibilitas proueniat ex qualitate personæ cessionarij ibid. nu. 14., Vel ex facto Principis, disc. 64. num. 15.
Quando exigibilitatem de facto, periculum est cessionarij, ibid. num. 17.
Pro soluto facta præsumitur, si adsit verbum, *Far buono*, & quid si referatur in futurum, disc. 65. num. 7, & 13.
Dari non potest, & quod cedens suscipiat in se periculum, disc. 64. num. 22. Alia *vid.* Assignario.
Spei solius, vel prætensionis facta quando censeatur, disc. 64. num. 4., & 6.
Talium qualium iurium &c, & *dummodò contra cedentem &c.*, an, & quando operatiua sit vt cedenti non obstet, disc. 8. num. 2.
Prodest dicta clausula cedenti, etiam si cessio fuisset necessaria, ibid. num. 3., Fallit in prohibito contrahere sine solemnitatibus, quia non præiudicatur, ibid. num. 4., Item in eo, qui possidet, & cessionem huiusmodi acceptat, disc. 8. num. 10.
Non prodest dicta clausula quoad molestias voluntarias, & affectatas, ibid. num. 5., & 6.
Item non impedit, quod cessionarius molestare possit cedentem ex diuersa causa, disc. 8. num. 7.
Translatiua reportari non potest per debitorem, ideoque resoluitur in quietantiam, disc. 48. num. 3.
Etiam, quod solutio fiat per tertium, nisi pro casu euictionis ibid.

CESSIONI

Pactum de subintrando æquipollet, & quando secus, disc. 4., & 5. num. 6. *vid.* subintratio.

CESSIONEM

Cogi non potest creditor ad faciendam tertio

tertio debiti partem soluenti, nisi iurisdictionalium qualium &c. disc.3.num.13.,disc. 4.num.14.

Facere contrà seipsum creditor non tenetur, disc.7.num.2.

Intell. si fiat ex æquitate; Secùs si ex necessitate,*ibid.* num.9.

Fideiussor reportare potest ex interuallo, etiam quod sit principaliter obligatus, disc.104.num.16.

Fideiussoris ad fauorem tenetur creditor facere etiam ex interuallo,& quando habeatur pro facta etiam contrà seipsum, disc.7. num.4.

Declara nisi sit principaliter obligatus, *ibid.* num.6., & quomodò procedat declaratio,*ibid.*num.9.

Vel nisi creditor haberet aliud creditum anterius, seù possideret, discur.7. num.11.

Similiter si fuerit obligatus pro rata debiti, quia non tenetur cedere contrà alium fideiussorem pro alia rata, disc.7. n.12. *vid.* Fideiussor *vers.* Creditorem.

Translatiuam census, vel alterius nominis quarè obtinere non expediat, disc.5.n.9. *vid.* Census *vers.* Translatiuam.

Sine CESSIONE.

Dimittens de sua pecunia, quando succedat in locum creditoris dimissi, disc.1.num. 4.& 10.

Et quid si fuerit emptor, discur.32. num.18.

CESSIONARIVS

Cedentis in vniuersum ius succedit, eumq; repræsentat,d.5.n.8., d.88.n.3.

Et quid circa exceptiones personales, vel causatiuas, remiss.disc.5.n.8.

Cessionarij in quo differat à cessionario primi creditoris,disc.70.num.7.

Christianus iudaicas nõ potest exigere vsuras,remiss.disc.64.num.14.

Diligentias facere tenetur, quamuis cessio sit pro soluendo, ibid. num.10.

Et quid si fuerit positiuè negligens, ibid. num.11.

Exceptionem patitur, quæ cedenti obstat, disc.30.num.8.

Leg. per diuersas, & ab Anastasio C. Mand. dispositioni quando subiaceat, disc.60. ex num.9. *vid. Leg. vers. per diuersas.*

Præsentare, seù inculare non potest instrumentum via ritus M. C. V. Neapolis, disc.116.num.12.

Principis ex facto damnum prouenientem subire debet,disc.64.num.15.

Fallit si cessio sit pro soluendo, ibid. num.16.

CESSIONARII

Plures ex causa eiusdē crediti dimissi æqualiter concurrunt etiam cum ipso cedente,disc.3. num.12. Alia *vid.* Assignatio Cedens. Exigibilitas.

CLAVSVLA

Cum facultatibus A. C. posita in commissione rotali quid operetur,disc.117.n.11.

Dummodo cessio non afficiat cedentem, àn & quando operetur, vt cessio cedenti non obsit, disc. 8. numer.2. *vid.* Cessio *vers.* talium.

Habita vel non habita posita in reseruatione pensionis ad quas diligentias obliget beneficiatum, vt se eximat,d.124.n.10.

Ita quod &c. posita in promissione facti alieni non excusat promittentem ob diligentias. *vid.* Promissio *vers.* facti alieni.

Ita quod specialitas &c. eximit à discussione rei particulariter obligatæ,disc.126. num.5.

CLAVSVLÆ

Executionem paratam instrumentis in Regno Neapolitano tribuentes recensentur,disc.116. num.7.

Instrumentorum extendi deberent materna lingua, disc.104.num.9.

Mandati in fine positæ, an referantur ad omnia præcedentia, disc.110.num.4.

Posita in fine non operantur *illos effectus*, quos operantur vbi sunt *in specie*, disc. 10. num.23.

CLERICI

Beneficio *cap. Odoardus de solut.* àn & quãdo gaudeant,& quid in coniugatis. *vid.* Deducto.

Duplex patrimonium habere dicuntur, disc.11. num.4.

Filij fam. peculium aduentitium habet speciem profectitij, disc.86.num.19.

Prærensiones quando reputentur pro inualiditate cessionis ipsis factæ,disc.60.n.15.

Præscriptioni debiti inductæ à Statuto Vrbis,àn subiaceant actiuè,vel passiuè, disc. 129.num.17.& 18.,disc.130.num.5.8.9. & 10.

Promoueri quomodò,& quando deberent, disc.119.num 6.

Ritù M. C.V. Neapolis *super liquidatione* instrumentorum non arctatur,d. disc. 116.num.3.,& de ratione n.16.& 18.

Sine

Sed possunt conueniri absq; dicta forma,& pœna executiuè, ibidem num.20. Maximè si fuerint clerici coniugati,ibid. num.21. Alia *vid.* Ritus.

Statutis laicorum non ligantur, discur.10. num.27.,disc.129.num.17. & 18.

Et quid si litigent coram ludice laico, disc.10.num.29.

Contrarium ostenditur præsertim in materia Statuti fori mercatorum Bononiæ,ibid.num.29. & seqq.,disc.130.n.9.

Et quid si statutis se submittant, disc. 116. num.16.

Aut Statutum referatur ad laicos clericorum debitores, disc.130.num.9.

Statutis laicorum ad eorum fauorem vti possunt, ibidem num.8.

CLERICIS

Administratio rei pupillaris interdicta est disc.119.num.10.

Et quando propriè sit prohibita ipsis tutela,ibid.num.17.

Atque, an sit prohibitum esse ministros subordinatos tutorum, disc. 119. num.10.

Animalia ad industriam emere quando licitum sit citrà mercaturam, d.18.n.2.

Cambia sunt prohibita, disc.120.numer.2.

Et quid si contrahant sub nomine laici, disc.77.num.11.

Mercantilia negotia incongrua sunt,discur. 10. num.34.

CIRCVITVS

Exceptio opponi potest etiam in iudicio executiuo, disc.20.num.2.

Bullæ Baronum in materia opponi,àn possit,disc.126.num.14. & seqq.

CITATIO

Est de iure naturæ, ac tolli non potest, & quando secùs, d.116.n.23.

Malè omittitur in incusatione obligationũ penès acta,ibid. n.22.& 24.

Specialis, vel per edictum requiritur,vt licitator sit tutus à creditoribus, disc. 54. num.16.

CIVES

Magnates, àn dicantur, disc.146.num.8.

Plures pro Communitate obligati quomodo inter se agant ad releuationem, disc. 95.num.3. & 12.

Romani gaudent immunitate dohanæ per totum districtum,disc.146.num.6.

CIVITAS

Eadem semper est licèt omnes ciues mutati sint,disc.35.num.29.

COADIVTORIA

Beneficiato conceditur in certa graui ætate,quæ reputatur infirmitas, discur.122. num.15.

COLLECTÆ

Non solutæ,vel in minori quantitate, quãdo soluendæ sint fructibus consumptis remiss. disc.140.num.7.

COMMISSIO

Causæ simpliciter declarat causam appellabilem etiam cum retrotractione, discur. 116. num.2.

Papæ petenti beneficium *deducto* quid prosit,disc.120,num.7.

Concedi non debet parte non citata, ibidem num.7.

Rotalis continens clausulam cum facùltatibus A.C.quid operetur, disc.117.n.11.

COMMODITAS

In bonis prohibitis obligari quid importet,disc.14.num.7.

Cadit sub hypotheca, & datur in ea saluianum, ibid.num.4. & 5.

Amplia vt procedat etiam in feudis, pensionibus,& similibus, disc.14.num.5. disc.150.num.11.

Fallit alienata re in tertium,ibid.n.6. Vel contrà tertium possessorem iure dominij,disc.14.num.8.

COMMVNICATIO

Bonorum inter coniuges,quæ in Hispanijs fit constante matrimonio refertur, disc. 19. num.10.

COMMVNITAS

Censetur iure minoris; ideò in locatione eius bonorum inest dominij reseruatio, disc.17.num.8.

COMPENSATIO

Administratori, vel procuratori,àn permittatur,disc.40.num.6.

Alieno pro credito non datur cum debito proprio,& è contrà,disc.47.num.5.disc. 49.num.4.

Census à creditore fieri non potest cum seipso,& de ratione,disc.46.num.8.,disc. 48.num.12.

Et quod procedat etiam in debitore, & quando secùs,disc.48.n.13.& 14.

Amplia vt procedat etiam in censu vitalitio,disc.49. num.9.

Sed pro fructibus datur compensatio, ibid. num. 8.

Crediti experibilis in iudicio ordinario, cum debito executiuo, àn detur, disc. 60. num.7.

Pro credito, & debito ex eadem causa prouenientibus intrat de plano etiam cum seipso, disc. 46. num. 9.

Debiti ex vno titulo, cum credito ex alio, àn detur cum seipso, ibid. nu. 10. disc. 47. ex num. 2.

Debitori cui superuenit, àn permittatur, cum seipso in præiudicium anterioris, disc. 40. num. 7. disc. 47. num. 2.

Debitoris post mortem non datur, cum seipso, & de ratione disc. 50. num. 3.

Dici non debet debiti, & crediti prouenientium ex eadem statione, sed potius contrapositio, disc. 61. num. 5.

Ficta est solutio, ideoque non potest plus operari, quam vera, disc. 48. num. 6.

Hæredi opponi àn possit de credito proprio cum debito hæreditario, disc. 63. num. 3. disc. 47. num 7.

Distinguitur inter hæredem beneficiatum, & simplicem, disc. 63. num. 4.

Et quid si hæres beneficiatus ratione non reddidisset, ibid. ex num. 5.

Ianuensi ex Statuto, quomodò, cum seipso inducatur, & in quo differat à iure communi, disc. 49. num. 2. 6. & 10.

Iuratum vbi est debitum non datur, disc. 46. num. 4.

Declara si iuramentum sit formaliter præstitum; Secùs si contineatur, sub obligatione Camerali, ibid. num. 20.

Declara si constituat se debitorem liquidum, secus è contrà, disc. 46. nu. 21.

Liquidi ad illiquidum non datur, disc. 46. num. 5. disc. 128. num. 7.

Et quando dicatur illiquidum, vel è contrà, disc. 46. num. 22.

Intell. conclusionem, si proueniat ex diuersis causis; Secùs si ex eadem statione, seù administratione, disc. 61. num. 5. disc. 62. num. 5., & 6.

Mercatorum ex vsu, vel suadente æquitate intrat, cum seipso in præiudicium tertij, disc. 47. num. 2.

Fallit si in eadem persona plures concurrant personæ formales, ibid. num. 4. & seqq.

Negotij vnius debiti non datur, cum credito alterius negotij, disc. 47. num. 8.

Pecuniæ existentis pœnis creditorem, ex titulo depositi, àn detur compensatio cum seipso, ibid. num. 10.

Proprij non datur debiti, cum credito fideicommissi, vel maioratus ab eodem possessi, disc. 47. num. 6.

Intell. pro solo iure interessati in fideicommisso, ibid. num. 9.

Re non integra non datur, disc. 47. nu. 13.

Retentio datur de æquitate, vbi compensatio non intrat, disc. 60. num. 8.

Cum seipso quando detur referuntur opiniones hinc inde, disc. 46. num. 2.; Verior tamen est affirmatiua, ibid. num. 6., & 12.; Ac distinguuntur plures casus, ibid. num. 8.; Et quod requiratur bona fides, disc. 48. num. 5. disc. 49. num. 5.; Ac quando adesse dicatur, disc. 50. num. 5.; Insuper requiritur quod creditum superueniat re integra, ibid. num. 4.

Ipso iure àn fiat, vel ope exceptionis, disc. 46. num. 14.; Et quod requiratur oppositio de tempore habili, ibid. num. 15., & 16.

Ipso iure fit concurrente æquitate, vel pro extinguendis vsuris, disc. 46. num. 15.

Cum seipso facilius datur si prius erat creditor, & postea fieret debitor, ibid. num. 18.

Sed requiritur oppositio de tempore habili, vel æquitas, disc. 46. num. 19. disc. 50. num. 2.

De circumstantijs excludentibus compensationem etiam cum seipso, disc. 46. num. 23. disc. 47. num. 14., & seqq.

Socialis crediti non datur, cum debito proprio, & econtrà, & quando secùs, disc. 47. num. 8., & 9.

CONCVRSVS.

Causa vniuersalis est, disc. 10. num. 32.

Post introductionem creditum acquirentes, non concurrunt cum alijs, disc. 28. num. 10.

CONDICTIO *vid.* REPETITIO

CONDITIO

A' modo in quo differat, disc. 92. num. 11.

Præcedere debet, disc. 113. num. 4.

CONDVCTOR

Culpa de qua teneatur, & ad quid obligetur non adhibendo diligentias, disc. 18. num. 13., & 14.

Dominij, vel possessionis quæstionem proprio authori mouere non debet, disc. 18. num. 9.

Fundum instructũ prout recepit, restituere tenetur locatori, ibid. num. 11.; Alia *vid.* locatio locator.

CONFESSIO

Adminiculata tertio præiudicat, disc. 44. num. 6.

Dotis quando probet istius numerationem & veritatem disc. 80. num. 12.

Epistolis contenta in familiaribus tertio scriptis, an probet plenè, disc. 79. num. 8., & 13. disc. 148. num. 2.

Extrajudicialis emanata, parte absente de æquitate canonica plenè probat, disc. 77. num. 3. disc. 79. num. 3., & de ratione num. 10.; Et quid in vrbe stante Statuto, ibid. num. 6.

Desiderantur tamèn adminicula, disc. 79. num. 4.

Vt probet, debet concludenter iustificari per testes idoneos, & contestes, ibid. num. 5. disc. 80. num. 4.; Et quod imperfectio testium suppleatur ab adminiculis, disc. 79. num. 7.

Fallit conclusio, si confessio sit emissa fiducialiter, ibid. num. 9.; Præsertim cum amico tractante concordiam, disc. 79. num. 13.

Testamento in reuocato contenta, quarè non probet, disc. 80. num. 5.

Resoluitur in legatum, & ideò non probat debitum, ibid. num. 6.; Fallit si sit facta pro exoneratione conscientiæ, disc. 80. num. 7.; Et quando verè sit pro hac causa, ibid. num. 8., & seqq.

Probat si alijs adminiculis sit roborata, disc. 80. ex num. 10.

Et an reuocatio generalis testamenti sufficiat, vel requiratur specialis, ibid. num. 13.

Vniuoca, & concludens esse debet, vt præiudicet, disc. 79. num. 11.

CONFIDEIVSSOR

Conueniri, an possit à fideiussore, qui soluit totum creditori reportata cessione etiam pro expensis, disc. 147. num. 8.

Liberatur si debitor soluat in eius causam ad eum liberandum, & de ratione, disc. 145. num. 2., & 3.

Declara si solutio fiat in pecunia iam consumpta, ibid. num. 4. Atque in statu valido; Secùs imminente euictione, ibid. num. 5.

Fallit conclusio, si solutio fiat ex pretio bonorum stabilium debitoris, discur. 145. num. 7.

Sed contrà creditorem priuilegiatum non datur hoc casu exceptio cedendarum; Sed fideiussor tenetur contribuere confideiussoribus, ibid. num. 8.

CONFIDEIVSSORES.

Inter se dicuntur pro tertio obligati, licèt respectu creditoris sint principales debitores, disc. 95. num. 9. disc. 101. num. 6.

Alia v. Correus. Fideiussio. Fideiussor.

CONGREGATIO BARONVM.

Abstinet, si Iudex reuocat, vel suspendit mandatum, disc. 117. num. 2.

Ordinem super bonis non seruat, disc. 126. num. 3. Et quando hic ordo seruandus esset, ibid. num. 14. & 15.

Pecuniam non soluit nisi vinculatam, disc. 127. num. 15. disc. 139. num. 3. *Vide* Cautio. Interesse. *Vers.* Vinculi.

Priuatiuam facultatem habet, disc. 126. numer. 2. disc. 139. num. 11.

Alia vide Bulla Baronum.

CONSENSVS.

Inter absentes quomodò coniungantur ad perfectionem contractus, disc. 51. num. 6.

Creditoris venditioni rei, an & quando sibi præiudicet, disc. 29. num. 4. *Vide* Remissio. *Vers.* Hypothecæ.

Filij vocati ad dotem præstitus alienationi factæ per mulierem quid operetur, disc. 40. num. 23.

Mulieris alienationi factæ per virum importat simplicem remissionem hypothecæ; Secùs si promittat de euictione, ibid. num. 2.

Papæ pro alienatione bonorum fideicommisso subiectorum pro dissoluendo ære alieno, quem finem habeat, disc. 29. n. 7.

Requisitus si fuerit pro forma in executione gratiæ non sufficit ille, qui præcedenter datus est, disc. 42. num. 5.

Ex taciturnitate an & quando inducatur, disc. 29. num. 5.

Et de differentia inter resultantem ex actu positiuo, vel negatiuo, ibid. n. 6.

CONIVGES.

Bona in Hispanijs constante matrimonio quomodò communicent, disc. 19. n. 10.

Alia vid. Dos. Maritus. Matrimonium.

CONSTITVENS.

Debitum soluere alienum non verum, vel extinctum ad nihil tenetur, disc. 74. num. 2. disc. 78. num. 2. Sed indebitum est concludenter probandum, disc. 78. num. 11.

1 *Fallit* conclusio, vbi sciat, & vbi accedat stipulatio, disc. 74. num. 3. Et quando hæc limitatio procedat, ibidem, num. 8. & 9.

2 *Fallit* accedente iuramento, quod supplet defectum causæ, disc. 74. num. 4.

3 *Fallit* inter mercatores, ibid. nu. 5.

4 *Fallit* de æquitate canonica, ibid. num. 6.

Et de veritate harum limitationum, disc.74.num.9.

CONSTITVTVM.

Quando dici possit, vel potiùs nouatio, seù transfusio debiti, disc.78.num.10.

CONSTITVTIONES APOSTOLICÆ.

Bonorum iurisdictionalium circà alienationem quid disponant, disc.13. num.5. *Vide* Castra.

Clementis VIII. 78. explicatur d.13.nu.12.

Pauli V. 110. aliàs 10. in appendice declaratur, ibidem, num.13.

Sixti V. 3. expenditur, discur.13. num.11.

Vrbani VIII. 65. consideratur, ibid.nu.14.

CONSTITVTVM POSSESSORIVM.

Dominij translationẽ importat,d.31.n.15.

Quanto tempore præscribatur, discur.131. num.4. *Alia vide* Possessio.

CONSVETVDO.

Non extenditur de casu ad casum, sed attenditur in solo individuo,d.30.num.7.

CONSVLATVS MARIS.

Qualis propriè sit attendendus, præsertim in Vrbe, & qualis sit vbique acceptatus, disc.107.num.8.

Et de ordinationibus Barchinonen. an faciant legem vbique, ibidem, num. 4.5.& 6.*Alia vide* Assecuratio.

CONTRABANNORVM.

Materia remissiuè habetur, disc.106. nu.4.

CONTRACTVS.

Consensuum per coniunctionem sequitur inter absentes, disc. 51. num. 6.

Nominatus per non implementum non resoluitur, disc.57.num.5.

Et quando idem sit in innominatis, ibidem, num.6.

Resolutione data non restituuntur fructus decursi, disc.57.num.13.& 14.

Super rebus in commercio non existentibus quid operetur inter partes, disc. 27. num.16.

Trinus an & quando inter eosdem substineatur,disc.111.num.10.

Per CONTRADICTAS.

Proceditur contrà absentem pro debito contracto in Curia,disc.83.num.2.

Fallit, si in Vrbe domicilium certum haberet, ibid.num.6.

CONTRIBVTVM.

Chirographarios inter creditores, vel æquales,an & quando detur, disc.1. nu.14.

Inter hæredem vnius patrimonij, & alterum alterius quando procedat, disc. 11. num. 5. *Alia vide* Creditorum quoad concursum.

COPVLATIVA.

Resoluitur quandoque in alternatiuam, & è contrà, disc.55.num.7.

CORREVS.

Cessione ex interuallo reportata quandò iuuetur, disc.104.num.16.

Confideiussor quandò potiùs dicatur, disc. 97.num.5.disc.101.num.6.

Creditoris cessionarius totũ exigere nõ potest à coobligatis, sed debet detrahere virilem,disc.95.num.6. Qua detracta rectè agit contrà vnum ex coobligatis,ibidem, num. 7. Et an quoad principalem debitorem omnes sint confideiussores, ibid. num. 8. & 9. Et quæ æquitas in hoc seruanda sit, ibid.num.11.

Virilem detrahere non tenetur, si agat contrà eum, ad cuius fauorem sit versa tota pecunia, discurs.95. num. 12.

Fideiussor de repræsentando dici nequit, quamuis principaliter se obliget,discur. 98.num.4.

Moratoria concessa debitori principali non iuuatur, ibidem, num.2.

Totum soluens an agat contrà vnum ex pluribus obligatis, disc.95.num.2.

Distinguitur, an agat ex dispositione legis, vel ex iuribus sibi cessis, ibidem, n.4.*Vide* suprà proximè *vers.*Creditoris.

Alia vide Confideiussor. Fideiussio. Fideiussor.

CREDITOR IN GENERE.

Agere antè diem potest contrà debitorem decoctum, vel suspectum, disc.112. n.6.

An possit deducto interesse medij temporis, disc.115.num.7.

Alimenta subministrare tenetur in carcere inopi debitori, disc.31. nu.18. disc.118. num.2. *Vide* Alimenta, *vers.* Debitori.

Assensum habens debet agere super feudo, & relinquere aljis creditoribus allodialia, disc.127.num.4.

Declara de stylo S.C.Neapolitani, secùs de iure, ibidem, num.11.& 12.

Bona debitoris quandò obtineat, disc.142. num.12.& 13.

Et an isto casu competat luitio, ibid. num.14.

Bona fide consumptam pecuniam restituere non tenetur, & quandò secùs, disc.2. num.9. *Vide* Auocatio. Creditor quoad auocationem.

Cedere non tenetur iura contrà seipsum, disc.7.num.2.

Fallit respectu fideiussoris, ibid. *Vide* Cessionem, *vers.* Fideiussoris.

Cogi non potest recipere solutionem in causam posteriorem, atque censetur facta in anteriorem, disc. 43. num. 4.

Etiam quod pro secundo datus sit fideiussor, & quando secùs, ibidem, num. 6. *Vide* Solutio.

Compensare quando possit cum seipso in præiudicium anteriorum. *Vide* Compensatio.

Debitori eo ipso quod succedit, confunduntur actiones, disc. 40. nu. 11. disc. 41. n. 3.

Et præsumitur satisfactus, & quando magis ista præsumptio intret, disc. 41. nu. 9. *Alia vide* Actiones.

Domum pignoratam inhabitans, an teneatur ad pensionem, disc. 133. num. 2. *Vide* Pensio.

Eligendi bona, & variandi facultatem habet, disc. 126. num. 4. disc. 127. num. 6.

Fallit, si habeat pignus speciale, eo non discusso, disc. 126. num. 4. Et quod limitatio non intret accedente obligatione camerali, ibidem, num. 5. *Vide* Variatio, & suprà proximè *vers.* Assensum, & infrà *vers.* Priuilegiatus.

Emens tanquam tertius licitator, habetur iure extranei, disc. 32. num. 19.

Et sui iuris conseruandi gratia fecisse videtur, disc. 142. num. 17. *Vide* Ius offerendi.

Emere prohibetur pignus à seipso venditum, disc. 142. num. 5.

Euictionem pignoris non debet, sed tenetur probare se anteriorem, disc. 54. n. 12.

Exigens ad minorem rationem petit non solutum, disc. 140. num. 2.

Fallit, si de præterito minus solutum fuisset in moneta inferiori, quia non petitur, & de ratione, ibid. num. 5. & seqq.

Hypothecam amittit in re debitoris ad sui instantiam vendita cum receptione pretij, etiam quod res redeat ad debitorem, d. 4. n. 3. *Vid.* Hypothecam, *vers.* Amplius.

Immissus in Saluiano ad quos fructus teneatur, disc. 134. n. 4. & seqq. *Vide* Immissus.

Intermediorum in præiudicium non potest solutionem referre in causam posteriorem ratione circuitus, disc. 43. num. 7.

Iura omnia eius debitori competentia exercere potest, & cum illis se tueri, d. 40. n. 2.

Licitari potest rem debitoris tanquam tertius, disc. 32. num. 20. disc. 142. num. 11.

Et quid interest, an bona licitetur, vel sibi adiudicentur, disc 32. num. 22.

Negatiuam solutionis probare non tenetur, & quando secùs, disc. 105. num. 14. & 15. *Vid.* Probatio, *vers.* Negatiuæ.

Negligens non potest conuenire fideiussorem, & quando secùs, disc. 94. num. 6.

Opponere se potest pacto de subintrando facto inter debitorem, & tertium, partem debiti soluentem, disc. 3. num. 13.

Pecuniam à tertio an & quando recipere cogatur, disc. 4. nem. 16.

Pignoris venditionem prohibere non potest, quoties sibi est consultum, disc. 141. num. 13.

Pignus de consensu debitoris potest alteri pignorare, vel vendere, disc. 22. num. 5. *Alia Vid.* latè Pignus.

Princeps quando dicatur ratione Principatus, vel potiùs iure priuato, disc. 20. n. 9.

Priuilegiatus agere debet ad bona, ad quæ posteriores actiones non habent, disc. 127. num. 3. Contrarium ostenditur, ibidem, num. 9. Maximè si posteriores sint ex causa lucratiua, disc. 127. num. 14. *Vide* suprà proximè *vers.* Assensum, & *vers.* Eligendi.

Prohibitis in bonis contrahens cum assensu videtur sequi potiùs fidem domini quàm possessoris, disc. 13. nu. 22. disc. 151. n. 10.

Re ex eadem pretium duplex reportare non debet, disc. 8. num. 6.

Neque rem ipsam, & pretium, disc. 38. num. 9.

Remisisse quando censeatur hypothecam, disc. 29. num. 3. *Vide* Remissio, *vers.* Hypothecæ.

Solutionem à tertio recipere non tenetur, eique cedere iura, & quando secùs, disc. 3. num. 13. disc. 4. num. 14.

Petere potest in alio loco, deducto eo, quod interest, disc. 115. num. 6. *Vide* Debitor, *vers.* Loco.

Vinculatam pecuniam recipere non tenetur, disc. 54. num. 2.

Fallit, si agatur de pretio rei à seipso subhastatæ, ibidem, num. 12. *Vid.* Cautio. Ius offerendi.

Vsurarum an dicatur ex causa onerosa, vel lucratiua, disc. 28. num. 15.

CREDITORES IN GENERE.

Ex Bulla Baronum an ius aliquod acquirant, disc. 42. nu. 3. *Vide* Bulla Baronum. Congregatio Baronum.

Concurrentes deberent se probare anteriores, sed loco huius probationis admitti-

tur cautio, disc.53.num.5.
Defuncti non præiudicantur confusione actionum oriente ex aditione hæreditatis, disc.40.num.4.
Posteriores præferuntur creditoribus hæredis, & quid in feudis, disc.3. num. 16.disc.5.num.19.
Feudalia ad bona deuoluta non agnut, quamuis habeant assensum, nisi excussis allodialibus de stylo Regni Neapolitani, disc.30.num.2.
Feudatarij defuncti quamuis sine assensu possunt cogere hæredem ad vendendum feudum, disc.12.num.7.
Hæredis quando ex dispositione Principis creditoribus defuncti præferantur rem. disc.5.num.21.
Ius nullum acquirunt ex facultate debitori concessa bona fideicommissaria alienandi, nisi ad effectum deducatur, disc.42. num.2.& 4.
Negotij vnius, vel vnius patrimonij vincunt creditores alterius negotij, quamuis anteriores, disc.11.num.2.& seqq.
Remittere non possunt in præiudicium aliorum, sed bona fide concordare, discurs.48.num.11.
Socialis negotij alijs quando præferantur, disc.11.num.9.

CREDITOR ANTERIOR.

Negligens comparere in concursu, sibi præiudicat, & de ratione, disc.29.n.3.8.& 9.
Maximè si agatur de pretio rei subiectæ fideicommisso venditæ ex gratia Principis, ibidem, num.9.
Subintrans in locum dimissi efficitur tam pro sorte, quàm pro fructibus, disc. 5. num. 3. Contrarium refertur circa fructus, & reputatur probabilius, ibidem, num. 4. & 5. Distinguuntur in materia plures casus, & concordantur opiniones pugnantes, disc. 5. ex num.6. ad 18. At distinguitur inter creditum fructiferum, & infructiferum, ibidem, num.12.& 13. & de rationibus, num.14.
Et quid operetur cautela de subintrando etiam in fructibus, d.5. num.16.
Et quid si primus contractus sit cambij, secundus verò mutui, ibidem, n.17.
Atque an idem procedat in bonis differentibus, ibid.num.23. *Alia vide* Subintrans.Subintratio.
Creditor quoad auocationem. *vid.* Auocatio. Cautio. Creditor quoad obligationem cautionis.

CREDITORES CHIROGRAPHARII.

Contributum inter eos quando detur, seu potiùs melior sit conditio possidentis, disc.1.num.14.
Hæredis an præferantur in bonis eiusdem creditoribus defuncti habentibus hypothecam, disc.37.num.12.
Hypothecarijs præferuntur creditoribus contrahentibus post pignus prætorium, disc.28.num.9.
Item contrahentibus post formatum concursum, ibid.num.10.
Posteriores ex causa onerosa præferuntur anterioribus ex causa lucratiua disc. 31. n.8.*Vid.* Donatarius.

CREDITORES quoad CONCVRSVM

Æqualiter concurrunt super pecunia, quam tertius donat in gratiam debitoris ad commodum vniuersitatis creditorum, disc.12.n.11.
Assensum habentes licet posteriores àn in bonis iurisdictionalibus vincant creditores sine assensu habētes generalem hypothecam disc. 151., n. 1. & seqq. *vid.* Castra.
Cõtrahentes post introductum concursum non concurrunt cum alijs disc. 28. n.10.
Credẽs pro solutione fructuum census primi anni, præfertur credenti pro solutione anni secundi,& de ratione, d.3.n.7.8. & 9.
Idem dic in pensionibus ecclesiasticis quoad bona titularis ibid. n.10.
Credentes pro eodem creditore dimittendo, æqualiter concurrunt disc.3. n. 12.
Debiti eiusdem in plures paghas distributi pro solutione mutuantes inter se concurrunt æqualiter ibid. n.17.& 18.
Defuncti præferuntur creditoribus anterioribus hæredis in illius bonis disc. 27. n.2.& 21.disc.39.n.5.
Fallit in feudis disc. 27. num. 4.
Et quid in bonis hæredis, si habeant illa hypothecata, & concurrant cum chirographarijs hæredis disc.37. n.12.
Dominus pecuniæ àn præferatur creditoribus acquirentis super re quæsita ex sua pecunia disc.35.n.48 *Vid.* Res.
Feudi super pretio, vel alterius rei prohibitæ alienari quomodo concurrant disc. 12.n.7.
Heredis cum assensu in feudis præferuntur creditoribus defuncti sine assensu, et de rationibus disc. 13. ex num. 20. disc. 27.n.4.

1 *Fallit in* bonis iurisdictionalibus Status ecclesiastici, & quare disc. 13. n. 25.

Et quid si defunctus grauatus erat fideicommisso ibid. num. 26. & 27.

2 *Fallit in* filijs petentibus legitimam, vel paragium disc. 27. n. 24.

Identitas causæ facit omnes æquales non curata discretiua temporis disc. 3. nu. 3. & 11.

Contrarium quod etiam data eadem causa attenditur prioritas ratæ maturatæ ad tex. in l. *Insulam* ff. qui potior. qui explicatur ibid. n. 6.

Legatorum pro solutione, quorũ aliqua sint pura, aliqua conditionalia duo hæredi mutuantes, quomodo concurrant disc. 3 n. 15.

Liberis super bonis, indifferentibus, ac alijs prohibitis quomodo concurrant disc. 11. n. 12.

Mutuans super pignore, si istud non sufficit, non concurrit pro residuo cum alijs creditoribus disc. 28. n. 12.

Mutuantes ad eamdẽ rẽ emendam, vel reficiendã concurrunt æqualiter disc. 3. n. 11.

Patrimonij vnius quomodo concurrant cũ creditoribus patrimonij alterius eiusdem debitoris distinguuntur plures casus disc. 11. n. 2. & seqq.

Pretio subrogato loco rei in vim bullæ Baronum quomodo concurrant disc. 35. num. 65.

Priuilegiatus concurrens cum alio priuilegiato in eo, quod possidet, vel sibi solutum est, non vincitur disc. 16. n. 7.

Sciens, & patiens vt ille qui mutuat pro eo in parte dimittendo, faciat pactum de subintrando àn, & quando in concursu sibi præiudicet disc. 14. n. 15.

Et àn sit necessaria scientia ipsius creditoris dimissi ibid. n. 16.

Venientes ex debitis eadem die, vel in eadem scriptura contractis quomodo concurrant disc. 9. num. 4. *vid.* scripturæ vers. ordo. Alia *Vid.* Creditor *quoad potioritatem*.

CREDITOR quoad obligationem cautionis, & de eius effectibus.

Consumptæ bona fide pecuniæ à restitutione non excusatur disc. 2. n. 9.

Dominium pecuniæ quale acquirat ibid. num. 15.

Fructus interim perceptos facit suos, & de ratione disc. 3. n. 12. 13. & 14.

Possessor non est, neque aliud maius ius acquirit disc. 2. num. 8.

Subditus Iudicis efficitur à quo pecuniam recipit ibid. num. 10. Alia *vid.* Auocatio. Cautio.

CREDITOR POSTERIOR

Assensum habens in feudis, & alijs prohibitis præfertur anteriori sine assensu disc. 13. num. 2. & de ratione num. 9. disc. 21. num. 13.

Amplia vt id etiam procedat in pretio subrogato loco feudi disc. 13. num. 3. Et de veritate disc. 21. num 14. & 15.

Impediri non potest in bonis liberis ab anteriori, cui consultum est super feudalibus, seu fideicommissarijs disc. 30. n. 3. Contrarium verius ibid. num. 4. & 5. & quod conclusio alicubi procedat de stylo ibid. n. 6.

Onerosa ex causa, quando præferatur anteriori ex causa lucratiua disc. 31. n. 3. & seqq.

Pecuniæ sibi solutæ à debitore decocto quamuis consumptæ restitutionem non euadit disc. 2. num. 11. Alia *vid.* Auocatio.

CREDITOR *quoad potioritatem*

Bonis super inuectis in re locata potior est pro pensionibus tàm primi, quam sequentium annorum, & quare disc. 3. num. 6.

Depositi ex causa, potioritas vnde deriuet disc. 25. n. 7.

Depositi ex causa potior est, si illud sit factum in banco publico disc. 25. n. 8.

Contrarium quod procedat etiàm in bancis priuatis ibid. num. 9. sed distinguitur ex n. 12. ibid. Alia *vid.* Depositi vers. Potioritas.

Exercitij officij occasione àn præferatur super officij pretio anterioribus indifferentibus disc. 12. n. 12.

Expensarum ex causa factarum in colligendis fructibus an super eisdem fructibus locatori præferatur disc. 16. n. 8. & seqq. disc. 17. n. 4.

Et an potioritas competat pro rata fructuum extantium, vel in toto disc. 19. n. 13., & 14. *vid.* expensæ Locator.

Medicamentorum ex causa àn præferatur anterioribus etiam priuilegiatis disc. 28. num. 4.

Mutuans ad refectionem, vel emptionem àn & quando præferatur disc. 1. n. 11. disc. 15. n. 2. & 3.

Et de probatione versionis pecuniæ

in dictam cauſam diſc. 1. n. 12. diſc. 15. n. 5. Alia *vid.* Mutuans.
Paſcuorum occaſione præfertur ſuper animalibus depaſtis diſc. 16. num. 14. diſc. 18. n. 4.
Et àn retinere ea poſſit, & quid ſi ſint extra locum paſcuorum diſc. 16. n. 15.
Præfertur mutuanti ad emenda animalia, & de ratione diſc. 18. n. 6. Alia *vid.* Paſcuorum.
Pignus manualium rerum habens, moleſtari non poteſt ab anteriore diſc. 10. n. 19. diſc. 22. num. 19., & de ratione n. 20., & ſeqq.
Piſtores Vrbis pro parte quomodo potiorſtate gaudeant remiſſ. diſc. 17. n. 4. diſc. 28. num. 8.
Poſſidens in pari cauſa præfertur diſc. 1. n. 3. & 14. diſc. 4. num. 12. diſc. 18. n. 8.
Et qualis debeat eſſe poſſeſſio ibid. num. 9.
Et quid ſi ſubintrauerit in locum creditoris dimiſſi àn requiratur poſſeſſio de tempore dimiſſionis diſc. 1. n. 5. 13. & 14. diſc. 2. n. 2. & ſeqq.
Pro ſemine àn præferatur in frumento recollecto rem. diſc. 17. n. 4.
Alia *vid.* creditor.

CREDITVM

Ceſſare non dicitur ex quo de liquidatione non conſtet diſc. 80. n. 15.
Illiquidum ſi fuerit, vel incertum opponi poteſt etiam in iudicio executiuo diſc. 148. n. 3.
Liquidum, & executiuum non retardatur per exceptiones turbidas diſc. 60. n. 6.
Litigioſum emptum pro minori pretio quando ſubiaceat *l. per diuerſas, & ab Anaſtaſio* diſc. 60. ex n. 9. ad 14.
Probatum ſi fuerit in ſubſtantia pro liquidatione leuiores probationes ſufficiunt diſc. 80. n. 14. diſc. 148. n. 4. *vid.* liquidatio. Alia *vid.* Debitum.

CVLPA

A' Baratteria in quo differat diſc. 93. n. 5. diſc. 106. n. 27.
Conductor, adminiſtrator, vel Mandatarius de qua teneatur diſc. 18. num. 13., & 14.
Conſocij damnum eueniens culpoſus tenetur reficere diſc. 89. num. 8. *vid.* ſocius verſ. culpoſus.
Fortuitum ad caſum alioqui euenturum àn obliget diſc. 89. n. 13.
Fortuitum ad caſum excludendum quæ requiratur præſertim in maritimis diſc. 93. n. 7.
Lata tantum adſtringitur immiſſus in ſaluiano diſc. 134. n. 6.
Et quid in creditore poſſidente pignus conuentionale diſc. 22. num. 15. diſc. 134. n. 6. & 7.
Nauarchi an cedat damno aſſecurati diſc. 106. n. 30. *vid.* Nauarchi.
Perſonalem operam à non præſtante, & tenetur, incurritur diſc. 89. n. 12.
Poſitiua requiritur ad caducitatis incurſum diſc. 57. n. 3.
Præſtanda quando ſit, etiam non præordinata ad caſum diſc. 106. n. 29.
Vtriuſque ex parte ſi adſit, quænam præualeat diſc. 68. n. 22.

CVMANI

Theorica in l. *priuilegia ff. de priuil. Cred.* explicatur diſc. 31. ex n. 7.

CVRIALES

Vrbis toga vtuntur, & quare rem. diſc. 119. num. 4.

D

DATIO INSOLVTVM

DEbitoris perſona ſi deficit dari non poteſt diſc. 136. n. 7.
Debitum non extinguitur, ſi facultas redimendi competens deducatur ad exercitium diſc. 74. n. 10.
Facta in dubio an cenſeatur, vel potius pignus rem. diſc. 64. n. 25. diſc. 66. n. 5., & ſeqq. diſc. 135. n. 8. & ſeqq.
Diſtinguitur inter ſpecies bonorum diſc. 66. num. 6. diſc. 135. n. 12. Alia *vid.* Aſſignatio.
Fraternizat cum emptione & venditione, & exigit eadem requiſita diſc. 27. num. 14. diſc. 32. num. 9. diſc. 64. num. 7. diſc. 65. num. 10.
Implicita quando reſultet ex derelictione pignoris diſc. 136. n. 2. *vid.* pignus *verſ.* proportionatum.
Inualida debitum non extinguit diſc. 27. num. 13.
Præſumitur ex conuentione certi pretij diſc. 135. n. 12. Alia *vid.* Adiudicatio.

DEBITOR

Ceſſus bene ſoluit cedēti ceſſantibus requiſitis l. 3. *C. de nouat.* diſc. 70. ex n. 4. *vid.* cedenti.
Compenſare àn poſſit cum ſeipſo creditum ſibi

sibi superuentum in præiudicium anteriorum disc. 40. num. 7. *vid.* Compensatio.

Creditorem àn, & quando releuare teneatur à cautione præstita disc. 139. num. 2. & 4.

Creditori eo ipso, quod succedit, confunduntur actiones disc. 40. n. 11.

Fallit in hypothecarijs ibid. n. 28. & & seqq.

Declarando in quam causam soluat, facit cessare quæstiones *relationis solutionis* disc. 43. n. 3. disc. 45. n. 2.

Ac quando id facere possit disc. 43. n. 9.

Et quod non possit ex interuallo in præiudicium creditorum, vel fideiussorum declarare, vel declarationem reuocare disc. 44. n. 2. disc. 45. n. 3.

Decoctus, vel suspectus conueniri potest ante diem disc. 112. n. 6.

Dilationem proprio debitori in præiudiciũ creditorum concedere prohibetur disc. 56. num. 12.

Donationem sibi absenti factam potest non acceptare disc. 137. n. 19.

Excusatur à mora ob excessiuam debiti petitionem disc. 115. n. 5.

Fideiussores, vel eorum releuatores tenetur releuare disc. 84. n. 11.

Impedimento non excusatur, si antè impedimentum non erat solitus adimplere disc. 143. n. 6.

Inuestimento in sui gratiam conuento renunciare potest disc. 59. n. 8.

Iuri quæsito renunciare non potest in præiudicium creditorum disc. 138. n. 3.

Fallit si fiat per viam transactionis ibid. n. 4. *vid.* Transactio.

Legitimam repudiare non potest in præiudicium creditorum disc. 40. num. 26. Contrarium verius disc. 137. num. 4. & 7.

Loco in vno conueniri àn possit ad solutionem in loco domicilij disc. 92. n. 15.

Maximè facta deductione eius quod interest disc. 115. n. 6.

Morosus potest alibi conueniri disc. 92. num. 17. disc. 115. n. 3. & 4.

Potest nolle quærere, atque ita præiudicare creditoribus disc. 40. num. 13. disc. 137. n. 3., & de ratione n. 13.

Maximè vbi accedat expressa repudiatio disc. 137. n. 7.

Fallit si sit ius necessarium, & non successorium disc. 40. num. 14. similiter ex Statuto Ianuæ lib. 5. cap. 19. disc. 137. num. 12.

Item si competat ex contractu disc. 40. num. 15. disc. 137. num. 18. Intell. vt procedat in contractibus initis cum debitore, & correspectiuis, non autem in omnibus actibus inter viuos disc. 40. num. 20. disc. 137. num. 19., & 20.

Quærere nolle sicut potest in totum, àn possit pro parte tantum, & pro parte acceptare disc. 138. num. 3. *vid.* infrà Repudians. Transmittit.

Remanet adhuc qui sortem census, vel fructus soluit non seruata forma præscripta disc. 59. num. 2. & 3.

Remittere non potest, vel liberare suum debitorem gratis in præiudicium creditorum disc. 56. n. 13.

Repudians hæreditatem sibi delatam àn peccet disc. 137. n. 8.

Puniri deberet, & de ratione ibid. n. 11., & 13.

Atque an amittat beneficia inopi debitori competentia disc. 137. n. 9. Et quod non amittit si repudiatio fiat per viam transactionis disc. 138. n. 5.

Sollicitus esse debet de inuestimento sibi iniuncto; Secus si incumbat creditori disc. 59. n. 6. & 7.

Soluens proprio creditori bene soluit, quãuis non sit Dominus rei mutuatæ disc. 55. n. 3.

Ac etiam quod eius nomen sit affectũ creditoribus ibid. n. 5.

Soluere potest creditori in causam, pro qua vnus ex fideiussoribus est obligatus ad eum liberandum disc. 145. n. 2., & seqq. *vid.* confideiussor.

Supplere àn teneatur creditori id quod interest pecuniam non esse libere solutam disc. 53. n. 26.

Et quando creditor agat ad libertatem pecuniæ, vel ad cautionem indemnitatis ibid. n. 27.

Suspectus allegari àn, & quando possit, & arrestari disc. 113. per totum *vid.* suspectus.

Transmissibile ius, si nulla facta declaratione decedat, agnosci potest per eius creditores disc. 137. n. 4.

Immo, & hæres agnoscere tenetur ibid. n. 15. & 16.

DEBITORIS

Creditorem eludere in arbitrio esse non debet disc. 21. n. 12.

Contra debitorem actio competit disc. 73. num. 6.

Alia *vid.* creditor. Decoctores. Decoctus.

Nomen debitoris.

DEBITVM

Datione in solutum, vel adiudicatione non extinguitur si ius redimendi competens deducatur ad exercitium disc. 74. num. 10. *vid.* Reuiuiscentia.

Illiquidum quando dicatur, vel e contra disc. 46. n. 22.

Proprium in dubio potius extinctum præsumitur, quàm alienum disc. 40. n. 33.

DEBITI

Eiusdem in paghas distributi tot sunt stipulationes, quot sunt paghæ disc. 3. num. 18. *vid.* creditores quoad concursum *vers.* debiti.

Excessiua petitio excusat debitorem à mora disc. 115. n. 5.

Reuiuiscentia datur etiam quoad fructus secuta auocatione pecuniæ reuocabilis, disc. 32. num. 2. & 3. *vid.* Reuiuiscentia Alia *vid.* creditum.

DECLARATIO

Creditoris, vel debitoris àn res sit in solutum, vel in pignus data attendenda àn sit disc. 135. n. 13.

Debitoris expressa vbi accedit, non est opus inquirere in quam causam solutio cesserit disc. 43. n. 3. disc. 45. n. 3.

Declara creditore consentiente, & si debitor sit in statu declarandi disc. 43. num. 9.

Et quod non possit ex interuallo declarare, vel declarationem reuocare in præiudicium creditorum, vel fideiussorum disc. 44. num. 2. disc. 45. num. 3. Nisi declaratio sit adminiculata disc. 44. num. 5.

Donationis licèt ex interuallo quando sit attendenda ibid. n. 7.

Nil de nouo facit, sed quid factum sit aperit disc. 37. n. 10.

DECOCTORES

Criminaliter puniri deberent, & de ratione disc. 120. n. 9.

Immunitate Ecclesiastica àn gaudeant disc. 78. n. 16.

DECOCTVRI

Actus sunt inualidi non obstante iuramento disc. 10. n. 12.

Et quando quis dicatur decocturus, seu decoctioni proximus ibid. num. 13.

Est remissum arbitrio Iudicis ibidem num. 14.

DECOCTVS

Conueniri potest antè diem, etiamsi sit tantum suspectus disc. 112. n. 6.

Mandatarius obligat mandantem validum disc. 51. n. 5.

Fallit si mandatum sit datum in statu validò, & in tertio adsit mala fides disc. 15. num. 7.

Posterior soluere non potest, sed hic tenebitur restituere pecuniam etiam consumptam disc. 2. n. 11. disc. 48. n. 8.

DECOCTO

Census debitore contractus rescinditur, & sors. est repetibilis disc. 112. num. 7. disc. 143. n. 12.

Sed debetur interesse ad rationem fructuum disc. 112. n. 7.

Et quid practicet Curia Romana ibid. num. 8.

Debitore cursus cambiorum àn cesset disc. 143. ex n. 2. per totum.

Interesse an currat ibid. n. 4. *vid.* Interesse *vers.* Decocto.

Fieri non potest solutio, & facta non libe disc. 48. n. 7.

Scribente an teneatur acceptans soluere litteras disc. 78. num. 6. disc. 85. n. 5.

Tenetur si decoctio contigerit post lapsum terminum disc. 85. n. 5.

DECRETVM

Necessarium est in alienatione rerum minoris disc. 27. n. 12.

DECVRIO

Filio si fuerit creatus pater consentiens tenetur disc. 86. n. 7.

Et an stante peculiorum distinctione dicta conclusio hodie procedat ibidem num. 18.

DEDVCTO ne egeat beneficium.

Administratorio pro debito Clericus non obtinet disc. 119. num. 10. Reijcitur conclusio, & expenduntur Authores huius opinionis ibid. n. 11.

Et quod procedat in administratione merè dolosa disc. 119. n. 15.

Vel in administratione illicita, ac quando talis non sit ibidem num. 17. & 18.

Admissio aliàs ad illud denegatur disc. 120. num. 8.

Aliud est deducere ad effectum vt debitor non possit carcerari; aliud verò ad effectum relinquendi congruam pro alimẽ-

tis denegandam si potest debitor aliundè victum quærere disc. 118. n. 15. disc. 119. n. 7. disc. 120. num. 11.

Et quomodo sint huiusmodi alimenta taxanda disc. 120. num. 10. 11., & 12. *vid.* Alimenta *vers.* deducto.

Camerali ab obligatione tollitur, disc. 119. n. 20.

Fallit accedente commissione Papæ cum speciali illius mentione disc. 120. num. 6.

Clerici in minoribus vt obtineant, debent habere tria requisita Concilij disc. 118. num. 6. disc. 120. num. 14. disc. 121. num. 5.

Et ad quem effectum illis concedi deberet disc. 120. n. 13.

Atque quod in vrbe hodie adeò in vsu esse non deberet de ratione disc. 119. num. 4. 5. & 6.

Clerico effecto in fraudē indulgeri non debet disc. 120. num. 15.

Coniugatis clericis an competat disc. 119. num. 19.

Doctores, & professores, àn, & quando habeant disc. 122. num. 1. & seqq. *Vid.* Doctores. Professores.

Doli ratione amittitur, & qualis dolus requiratur disc. 118. num. 12. & 13. disc. 121. n. 12.

Donatori semper conceditur contrà donatarium, disc. 121. num. 14.

Filijs fam. postquam exierunt à patria potestate, quando competat rem, disc. 121. num. 4.

Fratri àn indulgendum, & quid si agatur ex causa dotis disc. 121. num. 6.

Quoad districtionem personalem gaudet beneficio, ibid. num 7.; Etiam quod creditor sit pauper, disc. 121. num. 9. Falit si frater sit dives. quia proceditur etiam ad censuras, ibid. num. 10.

Quoad alimenta decernuntur, si debitū sit ex causa onerosa, nisi creditor esset æquè pauper, disc. 121. nu. 11., & 13.; In debito ex liberalitate semper decernuntur, etiàm quod sit æquè pauper, ibid. num. 14.

Imparriendum quomodò sit, si impotentia proueniat à culpa, & non ex infortunio, disc. 119. num. 22.

Militibus S. Stephani competit, & de ratione, disc. 118. ex num. 5. ad 8.

Militibus pro quibus debitis competat, ibid. num. 10.

Papæ cōmissio ad assequendum quid prosit, disc. 120. num. 6.

Concedi non solet parte non citata, ibid. num. 7.

Senibus competit septuagenarijs, disc. 122. num. 14.

Et quid si minoris sint ætatis, sed in aduersa valetudine, & è contrà, ibid. num. 5.

Trium conformium pro expensis non indulgetur, disc. 120. num. 3.

Declara si temerè litigatum fuisset, ibid. nu. 4.; Secus si probabiliter, disc. 120. nn. 5.; Sicuti si adesset commissio Papæ cum narratiua conformium, disc. 120. num. 6.

DELICTVM

Præsumendum in dubio non est, sed per allegantem probandum, disc. 122. n. 6.

DENVNCIATIO

Correspōnsalibus facienda est per alterum ex socijs, qui vult se à negotio sociali eximere, alias semper est obligatus, disc. 75. num. 9. disc. 87. num. 8.

Litis requiritur, vt competat actio euictionis, disc. 71. num. 3.

Fallit accedente iustitia, ibid. nu. 4.

Item fauore Ecclesiæ accedente scientia, ibid.

Qualis esse debeat, vt cessus debitor non possit soluere cedenti, disc. 70. num. 5. 10., & 11. *vid.* Cedenti.

DEPOSITARIVS

Ordinis falsi vigore soluens, àn liberetur, distinguitur inter depositum regulare, & irregulare, disc. 68. num. 4.

Ac quando adsit excusabilitas, ibid. num. 26.

Et quid si ordo, seù signum sit verū, sed citrà voluntatem creditoris, disc. 68. num. 27.

Periculum ex furto, vel alio casu subire non debet, ibid. num. 13.

Regularis de quo teneatur, disc. 68. num. 10. Alia *vid.* Bancherij Bancum.

DEPOSITVM

Fructuum cursum quandò impediat, disc. 144. num. 2.

Irregulare currit periculo, & commodò depositarij, disc. 2. num. 14., & 15.

Species quædam est mutui impliciti, disc. 68. num. 7.

Irregulare quando dicatur, vel regulare, ibid. num. 9.

Pecunia regulariter reputatur, quæ tradi-

tur campsori, disc. 25. num, 4.
Et quid si tradatur ordo vulgò dicto *Pagherò*, ibid. num. 5., & 6.
Periculo creditoris quando stet, vel debitoris deponentis, disc. 144. num. 3., & 4.
Priuatis quare fiat in bancis, disc. 25. nu. 4.
Regulare in concursu non indiget priuilegio potioritatis, sed datur vindicatio, ibid. num. 20., & 22.
Etiàm quod fieret pœnes priuatum, disc. 25. num. 22.
Requisita quænam habere debeat, vt sit validum, & effectus deponenti proficuos operetur, disc. 144. num. 6.

DEPOSITI

Confessioni exceptio non numeratæ pecuniæ, àn refragetur, disc. 69. numer. 9., & 10.
Pecunia debitoris à creditore, sub titulo retenta, àn sit cum seipso compensanda, disc. 47. num. 10.
Potioritas vndè deriuet, disc. 25. num. 7.
Procedit potioritas in depositis factis in bancis publicis, disc. 25. num. 8., & seqq.
Necessaria est in depositi irregulari, ibid. num. 18., & 19.
Irregulari non procedit in depositi mutui mixturam habente, disc. 25. num. 21., & 23. rem. disc. 68. num. 7.
Item habet locum cum chirographarijs, non autem in concursu cum hypothecarijs, disc. 25. num. 19.
Et quid in concursu æquè priuilegiatorum, ibid. num. 24.

Pro DEPOSITO

Hypotheca non datur, disc. 39. num. 4.
Fallit in depositario dotium Monialium, & de ratione, disc. 39. num. 6., & seqq.

DEPOSITA

Æde facta in Sacra regularia, vel irregularia, àn dici debeant, disc. 68. num. 9.
Hæbrei faciebant in templo, ibid. num. 8. Alia *vid.* Bancherij. Bancum.

DESIGNATIO

Taxatiuè, vel demonstratiuè quando facta censeatur, disc. 71. num. 8.
Et quid operetur piæ causæ fauor, ibid.

DETERMINATIO

Vnica respiciens plura determinabilia debet æqualiter determinare omnia, disc. 96. num. 8.

DILATIONIS

Cessatio in casu quo debitor à solutione defecerit, àn possit pacisci, disc. 56. nu. 3.
Pœnam non importat, sed subtractionem beneficij, ibid. num. 7.
Valet in debito ab initio puro, disc. 56. num. 5.
Concessio facta per debitorem eius debitori non valet præiudicare creditoribus, ibid. num. 12. & 13.

DILIGENTIAE

Beneficiatum quando excusent, qui se adstrinxit ad pensionem cum clausula *habita, vel non habita*, disc. 124. num. 10.
Facti alieni à præstatione, àn & quando releuent, disc. 124. num. 6. *vid.* Promissio *vers.* facti alieni.
Principalem contrà debitorem fieri quomodò debeant, vt agi possit contrà fideiussorem, disc. 96. num. 5. 6. & 7.
Et quid operetur ad fauorem fideiussoris termini ad diligentias præfinitio, ibid. num. 9.
Quales fieri debeant per eum, cui est assignatum nomen pro soluendo, d. 27. n. 8. disc. 32. num. 8. disc. 64. num. 10. & 11.

DISPOSITIVA

Attendi magis debet, quàm proemium, disc. 104. num. 4. 5. & 15.

DISTRACTVS

Rectè fit cum eo, cum quo contractum est nomine proprio, quamuis cum pecunia aliena, disc. 55. num. 3. & 5.

DISTRIBVTIONEM

Infirmus non lucratur, qui de tempore valetudinis non erat solitus interesse, disc. 143. num. 7.

DISTRICTVS

Idem est, ac territorium, disc. 146. num. 6.
Vrbis quantum se protendat, & in quo differat ab agro Romano, ibid. num. 7.
Ligatur eiusdem Vrbis Statutis, ibid. num. 4.

DISTRICTVM

Per totum Ciues Romani gaudent immunitate dohanæ, disc. 146. num. 6.

DOCTI

Ex examine non dignoscuntur, disc. 122. num. 10.
Moderati sunt; Indocti è contrà elati, & petulantes, ibid. num. 9.
Vitijs si abundent non merentur priuilegia Doctorum, disc. 122. num. 11.

DOCTORES

Gaudent beneficio deducto, disc. 122. nu. 1. Et quod hoc priuilegium non sit in vsu ibid. num. 5. Et quid accedente particu-

Iarl Statuto, ibid. num. 6.

Vere litterati gaudent, & de veritate, disc. 122. num. 7. & 9. Intell. quoad districtionem personalem tantùm, ibidem num. 12. Et quando debeant habere alimenta, disc. 122. num. 13.

Solo ex priuilegio, in quo differant à cæteris, ibid. num. 8.

DOCTRINÆ

Necessariæ quando sint vbi adsit clara legis dispositio, disc. 33. num. 4.

DOHANAM

Romani non soluunt etiam per districtum disc. 146. num. 6.

DOHANERIVS

Fisci priuilegio àn gaudeat contrà ministros exactioni deputatos, vel cõtra Subappaltatores, disc. 21. num. 16. Alia *vid.* Gabella. Gabellarius.

DOLVS

Beneficiato datur in hærede non autem in simplici, & de ratione differentiæ, disc. 36. num. 23. & seqq.

Deducto ne egeat beneficio priuat, & qualis esse debeat, disc. 118. num. 12. & 13., disc. 119. num. 21. & 22.

Necessarius àn sit ad acquirendam hypothecam in bonis grauati, disc. 36. nu. 14. 16. & seqq.

Et quod sufficiat præsumptus, & vndè resultet, ibid. num. 14.

Qualis cõsideretur in hærede adeunte simpliciter, disc. 41. num. 11.

DOMICILII

In loco conueniri quando possit debitor in alio loco, disc. 92. num. 15. & 17., discur. 115. num. 3. & seqq.

DOMINIVM

Depositarium in irregularem quodnam trãseat, disc. 2. num. 15.

Dotis est penès mulierem quoad viuit, disc. 40. num. 22. & 24.

Lucrorum, quæ coniux binubus reseruare tenetur filijs primi matrimonij penès quem sit, disc. 40. num. 24.

Mercium etiam sine mensuratione, vel ponderatione an, & quando transferatur in emptorem, disc. 23. num. 9.

Pecuniæ solutæ cum cautione de restituendo creditor quale acquirat, disc. 2. nu. 8. & 15.

Rerum consistentium in pondere numero, & mensura non transfertur non secuta ponderatione, vel mensuratione, disc. 23. num. 3.

Traditionem antè àn & quando continuet in venditore remiss. disc. 23. num. 9.

Tutoris vendentis habita fide de pretio ex contractu non transfertur, disc. 10. n. 24. discur. 17. num. 8. *vid.* Dominij reseru. *vers.* Inesse.

Venditor à se non abdicat, si non habet animum habendi fidem de pretio, disc. 6. num. 8.

Vsufructuarius rerum vsu consumptibilium quale acquirat, remiss. disc. 2. num. 15.

DOMINII

Quæstionem proprio authori refricare nõ licet in quacunque materia, disc. 18. n. 9. disc. 60. num. 13. disc. 63. num. 2.

Translatio àn sequatur absquè traditione vera, vel ficta, disc. 31. num. 13.

Sequitur ex reseruatione vsusfructus, ibid. num. 15.

DOMINII RESERVATIO

Fieri debet incontinenti, & àn attendatur ordo scripturæ, disc. 15. num. 7.

Inesse censetur in locatione, seù venditione bonorum Communitatis, Ecclesiæ, pupilli, & similium, & de ratione, discur. 17. num. 8.

Locatori quid prosit super rei locatæ fructibus, disc. 16. num. 10.

Precarij ex pacto àn resultet, disc. 10. nu. 22.

Intell. si specialiter ipsis rebus sit adiectum; *Secùs* si inter clausulas generales, ibid. num. 23.

Speciali ex hypotheca, & pacto, quod solutione pendente nullum ius emptori quæratur, inducta videtur, disc. 17. n. 7.

Statum fori mercatorum Bononiæ à dispositione præseruat, disc. 10. num. 21.

A Venditore facta importat specialem hypothecam cum potioritate, disc. 6. nu. 6. & 7. disc. 10. num. 21.

Et àn profit quoad fructus recompẽsatiuos, disc. 6. num. 15. & seqq. *vid.* Venditor.

DOMINVS

Casus fortuiti damnum subire debet, disc. 68. num. 4.

Furatæ pecuniæ in ea vincit creditores furis, disc. 26. num. 2.

Identitatem probare potest adminiculatiuè, ibid. num. 3. *vid.* Pecuniæ *vers.* Furatæ.

Institoris ex facto obligatur, disc. 69. nu. 3. disc. 85. num. 14.

Pecuniæ àn in subsidium præferatur creditoribus acquirentis, disc. 35. n. 47. & 48.

Et quod præferatur fouenti causam lucratiuam, ibid. num. 49. *vid. Res.*
Rem captam ab hostibus, quæ in eorũ præsidijs pernoctauit, non recuperat, si postea deueniat in manus amicorum, disc. 26. num. 11.
Tenetur de dolo, & facto ministri, vel famuli circa opus, cui est præpositus, disc. 68. n. 19. disc. 106. n. 13. *vid.* Institoris.

DONATA

Filio contemplatione patris, dicuntur peculium profectitium, disc. 80. num. 3.
Fallit vbi filij industria accederet, ibidem num. 16.

DONATARIVS

Absens, vel cui facta est promissio de donando, quam actionem habeat, si res reperiatur penès tertium, d. 31. n. 14.
Alimenta tenetur præstare donanti, & non habent in eis ius creditores, ibid. n. 18.
Conditionem, vel modum non adimplens, cadit à commodo donationis, discur. 57. num. 9.
Sed non restituit fructus perceptos, ibid. num. 13. & 14.
Creditori posteriori ex causa onerosa præfertur, disc. 31. num. 3.
Fallit accedente fraude, ibidem nu. 4.
Et quando quæstio habeat locum, num. 5. ibid.
Distinctio Gabr. inter creditores chirographarios, & hypothecarios examinatur, & constituuntur plures casus, disc. 31. ex num. 8.
Declarationi donantis deferre debet, disc. 44. num. 77.

DONATIO

Absenti facta, vel infanti repudiari potest in præiudicium creditorum, disc. 40. nu. 20. disc. 137. num. 19.
Censenda àn sit si pecunia alicui simpliciter tradatur, vel potiùs reputandum mutuum, disc. 125. num. 3. & 5.
Collata in tempus soluti matrimonij inter coniuges, àn valeat remiss. disc. 83. n. 11.
Contractus àn dicatur, & quando, disc. 40. num. 21.
Dominium non transfert antè acceptationem, disc. 137. num. 20.
Ex parte post quando præsumatur eius quod fuit traditũ in certam causam, causa non secuta, disc. 125. num. 10.
Patrem inter, & filium, quarè sit prohibita, & quod hodie hæc ratio cesset, disc. 80. num. 10.
Perfecta quando dicatur respectu irrenocabilitatis, vel translationis dominij, disc. 31. num. 16., disc. 40. num. 20., disc. 137. num. 20.
Præsumenda non est, sed capiendus quilibet intellectus ad eam excludendam, disc. 74. num. 8. disc. 76. num. 9.
Solemnitates in Vrbe quas exigat, disc. 123. num. 3.

in DONATIONE *contemplatione matrimonij.*

Filij quando veniant ex propria persona, disc. 137. num. 17. & 24.
Mulier pro dote àn sit potior donatario remiss. disc. 9. num. 10.

DOS

Anterior præfertur mutuanti ad rem emẽdam, vel reficiendam, discur. 6. numer. 9. Et de cautela hanc prælationem euitandi, ibid. disc. 15. num. 8.
Confessata quando præiudicet confitenti, vel eius hæredibus, disc. 31. num. 20. disc. 80. num. 12.
Impensis pro colligendis fructibus non est potior remiss. disc. 16. num. 12.
Iurisdictionalibus super bonis Status Ecclesiastici constitui nequit, disc. 13. num. 14.
Locatorem non vincit in rei locatæ fructibus, in quibus sibi reseruauit dominium, disc. 16. num. 10. disc. 17. num. 5.
Mulieris respectu quamuis sit ex causa lucrativa, quoad virum tamen est ex causa onerosa, disc. 121. num. 15.
Possessorem àn excludat in pari causa, disc. 9. num. 2.
Potior àn sit donatario in donatis contemplatione matrimonij remiss. disc. 9. n. 10.
Potioritatem àn habeat in bonis per virũ quæsitis post matrimonium remiss. disc. 12. num. 2. disc. 19. num. 3. disc. 35. num. 53. & 54.
Restituenda àn sit fratri dotanti, vel hæredi mulieri remiss. disc. 131. num. 30.
Ripales mercatores Vrbis àn & quando vincat remiss. disc. 21. num. 7.
Senensis Statuti vigore quomodò defera. tur filijs, disc. 40. num. 3. 17. & 22.
Sorori per fratrem constituta quando dicatur ex causa onerosa, disc. 121. n. 11.

DOTIS

Census ex causa imponi potest sine pecunia, & de ratione, disc. 10. num. 16.
Confessatæ veritas non probatur iuramento, & quare ibid. num. 11.
Confessio fideicommissio non præiudicat,

sed solutio, disc. 40. num. 8.

Congrua taxa quomodo facienda remiss. disc. 20. num. 10.

Creditum quarè soleat in mutuum transfundi, disc. 77. num. 8.

Statutariæ præscriptioni àn subiaceat remiss. disc. 129. num. 22.

Pro credito generaliter est concessus Neapolitanis assensus super feudis, disc. 27. num. 3.

Debitum exceptuatur à Statuto fori mercatorum Bononiæ, & quando tale esse dicatur, disc. 10. num. 15.

Non dicitur ad dictum effectum nomen in dotem datum, ibid. num. 17.

Domina mulier dicitur quoad viuit, disc. 40. num. 22. & 24.

Fauore datur reuiuiscentia primæuorum iurium, euicta re in solutum data, disc. 32. num. 12.

Pretio àn & quando res succedat, disc. 35. num. 53. & 54.

Pretium è contrà succedit loco rei, & de ratione, ac quando id procedat, ibid. num. 69. & 70.

Filia pro consecutione àn habeat tacitam hypothecam, disc. 27. num. 5.

Frater debitor quando gaudeat beneficio *Deducto*, discur. 121. numer. 6. & seqq. *vid.* Deducto *vers.* Fratri.

Fructus soluto matrimonio non debentur, & quando secus, disc. 131. num. 6.

Mobilium consignatio, quando præsumatur, disc. 131. num. 11.

Monialium materia remissiuè, & quomodò constituatur, disc. 39. num. 1.

Potioritas procedit quoad tacitas hypothecas, disc. 21. num. 11.

Promissionis à die incipit hypotheca etiã pro restitutione, disc. 9. num. 3.

Et quid si nulla de restitutione in capitulis adsit conuentio, vel pactum fuerit dotis reinuestimentum, ibid. num. 8. & 9.

Repetitioni quando obstet redditio rationis, disc. 61. num. 8.

Et quod quando non obstat, non sit ex dotis priuilegio, ibid. num. 7.

Solutio quando præsumatur, disc. 132. n. 7. *vid.* Solutio præsumpta *vers.* dotis.

Vsufructuaria dicitur mulier quoties certam partem reseruare tenetur filijs, disc. 40. num. 25.

E

ECCLESIÆ

ACtio euictionis competit absque denunciatione, accedente litis scientia disc. 71. num. 5.

Æconomi contrà bona conceditur hypotheca, disc. 39. num. 7.

Benignitas conuenit in litibus, d. 138. n. 9.

Bona locari non possunt vltrà triennium à creditore immisso, disc. 133. num. 8.

Res hypothecæ generali supponi, àn sit prohibitum per extrauag. *Ambitiosæ*, disc. 13. num. 17.

ELECTIONE

Semel facta in alternatiuis, non licèt amplius variare, & de ratione, disc. 141. nu. 2. & 12.

ELIGENDI

Debitoris bona facultatem, àn, & quando creditor habeat, disc. 126. à num. 4. *vid.* Creditor *vers.* eligendi, *vers.* priuilegiatus *vers.* assensum. Variatio.

Defuncti bona hæres beneficiatus ius habet, sibiquè appropriandi pro eius creditis, disc. 127. num. 7.

EMENS

Beneficiato ab hærede redditur tutus ab hypothecis, disc. 53. num. 7.

Intell. respectu creditorum defuncti, secùs respectu tertij, ibid. num. 11.

Fallit conclusio si aliter creditori nõ sit consultum, quia potest agere in subsidium, ibid. num. 12.

Creditoris dimissi cum eius pecunia iuribus, àn, & quando tueatur, disc. 32. n. 18. Alia *vid.* Venditor.

EMPTIO VENDITIO

Facta ab vno nomine alterius, huic acquiritur, disc. 35. num. 45.

Perfecta non dicitur, si res non sit in libera dispositione venditoris, disc. 27. n. 14.

Pretium certũ habet inter requisita essentialia, disc. 23. num. 5.

Rerum consistentium in numero, pondere, aut mensura, ante numerationem &c. perfecta non dicitur, ibid. num. 3. & 4. Alia *vid.* Venditio.

EPISCOPVS

Religiosus destinatus àn soluatur à Religione, & quid post consecrationem, disc. 83. num. 4. & 7.

Et àn teneatur ad debita contracta

pro futuro ſtatu epiſcopali, ibid. ex n.7. *vid.* Monachus *verſ.* deſtinatus.

EPISTOLAE FAMILIARES

Tertio fiducialiter ſcriptæ, àn plenè probent contrà ſcribentem, d 79.n.8. & 13. diſc.148.num.2. Alia *vid.* litteræ.

EQVITES S. STEPHANI

Beneficio *deducto* gaudent, & de ratione, diſc.118.num. 5.7. & 8.

Eccleſiaſtici àn ſint ibid. num.5.

Habitum qualem gerant, ibid. num.8.

ERROR

In dubio non præſumitur, ſed eſt concludenter probandum, diſc.45.num.4. & 5. diſc.78.num.12.

Voluntarium tollit, diſc.45.num.4.

EVICTIO

Euenisſe non dicitur per immiſſionem in ſaluiano, diſc.135. num.11.

Pignoris à creditore non eſt præſtanda, ſed debet probare ſe anteriorem, diſcur. 54. num.12.

Promiſſa per creditorem licitatori, ſecuta ſi fuerit, iura creditoris reuiuiſcunt, diſc. 32. num.7.

Rei datæ in ſolutum creditori cenſus ſi ſequatur, cenſus reuiuiſcit cum primæuis iuribus, præſertim ſi adſit reſeruatio, diſc. 32.num.6., diſc.67.num.4.

EVICTIONIS

Actio ſine denunciatione non competit, diſc.71. num. 3.

Fallit accedente iuſtitia, ibid.num.4.

Item fauore Eccleſiæ data ſcientia litis, diſc.71. num.5.

Intereſſe debetur, diſc.131.num.9.

EXACTORES

Mandati actione tenentur de exactis, diſc. 130. num. 3.

Piorum locorum ad quid ſint adſtricti remiſſ. diſc.44.num.9.

Soluiſſe præſumuntur de pecunijs exactis, ibid. num.19.

EXCEPTIO

Altiorem requirens indaginem non impedit poſſeſſorium, ſed remittitur ad petitorium, diſc.60.num. 3.

Cedendarum opponi poteſt in quocunquè etiam priuilegiato iudicio, diſc.94.nu.2.

A Fideiuſſore àn & quando opponi poſſit, diſc.145. nu.2.& ſeqq. *vid.* Confideiuſſor Fideiuſſor *verſ.* Cedendarum.

Cedenti, quæ obſtat, obeſt etiam ceſſionario, diſc.30. num.8.

Circuitus admittitur etiam in iudicio executiuo, diſc.19.num.2.

Facilius datur quàm actio, diſc.68. nu.20.

Firmat regulam in caſibus non exceptuatis, diſc.18. num.15.

Fori declinatoria non conceditur creditori, à quo vigore cautionis fit auocatio, diſc. 53. num.25.

Hoſtica à milite, àn & quando opponi poſſit remiſſ. diſc.118. num.11.

Incertitudinis, vel illiquiditatis admittitur etiam in executiuis, diſc.148.num.3.

Pecuniæ non numeratæ opponi, àn poſſit aduerſus confeſſionem depoſiti, diſc.69. num.9. & 10.

Sublata eſt per obligationem cameralem, diſc.83. num. 5.

Sed poterit debitor eam probare, ibidem num.15.

Rei non traditæ, vel pecuniæ non numeratæ, non datur inter mercatores, diſc.78. num.8.

EXCVSSIO

Allodialium bonorum fieri debet per creditorem cum aſſenſu, antequam agat ſuper feudo deuoluto de ſtylo Neapolit. diſc. 30. num.2.

Debitoris in bonis facienda eſt, antequam fiat auocatio pecuniæ, diſc.52.num.4.

Fallit ſi pecunia ſoluta ſit cum cautione, ibid. num. 5. potiſſimè accedente clauſula ad omne mandatum n.6.ibid.

Debitoris facta in loco contractus, àn ſufficiat ad agendum contrà fideiuſſorem, diſc.90. num.9.

Rei ſpecialiter obligatæ, àn, & quando fieri debeat, diſc.126. ex nu.4. *vid.* Creditor *verſ.* Eligendi.

EXIGIBILITAS

Cenſus de facto promiſſa, per quot annos præſtanda ſit, diſc.64. num.21.,& 22.

De iure, & facto promiſſa non includit factum Principis, ibid.num.15.

In dubio de iure tantùm promiſſa videtur, & quando etiam de facto, diſc.64.nu.20. Alia *vid.* Aſſignatio. Cedens. Ceſſio.

EXHIBITIO

Pignorum peti poteſt contrà creditorem per tertium, diſc.22. num.10.

Sed requiritur de tempore motæ litis poſſeſſio, vel quod dolo deſierit poſſidere, ibid. num. 11., & 12.

Contrarium quod ceſſante caſuali deperditione ſemper peti poſſit exhibitio, vel intereſſe, diſc. 22.num. 17. Alia *vid.* Pignus. *verſ.* Ad exhibendum, & *verſ* Exhibere.

EX-

EXPENSÆ

Curiæ de stylo in qualibet sententia ponuntur, disc. 147. num. 11.

Damnorum, & interesse, sub stipulatione continentur, ibid. num. 7.

Extrinsecæ, & accidentales litis, iudicantur tanquam intrinsecæ, & connaturales cum potioritate, disc. 147. num. 14.

Et de alijs verè extrinsecis debiti naturam non habentibus, ibid. num. 15.

Per fideiussorem, qui soluit totum debitum, reportata cessione, àn peti possint à confideiussore, disc. 157. num. 8.

Exactum pro collectione factæ vincunt in fructibus locatorem concurrentem pro pensione, quamuis sibi reseruauerit dominium, & de ratione, disc. 16. num. 9. 10., & seqq.

Item dotem remiss., ibid. num. 12.

Præsertim si agatur de expensis pro secatione, trituratione, & similibus, disc. 16. num. 13.

Et àn potioritas procedat ad ratã fructuum extantium tantùm, disc. 19. num. 13. Et quod competat pro toto credito, & de ratione, ibid. num. 14.

Intrinsecæ, & necessariæ ob moram debitoris habent anterioritatem debiti, disc. 147. num. 12.

Et deducuntur antè omnia per viam subductionis, ibid. num. 13.

Litis àn habeant eandem anterioritatem crediti, disc. 147. num. 2., & 9.

Distinguitur inter expensas officio Iudicis, & iure actionis, ibid. num. 4. Et quando dicantur officio Iudicis num. 10. ibid.

Litis mulieris exequuntur super bonis viro in dotem datis, & de dec. 891. Seraph. disc. 147. num. 6.

Obligatione sub cãmerali continentur, ibid. num. 7.

Trium conformium non euitantur ex beneficio *Deducto*, disc. 120. num. 3. *Vid.* Deducto *vers.* Trium.

Et quid de beneficio cessionis bonorum, ibid.

EXPENSARVM

Fideiussor, est fideiussor debiti principalis, disc. 147. num. 6.

EXTRAVAG.

Ambitiosæ de rebus Ecclesiæ, àn comprehendat generalem hypothecam, disc. 13. num. 17.

F

FACTVM

Alienum promittens, àn, & quando à promissis diligentijs excusetur, disc. 124. à nu. 6. *Vid.* Promissio *vers.* Facti alieni.

Difficilius tollitur quàm impediretur faciendum, disc. 89. num. 14.

Principis non est præstandum per cedentem, disc. 64. num. 15.

FACVLTAS

Alienandi bona fideicommisso supposita non tribuit ius creditoribus concessionarij, disc. 42. num. 2.

Quando concessionarius dicatur eavti, ibid. num. 4.

Promissio quod obtinebitur, àn producat actionem creditoribus, disc. 42. num. 7.

FAMVLI

Differunt à Ministris, disc. 129. num. 16.

Item à familiaribus, ibid. num. 15.

Dominus tenetur de facto circà opus, cui est præpositus, disc. 68. num. 19.

Exactam pecuniam domino tradidisse quando præsumantur, disc. 130. nu. 13.

Teste àn, & quando probent, disc. 129. num. 15.

FAVOR

Publicus anteponendus est priuato, disc. 69. num. 8.

FERRETTVS

Conf. 144. declaratur, disc. 119. n. 12.

FEVDVM

Accessorie alteri feudo vnitum, perdit suam naturam, disc. 10. numer. 26. disc. 35. num. 19.

Bonis in nostris esse quomodo dicatur, vel eius pretium, & quomodo super eo concurrant creditores, disc. 12. num. 7.

Deuolutum postquam fuerit, creditor, cum assensu non potest de stylo Neapolitano, super eo agere, nisi discussis allodialibus, disc. 30. num. 2.

Homo mutus fingitur, & surdus; Possessor autem minister, & operarius, disc. 47. num. 11.

Stare non potest per momentum in suspenso, & sine successore, disc. 13. num. 23.

FEVDI

Commoditas cadit sub hypotheca, disc. 14. num. 5.

Intell. id non procedere feudo alienato

to in tertium, ibid. num.6. *Vid.* Hypotheca *vers.* Commoditatem.
Emptor in Regno tenetur etiam allodialia emere, & de ratione ſtyli, diſc.27.num. 22.,& 23.
Fructus pendentes reputantur feudales, commixti verò de bonis liberis, diſc.6. num. 8.
Poſſeſſor pro alimentis in fructibus, àn ſit potior, diſc. 28. num. 6., & 7.
Pretium non ſuccedit loco feudi, diſc. 35. num. 56.

FEVDA

Domini abſquè aſſenſu non ſunt in commercio,& quid de pretio,diſc.12. nu.7.
Neapolitani Regni nimium alterata videtur à generali feudorum natura, diſc.27. num. 7.
Obligata ſunt Neapolitanis pro dote abſquè aſſenſu,ibid. num. 3.

In FEVDIS

Creditores poſteriores cum aſſenſu præferuntur anterioribus ſine aſſenſu,diſc.13. num.2., & de ratione num.9. ibid. diſc. 27. num.4.
Amplia procedere in pretio ſubrogato loco feudi, diſc.13.num.3.
Hæredis creditores cum aſſenſu præferuntur creditoribus defuncti ſinè aſſenſu,& de ratione, diſc.13. ex num.20. diſc.27. num. 4.
Simulatio non datur diſc.13. num.24.diſc. 35. num. 45.
Vita militia, ſeù paragium, quo iure debeantur filijs, diſc.27. num. 24., & 25. Alia *vid.* Aſſenſus. Caſtra.

FIDEICOMMISSARIVS

Cadens à fideicommiſſo ob non implementum, non reſtituit fructus perceptos, & quando ſecus, diſc.57.num.13.,& 14.
Remedio *Auth. res quæ* moleſtari non poteſt à compoſſeſſore fideicommiſſi, diſc.126.num. 15.

FIDEICOMMISSVM

Ius acquirit ſuper inueſtimento facto amplius non variabili, diſc.141. num.12.
Mutus homo, & ſurdus reputatur; Poſſeſſor autem miniſter,& operarius, diſc.47. num.11.
Præiudicatur ex ſolutione dotis vera, non autem ficta per cõfeſſionem, vel acceptilationem, diſc.40. num. 8.
Reintegrandum eſt ex bonis liberis de eo, quod mulieri ſolutum eſt pro dote,diſc. 30. num. 5.
Tollitur per Bullam Baronum, & euadunt bona *libera*, diſc. 126. num. 7., & de veritate operationis, ibid. num. 18.
Sed reintegrari debet ex alijs bonis Baronis, ibid. num. 19.

FIDEICOMMISSI

Debitum non compenſatur, cum credito proprio, & è contrà, diſc. 47. num. 6., & 12.
Intell. pro ſolo iure intereſſati in fideicommiſſo, ibid. num. 9.
Onus iniunctum legatario ad fauorem hæredis, intelligitur de primo tantum, diſc.38. num. 5.
Præuentiua reſtitutio facienda, quando ſit ob dilapidationem, diſc. 118. n. 12.
Remiſſio non inducitur per conſenſum alienationi præſtitum; Sed remanet ſaluum in pretio, diſc.29.num.4.

FIDEIVSSIO

Expromiſſionis per viam debiti alieni quomodo præſtanda, diſc.73. num. 6.
Interprætanda quomodo ſit in dubio, an aliquem caſum compræhendat, diſc.91. num.3. & ſeqq.
Iudicialis per Statutum Ianuæ perimitur elapſo quinquennio, diſc.92. num.3.
Et de alio Statuto mandante renouationem, ibid. num.7. & 10.
Strictiſſimè interprætari debet, diſcurſ.91. num.2. diſc.100.num.2.
Vera hodiè non eſt in vſu, dum ſemper obligantur tamquam principales, diſc. 98.num.2.

FIDEIVSSOR.

Adminiſtratoris datus cenſetur pro reliquatu, vndè ſolutio durante adminiſtratione facta, non eſt ad eius obligationem referenda, diſc.102.num.3.
Et de caſu quo ad eius obligationem referri debeat, ibid. num.4.
Agere non poteſt contrà principalem niſi doceat ſoluiſſe pro eo, diſc.105. num.5.
Et quid ſi alter intuitu fideiuſſoris ſolueret, ibid. num.6.
Ac quod non ſufficiat ſolutio præſumpta, diſc.105.num.10. & ſeqq.
Ad totum non valet ſi ſoluta parte creditor quietet pro reſiduo, ibid. n.8.
Bulla Baronum àn compræhendatur, diſc. 7.num.7.
Cedendarum exceptionem proponere poteſt, diſc.94. num.2.
Non opponit ob liberationem confideiuſſoris ex interuallo obligari, & non con-

contemporaneè, disc. 145. num. 6.

Opponere àn possit si confideiussor fuerit liberatus cum pecunia debitoris, ibid. num. 2. & seqq. Et quid contrà creditorem priuilegiatum, ibid. num. 8.

Vid. Confideiussor.

Cedulista dicitur, & de cedularum distinctione, disc. 7. num. 5. & 8.

Cessionarius creditoris àn totum possit exigere ab vno ex confideiussoribus, disc. 95. num. 8. & 9.

Cessionem ex interuallo reportare potest, quamuis obligauerit se principaliter, & in solidum, disc. 104. num. 16.

Citari debet in diligentijs, quæ fiunt contrà debitorem principalem, d. 96. n. 5.

Conductoris non obligatur pro reconductione, disc. 96. num. 3.

Creditorem cogere potest ad faciendam sibi cessionem etiam ex interuallo, & si possideat habetur pro facta contrà eundem, disc. 7. num. 4. & 9.

Fallit si creditor haberet aliud creditum anteriùs, *vel* possideret, ibid. n. 11.

Item si fuerit fideiussor ratæ, quia non tenetur cedere contrà fideiussorem alteriùs ratæ, ibid. num. 12.

Vel si fideiussio fuerit pro modica quãtitate, quia pro reliquo cautum erat in bonis debitoris, vel appaltus, disc. 7. num. 13. & 14.

Pro damnis, vel molestijs passis ex propria culpa, vel negligentia non agit contra principalem, disc. 92. num. 2.

Fallit si exceptio consisteret in facto sibi ignoto, secus si in iure statutario, ibid. num. 4.

Item si fecerit totum suum posse, & expectauerit coactionem, disc. 92. n. 5.

Et de alio casu, ibid. num. 6.

Datus vbi est, causa dicitur durior, & in causa cedere debet solutio, disc. 43. n. 3. disc. 102. num. 2.

Fallit si sit posterior, & quando secùs, disc. 43. num. 6.

Vid. Solutio, *vers.* duriorem.

Debiti in quo differat à fideiussore de repræsentando, disc. 98. num. 4.

Non liberatur per mortem, aut mutationem status debitoris, ibid. num. 5.

Debitoris principalis obligatione corruente remanet liberatus, disc. 101. num. 4.

Fallit vbi sit principaliter obligatus, ibid. num. 5. Et quando limitatio procedat, num. 8. & 9. ibid.

Exemptionem ab obligatione petere potest, si diù stetierit in obligatione, & quando diù stetisse dicatur, d. 103. n. 4.

Item vbi est obligatus cũ pactis executiuis, ibid. num. 5.

Siue vbi debitoris conditio deterior effecta sit, disc. 103. num. 6.

Vel vbi pactum accedat, ibid. n. 2. & 7.

Alia *Vid. proximè vers.* Statuti.

Expensarum etiam est, qui fideiussit pro debito, disc. 147. num. 6.

Idoneitatis personæ ad vnum opus, non tenetur pro altero opere, disc. 106. n. 14.

Liberatur si creditor fuerit negligens in exigendo à principali, & quando secùs, disc. 94. num. 6. disc. 96. n. 7.

Litteras cambij àn dicatur acceptans, vel potiùs mandatarius, disc. 85. num. 2.

Moratoria àn iuuetur debitori concessa, disc. 98. num. 2.

Pecuniæ traiectitiæ in casu barratteriæ, àn teneatur si nauis pereat ex mutatione itineris, disc. 93. num. 4. & 10.

In pluri se obligans in gratiam debitoris àn releuandus sit in totum, si releuatio in minori promissa sit, disc. 104. ex n. 2.

Præiudicari nequit à debitore declarante ex interuallo in quam causam solutio cesserit, disc. 44. num. 2.

Fallit in declaratione adminiculata, ibid. num. 5.

Principali debitore priùs discusso conueniendus est, & quid in cedulista, disc. 7. num. 5.

Principaliter obligatus quando dicatur, & quando assessoriè, disc. 7. num. 10.

Releuari debet à debitore, disc. 84. num. 11.

Societatis officij ea dicta, & renouata amplius non tenetur, disc. 96. num. 3.

Solidationi computorum factæ cum principali stare àn debeat, disc. 90. num. 10. & 11.

Statuti vigore exemptionem ab obligatione petere, quando valeat, disc. 97. nu. 2. disc. 103. num. 3.

Petere non valet contrà coobligatum, qui respectu principalis sit fideiussor, disc. 97. num. 3. & seqq.

Item neq; in contractu censuali, ibid. num. 6.

Subrogari quando possit in locum alterius fideiussoris, disc. 141. num. 10.

Ad tempus se obligans, eo expirato non tenetur amplius, disc. 96. num. 3.

FIDEIVSSORES.

Bonorum debitoris intuitu censentur se obligasse, vnde debitor non potest de eis disponere ad liberandum vnum tantùm ex eis, disc. 145. num. 7.

Plures dari possunt pro eodem debito, disc. 106. num. 19.

Et quid referat àn dentur vnitim, vel seiunctim, ibid. num. 20.

Alia *Vid.* Confideiussor, Correus.

FIDEIVSSOR *de iudicatum soluendo.*

Instantia datus in vna, àn teneatur in altera, disc. 99. & 100. num. 2.

Iudicis nomen quotiès non est expressum tenetur in altera instantia, disc. 99. n. 4.

Obligatus principaliter tenetur in diuersa instantia, ibid. num. 5.

Reum inter, & actorem adest in hac materia differentia, disc. 100. num. 3.

Volùntaria vbi est cautio tenetur in diuersa, instantia; Secùs si fuerit necessaria, disc. 99. num. 7.

Voluntas partium, vel Iudicis vbi restricta est ad vnam instantiam, non tenetur fideiussor in altera, disc. 100. num. 4.

Et quid in terminis Statuti Bononiæ mandantis, quod fideiussores non liberentur, ibid. ex num. 5.

FIDEIVSSOR *de repræsentando.*

Certum intrà tempus, aliàs de soluendo, àn tempore elapso admittatur ad repræsentandum, disc. 94. num. 14.

Debitoris ob mortem, vel aliud impedimentum àn excusetur, disc. 94. num. 8. & 12. disc. 98. num. 5 & 8.

Distinguitur inter fideiussorem iudicialem, & extraiudicialem, disc. 94. n. 9. Et quid si accedat iuramentum, disc. 94. num. 10. Aut fideiussio sit sub certa conditione concepta, ibid. num. 11.

Debitor si fiat clericus, aut bannitus, àn teneatur ad repræsentationem, disc. 98. num. 5. & 11.

Infirmus si erat de tempore interpellationis debitor mortuus, àn excusetur, & quomodo sit probanda infirmitas, disc. 94. num. 12. & 13.

Moratoria iuuatur debitori concessa, & de ratione, disc. 98. num. 4. 5. & seqq.

FIDVCIARIVS.

Voluntatem testatoris quomodo aperire debeat remissiuè, disc. 128. num. 6.

FILIVS FAMILIAS.

Clericus aduentitio peculio vtitur ad instar profectitij, disc. 86. num. 9.

Mutuum tantùm de iure contrahere prohibetur, disc. 146. num. 3.

Et quid attento Statuto Vrbis, ibid. num. 2. *Vid.* Statutum Vrbis, *vers.* 152.

Obligatur validè imminente emancipatione pro necessarijs ad eam assequendam, disc. 83. num. 13.

Reputatus sui iuris àn validè obligetur, disc. 83. num. 9. disc. 146. num. 11. & 12.

FILIVS.

Alendus est à patre in statu, in quo ab ipso fuit constitutus, disc. 86. num. 2.

Vid. Pater.

Decurio si creetur pro eo tenetur pater, disc. 86. num. 7. & 18.

Et de alijs muneribus. *vid.* Pater.

Legitimam in præiudicium creditorum repudiare non prohibetur, disc. 40. n. 16.

Vid. Debitor, *vers.* Legitimam.

Liquidare potest instrumentum via ritus contrà patrem, disc 116. num. 15.

Lucra suæ industriæ participare debet in negotiatione pecuniæ paternæ, disc. 80. num. 16.

Materna in dote vigore Statuti Senensis quale ius habeat, disc. 40. num. 3. & 17.

Patris contemplatione si aliquid acquirat, dicitur peculium profectitium, disc. 80. num. 3.

Fallit, si filij industria accederet, ibidem, num. 16.

Patris viuentis in bonis nullum ius habet etiam pro legitima, disc. 40 num. 12.

Pro patre non tenetur, & è contrà, disc. 86. num. 6. *vid.* Pater.

Vocatus ad dotem si consensum præstet alienationi factæ per matrem, quid operetur, disc. 40. num. 23.

FILII.

Positi in conditione in contractibus, an censeantur vocati ex Statuto Vrbis, disc. 70. num. 3.

FISCALIA.

Neapolitani Regni idem sunt, ac loca Montium, & non sunt in commercio sine assensu Principis, disc. 27. num. 15.

Et contractus super eis inter partes quid operetur, ibidem, num. 16.

FISCVS.

Aduersùs admissum ab appaltatoribus vectigalium ad participationem, vel societatem, hypothecam an habeat, & à quo tempore, disc. 88. num. 9.

Annona an dici possit, & an gaudeat eius priuilegijs, disc. 19. num. 2.

Anterior præfertur mutuãti ad rem emendam, vel reficiendam, disc. 6. numer. 9.
Et de cautela euitandi hanc prælationem, disc. 6. num. 10. disc. 15. num. 8.
Anteriorem creditorem non vincit, nisi in posteà quæsitis, disc. 21. num. 9.
Ponderantur rationes huius potioritatis, & aliquæ reijciuntur, disc. 19. num. 3. & 4. disc. 35. num. 53.
Et an fructus dicantur bona posteà quæsita, disc. 19. num 7. & seqq.
Atque an succedant loco pecuniæ fiscalis, ex qua sunt quæsita bona, disc. 35. num. 53.
Cuiusnam Principis priuilegio primipilari gaudeat, disc. 20. num. 3.
Et quod illo gaudeat quilibet feudatarius maior, ibidem, num. 4. *vid.* Primipilare.
Debitorem ante diem conuenire an possit deducto eo, quod interest remiss. discurs. 115. num. 7.
Locatorem super fructibus rei locatæ, in quibus sibi reseruauit pro pẽsione dominium non vincit, disc. 16. num. 12. disc. 17. num. 5. disc. 19. num. 11.
Pecuniam propriam, vel ex eius effectibus prouenientem à tertio auocat rem. disc. 50. num. 11.
Versionem non tenetur probare, vt gaudeat potioritate *interdum*, disc. 19. num. 12.
Alia vide Camera.

FOETVS.

An & quando cadant sub hypotheca eiusdem causæ productiuæ, disc 35. num. 30.

FONTANEL.

De *Pact. nupt. claus 5. gl. 6. p. 7. num. 12.* impugnatur, disc 25. num. 19.

FORENSES.

Statuto vrbis debiti præscriptiuo an ligentur, disc. 129. num. 21. disc. 130. num. 7. disc. 148. num. 11.

FORMA.

Præcedere quando debeat, vel sufficiat, quod subsequatur, disc 92 num. 7.
Præcisè an, & quando impleri debeat, vel sufficiat per æquipollens, disc. 84. num. 5.

FRATER.

Beneficio *deducto* an, & quando gaudeat, disc. 121. nu. 6. & seqq. *vid.* Deducto, *vers.* Frater.
Maior administrans bona fratris minoris tenetur reddere rationem, disc. 41. nu. 6.

FRVCTVS.

Anterioritate sortis an gaudeant fauore dimittentis creditorem cum subintratione, disc. 5. ex num. 6. disc. 6. num. 2. *vide* Creditor anterior, *vers.* Subintrans.
Beneficij inexacti quare spectent ad Cameram, disc. 149. num. 4. & 5. *vid.* Camera.
Bonis de posteà quæsitis an dicantur, examinatur; Et impugnatur *Carleual.* affirmans, disc. 19. num. 7. & seqq.
Bonorum prohibitorũ possũt obligari absq; assensu, disc. 150. num. 5.
Cambij possunt reduci in sortem parientem alios fructus, disc. 5. num. 17.
Censiti fundi meliorati quomodò diuidendi inter meliorantem, & creditorem census, disc 24. num. 14.
Conuentionali ex pignore debentur etiam percipiendi; Ex prætorio vero percepti tantùm, disc. 22 num. 16. disc. 133. num. 3. disc. 134 num. 4. & seqq. *vide* Immissus.
Dicuntur deductis expensis, disc. 16. nu. 12.
Diminuti si fuerint, quando interet remissio pensionis, disc. 6. num. 12.
Dotales quo titulo vir percipiat, d. 19. n. 8.
Soluto matrimonio non debentur, & quando secùs, disc. 131. num. 6.
Dotalium bonorum sunt affecti hypothecis mulieris; Et quid si fuerint per virum consumpti, disc. 19. num. 9.
Extantes pro rata an obnoxij sint expensis in eis colligendis, vel in totum, ibidem, num. 13. & 14.
Feudi pendentes reputantur feudales; Sed si sint separati, reputantur de bonis liberis, disc. 6. num. 18.
Fundi ipsorum productiui sub hypotheca an & quando veniant, disc. 14. num. 8. disc. 19. num. 6.
Inuestimenti spectant ad possessorem, etiam quod pecunia auocaretur, disc. 2. nu. 12. & de ratione, disc. 62. num. 13. & 14. disc. 141. num. 8.
Locatori an sint obnoxij pro pensione, aut potiùs mutuanti pro eis colligendis, disc. 16 nu. 8. *Vid.* Locator, *vers.* Creditorem. Multiplico destinatos depositarij montium malè soluunt liberè, disc. 59. nu. 6. *Vid.* Multiplicum.
Nasci debent sub dominio debitoris, ad hoc vt veniant sub hypotheca, disc. 14. nu. 8. disc. 24. num. 6 disc. 35. num. 16. & 30.
Pendentes, vel saltim non commixti dicuntur de eodem dominio rei productiuæ, disc. 6. num. 15.
Secùs si fuerint commixti, ibid. nu. 16.
Etiam quod adsit reseruatio dominij, discurs.

ſcurſ.6.num.18.diſc.17.num.5.& 6. *vid.* Locator.

Penſio ſi excedat contractus locationis non eſt vſurarius, ſed læſiuus, diſc.6. nn.11.

Perceptos non reſtituet donatarius, vel fideicommiſſarius cadens ob non implementum, & quando ſecùs, diſc.57.num. 13.& 14.

Percipi quando dicantur, & naſci, diſcurſ. 19.num.5.

Pignoris an conſeruare teneatur creditor ad vendendum cariori pretio, diſc.134. num.16.& 18.

An & quando faciat ſuos ratione intereſſe, diſc.135.num.5.6.7.

Mulier retinens pro dote an imputare debeat in ſortem, ibidem,num.8.& 9.

Recompenſatiui an gaudeant anterioritate ſortis fauore venditoris cum reſeruatione dominij concurrentis cum creditore, qui partem prætij ſoluit, diſc.6.nu. 5.17.& 18.

Debentur ad limites fructuum, quos ipſa res producit, ibid.num.13. Et quid ſi res vendita ſit officium vacabile, diſc. 115.num.8.

Non debentur ſi pretium conuerſum fuerit in alium contractum, ſeù aliam cauſam debendi, diſc.115.num.9.

Vſuraria abſque labe quare exigantur etiam ſine mora, diſc.115.num.8.

Rei hypothecatæ percepti per tertium poſt rei alienationem, an, & quando veniant ſub hypotheca, diſc.37.num.14.

Reſtituere conſumptos vt poſſeſſor teneatur, quænam mala fides exigatur, diſc. 131.num.2.diſc.140.num.7.

Tabernæ, vel alterius rei conſtituentis vniuerſitatem, debentur, diſc.35.num.5.

Vrbanorum prædiorum quomodò regulentur, diſc.133.num.4.

FRVCTVVM.

Conuentionali ex pignore perceptio arguit vſuram, diſc.132.num.8.

Curſus reuiuiſcit auocata pecunia ſoluta pro debito, diſc.32.num.3.

Diſtinctio remiſſiuè habetur, diſc.132.n.4.

Fructus exigi non poſſunt, & quid ſi illi erant multiplicandi, diſc.59.num.5.

Loco pretium quando ſuccedat, diſc.17.ex num.10.

Quantitas non probatur ex vnica locatione,& de ratione, diſc.134.num.11.& 12.

In ſortem imputatio non intrat, quando huius reſtitutioni certa forma adiecta fit, diſcurſ. 59. num. 3.

Taxa legalis quomodò procedat,d.132.n.9. *Et* an cum ea procedendum ſit contrà immiſſum, diſc.132.num.9.

FRVGVM.

Commixtarum cum patrimonio creditoris poſterioris, anteriori vindicatio non conceditur, diſc.16.num.7.

FRVMENTVM.

Nauigatum ab euecto per terram, in quo differat, diſc.108.num.10.

Neapolitanam in Ciuitatem vnde adducatur, ibid.num.9.

FVNDI.

Cenſiti ſubrogatio admittitur,ſi primus detegatur incapax, diſc.141.num.10.

Contrà FVREM.

Hypotheca an detur in eius bonis, diſc.36. num.21.

Probato furto *in genere*, quantitas iuſtificatur leuioribus probationibus,ac etiam iuramento, diſc.128.num.8.

G

GABELLA.

NOn debetur ex re, quæ reſoluto iure intermedij poſſeſſoris redit ad dominum, diſc.4.num.7.

Potioritate gaudet ſuper mercibus, diſcurſ. 21.nu.16. *Alia vide* Dohana Dohanerius.

GABELLARIVS VINI, ſeù STVDII VRBIS.

Creditori ex cauſa penſionis vltimi anni domus, vel tabernæ an præponatur, diſcurſ.21.num.8.

Mercatores ripales non vincit,diſc.21.n.7.

Potioritate gaudet ſuper bonis tabernarij, & quod ea competat ſuper vino, & inſtrumentis cauponæ, ibid.num.5.& ſeqq. *Alia Vid.* Mercatores ripales.

GABR.

*Conſ.*82.*lib.*1.explicatur, diſc.31.ex num.8.

GAZAGA.

Ius hæbreis competens ſuper domibus inhabitatis recenſetur remiſſiuè, diſc.101. num.2.*Alia Vide* Hæbrei.

GRATITVDO.

Eſt ſufficiens cauſa obligandi, & inter non prohibitos probatur per ſolam aſſertionem, diſc.123.num.15.

GREX.

Subrogationem an, & quando admittat, diſcurſ. 35. numer. 28.& ſeq.

H

HASTA FISCALIS.

EMprorem quando reddat tutum à creditoribus, disc. 54. num. 9. & 16.

Et à iure offerendi, ibid. num. 10. discurs. 142. num. 6. *Alia Vid.* Ius offerendi. Licitator. Subhastatio.

HÆBREI.

Alendi sunt in carcere à creditore, & quomodò hodiè practicetur, disc. 118. nu. 3.

Cessionarius non potest vsuras cessas exigere remissiuè, disc. 64. num. 14.

Ciues an dicantur, & gaudeant omnibus priuilegijs etiam contrà Christianos remissiuè, disc. 118. num. 3.

Dicuntur de populo, & cadunt sub Statutis actiuè, & passiuè, disc. 101. num. 3.

Gazagà ius habent in domibus, quas inhabitant, ibidem, num. 2. disc. 151. num. 12.

Pignus si non fuerit sufficiens, an & quando concurrant cum alijs creditoribus super cæteris bonis, disc. 28. num. 12. & 13.

Saluianum aliaque remedia realia, an illis competant, disc. 151. num. 12.

Stabilium sunt incapaces, ibid.

Vsualium rerum in pignoribus, quo priuilegio gaudeant, disc. 22. num. 23. remissiuè, disc. 68. num. 16.

HÆREDITAS

Homo mutus, & surdus fingitur; possessor autem minister, & operarius disc. 47. num. 11.

Iacens representare potest personam de per se distinctam ab illa hæredis in bonis indifferentibus; Secùs in feudis disc. 13. num. 23.

Præscriptione Statutaria debiti an iuuetur disc. 129. num. 20.

HÆREDITATIS

Aditio quamuis confusionem actionum inducat in hærede reuocabiliter, ille tamen resurgunt cessato titulo hæreditario disc. 34. n. 6.

Maternæ aditio an resultet ex dotium maternarum retentione facta per Patrem disc. 137. n. 2.

HAERES

Aditam aduersùs hæreditatem sine inuentario quando restituatur disc. 40. n. 32.

Agnoscere tenetur ad commodum creditorum ius delatum defuncto, & transmissum disc. 137. num. 15., & 16.

Beneficiatus non est verus hæres, sed administrator hæreditatis disc. 34. n. 7. & 23. disc. 37. n. 3.

Cautionem exigere debet à creditoribus, quibus soluit, & de ratione disc. 52. num 11. disc. 53. num. 6. & seqq. disc. 54. num. 13. Aliàs tenetur de proprio, & quando excusetur disc. 53. n. 10. Et datur auocatio disc. 52. nu. 12. & 13. Alia *Vid.* Auocatio cautio.

Cohæredi non opponit eundem defectum omissi inuentarij disc. 41. n. 3.

Confusione actionum exaditione oriente non præiudicat defuncti creditoribus disc. 40. n. 4.

Debitoris quid referat, an quando adit hæreditatem, esset aliorum debitor antè aditionem, vel talis postea efficiatur disc. 41. n. 5.

Debitum proprium non compensat cum credito hæreditario si sit beneficiatus, & quando secus disc. 47. n. 7.

Defuncti creditorum respectu, & propriorum duplex patrimonium habere dicitur disc. 11. n. 6.

Eligendi bona defuncti, sibique appropriandi pro suis creditis facultatem habet, & de imaginaria solutione disc. 127. n. 7. disc. 136. n. 10.

Factum defuncti obseruare quando tenetur, & quid si sit beneficiatus disc. 37. num. 7. & 8.

Feudatarij diuersa non autem identifica persona cum defuncto reputatur, & quarè disc. 13. n. 21.

Tenetur actione personali ad debita defuncti sine assensu ibid. n. 22.

Grauatus reputatur administrator disc. 36. num. 15. & 22.

Informatus præsumitur de factis defuncti præsertim si sit coniunctus disc. 148. num. 9.

Primus, & non vlterior habebit vsumfructum reseruatum etiam pro hærede disc. 38. n. 4.

Idem dic de onere fideicommissi legatario iniuncto ibid. n. 5.

Simplex non est administrator hæreditatis, neque in eo potest considerari dolus disc. 36. n. 25. & seqq.

Soluens primo venienti quando reddatur tutus à molestijs ex beneficio inuentarij disc. 52. n. 13. disc. 53. n. 7.

HÆREDIS

Beneficiati in bonis datur hypotheca, & qua-

quare disc.26.n.10.23.,& seqq.
Bona regulariter non sunt hypothecata pro debitis defuncti, nisi hic illa obligasset, quod facere posset ibid.num. 2. disc.38. num.9.
Bonorum hypothecam continet obligatio Cameralis d.36.n.2.
Et àn compræhendat etiam bona hæredis hæredis disc.38. num.2.9. & seqq. *Vid.*Hypotheca *vers.*hæredis.Obligatio cameralis.
Creditores cum assensu præferuntur in feudis creditoribus defuncti sine assensu disc.13. ex n.20. disc. 27. num. 4. & 25. *vid.* Assensus *vers.* creditores *Vid.* creditores quoad concursum *vers.* hæredis.
Exequatur contrà personam, & bona propria quomodò decernatur disc. 37. n. 4. & 9.disc.63 n.7.
Grauati super bonis hypotheca competit vocato pro reintegratione fideicommissi disc.35. num.42. disc. 36. num.13. *Vid.* Hypotheca tacita *vers.*Grauati.
Hæres àn veniat sub nomine hæredis disc. 38.n.2.
Quando dicta quæstio intret,& in quibus casibus veniat hæredis hæres ibid. n.3.,& seqq.
Sine Inuentario hæres ad debita, & onera tenetur, & quare disc.38.n.10.
Nomen appositum in acquisitione facta à grauato inuestire, de quibus hæredibus intelligatur disc.35.n.40.
Persona non consideratur tanquam diuersa, quando se adstringit ad debita defuncti disc.34.n.12.
Simplicis malè segerentis hypotheca in bonis non datur,& quarè disc.36.n.10.25. & 27.

HAEREDI

Beneficiato àn, & quando obstet factum proprij authoris non redditis rationibus disc.63.ex n.5.
Iurare in litem an permittatur contra alium hęredem disc. 148. n. 10.
Mala fides defuncti àn, & quando in præscribendo noceat disc.38.nu.6. disc.131. num. 15. & seqq. *Vid.* Mala fides *vers.* debitoris.
Proprij crediti cum debito hęreditario compensatio àn & quando opponi possit disc.63.n.3.& 8.
Distinguitur inter hæredem beneficiatum, & simplicem ibid. n.4.

HAEREDEM

Duplicem miles,clericus,& feudatarius habere dicuntur disc.11.n.4.

HAEREDVM

Diuersitas in pagano non datur respectu creditorum disc.11.n.11.& 13.

HOSTICA

Exceptio quando opponi valeat à militerem.disc.118.n.11.

HYPOTHECA tacita

Administratoris legalis in bonis datur disc. 36.n.17.disc.39.n.6.
Voluntarij non datur in bonis, & de ratione differentiæ disc.36. nu. 18.disc. 39.n.8.Et quid si adsit dolus disc. 36. n. 20.disc.39.n.10.
Et àn in administratore legali requiratur etiam dolus disc.36. n.19.
Pro alimentis an competat disc. 28. num.5.
Et quid in possessore feudi, vel maioratus disc.28.n.6.& 7.
Beneficiati hæredis male se gerentis in bonis datur & de ratione disc.36. n.10.23. & seqq.
Pro depositio non datur disc. 39. num. 4. sed concedi deberet deponentibus in bancis disc.25.n.26.
Dotium monialium contra depositarium datur monasterio, & de ratione disc.39. num. 9.
Ecclesiæ datur contra æconomum, vel administratorem ibid. n.7.
Filijs àn competat pro legitima,vel pro dote disc.28.n.5.
Fisco an detur, & à qua die contrà admissum ad participationem, seù societatem appaltus disc.88.n.11.
Furis aduersus bona àn detur disc. 36. num.20.
Grauati *hæredis in* bonis àn competat,referuntur opiniones hinc indè, & qualis sit Rotæ opinio disc.36.num. 13. & 14. & seqq. ac de rationibus ambarum opinionum n.15.& 16.ibid.
Et an requiratur dolus disc. 36. n. 19. 20.& 21.
Legatario competens, quamuis conditionali, retrotrahitur ad tempus mortis testatoris disc.3.n.15.
Non conceditur super bonis per testatorem alteri in specie legatis rem.disc.7. num.18.
Locatori competit super bonis inuectis rem.disc.21.n.8.

Sim-

Simplicis hæredis malè se gerentis in bonis non competit & de ratione disc. 36. nu. 10.25.& 27.

Vincitur à dote, non autem expressa hypotheca disc.21.n.11.

HYPOTHECA.

In Bonis pro dote montis assignatis contracta, translata si fuerit ad alia bona, in subsidium reuiuiscit disc.21. n.10.

Commoditatem in obligari prohibitis cõpræhendit disc. 14. num. 4. disc. 150. num.5.

Amplia in feudis, pensionibus, & similibus disc.14.n.5.

Fallit re alienata in tertium, & contra tertium possidentem iure dominij disc.14.n.6.& 7.

Conditionalis àn & quando retrotrahatur disc.37.n.11.

Contracta per mulierum *fructus* bonorum *afficit* disc.19.n.9.

Debitorum super nominibus resoluitur per solutionem, quam debitor faciat suo creditori disc.40.n.5 disc.46.num.11. disc. 48.n.4.disc.55 n.5.

Declara vt procedat in vera solutione, idemque de solutione, quæ fit procuratori, vel administratori disc. 40. n. 6. disc.46.n.11.

Dotalis incipit à die promissionis dotis etiam pro restitutione disc.9.n.3.

Et quid si in capitulis nulla adsit restitutionis promissio ibidem num. 8. Sitque de inuestimento conuentum disc.9. num.9.

Durat si socius vendat socio rem communem diuisibilem disc.35.n.21.

Secus si rem indiuiduam, & de ratione ibid. n.22. & 23.

Non extinguitur quoties hæreditas, eiusque bona sunt penes hæredem reuocabiliter disc.40.n.29.

Ab Extraneg. Ambitiosæ prohibita àn sit disc.13 n.17.

Fructus, seù fætus comprehendit, qui nascuntur sub dominio debitoris disc. 14. num.8. disc.19.n 6.

Generalis, & specialis in prohibitis distinguitur disc. 151. num.1. disc.24.num.6. disc.35. num.15.& 30.

Gauati *in* bonis competit vocato pro reintegratione fideicommissi, & quando disc. 35.n.42.

Iurisdictionalibus super bonis non prohibetur disc.13.num.6. & de veritate ibid. ex n.11. Et quid ad effectum pœnarum alienantium disc.13.n.19.

Generalis operatur in concursu cum posterioribus munitis assensu; Secus specialis disc. 151. num. 1. Examinatur propositio, & distinguuntur varij casus ibid. ex n.5.

Loca montium donec existent pœnes detorem afficit; Secus postquam fuerint translata in tertium, disc. 13. num.18.

Melioramenta non comprehendit facta postquã res à dominio debitoris exiuit, disc.24.num.5.7.,& 18. disc.35.num.32.

In Mercibus contrà tertium exercibilis nõ est, & quando secus, disc.22. num.21. disc. 35.num.3.

Fallit si agatur de fundaco, seù taberna, aut alio constituente vniuersitatem, disc.35. nu.4. *vid.* Merces. Taberna.

Mobilia vsualia translata in tertium non comprehendit, disc. 22. num. 20.

Nomina debitorum comprehendit; Sed his legitimè soluentibus resoluitur, disc. 14. num. 11. *vid.* Proximè. *vers.* Debitorum.

Pignus quoquè dicitur, sed largo modo, disc. 10 num.18.

Positiua inducta à lege per eandem tolli potest, ibid. num. 9.

Posterior vincit chyrographarios, & quare, disc. 13.num.9.

Prohibita obligari non veniunt sub generali, disc.13.numer.16. *vid.* Proximè. *vers.* Iurisdictionalibus, & *vid.* Castra.

Proprijs hæredis in bonis non competit pro debitis defuncti, nisi hic illa obligasset, disc. 36.num. 2. disc.38. num.9.

Et à quo tempore incipiat, disc. 37. num.4., & 6.

Atque, àn præiudicet creditoribus chirographarijs eiusdem hæredis, disc. 37.num.12. Alia *vid.* Hæredis, & obligatio cameralis.

Rei hypothecatæ fructus perceptos post alienationem, àn & quando comprehendat, disc.37. num. 14.

Rei principalis deuastatæ, cuius loco noua constructa sit, àn has meliorationes cõprehendat, disc.35. num.32. & 34.

Super re, quæ verè vel fictè exijt à dominio hypothecantis, non cadit, disc.31.nu.15.

Saluianum requiritur ad interdictum, disc. 14. num.3.disc.24.num.5. & 7.

Simplex in quo differat à census impositione in materia alienationis, disc.13.nu.7.

Spe-

Specialis reseruationē dominij, àn & quando importet, disc. 17. num. 7.
Tutoris, vel alterius administratoris incipit à die susceptæ administrationis, disc. 37. num. 5.
Vinculi pro interesse in pactum deducto, à quo tempore incipiat, disc. 139. num. 10.

HYPOTHECÆ

Contractæ per possessorem intermedium resoluto eius iure euanescunt, d. 4. n. 7.
Præscriptio quanto tempore inducatur, disc. 131. num. 4.
Remissio àn, & quando inducatur ob non comparitionem in concursu, vel consensum venditioni, disc. 29. numer. 3. & 4. *vid.* Remissio *vers.* hypothecæ.
Specialis pactum in mutuante ad rem emēdam, debet esse instantaneum, d. 15. n. 6.
Et àn attendatur ordo in eadem scriptura ibid. num. 7.

HYPOTHECAM

Amplius non habet creditor super re debitoris ad sui instantiam vendita cum receptione pretij, etiam quod res ad debitorem redeat, disc. 4. num. 3. disc. 34. n. 4.
Intell. conclusionem vbi redeat ex diuersa causa; Secùs si resoluta, vel ineffectuata venditione redeat ex priore iure, disc. 4. num. 6. disc. 38. num. 5.
Atque de ponderatione huius regressus ad bona redempta, discur. 4. num. 17., disc. 38. num. 10. & 11.
Et quid si creditor recipiat pecuniam, putans debitorem soluere de proprio, nō autem tertij, data vti rei pretio, disc. 4. num. 8. Alia *vid.* Remissio.
Competere, vel dominium, quid differat, disc. 35. num. 43.
Conuentionalem Princeps tollere non solet, disc. 21. num. 11.
Princeps tollere potest, & anterioritatem, sed non præsumitur, disc. 5. nu. 21. & 22. disc. 21. num. 3. & 4.
Specialem cum potioritate importat reseruatio dominij fauore venditoris, discur. 6. num. 7.

I

IANVÆ

Vid. Statutum *vers.* Ianuæ.

IDENTITAS

Furatæ pecuniæ probari potest administulatiuè, disc. 26. num. 3.

IGNORANTIA

Crediti, àn impediat prescriptionem statutariam, disc. 130. num. 6., & 17. *vid.* Præscriptio Stat. *vers.* ignorantem.
Improbabilis non excusat, sed habetur pro scientia, disc. 130. num. 6.
Iuris dubij assimilatur ignorantiæ facti, & causat bonam fidem, disc. 58. num. 12.
Probanda quando sit ab allegante, disc. 130. num. 14.
Statutarij iuris non excusat, disc. 92. n. 4.

IMMISSVS IN SALVIANO

Census ex causa fructus excrescentes, àn imputare debeat in sortem, disc. 134. num. 15.
Super domo si eam inhabitet, àn teneatur ad pensionem, disc. 133. num. 2. *vid.* Pensio.
Ecclesiæ ad bona non potest ea locare vltrà triennium, disc. 134. num. 8.
Fructibus de preceptis, vel quos dolo non percepit, tantum tenetur, disc. 134. n. 4.
Et quid de non perceptis culpa, & negligentia, ibid. num. 5. Atque quod teneatur de culpa lata num. 6. ibid.
Atque de circumstantia culpam excusante, disc. 134. num. 13.
Fructus conseruare àn teneatur, vt vendantur cariori pretio, disc. 134. nu. 16., & 18.
Librum, àn conficere teneatur de fructibus, ibid. num. 17.
Locare, vel colere, ac fructus percipere potest nomine debitoris, disc. 134. n. 8.
Notulæ iuratæ fructuum, quam tradit standum est, disc. 134. num. 9.
Notulam fructuum si non tradat, quomodò taxandi veniant, disc 133. num. 9. disc. 134. num. 19.
Pignus conuentionale à creditore possidente in quo differat, disc. 134 num. 7.
Processu ex inordinato habet retentionem, & quando secus, disc. 112 num. 10., & 11.
Versatus si fuerit in mala fide circà fructuum perceptionem, àn eam transfundat in successorem, disc. 134. num. 14.

IMMVNITATE ECCLESIÆ

Decoctores àn gaudeant, disc. 78. num. 16.
Gaudere non debet delinquens sub illius spe, disc. 120 num. 15.

IMPEDIMENTVM

Debitorem adimplere non solitum non excusat, disc. 143. num. 6., & 7. *vid.* Distributiones.

IMPLEMENTVM

Per æquipollens admissus ad faciendum, non est prohibendus adimplere in specie, disc. 141. num. 9.

Præstandum intrà certum tempus, àn, & quando eo elapso præstari possit, disc. 94. num. 14.

IMPLEMENTI

Defectus quando non curetur, disc. 99. num. 9.

INDEBITVM

Concludenter probandum est, vt intret repetitio, neq; præsumitur, disc. 78. num. 11. disc. 129. num. 4.

Et quando dicatur non probatum, disc. 78. num. 13.

Hæres soluens creditoribus non præiudicat, disc. 129. num. 9.

Librorum ex inspectione non probatur, disc. 78. num. 16.

Repeti vt possit probanda est vera solutio, nec sufficit præsumpta, disc. 105. nu. 12. disc. 129 num. 4.

Intelli. in indebito volsitario, secùs in coacta solutione, disc. 129. num. 7. Alia *vid.* Præscriptio Statutaria *vers.* agēdo.

INDEMNITATIS

Promissio extendenda non est vltrà propriū debitum, disc. 104. num. 3.

Et quid si fideiussor in gratiam debitoris in pluri se obligauerit, ibid num. 2. 11. 12. & 13.

INHIBITIO

Vnius ad instantiam facta, alteri non suffragatur, disc. 57. num. 10.

INSTANTIA

De iure Canonico numquam perimitur, disc. 129. num. 11.

INSTITORIS

Dominus ex facto obligatur, disc. 69. nu. 3. disc. 87. num. 14.

Tenetur Dominus de facto circa opus, cui est præpositus, disc. 68. num. 19. disc. 106. num. 13.

Declara vt non procedat, si ad diuersum opus assumatur, ibid. num. 14.

Et quando teneatur præponens etiam de præposito circa opus diuersum, disc. 106. num. 15.

INSTRVMENTA

Executionem paratam de iure non habent, quamuis sint iurata disc. 116. num. 6.

Incusari vt possint iuxtà ritū M.C.V. Neapolis, quas solemnitates exigant, discur. 116. num. 10. & seqq. *vid.* Ritus.

Latina lingua confici non debent, disc. 104. num. 7.

Immò deberent vulgarizari clausulæ, disc. 104. num. 9.

Et propterea statur magis capitulis, ibid. num. 8.

INTERESSE

Alterationis monetæ quando præstandū, disc. 92. num. 21.

Creditori, qui tenetur fructus pignoris imputare àn debeatur, disc. 131. nu. 5. & 6.

Debetur quoties pignus datur pro euictione passa in re fructifera, ibid. num. 7.

Damni veritatem excedere nō potest, disc. 131. num. 10.

Debetur ob recessum à contractu super re in comercio non existente, disc. 27. num. 16. disc. 65. num. 17.

Debiti non soluti quando debeatur, disc. 87. num. 13.

Decocto debitore non currit, disc. 143. n. 4., & de ratione num. 8.

Fallit in interesse debito aliàs quàm ob moram, disc. 143. num. 10.

Et quid si mora contracta fuisset, debitore adhuc idoneo, ibid. num. 8.

Vel in præiudicium soliùs debitoris, disc. 143. num. 13.

Euictionis ex causa quale debeatur, discur. 131. num. 9.

Fructuum census, seù tertiarum àn detur disc. 112. num. 9.

Intrinsecum, & extrinsecum distinguuntur, disc. 92. num. 26.

Leg. curabit, & cap. salubriter moram non requirit, disc. 143. num. 10.

Lucri cessantis, vel damni emergentis quādo debeatur, disc. 92. num. 21. d. 131. n. 7.

Probatio Neapoli, & Ianuæ non requiritur, disc. 92. num. 21. d. 131. num. 7.

Multiplici non facti tenetur præstare debitor malè, vel minimè soluens, disc. 59. num. 4. & 5. *vid.* Multiplicum.

Pecuniæ solutæ, àn debeatur emptori feudi reuocata venditione vigore Cōstitutionis *Constitutionem D. memoriæ* Neapolis, vel illud compenset cū fructibus remiss. disc. 135. num. 6.

Solutionis adiecto factæ in diuerso loco præstandum est, disc. 66. num. 8.

Sortis anterioritatem, àn & quādo habeat, distinguitur inter debitum officio Iudicis, ac iure actionis, disc. 147. num. 5.

Vinculi àn teneatur ſupplere debitor creditori, diſc.53.num.26.& 27.diſcur.54. num.11. diſc.139.num.2.4.9.

Tenetur ſi decoctum fuiſſet in pactum diſc.139. num.4. Et in alio caſu de quo num.5. ibid.

Et à quo tempore incipiat hypotheca pro dicto intereſſe, diſc.139. num.10.

INTERPELLATIO

Moram ad iucurrendam, àn & quando requiratur, vel ſufficiàt dies, diſtinguitur inter obligationem iudicialem,& extraiudicialem, diſc.94. num.8. & 9.

Et quid ſi obligatio ſit iurata, ibid. num. 10.

INVENTARIVM

Ariminen. ex Statuto tenetur facere vidua de bonis mobilibus viri, diſc.128.nu.1. *vid.* Statutum *verſ.* Ariminen.

Ementem ab hærede, quando tutum reddat ab hypothecis, diſc.53.num. 5.& 11. *vid.* Emptor.

Hæres non conficiens, in quo dolo conſideretur, diſc.41.num.11.

Non prodeſt quoties hæres habeat in manibus de bonis hæreditarijs, d.37.nu.8.

INVENTARII

Defectum cohæres non poteſt cohæredi opponere,& de ratione,diſc.41.num.3.

INVESTIMENTVM

Cautionis loco fieri poteſt ab vſufructuario, diſc.141. num.6.

Item à creditore cui conſignatur pecunia vinculata, diſc.141. num.7. Qui fructus facit ſuos,licèt pecunia auocetur, ibid. num.8.

Curare,àn,& quando teneatur debitor, diſ. 59.num.6. &7.

Per grauatum factum ſi fuerit pro ſe,& hærede,de quo hærede intelligatur, diſcur. 35. num.4.

Ille,in cuius gratiam conuentum eſt, omittere poteſt,diſc.59. num.8.

Loco cautionis factum, àn poſſit euadere liberum,ſi creditor præſtet cautionem, diſc.141.num.2. & ſeqq.

Specie in vna factum, non eſt ampliùs variabile, & de ratione, ac in quo inueſtimento procedat, diſc.141.num 3.& 12.

IVDEX

Argui de iniuſtitia in arbitrarijs difficiliter poteſt, diſc.92. num.16.

Conſignando pecuniam ſine cautione anterioribus non præiudicat, diſc.17.nu.16.

Creditoris arbitrium in variando moderari poteſt, diſc.126.num.12. & 13.

Decoctioni proximus quando quis dici debeat,arbitratur,diſc.10.num.14.

Pecuniam, qui liberauit cum cautione,efficitur competens,& declinari non poteſt à creditore, & quando ſecùs,diſc.2. num. 10.diſc.53.num.25.

IVDICIS

Arbitrio repoſitum eſt debitorem in vno loco,cogere in loco domicilij,d.92.n.15.

Probationum releuantia præſertim in præſumptiuis repoſita eſt, diſc.109.n.2.

Factum nullum, vel iniuſtum non priuat poſſeſſorem, cui competit manutentio, diſc.112.num.2.

Iuſſus quando excuſet debitorem ſoluentem non vero creditori,d.58.nu.3.4.& 5.

Obſeruari debet ad vnguem,alias non iuuat, ibid.num.14.

IVDICIVM

Executiuum ſimplex,in quo differat à liquidatione inſtrumenti ad formam ritus M.C.V. Neapolis, diſc.116. num.8.

Non exigit ſolemnitates Ritus,ibidem num. 9.

Practicari poteſt contrà clericos,diſc. 116.num.20.

Incuſationis inſtrumenti criminale eſt, & famoſum, diſc.116. num. 15. Alia *vid.* Ritus. Via executiua.

IVRAMENTVM

Ariminen. ex Statuto datum hæredi contra viduam, quæ omiſit inuentariũ quomodò regulandum,diſc.128. ex nu.3.

Cauſæ defectum, àn ſuppleat, d.123.n.8.

Compenſationem excludit,& quandò, diſc. 45. num.4.

Corruit, vel non facit ſuam operationem accedente dolo, vel metu etiam præſumpto, diſc.10.num.11.

Crediti probati in ſubſtantia ad liquidationem, àn ſufficiat, diſc. 80. num. 14. diſc.128.num.8. diſc.148. num.9.

Dotis confeſſatæ veritatem non probat, & quare remiſſ.diſc.10. num.11.

Duplex præcedere debet, vt ſufficiat ſequens iuſtificatio crediti contrà debitorem arreſtatum vti ſuſpectum, diſc.113. num. 6. Alia *vid.* Suſpectus.

Executionem paratam de iure inſtrumentis non tribuit, diſc.116. num.6.

Interpellationis quando vim habeat, diſc. 94. num.10.

In litem contrà adminiſtratores,àn & quãdò intret, diſc.22.num. 17.

Aduersus administrantem rem communem cum minore, àn, & quando detur, disc. 41. num 10.

Hæredi contrà hæredem àn permittatur disc. 148. num. 10.

Non est ad libitum iurantis, sed Iudex taxare debet, disc. 128. num. 5.

Macedoniani exceptionem de iure competentem tollit, disc. 146. num. 3.

Nudo pacto, efficacem præbet actionem, atque causæ defectum supplet, disc. 74. num. 4.

Positum super particulari dispositione in quo differat à posito inter clausulas generales, disc. 10. num. 23.

Robur obligationi tribuit, & iuris positiui defectus supplet, disc. 116. num. 6.

Statuti laicalis dispositioni non subiacet, disc. 10. nnmer. 6. *Vid.* Statutum *vers.* Laicale.

Statutum si concedat alicui debet esse verisimile, & adminiculatum, disc. 128. num. 6.

IVRISDICTIONALIA BONA
Vid. CASTRA.

IVS

Ciuile in vrbe seruari debet, disc. 79. n. 6.

Incorporale competit pluribus in solidum, disc. 35. num. 22.

Si cedatur consocio hypotheca non durat, & quarè disc. 35. num. 23.

Irreuocabile acquiritur absenti per stipulationem Notarij, etiàm ante acceptationem, disc. 55. num. 8.

Quærendum repudiari potest in præiudicium creditorum, secus quæsitum, disc. 137. num. 3. disc. 138. num. 2. *vid.* Debitor *vers.* Potest.

Tertij non nisi Princeps supremus tollere potest, d. 139. num. 7.

IVS LVENDI

Debitori quando, & intrà quod tempus competat contrà creditorem obtinentem bona, disc. 142. num. 14, & seqq.

Senensi ex Statuto, àn competat contrà creditorem tantum, vel etiàm contrà tertium licitatorem, disc. 142. numer. 2., & seqq.

Et de alijs consimilibus Statutis diuersorum locorum rem. disc. 142. n. 18.

Statutarium àn sit alteri cessibile, ibid. nu. 20. *vid.* Mediolani.

IVRIS LVENDI

Remedium pro subintratione in locum primi creditoris quarè sit introductum, disc. 5. num. 10.

Et quod in Curia non sit in vsu, sed vel fit cessio iurium, vel pactum de subintrando, ibid. num. 11.

IVS OFFERENDI

Aduersus creditorem non datur, qui licitatus est tamquàm tertius, disc. 32. nu. 22. disc. 142. num. 6.

Contrà si res filij adiudicata fuerit, d. 32. num. 22.

Creditori posteriori contrà anteriorem conceditur, si offerat pecuniam liberam, disc. 54. num. 6.

Possessori non competit, nisi offerat totum creditum, disc. 19. num. 19. Et liberum, disc. 53. nnm. 16. disc. 54. num. 2., & 5.

Etiàm quod res minùs valeat, disc. 54. num. 7.

Fallit in meliorante, cui potest offerre valorem antiquum, disc. 24. nu. 19. disc. 54. num. 8.

Tertium contrà licitatorem non datur, & quando secùs, disc. 54. numer. 10. disc. 142. num. 6.

L

LAESIO.

Enormissima requiritur, vt rescindatur deliberatio bonorum creditori tanquam tertio, disc. 32. num. 22.

LAVDATOR.

Cambij in litteris tenetur, maximè accedente approbatione, disc. 90. num. 3. & 7.

Debitoris de proprio non tenetur, neque efficitur debitor, disc. 90. n. 2. Et quod hæc quæstio pendeat à facti circumstantijs, ibid. num. 4.

An teneatur quando adsit dolus, disc. 90. num. 5.

Vel accedat approbatio, ibid. num. 7.

Famuli, àn & quando de huius dolo teneatur, disc. 90. num. 6. & 7.

Operariorum, àn & quando teneatur, & quid importet approbatio, ibid. n. 7. & 8.

Alia *Vid.* Approbans.

LEGATARIVS.

Hæredi grauatus restituere tenetur primo hæredi tantùm, disc. 38. num. 5.

Hypothecam super bonis alteri ab eodem testatore in specie legatis exercere non potest, disc. 5. num. 18.

Vid. Legatum.

LEGATIONIS.

Pro expensis à filio factis quando pater teneatur, disc. 86. num. 13.

LEGATVM.

Animalis, vel fundi in genere inutile est, disc. 150. num. 3.

Confessio debiti dicitur emanata in testamento, disc. 80. num. 6.

Vid. Confessio, *vers.* Testamento.

Creditori de debito factum per debitorem quid operetur, disc. 128. num. 10.

Taxatiuè, vel demonstratiuè quando censeatur factum, disc. 71. num. 8.

Et quid operetur fauor piæ causæ, ibidem.

LEGATORVM.

Conditionalium pro consecutione hypotheca retrotrahitur ad tempus mortis defuncti, disc. 3. num. 15.

Purorum, & conditionalium pro solutione mutuantes hæredi quomodo inter se concurrant, ibid.

LEGITIMA.

In computanda fœminæ excusæ à Statuto àn faciant numerum, & partem, & ad fauorem cuius remissiuè, disc. 58. num. 1.

Filius patre viuente in ea nullum ius habet, disc. 40. num. 12.

Necessariæ successionis in dote, vel fideicommisso, à iure in quo differat, ibidem num. 16.

Repudiari àn possit in præiudicium creditorum, disc. 40. nu. 16. & seqq. disc. 137. num. 4.

LEGITIMÆ.

Supplemẽtum reputatur ius necessariæ successionis ex Statuto in dotem, disc. 40. num. 19.

LEX.

Beneficium quod concessit, tollere potest, disc. 10. num. 9. & 10.

LEGIS.

Beneficio iuuari non debet, qui legem spernens eius formam non seruat, disc. 100. num. 7.

Ciuilis historia refertur, disc. 20. num. 8. disc. 149. num. 7.

LEGES.

Longobardorum asininæ appellantur, disc. 107. num. 6.

Partitarum attendendæ sunt pro interpretatione iuris ciuilis, disc. 142. num. 19.

L E G.

Aduersus Cod. de vsur. regula declaratur, disc. 140. num. 3.

Benè à Zenone Cod. de quadrien. præscript. recensetur, disc. 149. num. 8.

Cum à matre Cod. de rei vind. regula explicatur, disc. 37. num. 7. & seqq.

Creditoris arbitrio de distract. pign. latè expenditur, disc. 126. ex num. 4. disc. 127. num. 6.

Fœminæ Cod. de secund. nupt. dispositio intelligitur de successione immediata, disc. 38. num. 7.

Insulam ff. qui potior. casus exemplificatur, & declaratur quando habeat locum, disc. 3. num. 6. & seqq.

Licet C. qui potior. & l. interdum ff. eod. priuileg a in quo differant, disc. 15. num. 3. disc. 18. num. 7. *Vid.* Mutuans.

Lutius ff. eod. in quibus casibus procedat examinatur, disc. 5. ex num. 3.

Miles ff. de iudic. explicatur, disc. 118. num. 10. & 11.

Ad Doctores àn extendatur, discurs. 122. num. 1.

Ob triginta ff. de solution. declaratur, disc. 43. num. 4. & 6.

Per diuersas, & l. ab Anastasio Cod. mand. non procedit in possessore pro tuitione rerum possessarum, disc. 14. num. 2. disc. 60. num. 11.

Declara si possessor sit bonæ fidei, & explicatur, disc. 60. num. 12.

Non procedit vbi creditum est clarum, ibid. num. 10.

Item neque in creditore, vel hærede cessionem obtinente, disc. 149. num. 3.

Item neque in cessionibus quæ fiunt à fisco, vel Camera Apostolica, & de rationibus, ibid. num. 6. & seqq.

Dispositio explicatur, & quomodo sit intelligenda, disc. 60. num. 9. & 14. disc. 149. num. 3.

Procuratoris §. si plures ff. tribut. act. explicatur, disc. 11. num. 10.

Scripturas Cod. qui pot. forma adimpleri potest per æquipollens, disc. 22. num. 8. disc. 33. num. 5.

Sed qualis debeat esse hæc æquipollẽs probatio, disc. 33 num. 6. 7. & 12.

Et quod non sufficiat probare veritatem scripturæ, sed iustificanda sit data cum hypotheca, ibid. num. 10. Et de fraudibus circa hoc patrari solitis, disc. 33. num. 11.

De eiusdem text. dispositione, eiusque diuersis partibus, disc. 22. num. 9. discurs. 33. num. 5.

Si certarum ff. de militar. testam. explicatur, disc. 11. num. 5.
Si is qui ff. de iure fisci ratio expenditur, disc. 19. ex num. 3.
Si me & Titium ff. si cert. pet. æquitas quando inrret, disc. 24. num. 13.
Si pecuniam ff. de condict. cauſ. data &c. expenditur, disc. 125. num. 9.
Si quis conductionis Cod. locat. habet locum in omni materia, disc. 18. num. 9. disc. 28. num. 11.
Si ventri §. in bonis ff. de priu. cred., & *l. si hominem §. quoties ff. depoſ.* latè explicantur, disc. 25. ex num. 7.
Secunda Cod. de fidciuſſor. enucleatur, disc. 7. num. 3. & 11.
Secunda Cod. de pign. explicatur, disc. 126. num. 4.
Secunda Cod. ſi in cauſam iudicati in quibus terminis procedat, disc. 142. num. 12.
Tertia Cod. de nouat. requiſita recenſentur, disc. 70. num. 4.
Penult. ff. iud. ſolui explicatur, disc. 99. ex num. 2.
Vnicæ §. exactio Cod. de rei vxor. act. diſpoſitio an contineat quid ſpeciale, disc. 61. num. 7.
Et quando limitetur, ibid. n. 8. & 9.

LIBRO.

Errores aliquos continenti non creditur, disc. 78. num. 15.
Non benè tento non præſtatur fides, ibid. num. 14. disc. 94. num 3.
Remanſo penès camporem decoctum non creditur, disc. 78. num. 16.
Vti quis non poteſt in parte, & in parte non, disc. 49. num. 15. disc. 78. n. 16.
Fallit ſi non ſit benè tentus, disc. 78. num. 17.
Item ſi intentionem ſuam aliùdè probaret, ibid. num. 18.

LIBRVM.

Immiſſus in ſaluiano de fructibus an conficere teneatur, disc. 134 num. 17.

LIBRI.

Pro ſcribente, an & quando probent, disc. 129. num. 13.

LIBRORVM.

Partitæ diſtornari non poſſunt in præiudicium tertij, disc. 49. num. 12.
Et quid in ſcartafacijs, ibid. num. 13. & 14.
Verificatio in parte ſufficit pro toto, disc. 68. num. 21.
Veterum banci ſolent fieri ſpolia, & reſidua tranſportari in nouos, ibid. num. 23.
Alia *vid.* Scartafaccia.

LICITATIO.

Fieri poteſt à creditore tanquam tertio, qui reputabitur extraneus, disc. 32. num. 19. & 20. disc. 142. num. 11.
Et in quo differat ab adiudicatione, disc. 32. num. 22.
Præſente pecunia fieri debet, disc. 142. n. 8.
Subſidiaria, emptore non reperto, quando facienda ſit per creditorem, diſcurſ. 142. num. 12. & 13.

LICITATOR.

Tutus quando reddatur à creditoribus, diſc. 54 num 9.
Et à iure offerendi, ibid. num. 10. disc. 142. num. 6.
Et quid ſi licitatio fuerit facta in concurſu, disc. 54. num. 16.
Tutus non eſt ſi res vendita fuerit viliori pretio in præiudicium anteriorum, disc. 54. num. 17. Alia *vid.* Ius luendi, Ius offerendi, Subhaſtatio, Haſta.

LIQVIDATIO.

Crediti in ſubſtantia verificati ſit leuioribus probationibus, disc. 80. num. 14. disc. 128. num. 8. disc. 148. num. 4.
Et an ſufficiat iuramentum, disc. 80. num. 14. disc. 128. n. 8. disc. 148. n. 9.
Et de alijs adminiculis, & quomodo regulanda, disc. 148. num. 5. & ſeqq.
Neceſſaria eſt etiam in iudicio executiuo, ibid. num. 3.
Quantitatis quamuis non conſtet, non propterea ceſſat ſubſtantia debiti, disc. 80. num. 15.

LITTERAE MERCATORVM.

Pecuniæ numeratæ vim habent, disc. 51. num. 3.
Recuſatæ impleri non poſſunt ex interuallo, mutato ſtatu rerum, & de ratione, disc. 51. num. 8. *Vid.* Scribens.

LITTERAE CAMBII.

Acceptatæ ſi fuerint, an, & quando excuſetur ab illarum ſolutione acceptans ob decoctionem ſcribentis remiſſiuè, disc. 78. num. 6.
Non proteſtatæ in tempore transferunt periculum in eum, cui ſunt ſoluendæ, disc. 64. num. 12.
Viam habent executiuam, disc. 65. num. 4.

LIVELLARIVS.

Contractus in Lombardia vſitatus recenſetur remiſſiuè, disc. 84. num. 1.

LOCA MONTIVM.

Cadunt sub hypotheca, & datur in eis saluianum quousque existunt penès debitorem; Secùs si legitimè transferantur in tertium, disc 13.n.18. disc.65.n.17.

Conuentio super eis ius realè non producit, nisi accedente assensu officialis, vndè illis translatis in alium datur actio ad interesse, disc.65.num.17.

Diuersitatem temporis in erectione non recipiunt, disc.5. num.20.

Natura eorum explicatur, & quid in eis operentur priuatæ conuentiones, disc. 65. num.15.16.& 17.

Pignori quando dantur quomodo caueat sibi debitor pro illorum translatione, disc.65. num.17.

Pretium intrinsecum, & extrinsecum habent, disc.148. num.6.

LOCATIO.

Bonorum Ecclesiæ per immissum fieri non potest vltrà triennium, disc.134.num.8.

Iurisdictionalium bonorũ ecclesiastici Status prohibita est, disc.13. num.14.

Perdurare an dicatur pro anterioritate obligationis restituendi rem locatam venditam eidem conductori cum reseruatione priorum iurium, disc. 67. num. 7. & 8.

Reuiuiscere àn possit, si res ea durante vendita, conductori fuerit retracta, vel alio modo venditio resoluatur, disc.67. n.7.

Valorem non probat, seù fructuum quantitatem, & de ratione, disc. 134. num. 11. & 12.

LOCATOR.

Actionem non habet contrà subconductorem, qui soluit pensionem conductori, disc.73. num.7.

Et quid contrà vxorem, & filios, vel alium qui domum gratuitò habitauerit, ibid. num.8. & 9.

Creditorem pro expensis in colligendis fructibus vincit, disc.16. num. 5. Contrarium verius, & de ratione, ibid.num.9. 12. & 13. Etiam quod adsit reseruatio dominij, disc.16. num.10. & 11.

Dominium si sibi super fructibus reseruauerit non vincitur à dote, vel alio priuilegiato, ibid. num.10. disc.17.numer.5. disc.19.num.11.

Et præfertur in fructibus sèper quod probari possit identitas, disc.17. num.5. Secùs si econtrà, & de ratione, ibid.n.6. Declara pro pensione illius anni, secus pro præteritis, disc.17.num 9.

Gabellario Studij Vrbis pro pensione vltimi anni præfertur, disc.21.num.8.

Hypotheca gaudet super bonis inuectis, ibid.

Potioritatem habet super fructibus pendẽtibus, vel saltim non commixtis; disc. 6. num.15. disc.7.num.2. disc.17. num.2.

Secùs si fuerint commixti cum patrimonio conductoris, disc.6.num.16. Etiã quod adsit reseruatio dominij, ibidem num.18. disc.17.num.6.

In pretio redacto ex fructibus potioritatẽ habet pro pensione, disc.17. num.10. & seqq. *vid.* Pretium, *vers.* Rei.

Alia *vid.* Conductor.

LOCO.

Dictio subrogationem denotat; disc. 141. num.4.

LVCRVM.

Ex contractu qui non adimplet, obtinere non potest, disc.57. num.10.

Præparatum tempore societatis diuidi debet etiam finita societate, disc.89.nu.9.

LVDI.

Obligatio ex causa facta non tenet, disc. 123. num.13.

M

MAGNATES.

Clues àn dicantur, & àn veniant sub Statuto filiorum fam. disc.146. n.8.

MALA FIDES.

Authoris immissi in saluiano circa fructuũ perceptionem àn noceat successori continuanti in immissione, disc.134 nu.14.

Debitoris nocet etiam hæredi in præscribendo, disc.131. num.15. Et quomodo procedat conclusio, ibid. num. 16.& 17. & de eius ratione, num. 19. ibid.

Locum quando habeat conclusio, disc. 131.num.18.

Et quando cesset, & hæres præscribat, ibid.num 20.& seqq. Præsertim si sit beneficiatus, num.26 & 27. ibid.

Media in errante, vel dubitante àn præscriptionem impediat, disc.131.n.23. & 24.

Positiua requiritur ad restitutionem fructuum consumptorum, ibid. num. 24.

Præscriptionem impedit, disc.131.n.13.

Declara si sit vera; Secùs si præsumpta, ibid. num.22.

MANDATARIVS.

Acceptans àn dicatur litteras cambij, vel potius fideiussor, disc. 85. num. 2.

Alienam pecuniam exigẽs tenetur ad illius restitutionem, disc. 130. num. 3.

Decoctus obligat mandantem validum, & de ratione disc. 51. n. 5.

Fallit si mandato dato in statu valido in tertio adsit mala fides ibid. n. 7.

Principis censetur omnia gerere quamuis extra mandatum ex Domini oraculo disc. 84. n. 8. Alia *Vid.* Procurator. Alia *Vid.* scribens.

MANDATVM

Ambiguum declaratur per approbationem subsequentem disc. 110. n. 2.

Cambiandi susceptum à debitore non expirat eius morte disc. 143. n. 11.

Datum à debitore creditori ad accipiendam pecuniam ad cambium àn possit exerceri accipiendo à seipso disc. 84. num. 7.

Facultatem continet gerendi omnia necessaria de natura, vel stylo negotij disc. 84. num. 4.

Præsumi quando possit adhoc vt debitor soluens liberetur disc. 68. n. 29.

MANDATI

Actio quando oriatur ex ordinibus exigendis traditis mercatori, vel potius depositi disc. 25. n. 5. & 6.

Clausula in fine posita àn referatur ad omnia præcedentia disc. 110. n. 4.

MANDATO

Ratificatio æquipollet, etiam quod requiratur speciale disc. 84. num. 10. disc. 110. num. 2.

MANVTENTIO

Concessa si fuerit per decretum, non admittit appellationem suspensiuam; Secus si per sententiam disc. 112. n. 4.

Possessori datur spoliato ex facto Iudicis nullo, vel iniusto ibid. n. 2.

Reintegrationis remedio quare magis sit in vsu disc. 112. num. 3. *vid.* Possessorium.

MARITVS

Alimenta vxori extrà domum quomodo præstare teneatur disc. 86. n. 4.

Extradotalibus in bonis quam potestatem habeat rem. disc. 75. n. 2.

Non excusatur à promissione renunciationis vxoris per diligentias, nisi renunciatio contineat enormissimam læsionem disc. 124. n. 11. & 12.

MATRIMONII

Libertatem conditiones restringentes an & quando validæ sint rem. disc. 56. n. 9.

MEDIATOR

Testis licet vnicus iunctis adminiculis probat disc. 77. n. 2.

MEDIOLANI

Consuetudo adest præferendi Dominum pascuorum super animalibus disc. 18. num. 3.

Debitor qui passus est subhastationem habet annum ad redimendum disc. 4. n. 2.

Mos refertur locandi prædia casarijs, & mutuandi pecuniam pro emendis animalibus disc. 18. per totum.

MELIORAMENTA

Aliena ex pecunia ad id mutuata confecta, sunt obnoxia mutuanti cum potioritate disc. 24. n. 12.

Et quid si pecunia ad id mutuata non fuisset, quænam actio hoc casu competat ibid. n. 13.

Censum super re prohibita impositum substinent disc. 14. n. 12.

Creditor ratione hypothecæ quale ius ad ea habeat disc. 35. n. 34.

Deteriorationis pro restauratione facta non habentur in consideratione, & quando secùs disc. 24. n. 4. & 14.

1 *Fallit* in potioritate competente Mutuanti ad ea facienda ibid. n. 12.

2 *Fallit* vbi mutatio facta est à tertio possessore iure suo disc. 24. n. 15.

Et conclusio procedit, in Domino resolubili, vel qui tenetur rem custodire, culpose deteriorante disc. 24. num. 16. & 17.

Differentibus in bonis facta àn affecta remaneant post deuolutionem, vel alienationem disc. 14. n. 10. & 11.

Dominus rem vindicans quale ius ad ea habeat disc. 35. n. 33.

Facta postquam res exiuit de dominio debitoris non veniunt sub hypotheca disc. 24. num. 5. 7. & 18.

Inseparabilia facta in re aliena per non Dominum quomodò repeti possint de æquitate ibid. n. 10.

Facta à Domino resolubili eodem iure petuntur disc. 24. n. 11.

Meliorans qua nam actione recuperare possit ibid. n. 3.

Principalis rei deuastatæ sub hypotheca àn & quando veniant, si eius loco constructa sint disc. 35. n. 32.

Status pristini immutationem quando importent

portent, vel non, ad effectum substinendi, vel minuendi censum impositum super re meliorata disc.24.n.14.

Et de diuisione fructuum inter meliorantem, & census Dominum ibidem num.14.

MELIORANS

Habet ius offerendi creditori valorem antiquum rei melioratæ disc. 24. num. 19. disc.54.n.8.*vid.* Ius offerendi.

MERCATORES

Ripales Vrbis pro pretio vini sunt potiores in bonis cauponarum,& quando disc.21. num.7.

Et quid in concursu cum dote, vel pensione domus ibid.n.7.& 8.

MERCATORVM

In causis proceditur ex bono, & æquo,non autem per apices iuris disc. 23. num. 7. & 8.

Verba intelligi debent iuxta ipsorum stylum disc.65.n.14.

Vsui standum est in rebus mercantilibus disc.108.n.16.

INTER MERCATORES

Minores, & mulieres negotiantes non egent solemnitatibus disc75.num.5.& 6. disc.78.n.8.

Pacta nuda actionem producunt disc. 74. num.5.

Paruæ pagellæ, vel ordines vulgò dicti *Pagherò* habentur pro pecunia numerata disc.25.n.2.

Pecuniæ numeratæ litteræ vim habent disc.51.n.3.

Proceditur diuersimode quam inter priuatos disc.78.n.7.

Puncti, vel lineæ, aut cifræ habentur pro instrumentis disc.78.n.8.

Rei non traditæ, aut pecuniæ non numeratæ exceptiones non dantur ibidem num.8.

Rigor iuris non est adhibendus disc. 78. n.9.disc.83.num.8.

MERCES

Emptæ per hæredem àn subrogentur in locum mercium antiquarum tabernæ disc. 35.n.13.

Per tertium subrogari non dicuntur, & quare disc.35.num.16.

MERCIVM

Assecuratarum valor àn attendi debeat in loco à quo,vel in loco ad quem disc.106. num. 10. *vid.* Valor.

Commixtarum bona fide cum reliquo patrimonio vindicatio anteriori non conceditur disc.16.n.7.

Dominij translatio arguitur ex pretio, seù loco valutationis disc. 23.n.11.

Dominium etiam sine mensuratione, vel ponderatione quando dicatur translatũ in emptorem disc.23.n.9.& seqq.

Periculum transmissarum per corresponsalem in itinere est emptoris disc. 22. num.9.

Saluarum commodum cedere debet fauore assecuratorum, & compensari disc.108. num.11.*vid.* Assecuratorum *vers.* commodo.

Valor à quo probari debeat, & quid si pretium sit taxatum ibid.n.13.

Transitus fit liber in emptorem, nisi constituant vniuersitatem disc. 22. n. 19. & 21.disc.35. n.4.*vid.* Taberna.

Venditor præferri debet cæteris conditoribus pro pretio in eis,si existant in Dohana & de ratione disc.23.n.6.& seqq.

Secus si sint commixti in fundaco emptoris ibid.n.2.

MERENDA

Lib.24. controu. cap.28.n.14.& seqq. impugnatur disc.12.ex n.4.

MILES

Duplex patrimonium habere dicitur,& datur prælatio inter creditores vnius, & alterius patrimonij disc. 11. num. 4. & 5.

MILITES

Deducto ne egeat beneficio pro quibus debitis gaudeant disc.118.n.10.

Hostica exceptione quando se tueri possint ibid.n.11.

Nostri temporis àn sint verè milites ad effectum priuilegiorum disc.118.n.9.

MINOR

Cessionem necessariam acceptando cum clausula præseruatiua, non præiudicatur disc. 8.num.4.

Interuenire quando debeat in contractu cũ curatore rem.disc.27.n.12.

Mercantilibus in negotijs non eget solemnitatibus statutarijs, & de ratione disc. 75.n.5.6.& 12.disc.78. n.8.

MOBILIA

Promissa in dotem quando præsumatur consignata disc. 131.num.11.

Vsualia non veniunt sub hypotheca exercibili contra tertium disc.22.num.20.

MONACHVS

Contrahendi, & se obligandi facultatem

tem non habet disc. 83. num. 3.
Destinatus, vel electus episcopus non soluitur à religione disc. 83. num. 4. & 7. Et quid post consecrationem ibid. n. 7.
Tenetur ad debitum contractum pro futuro statu episcopali, & de rationibus disc. 83. ex n. 7.
Naturaliter obligatur, vnde implere debet sine præiudicio Monasterij ibid. num. 10.
Seruo assimilatur disc. 83. n. 12.

MONASTERIVM

Decretorum S. Congregationis solemnitatibus non seruatis quando possit alienare, vel hypothecare bona disc. 82. n. 10.
Directe an succedat, vel ex persona religiosi in bonis huic delatis rem. disc. 83. num. 3.
Fructus tantùm obligare potest disc. 82. num. 14.
Ex Mutuo facto Abbati, vel procuratori non obligatur ibid. n. 2.
Intell. si fiat soli Abbati, secus si de consensu capituli disc. 82. n. 3. disc. 83. n. 7. Etiam quod consensus fuisset à capitulo extortus cum falso supposito disc. 82. n. 8. Sed actio est exercibilis hoc casu super fructibus tantum ibid. n. 14.
Et an mutuans debeat esse sollicitus de versione disc. 82. ex n. 3.

MONETA

Currens in regione licèt inferioris materiæ recusari non potest à creditore disc. 139. num. 6. & quando secus disc. 140. n. 12.
Inferior si adhibita fuerit in solutione fructuum non petit creditor id quod minus disc. 140. n. 5.
Reprobata, in qua gabellas exegit, vti potest appaltator ad solutionem afflictus disc. 68. n. 25.

MONETÆ

Alteratio cuius damno cedat, & in qua moneta debeat fieri solutio disc. 92. num. 19.
Et quando debeatur interesse ex dicta alteratione proueniens ibid. n. 22.
Augumentum cedit commodo creditoris disc. 140. n. 7. & 10.
Materia vbi tractetur rem. disc. 140. n. 6.
Mutatio an cedat damno bancherij disc. 68. n. 24.
Species si conuenta fuerit, an impleatur obligatio soluendo in alia specie disc. 66. n. 9. disc. 140. n. 12.
Et an peti possit in specie æquiualenti disc. 92. n. 18.
Et an conuentio quantitatis fiet demonstratiuè pro eo tempore, vel taxatiuè in futurum disc. 140. n. 8. & 9.
Scutorum auri diuersæ species referuntur disc. 140. n. 12.

MONS Pietatis Vrbis

Habet communicata diuersa fisci priuilegiata disc. 50. n. 10.
De statuto illius super solutione ordinum facienda, atque de ratione disc. 68. n. 14. & 15.

MONTISTAE

Potioritate gaudent in bonis pro dote montis assignatis, & quando secus disc. 21. num. 10. Alia *Vid.* loca montium.

MORA

Excessiuam ob debiti petitionem euitatur disc. 115. n. 5.
Excusatur ob mortem ciuilem, vel naturalem disc. 143. n. 4.
Fallit si in vita contracta fuisset ibid. num. 8.
Localitatis beneficium debitori tollit disc. 92. num. 17. disc. 115. n. 4.
Necessaria non est in cambijs disc. 143. num. 9.
Oblatione facta pro debitorem quando euitetur, & qualis debeat esse oblatio disc. 92. num. 23. 24 & 25.
Recompensatiuis pro fructibus non requiritur disc. 115. n. 8.
Requiritur pro interesse lucri cessantis, & damni emergentis disc. 92. n. 21.
Termini susceptione excusatur disc 98. n. 9.
Vt incurratur an & quando sit necessaria interpellatio, distinguitur inter iudicialem, & extraiudicialem obligationem d. 94. num. 8. & 9. *vid.* interpellatio.

MORAE

Purgatio conceditur emphyteutæ ad euitandam caducitatem disc. 56. num. 10.
Fideiussori de repræsentando intra certum tempus, vel de soluendo an & quando concedatur disc. 94. num. 14.
Re integra semper admittitur, si ius creditoris nõ sit effectum deterius ibid.
Resolutiuis in pactis non datur, & de ratione disc. 56. n. 10.

MORATORIA

Debitori concessa an, & quando prosit fideiussori disc. 98. n. 2.
Fideiussori de representando prodest, & de ratione disc. 98. num. 4. 5. & seqq.

MORS

A mora an & quando excuset disc. 143. n. 8.

MVLIERES

Contrahere nequeunt in vrbe sine solemnitatibus, & causa disc. 1. num. 7. disc. 75. num. 4.

Societatem contrahere non possunt sine solemnitatibus Statuti disc. 75. nu. 4. Fallit in negotijs mercantilibus, & de ratione ibid. num. 5. 6. & 12. disc. 78. n. 8.

De iure communi excepto *Velleiano* non differunt à viris disc. 75. n. 5.

MVLTIPLICVM

Demandari quomodo debeat pro reintegratione fideicommissi disc. 59. n. 11.

Onus faciendi debitor habens, & omittens tenetur ad interesse ibid. n. 4. Et non intrat anatocismus n. 5. ibid.

Intell. si onus iniunctum sit debitori; Secus si creditori disc. 59. n. 6. & 7.

MVLTIPLICO

Fructus montium destinatos depositarij male soluunt libere disc. 59. n. 6. Alia *vid.* Inuestimentum.

MVTVANS.

Animalia ad emenda non præferetur domino pascuorum, & de ratione, disc. 18. num. 6.

Iure domini quando reputetur in eisdem animalibus, disc. 18. num. 12.

Conseruandam ad rem, vel reficiendam mutuans, debet hoc exprimere, & probari versio, vt gaudeat potioritate, disc. 11. num. 11. disc. 15. num. 3. disc. 16. num. 4.

Et in quo differat à mutuante ad rem emendam, disc. 18. num. 7.

Gaudet potioritate etiam quod de speciali hypotheca non caueat, disc. 15. nu. 3. Ac etiam quod refectio fuisset necessaria ex culpa debitoris, disc. 24. n. 12.

Et quid si pecunia ad id non sit data, ibid. num. 14.

Emendam ad rem debet sibi cauere de speciali hypotheca, disc. 15. num. 3. Et quando censetur de ea sibi cauisse, disc. 18. n. 5.

Pactumque esse debet instantaneum, disc. 15. num. 6. & 7.

Vincitur à dote, vel fisco anterioribus, disc. 6. num 9.

Et de cautela euitandi hanc prælationem, disc. 6. num. 10. disc. 15. num. 8.

Ad emendum, vel reficiendum mutuatio, an dicatur facta pro maiori industria faciendo in re empta, ibid. num. 4.

Super pignore si istud non sufficit, non concurrit pro excessu cum alijs creditoribus, disc. 28. num. 12.

Declaratur, quando id procedat, ibidem, num. 13.

Redimendam ad rem an & quando potioritate gaudeat, *Vid.* Creditor quoad potioritatem, *vers.* Redimendam.

Semen an præferatur in frumento recollecto remissiuè, disc. 17. num. 4. *Alia vide* Creditor quoad concursum, & quoad potioritatem.

MVTVVM.

Abbati, vel Procuratori factum non obligat Monasterium, disc. 82. num. 2.

Dotis ex debito quare sit solitum constitui, disc. 77. num. 8.

Filiofamilias de iure communi prohibitum est contrahere, disc. 146. num. 3.

Pecuniam recipiens, vt debita extinguat contrahere an dicatur, disc. 55. num. 10. & 11.

Reputandum an sit in dubio, vel donatio, cum pecunia alicui traditur, disc. 76. nu. 4. disc. 125. num. 3.

Et quid si pateat de causa diuersa, disc. 76. num. 5. disc. 125. num. 5.

Atque quomodò hic punctus sit decidendus, disc. 76. à num. 6.

Quidque si pecunia sit tradita administratori, vel socio, disc. 76. à num. 10.

Traiectitiæ pecuniæ admixtum an, & quando pariat vsuram, disc. 111. num. 7.

N

NAVARCHVS.

Iter si mutet, an committat culpam, & baratteriam, disc. 93. num. 4. disc. 106. num. 26. & 28.

Baratteria quando propriè resultare dicatur, disc. 93. num. 10. disc. 106. n. 26.

Leuissima de culpa tenetur domino mercium, disc. 93. num. 7. & 9.

Tenetur de culpa, etiam quod non sit præordinata ad casum, disc. 106. num. 29.

NAVARCHI.

Culpa an & quando cedere debeat damno assecurati, disc. 93. num. 8. disc. 106. n. 30.

Cedit, vbi ipse nauarchus est dominus, vel particeps, disc. 106. num. 31.

Vel est mercium institor, ibid. num. 32. Secùs si simplex vector, & adsit alter minister deputatus, seù *Sopracarico*, discurs. 106. num. 33.

NAVFRAGIVM.

Probandum quomodò sit, vt teneatur assecu-

gurator, disc. 106. num. 35. disc. 111. n. 12.

NAVIS.

Assecurata si fuerit, non cadit assecuratio super fregata, seù barca, & de diuersitate vocabuli huius, disc. 108. num. 6.

Identifica in assecuratione attenditur, & de ratione, ibid. num. 7.

Scriba est notarius negotij, & per eius apocam probatur oneratio mercium, disc. 106. num. 16. *vid.* Oneratio.

NEGATIVA.

Solutionis probanda non est à creditore, & quando secùs, disc. 105. num. 14. & 15. *vid.* Probatio, *vers.* Negatiuæ.

NEGLIGENTIA.

Creditoris an liberet fideiussorem, *vid.* Fideiussor.

Cessionarij an liberet cedentem, *vid.* Cessio.

NEGOTIVM.

Sociale à patrimonio proprio quomodo distinguatur, disc. 11. num. 8.

Et quando creditores negotij socialis præferantur alijs ibid. num. 9.

NEGOTIA.

Distincta si eadem persona exerceat, reputantur plura patrimonia, disc. 11. nu. 10.

Mercantilia clericis sunt incongrua, discur. 10. num. 34.

Alia vide Mercatores. Societas.

NOBILIVM.

Stylus in tenendis pecunijs super negotiationibus refertur, disc. 89. num. 6.

NOMEN.

Suum alteri accommodans, vel patiens vt eo vtatur, an teneatur ergà eos, qui nominis fidem sequuntur, disc. 75. n. 7. & 8.

NOMEN DEBITORIS.

Assignatum quando censeatur pro soluto, vel pro soluendo, & de differentia, disc. 27. num 7. & seqq. *vid.* Assignatio.

Cadit sub hypotheca, sed solutione legitima resoluitur, disc. 14. num. 11. disc. 40. nu. 5. disc. 55. num. 5.

Declara in solutione vera; Secùs ficta, disc. 40. num. 6.

Datum in solutum si fuerit inexigibile repertum, quænam actio competat, d. 27. num. 18.

In dotem datum non dicitur debitum ex causa dotis in terminis Statuti fori mercatorum Bononiæ, disc. 10. num. 17.

Posteriori creditori delegarum, si fuerit inexactum, potest auocari per anteriores, vel æquales, ibid. num. 36.

Alia vide Cessio. Debitor.

NOTARIIS.

Quod soluitur pro instrumentis, & actis an importet mercedem laboris, vel debitum iurisdictionale, disc. 57. num. 8.

NOTITIA

Casus secuti an & quando præsumatur habita per assecuratum antè assecurationem, disc. 109 num. 5.

Verisimilis vacationis beneficij quomodò regulanda, ibid. num. 6.

NOTVLAE

Fructuum traditæ per creditorem immissum stari debet, disc. 134. num. 9. *vide* Immissus.

NOVATIO

Contractus ex simulatione quando inducatur, disc. 77. num. 9.

Dari non potest accedente voluntate in contrarium declarata, disc. 32. num. 11. disc. 67. num. 3.

Dici quando valeat potiùs quàm constitutum, disc. 78. num. 10.

Non inducitur nisi expressè dicatur, vel concurrat incompatibilitas, disc. 67. n. 2.

Protestatione excluditur, ibid. num. 3.

Intell. data compatibilitate actuum, ibid. num. 4. 5. & 6.

Et quando dicatur adesse compatibilitas inter vnum actum, & alium, præsertim in locatione, & venditione, ibid. n. 7. & 8.

Atque an verba contraria facto attendantur, vel nè, ibid. num. 6.

Reseruatione priorum iurium an & quandò excludatur, ibid. ex num. 3.

Societatis antiquæ an & quandò inducatur ob admissionem nouæ personæ, disc. 89. num. 4. *vid.* Societas, *vers.* Diuersa.

O

OBLATIO

REalis requiritur ad consequendam liberationem, disc. 92. num. 23.

Verbalis non sufficit ad impediendas vsuras debitas iure actionis, vel officio Iudicis interposito, ibid. num. 24.

Sufficit ad impediendam natiuitatem vsurarum officio Iudicis, maximè si sit iudicialis, disc. 92. num. 25.

OBLIGATI

Pro tertio licèt respectu creditoris sint principales debitores, inter se tamen sunt confideiussores, disc. 95. numer. 9. *vid* Correus. Confideiussor.

OBLIGATIO

Causatiua, seu occasionalis cessat, cessante causa, ob quam facta est, disc.71.num.6.

Declara vt non procedat in facto voluntario, ibid.num.9.

Item neque pro effectibus consumatis, ibid. num. 9.

Et quid vbi intercedat delegatio, disc.71. num. 10.

Euictionis cum terminis non regulatur nisi impropriè, ibid. num. 7.

Sine Causa facta non subsistinetur, disc.123. num.2.; Sed rarò auditur hæc oppositio in foro, & quare ibid. num.7.

1 *Fall.* accedente obligatione Camerali, & quomodò id procedat, disc.123. num. 4., & 5. Et quid accedente iuramento, ibid. num. 8.

2 *Fall.* si dicatur pro residuo, vel pro solidatione computorum, disc.123. num. 9.

3 *Fall.* in *pagherò*. quæ fiunt inter negotiatores, ibid. num.10.

4 *Fall.* si ex coniecturis causa colligi possit, disc. 123. num. 11. Et quod sit causa sufficiens gratitudo, ibid.num.15.

Conditionalis non est experibilis nisi conditione eueniente, disc.93.num.3., disc. 98. num,2.

Pura euadit conditione purificata, disc. 93.num.3.

Constituentis se soluere alienum debitum non verum, vel extinctum est inualida disc.74.num.2. *vid.* Constituens.

Facta in carcere, quando sit nulla remiss. disc.34.num.2.

Falsa ex causa procedens non subsistinetur, sed probanda est concludenter, discur. 123.num.12.

Principalis quando dicatur, seù potiùs accessoria, vel fideiussoria, disc.7.num.10.

Stricti iuris est, & non extendenda, discur. 104.num.3.

Tempore inhabili facta, & collata ad tempus habile, àn subsistineatur, disc.83.n.11.

Turpi ex causa præsertim ludi, non tenet, disc.123.num.13.

Sed istæ obligationes solent esse magis cautelatæ, ibid.num.14.

OBLIGATIONI

Tempus adiectum, àn censeatur ad eam terminandam, seù potiùs differendam disc.96. num.3.

OBLIGATIO CAMERALIS

Beneficium *deducto* tollit, nisi Papa indulgeat, disc.119.num.20.

Enunciata ad omnia trahitur, discur.104. num.14.

Declaratur quando id procedat, ibid.n.15.

Exceptionem ex defectu causæ non admittit, disc.123.num 4.

Declara pro processu executiuo; Secùs quoad merita, ibid.num.5.

Eximit creditorem à discussione rei particulariter obligatæ, disc.126.num.5.

Expensas etiam continet, disc.147. num.7.

Hæredis bonorum obligationem continet, disc.36.num.3., disc.37.num.2.& 9.

Fallit vbi defunctus restrinxit obligationem ad bona propria, disc.36.nu.4. Et quando non adsit hæc restrictio, ibid. num.5.6.& 7.

Expenduntur decis. 136. & 137. post *Pacific.* super limitatione, d.36.n.8.& 9. *vid.* Hypotheca.

Hæredis hæredis bona, àn complectatur, disc.38.ex num.2.& num.9.

Pecuniæ non numeratæ exceptionem tollit, & quomodò, disc 83 num.5.

Suffragari non potest in his, quæ non sunt promissa, disc. 104. num. 13.

OBLIGATIONES PENES ACTA

Actus iudiciales àn dicantur, discur.116. num. 24.

Malè incusantur in Curijs Ecclesiasticis Regni debitore nõ citato, & de ratione, disc.116. num.22.

Rigorem executiuũ amittunt post decennium, disc.117. num. 6.

OBSERVANTIA

In Ambiguis attenditur, disc.141.nu. 3.

Contrahentium voluntatis est optima interpres, disc. 27. num. 12.

Leges, & Statuta interpretatur, disc. 13. num. 15.

OCCVLTANS

Bona tenetur ad quantitatem iustificatam leuioribus probationibus, ac etiam iuramento, si substantia occultationis fuerit iustificata, disc. 128. num.8.

Scripturam ad quid remaneat obnoxius, disc.94.num.4.

OFFICII

Exercitij occasione creditor, àn super eodẽ præfaratur creditoribus indifferentibus, disc.12. num.12.

Vacabilis pro pretio ad quam rationem debeantur fructus recompensatiui, disc. 115. num.9.

Venalis anteà possessi pretium dicitur de

bonis posteà quæsitis attento tempore licentiæ vendendi, disc. 12. num. 3.

Reprobatur Merenda qui dicit hoc assumptum, & cõtrarium ostenditur, ibid. num. 4. & seqq.

OFFICIA

Bonis esse in nostris, vel eorum pretium quomodo dicantur, discur. 12. numer. 5. Et quomodo creditores cõcurrant, ibid. num. 7.

In Commercio sunt, & quomodo intelligenda conclusio, disc. 12. num. 6.

Simulationem non admittunt, d. 13. nu. 24.

Stare non possunt per momentum in suspenso, ac sine officiali, ibid. num. 23.

ONERATIO

Mercium probatur per apocam Scribæ nauis, disc. 106. num. 16.

Sed non excluditur aliud probationis genus, ibid. num. 17.

Probanda est ad effectum agendi contrà assecuratores, & in qua assecuratione id procedat, disc. 111. num. 3. & seqq.

OPINIONES

Doctor plures referens, quam tenere dicatur, disc. 119. num. 14.

ORDINIS

Falsi in vim soluens, àn liberetur, discur. 68. num. 4. & seqq. *vid.* Soluens *vers.* Falsi.

ORDINES

Pecuniæ numeratæ nõ æquipollent in census creatione disc. 69. num. 4. Et quando secus remiss. disc. 130. num. 13.

Primato à creditore facti banco, in quo differant ab ordinibus, quæ fiunt per administratores pij loci, disc. 68. num. 18.

Verificati in parte, censentur veri in totum, disc. 68. num. 21.

Veros esse banco alleganti, quod vigore illorum soluit, incumbit probatio, disc. 68. num. 2.

Fallit si ordines falsi sint permixti cũ ordinibus veris, ibid. num. 3. Alia *vid.* Baucherius. Bancum.

P

PACTVM

CEssationis dilationis in casu quo debitor deficiat à solutione paghæ, àn valeat, disc. 56. num. 3. *vid.* Dilationis.

Commissorium, an subsistineatur, ibid. n. 4.

Conditionale, & pœnale, in quo differant, disc. 56. num. 9.

Debitoris de capiendo bona quanto tempore præscribatur, disc. 131. num. 4.

Nudum non producit ciuilem actionem, sed agitur de æquitate prætoria, disc. 74. num. 3.

Fallit accedente iuramento, ibid. n. 4.

Item mercatores, num. 5. ibid. Tertio de æquitate Canonica, ibid. num. 6.

Et quod hodiè non attendatur differentia inter pacta nuda, & stipulationes, disc. 74. num. 9.

Rescissorium in censu àn subsistineatur, disc. 56. num. 11.

Resolutiuum moræ purgationem non admittit, ibid. num. 10.

PAGANVS

Pluralitatem patrimoniorum, vel hæredũ habere non potest in præiudicium suorum creditorum, disc. 11. num 11., & 13.

PAGELLA DICTA *Pagherò*.

Campsori tradita parit actionem depositi, & quando producat actionem mandati, disc. 25. num. 5., & 6.

Causam non exigit, disc. 123. num. 10.

Pecunia numerata reputatur inter mercatores, disc. 25. num. 2.

PAPA

Ignorantiam eorum, quæ sunt iuris habere non dicitur, & quarè, disc. 120. n. 6.

PARAGIVM

Filia quo iure petat super feudo, disc. 27. num. 24., & 25.

Ad PARTICIPATIONEM

Appaltus admissus quando dicatur socius contrahens ab initio, disc. 88. num. 5.

Et àn contrà eum Fisco, vel Reipublicæ detur actio, ibid. num. 9. 10., & 13. Et à quo tempore incipiat, ibid. n. 10.

Vtilium admissus non dicitur socius, & proindè vnus non obligat alium, disc. 87. num. 6. & 7. disc. 88. num. 4. disc. 89. num. 5.

Et contrà eum non competit creditoria actio, disc. 88. num. 4.

PARTITANTES

Cum Principe, quod stylum teneant, disc. 65. num. 11.

Et qui nam soleant hæc munera suscipere, ibid. num. 12.

PASCVORVM

Dominus præfertur pro animalibus ibi depastis, disc. 16. num. 14. disc. 18. num. 4. Et quod possit animalia retinere, & quid si sint extrà locum pascuorum, disc. 16. num. 15. Vel prædium non sit datum

pro animalium pastura, disc. 18.

Præfertur mutuanti ad emenda animalia, & de ratione, disc. 18. num. 6.

Potioritatem habet super toto grege, disc. 19. num. 14.

PATER

Filium alere tenetur in statu in quo ipse eum constituit, disc. 86. num. 2.

Declaratur quomodò, & quando id procedat, ibid. num. 3.

Legationis filij de expensis quando teneatur, disc. 86. num. 13.

Prælaturam filio procurans, an teneatur subministrare ne cessaria pro alijs officijs assecutis post prælaturam, disc. 86. n. 12., & seqq.

Non Tenetur pro filio, & è contrà, ibid. num. 6.

Fallit si cum eius consensu filius efficeretur decurio, disc. 86. num. 7. Idem in alijs officijs num. 8. ibid. Et quid hodiè, disc. 86. num. 18.

Item si de consensu adscriberetur militiæ, cui aliquod onus sit annexium, & de rat. disc 86. num. 9., & 16.

Declara limitationes procedere in ijs, quæ concernunt seruitium Reipublicæ; Secus priuatum, disc. 86. n. 10.

Item in expensis congruis, non autem excessiuis, ibid. num. 17.; Et de alijs declaratio ibus num. 14. 15. & 16.

De Tutela à filio exercita tenetur, & quarè, disc. 86. num. 11.

PATRIS FAM.

Appellatione qui nam veniat, disc. 128. num. 12.

PATRIMONIVM

Duplex habet miles, clericus, & feudatarius, disc. 11. num. 4.

PATRIMONII

Diuersitas respectu creditorum in pagano non datur; Sed benè in ijs, quæ pendent ab eiusdem voluntate, discur. 11. num. 11.

Positi sub concursu administrator non potest soluere liberè, disc. 52. num. 8. alias tenetur de proprio, num. 9. ibid.

Vnius creditores vincunt creditores alterius patrimonij, quamuis anteriores, disc. 11. num. 4.

PAVPERTAS

Culposa an præsumatur si de infortunio non constet, disc. 119. num. 21.

Probari debet concludenter per petentem beneficium *deducto*, disc. 121. num. 3.

PECVLIVM

Aduentitium antiquo iuri erat ignotum, disc. 80. num. 19. disc. 86. num. 18.

In filio fam. clerico habet speciē profectitij, ibid. num. 19.

Profectitium dicuntur data filio cōtemplatione patris, disc. 80. num. 3.

Fallit si accedat filij industria num. 6. ibid.

PECVNIA

Bona fide consumpta non auocatur à creditore anteriore, & quando secus, disc. 2. num. 9. *vid.* Auocatio.

Campsori data regulariter refertur depositio, disc. 25. num. 3.

Data per ministrum banci, banco parit actionem, disc. 50. num. 8.

Liberè soluta quando dicatur, ad hoc vt subintratio non militet, disc. 1. num. 8., & 9.

Pupillaris non potest per tutorem negotiationibus exponi, disc. 49. num. 7.

Quam creditor sibi mer soluit, est auocabilis, disc. 50. num 7. *vid.* Auocatio.

Simpliciter alicui tradita, an refferenda sit ad mutuum, disc. 76. num. 4. disc. 125. num. 3., & 5

Versa *in* emptionem, vel refectionem, quomodò probetur, disc. 1. n. 12.

PECVNIÆ

Furatæ Dominus in ea præfertur omnibus, disc. 26. num. 2.

Identitas probatur adminiculatiuè, ibid. num. 3.

Loco res ex ea empta nō succedit, disc. 26. num. 5., & quando secus, ibid. n. 9.

Non numeratæ exceptio opponi, an possit contrà confessionem depositi, disc. 69. num. 10.

Sublata est per obligationem cameralem, & quomodò, disc. 83. numer. 5., & 15.

Res loco an, & quando succedat, disc. 26. num. 4 6., & 7. *vid.* Pretij *vers.* Res., & *vid.* Res.

Traiectitiæ assecuratio quomodò fiat, disc. 111. num. 6.

Et an intret in isto contractu vsura prohibita, ibid. nu. 7. Alia *vid.* Cambium *vers.* Maritimum.

PENSIO

Domus pignoratæ, inhabitatæ per creditorem, an ex computanda sit ad fauorem debitoris, disc. 133. num. 2.

Et quid si domus sit solita locari, ibid. num. 5.

Vel

Vel non sit talis, seù ex accidenti non reperiatur conductor, disc. 133. num. 6., & 7.

PENSIONIS ECCLESIASTICÆ

Credens pro solutione primi anni præfertur credenti, pro solutione anni secundi in bonis titularis, & quid in fructibus Ecclesiæ, disc. 3. num. 10.

Reductio sub pacto soluendi præcisè statuto tempore, ab pacto non impleto euanescat, disc. 56. num. 6.

Solutio quibus deligentijs euitetur à prouiso, qui se obligauit cum clausula *habitâ*, *vel non habitâ*, disc. 124. num. 16.

PERICVLVM

Depositi àn, & quando sit creditoris, vel debitoris deponentis, disc. 144. num. 3., & 4.

Irregularis est depositarij, disc. 2. nu. 14.; Et quando secus, disc. 18. n. 13.

Mercium etiàm sinè mensuratione, vel ponderatione in itinere spectat ad emptorē, disc. 23. num. 10.

Pecuniæ solutæ creditori cum cautione de restituendo pertinet ad eundem creditorem, disc. 2. num. 8., & 14.

Rerum consistentium in pondere, & mensura, antè ponderationem est venditoris, d. 23. num. 3., & 4.

PERSONARVM

Formalium pluralitas in iure àn, & quando detur in eadem persona materiali, disc. 8. num. 8., & 9. disc. 11. num. 2. disc. 30. num. 11. disc. 47. num. 4. disc. 49. nu. 3., & 11.

PHARMACOPOLA

Anterioribus etiàm priuilegiatis àn præferatur, disc. 28. num. 4.

Et quando ei obstet præscriptio, ibid. num. 3.

PIGNVS

Assecuratione dotis inducitur, & quando resoluatur, disc. 136. num. 6.

Conseruare tenetur creditor, disc. 22. n. 14.

Et de qua culpa tenetur circà eius custodiam, ibid. num. 15.

Conuentionale, & prætorium in quo differant circà fructus, disc. 22. num. 16. disc. 133. num. 3. disc. 134. num. 4., & seqq. *vid.* Immissus.

Dispositionem Statuti fori mercatorū Bononiæ cessare quando faciat, disc. 10. nu. 18., & 20.

In Dubio àn reputetur, vel potius datio in solutum, discur. 66. num. 5. disc. 185. num. 8. & seqq.

Distinguitur inter species bonorum, ibid. num. 6.; Et quod sit quæstio facti, disc. 135. num. 9.

Ad Exhibēdum cogi potest à tertio creditor, disc. 22. num. 10.

Intell. si illud possideat de tempore litis motæ, vel dolo desierit possidere, ibid. num. 11., & 12.

Contrarium, quod pignus semper teneatur exhibere, vel teneatur ad factum, nisi casu amiserit, disc. 22. num. 17.

Exhibere tenetur creditor, & concurrere in eo cum alijs, ibid. num. 18.

Contrarium quod non tenetur, atquè in eo sit potior, ibid. num. 19., & seqq.

Hæbrei accipientes in rebus vsualibus, quo priuilegio Romæ gaudeant rem., disc. 22. num. 23.

Vsuras àn consequantur post lapsum tempus ad vendendum pignus, disc. 28. num. 14.

Hypothecæ conuenit, sed propriè dicitur, quod manualiter datur, disc. 10. num. 18.

Manualium rerum creditor habens, quamuis posterior, molestari non potest, disc. 10. num. 19. disc. 22. num. 19. *vid.* proximè *Exhibere*.

Præsumitur, si tradatur res pro immissione passa *in* saluiano, disc. 135. num. 11.

Prætorium æquipollet conuentionali, ideoque creditor chirographarius præfertur creditori hypothecario contrahenti post pignus prætorium, disc. 28. num. 9.

Proportionatum debito censetur habitum pro derelicto, & dato in solutum, discur. 136. num. 2.

Intell. in pignore conuentionali, & nisi constet de contraria voluntate, disc. 136. num. 3. & 4.

Secus in pignore prætorio, & de ratione differentiæ, ibid. num. 5. Vel si deficiat persona debitoris, disc. 136. num. 7.

Sufficiens si non fuerit, àn & quando concurrat creditor cum alijs creditoribus, disc. 28. num. 12. & 13.

Vendere, vel alteri oppignorare potest creditor de consensu debitoris, disc. 22. n. 5.

Sed idem creditor emere prohibetur, disc. 141. num. 5. Nisi licitetur tanquam extraneus, ibid. num. 11. *vid.* Licitatio.

PIGNORIS

Conuentionalis fructus percipere vsuræ approximat, disc. 133. num. 9.

De fructibus percipiendis tenetur creditor,

tor, & de differentia inter pignus conuentionale, & prætorium, disc.22.n.16. disc.133.num.3. disc.134.num.4.& seqq.

Et quod hæc differentia non intret in prædijs vrbanis, discur.133. numer.4. Alia *vid.* Immissus.

Fructus quando creditor faciat suos ratione interesse passi, disc.135.à nu.5.ad 7.

Mulier retinens pro dote, àn & quando faciat suos, vel extenuent sortem, disc. 136.num.7.& 8.

Venditionem non potest prohibere creditor, cuius indemnitati debitor cõsuluerit disc.141. num.13.

Etiam si ipse creditor haberet facultatem vendendi, ibid.

Alia *vid.* Hypotheca.

PISTORES VRBIS.

Potioritate in quibus casibus gaudeant pro pretio panis, disc.17.num.4.d.28.nu.8.

Et de eorum alijs priuilegijs, ac commentarijs super eis, discur.73.numer.2. Et quid operentur vltrà ius commune, ibid.num.11.

POENA

Conuentionalis nõ exigitur vltrà interesse, disc.56.num.2.

Culpa absquè positiua non incurritur, disc. 57.num.3.

Dilationis non dicitur cessatio in casu non solutionis paghæ, disc.56.num.7.

Exigi non potest in foro Ecclesiastico à debitore, contrà quem liquidatur instrumentum, disc.116.num.18.& 19.

Procuratoris ex ommissione non incurritur, disc.57.num.4.

PORTVS

Ciuitatis magnæ, seù dominantis appellatione venit totus sinus maritimus adiacentium locorum, quamuis rigorosè diuersa sint territoria, disc.108.numer.3. *vid.* Assecuratio *vers.* Portus.

POSSESSIO

Dimissionis de tempore, àn, & quando requiratur, vt dimittens excipere possit de iure creditoris dimissi, disc.1.num.5.13. & 14. disc.2.nu.2.& seqq.

Et àn idem operetur possessio ficta vigore constituti, disc.2.num.3.

Iudicis ex facto iniusto, vel nullo non amittitur, disc.112.num.2.

POSSESSOR

Dispositioni *leg. per diuersas*, & ab Anastasio *C. mand.* non subiacet, & quando secus, disc.14.num.2.d.60.n.10.& 12.

Fideicommissorum plurium, vel maiorum plures personas repræsentare dicitur, disc.11.num.6.

Rem qui meliorauit potest offerre creditori valorem rei non melioratæ; sed si non meliorauerit, debet offerre totum creditum, vel rem dimittere, discur.24. num.19.disc.54.num.7.& 8.

Reputatur ille, qui desijt mala fide possidere, disc.22.num.3.& 4.disc.35.num.59.

Vincere potest per non ius actoris, disc.24. num.7.

POSSESSORIS

In pari causa potior est conditio, discur.1. num.3.& de ratione num.14.disc.3.n.2. disc.18.num.8.

Eallit in possessione adepta malæ fidei in statu, disc.7.num.15. Vel alieno nomine detenta, disc.18.num.9.

Et quid si concurrat cum dote, discur. 9.num.2.

POSSESSORIVM

Adipiscendæ, & recuperandæ quarè minus sit in vsu, possessorio retinendæ, disc.112. num.3.

Exceptiones merita causæ respicientes non admittit, disc.60.num.3.

Intentari potest quamuis via executiua sit vulnerata per sententiam absolutoriam, disc.60.num.4.

Moueri potest in quacunque instantia etiã post tres conformes, vel rem iudicatam, ibid.num.5.

POSTLIMINIVM

Locum non habet in bonis captis in bello, quæ in hostium præsidijs pernoctauerint, licet ad amicos perueniant, disc.4. num.9.

PRÆDIA VRBANA

Fructifera de sui natura non sunt, disc.134. num.10.

Et quomodo illorum fructus regulentur, disc.133.num.4. Alia *vid.* Pensio.

PRÆSCRIPTIO

Crediti ex causa medicinarum quãto tempore inducatur, disc.27.num.3.

Debiti quanto tempore inducatur, disc.82. num.12.disc.117.num.4.

Non inducitur in vita principalis debitoris, vel eius primi hæredis, disc.117.

Cum defuncto cepta, àn, & quando continuet cum hærede, disc.129.num.20.

Hypothecæ, constituti, seù pacti de capiendo quanto tempore inducatur, disc.131. num.4.

Lite

Lite interrumpitur, disc. 129. num. 11.
Mala fide impeditur, disc. 82. num. 12. disc. 129. disc. 131. num. 13.
Vera tamen, non autem præsumpta. disc. 131. num. 22. *Vid.* Mala fides.
Nata ante actionem non incipit, discur. 131. num. 8.
Odiosa, & non odiosa, in quo differant, ibid. num. 21.
Rarò quarè compleatur, disc. 131. num. 12.
Viæ executiuæ inducitur ex lapsu 30. annorum, disc. 117. num. 4. discur. 131. num. 5. *Vid.* Via executiua *vers.* Præscribitur.
Vsita cum præsumptione solutionis, seu compensationis quid operetur, disc. 131. num. 28. 29. & 30.

PRÆSCRIPTIONES

Tot requiruntur in eẽsibus, quot sunt anni, disc. 3. num. 8. d. 131. num. 14. d. 140. n. 4.
PRÆSCRIPTIO STATVTI VRBIS n. 58.
Clericos àn liget, disc. 129. num. 17. & 18. disc. 130. num. 5. & 8.
Dotis creditum àn complectatur remissi. disc. 129. num. 22.
Forenses, àn & quando liget, disc. 129. num. 21. disc. 130. num. 7. disc. 148. n. 12.
Hæredem non afficit, quia datur restitutio, disc. 148. num. 12.
Iacente, àn intret in hæreditate, discur. 129. num. 20.
Ignorantem creditorem non afficit discur. 130. num. 12.
Fallit si ignorantia sit inuerisimilis, ibid. num. 6.
Ex quibus autem deducatur, discur. 130. num. 11.
Ac quando probanda sit à creditore, ibid. num. 14.
Impugnato non intrat in debito, disc. 129. num. 19.
Indebiti ad repetitionem agenti non suffragatur, ibid. num. 4.
Intell. si fuerit voluntariè solutum; Secùs si coactè, disc. 129. num. 7.
Vel adfit cautio de restituendo, seu solutio sit facta per hæredem beneficiatum, disc. 129. num. 8. & 9.
Inducta quarè sit, disc. 129. nu. 3. disc. 130. num. 9. & 10.
Iurato in debito procedit, & quarè, disc. 129. num. 2.
Libris ad fauorem scribentis àn tollatur, disc. 129. num. 13.
Lis vbi introducta est, àn & quomodo operetur, ibid. num. 11.
Necessaria nõ est vbi dominus soluerit pecuniam exactam à famulo, sed sufficit unius tempus, disc. 130. num. 15.
Odiosa non est, neque in pœnam creditoris negligentis, disc. 129. num. 10.
Perfecta quamuis non sit, deseruit pro adminiculo præsumptæ solutionis, discur. 132. num. 6.
Præsumit debiti satisfactionem, disc. 129. num. 2. & 10.
Præsumptionibus contrarijs tollitur, ibid. num. 12. Et de pluribus præsumptionibus, num. 13. ibid.
Alia *vid.* Solutio præsumpta.

PRÆSVMPTIO.

Iuris quid interfit àn assistat, disc. 135. n. 15.
Præsumptione tollitur, disc. 129. num. 12.

PRECARII.

Pactum reseruationem dominij inducit, disc. 10. num. 12.
Declara si specialiter adiectum esset; Secùs si inter clausulas generales, ibid. num. 23.

PRETIVM.

Bulla Baronum loco rei subrogat, ac transfert in illud vincula, disc. 35. num. 64.
Et seruandus est in pretio idem ordo, qui in ipsa re, ibid. num. 65.
Certum est vnum de essentialibus requisitis emptionis, & venditionis, disc. 23. nu. 5. disc. 135. num. 12.
Circuitum ad euitandum succedit loco rei, disc. 35. num. 66.
Conuersum si fuerit in alium contractum, vel causam debendi, non debentur fructus recompensatiui, disc. 115. num. 9.
Duplex ex eadem re creditor reportare prohibetur, disc. 8. num. 6.
Emphyteoticæ rei àn sit reputandum vti liberum quoad creditores sine assensu, disc. 21. num. 14. & 15.
Expedit vendere rem debitoris, atque emptorem reddi tutum transferendo vincula in pretium, disc. 35. num. 66.
Fauore dotis succedit loco rei, de ratione, & quando procedat, disc. 35. n. 69. & 70.
Feudi àn sit in bonis nostris, & quomodo concurrant super eo creditores, disc. 12. num. 7.
Feudale regulariter non est, disc. 35. num. 66.
Loco succedens obnoxium est creditoribus cum assensu, quamuis posterioribus, disc. 13. num. 3. Et quid si illis sit super feudo consultum, disc. 17. num. 12.

Et

Et de veritate conclusionis, disc.21. nu. 14. & 15.
Fructuum loco àn succedat, & quando, disc.17.num.10.
Inuestitur in locis montium vbi dari non potest cautio, disc.53. num.23.
Læsionem ad regulãdam quomodò sit probandum remiss., disc.66. num.6.
Mercium, seù locus valutationis translationem dominij arguit, & traditionem, disc.23.num.11.
Minuit minor cautela emptoris, disc. 35. num.67.
Officij quomodo dicatur esse in bonis nostris, disc.12.num.5.
Bonis de posteà quæsitis àn dicitur attento tempore licentiæ vendendi, disc. 12.n.3. Contrarium verius, ibid. num. 4. & 8.
Partium ex conuentione, loco rei succedit, disc.35. num.62.
Petens, vel recipiens venditionem approbat, disc.35.num.9.
Principis, vel Superioris ex iussu, aut ex natura rei, quando subrogetur rei loco exemplificatur, disc.35.num.63. disc.53. num.17.
Priuilegiatorum fauore, àn & quando loco rei subrogetur, disc.35.num.68.disc.50. num.12.
Recipiens ad vnum effectum non præiudicat ad alium diuersum, disc.35.num.10. & 11.
Rei venditæ authoritate Iudicis subrogatur, disc.17.num.11. disc.35.num.63.
Item quando Domino, vel creditori cum assensu non est amplius super ipsa re consultum, disc.17. num.12.
Vel si ageretur de bonis compatibilibus, ibid num.13. disc.35. num.62.
Similiter fauore pupilli, & similium, disc.17. num.14.
In subsidium indefinitè rei succedit contrà fouentem causam lucrativam, d.35.n.57.
Vel fouentem causam onerosam, qui dolo desijt possidere, ibid. num.59.
Ampliùs procedere tàm quoad hypothecarios, quàm quoad chirographarios, disc.35. num.60.
Et an competat actio realis, vel personalis, ibid. nom.58. & 60.
Intell. si pretium extet, vel pro extanti habeatur; Secùs si sit consumptum, disc.35. num.61.
Succedit loco rei in vniuersalibus, secùs in particularibus, ibid. num.55.
Et in qua Vniuersitate procedat, disc. 35. num.56.
Vinculatum, àn & quando creditores teneantur recipere. *Vid.* Cautio.
Vrbis ex praxi in ipsum transferuntur omnia onera rei venditæ ex gratia particulari, disc.53. num.17.
Et an hæc gratia sit exorbitans distinguuntur plures casus, ibid. num.18. & seqq. Alia *vid.* Res.

PRIMIPILARE.

Priuilegium in cuius Principis fisco procedat, disc.20.num.3.
Feudatarij maiores habent, ibid.n.4.
Priuilegiorum cõquassationem àn admittat, num.5. ibid.
In vsu hodiè àn sit, & pro negatiua, ac ratione, disc.20.num.7. & 8.

PRINCEPS.

Bona aliena concedere potest ad materiam leg. *benè à Zenone*, disc.149. num.8.
Creditor ratione Principatus, vel potiùs iure priuato quando dicatur, disc.20. n.9.
Hypothecam tollere potest, vel anteriori-tatem; Sed in dubio non præsumitur, disc. 5.num.21. & 22. disc.21.n.3. & 5.
Idem bona diuerso iure possidere potest, & in aliquibus reputatur vti priuatus, disc. 20.num.6.
Iuri tertij præiudicare voluisse non præsumitur, disc. 5.num.21.
Derogare àn possit sine causa, disc.21. num.4. disc.139.num.7.
Ius tertij quinam tollere possit, & de feudatarijs maioribus remissiuè, disc.20.nu.3.
Laicus inhabilitare potest eius subditum ad contrahendum etiam cum clericis, disc.10.num.31.
Subintrationem in locum creditoris dimissi præcipere potest, disc.5.num.15.
Supremus habet fiscum priuilegiatum in causa primipilari, disc.20.num.4.
Vid. supra Primipilare, *vid.* Papa.

PRIVILEGIVM.

Positiua à lege concessum eadem tollere potest, disc.10.num.10.
Vid. Primipilare.

PROBATIO.

Adminiculatiua procedit cum regula, *ut singula quæ non prosunt*, disc.148. nu.5.
Præsicanda quomodo sit, ibid. num. 7. & 11. *Vid. infra verbis.*
Æquipollens quæ suppleat requisita *l. scripturas* qualis esse debeat, d.33.n.6.&7.

Imperfecta admittitur ad probandam simulationem, quando subest causa simulandi, disc.77. num. 6.

Lenior sufficit ad liquidationem crediti, disc.80 num. 14. disc. 148. num.4.

Vid. Liquidatio.

Naufragij per assecuratum quomodo facienda, disc. 111. n. 12. disc.106.n.35.

Negatiuæ solutionis non incumbit creditori, disc.105. num. 14.

Fallit si hæc negatiua allegetur à tertio ad alium effectum, vel agatur pro purificatione obligationis conditionalis, disc.105. num. 15.

Perfecta excludit contrariam possibilitatẽ, disc.45.num 5. disc.105. num.9. discur. 129. num.4.

Præsumptiua non sufficit in ijs, quæ sunt fundamentum intentionis agentis, disc. 105. num.13.

Solutionis concludens esse debet, & vniuoca ad effectum vt fideiussor agere possit contrà principalem, disc.105. num 7.

Testibus ex duobus perfecta habetur, & quandoque ex vnico etiam adminiculato, disc.33.num.7.

Veritatis ordinis, vigore cuius solutũ est, alleganti incumbit, disc.68. num. 2. Et quando secùs, num.3. ibid.

Versionis pecuniæ mutuatæ ad emptionẽ, vel refectionem adminiculatiua sufficit, disc.1.num.12.

Item in probanda identitate pecuniæ furatæ, disc.26.num.3.

PROBATIONVM.

Materia est Iudici arbitraria præsertim in præsumptiuis, disc 109. num.2.

PROCVRATOR.

Censum cum ipso creatum validè àn extinguat, disc. 55. num.4.

Committendo non potest facere incurrere principalem in pœnam, disc.57.num.4.

Culpa de qua teneatur, & non faciendo diligentias, ad quid sit adstrictus, disc. 18. num.13. & 14.

Debitoris dicitur creditor, & proindè exercet omnia iura illi competentia, disc.40. num 2.

Fines mandati si excedat gesta erunt inualida, disc.84.num.3.

1. *Fallit* si substantia rei non immutata excessus respiciat effectum mandati, disc.84.num.4. & seqq.

2. *Fallit* si accedat ratificatio, ibidem num.9.

Generalis habens facultatem substituendi, àn ea vti possit ad omnia remiss. disc.72. num.3.

Liquidare non potest instrumentum via Ritus M.C.V. Neap., disc.116.num.12.

Neque admittitur ad comparendum pro debitore, disc.116.num.14.

Vid Ritus.

Solutionem recipere potest à debitore in præiudicium creditorum Domini; non autem facere confessionem de recepto, vel alium actum fictum, disc.40. num.6. & 10.

Alia *vid.* Mandatarius. Mandatum.

PRODVCTIO.

Librorum, vel alterius scripturæ quando sit præiudicialis vt non possit pro parte approbari, & pro parte respui, disc.78. num.19.

PROFESSORES.

Beneficio *deducto* gaudent, disc.122. nu.1. Et de quibus professoribus intelligatur, ibid. num.2. Atque quid sit, si sint etiam Doctores, num.4.ibid.

PROIECTVS.

De casu àn teneantur assecuratores, discurs. 106. num.13.

PROTESTATIO.

Contraria facto non attenditur, sed ipsum factum, & quando secùs, disc.67. nu.6.

Nouationem excludit, ibid. num.3.

Fallit si contradicat facto, d.67. n.5. Et quando talis contrarietas non adsit in contractu præsertim locationis, & venditionis, ibid. num.7. & 8.

PVPILLVS.

Actionem directam non habet contrà Ministrum deputatum à tutore, discur.88. num. 12.

De quibus contractibus gestis à tutore teneatur, disc 49.num.17. & 18.

Alia *vid.* Minor. Tutela. Tutor.

R

RATIFICATIO.

Actus nulli operatur vt nunc, ideoque *intermedij* præferuntur, d.13. n.10.

Ambiguum mandatum declarat, disc.110. num.2.

Mandato æquipollet etiam quod requiratur speciale, disc.84.num.9.

Pecuniæ per receptionem inducitur, disc. 84. num.10.

Retrotrahi quando dicatur, & de differentia inter necessariã,& voluntariam,disc. 36.num.6.

RATIONVM REDDITIO.

Administratori agenti pro salario quando obstet, disc.61.num.4.& 6.disc.62.num. 5. & 6.

Beneficiato hæredi an, & quando refragetur, disc.63. ex num.5.

Mulieri agenti pro dote opponi non potest, & quando secùs, disc.61.num.7. & 8.& 9.

Socio opponi non potest per socium, qui etiam administrauit, & rationem non reddidit, disc.62.num.7.

REDVPLICATIO

Personarum formalium in iure an,& quando detur in eadem persona materiali, & quandò secùs, disc.8.num.8.& 9.disc.11. num.2. disc.30.num.11. disc.47.num.4. disc.49.num.3.& 11.

REGRESSVS

Creditori non datur super re debitoris ad sui instantiam, vendita etiam quod redeat ad debitorem, disc.4.num.3.& seqq. *vid.* Hypothecam,*verf.* Amplius. *Alia vide* Reuiuiscentia.

REGVLA

Exceptione firmatur in casibus non exceptuatis, disc.18.num.15.

Plus valere, quod agitur, &c. non procedit in feudis, vel officijs, disc. 13. num. 24.

REGVLAM

Habens pro se dicitur habere intentionem fundatam,disc.38.num.11. disc.146.n.5.

REGVLA CANCELLARIAE

De verisimili notitia quando procedat, discurs.109.num.6.

REINTEGRATIO

Debitori competit contrà creditorem immissum in saluiano, qui iam satisfactus est, disc.134.num.3.

RELEVIVM

Non præstatur si feudum iure resolutiuo deueniat ad primum possessorem, disc. 4.num.7.

RELIGIOSVS. *Vide* Monachus.

REMISSIO

Dati in certam causam ea non secuta quando præsumenda, disc.125.num.10.

Hypothecæ quando inducatur ob non comparitionem in concursu, disc.29.nu. 3.8.& 9.

Inducitur ob consensum tacitum, vel expressum alienationi rei hypothecatæ præstitum, & quid quoad pretium, ibid.num.4.disc.34.num.3. disc.35.nu.6. Siuè præcedat, siuè subsequatur per ratihabitionem, disc.35.num.8.

Et quod consensus resultet ex petitione, seù receptione partis pretij, ibidem, num.9.Nisi recipiatur ex diuerso titulo, disc. 35. num. 10. Secùs vbi est vnicum ius, ibid.num.10.

Et an ex silentio, & taciturnitate resultet iste consensus,disc.29.n.5. Quodq; sufficiat consensus implicitus, d.35.n.6.

Et de differentia inter actum positiuum, & negatiuum, disc.29.num.6.

Hypothecæ inducitur ob consensum alienationi pro credito postea superuento, disc.34.num.13.

Hypothecæ *inducta* ob consensum alienationi operatur, quamuis res alienata denuò acquiratur, disc.34. num.4. Et quomodò id procedat, disc.38.num.11.

Intell. si res nouo titulo acquiratur; Secùs si reuertatur iure redemptionis,discurs.34. num.4. Et quomodò declaratio sit intelligenda, ibidem, num.8.

Quid autem si redemptio non fiat cum pecunia tertij, sed debitoris, d. 34. n.10.

Partis debiti quando possit fieri per maiorem partem creditorum in præiudicium aliorum, disc.48.num.11.

Pensionis ob damnum passum in re conducta quando detur, disc.6.num.12.

RENVNCIATIO

Iuris quæsiti fieri nequit in præiudicium creditorum, disc.138.num.2.

Successioni intelligitur de immediata,disc. 38.num.8.

Vxoris promissa si fuerit à viro, non excusabitur vir ob diligentias,d.124.num.11.

Fallit si renunciatio contineret læsionem, ibid.num.12.

Alia vide Repudiatio.

REPETITIO

Dati in certam causam ea non secura quando concedatur, distinguuntur plures casus, disc.125.num.7.& 9.

Salarij dati his per quos non stetit, quod inseruirent, non conceditur, ibid.nu.8.

Alia vide Indebitum.

REPVDIATIO

Iuris quærendi quando fieri possit à debitore in præiudicium creditorum, disc.137. num.2. *vid.* Debitor. *verf.* Legitimam. Potest.Repudians.

REPVGNANTIA

Eodem in actu admitti non debet, disc. 36. num 7.

RES

Acquisita à possessore hæreditatis, vel alterius iuris vniuersalis quando succedat loco pretij, disc. 26. num. 6. & 7. disc. 34. num. 11. disc. 35. num. 38.

In dubio non succedit, sed fit acquirentis, disc. 35 num. 39. Fallit, vbi accedat destinatio, vel concurrat testatoris præceptum, disc. 35. num. 40. Verùm contraria præsumptione tollitur, ibid. num 41.

Et quid in personis priuilegiatis, vel in subsidium, disc. 26. num. 8.

Data in solutum à debitore hæreditatis fit hæreditaria tam respectu venientium iure dominij, quàm respectu creditorum, idemque in omnibus vniuersalibus, disc. 35 num. 38.

Defectæ rei, immediatè subrogata quando eius loco succedat; Præsertim si ex eadem re defecta producta sit, ibidem, num. 27. & seqq.

Doris fauore an succedat loco pretij, ac efficiatur dotalis, disc. 35. num. 53. & 54.

Extantis rei loco generaliter succedit tam in vniuersalibus, quàm in particularibus, ibid. num. 26. & de ratione, ibid. nu. 27.

Fisci fauore an succedat loco pretij, disc. 35. n. 53. & 54.

In particularibus loco pretij non succedit, disc. 26. n. 6. & 7. disc. 35. n. 44.

1 *Fallit*, si acquisitio fiat ab vno nomine alterius, disc. 35. n. 45.

Sublimita in feudis, & effectis in quibus non admittitur simulatio, disc. 35. num. 45.

2 *Fallit* in casu subsidij, ibid. n. 46. Reprobatur hæc opinio, disc. 35. n. 48. Et quod procedat contrà fouentem causam lucratiuam, ibid. num. 49.

Et quid in priuilegiatis, & fouentibus causam onerosam, & quando secùs, disc. 35. n. 50. ad 54.

Alia vide Pretium.

RES IVDICATA

Non inducitur per sententiam absolutoriam ab obseruatione iudicij, disc. 92. n. 8. & 9.

Quid operetur, ibid. num. 8.

Alia vide Sententiam.

RESERVATIO

Primæuorum iurium quid operetur euicta re in solutum data, disc. 27. n. 12. & 18. disc. 32. n. 9.

Alia vide Nouatio. Protestatio.

RESIDVI

Verbum importat confessionem receptionis totius debiti, disc. 105. n. 7.

RESTITVTIO. *Vide* Auocatio.

RESTITVTIO IN INTEGRVM

Hæredi adeunti sine inuentario an & quando concedatur, disc. 40. num. 32.

Maioribus an & quando competat, disc. 8. num. 4.

RETENTIO

Conceditur de æquitate, vbi non intrat compensatio, disc. 60 n. 8. disc. 63. n. 8.

Creditori immisso ex processu inordinato conceditur, disc. 112. n. 10.

Declaratur, & quando procedat contraria opinio, ibid. num. 11.

Maternarum dotium facta per patrem an, & quando inducat hæreditatis maternæ additionem in filio, disc 137. n. 2.

RETRACTVS

Remissus non censetur ex petitione pretij facta per vicinum venditoris creditorem, disc. 35. n. 11.

REVIVISCENTIA

Actionum datur fauore hæredis grauati restituta hæreditate, disc. 36. n. 22. disc. 34. num. 6.

Census conceditur euicta re in solutum data pro eo, disc. 32. n. 6.

Creditoris conceditur, qui promisit euictionem rei venditæ, vel restitutionem pretij, disc. 32. n. 7.

Datur de æquitate etiam in non priuilegiatis, ibid. n. 13.

Contrarium de rigore iuris, disc. 32. num. 14.

Debiti etiam quoad cursum fructuum indulgetur secuta auocatione pecuniæ, ibidem, n. 2. 3. & 5.

Doris fauore conceditur euicta re in solutum data, disc. 32. n. 13.

Intrat quoties primæua iura fuissent reseruata in receptione dationis in solutum, ibid. n. 9. disc. 67. n. 4.

Nomine debitoris assignato reperto non soluendo datur ad fauorem assignatarij, disc. 32. n. 8.

Quando non intret, licèt ipsa res euincatur, ibid. n. 22.

REVS

In sua exceptione est actor, disc. 57. nu. 11. disc. 108. n. 13.

Vincere debet in dubio, disc. 137. n. 5.

RITVS M. C. V. NEAP.

Instrumentorum super liquidatione contrà clericos non est practicandus, disc. 116. n. 3. & 4. & de ratione, n. 18.

Neque potest per forum ecclesiasticum exigi pœna, ibid. n. 18. & 19.

Et quid in clerico coniugato, d. 116. num. 21.

Iuramentum à creditore exigit super veritate instrumenti, aliàs subiacet pœnæ periurij, ibid. n. 13.

Non practicatur contrà personas, quibus debita est reuerentia, quia est iudicium famosum, disc. 116. num. 15.

Probanti in forma requirit instrumentum subscriptum per testes, ibid. n. 10.

Item liquidum, & non egens probatione extrinseca, ibid. n. 11.

Procedit etiam si partes non paciscantur, disc. 116. n. 17.

Non procedit post lapsum viginti annorum, disc. 117. n. 6.

Per procuratorem, vel cessionarium practicari non potest, disc. 116. n. 12.

Procuratorem debitoris non admittit, ac debitor non auditur nisi in vinculis, vel facto depositio, ibid. n. 14.

Et de pœna, quæ contrà debitorem exigitur, ibid. n. 15.

Alia vide Via executiua.

ROIAS

Decis. 261. ponderatur, disc. 150. n. 8.

Decis. 138. explicatur, disc. 116. ex n. 3.

ROTÆ

Decisiones quomodò extendendæ, discurs. 119. num. 9.

Stylus præsupponendi decisiones, eaque incidenter non reuocandi refertur, discurs. 10. n. 5.

ROTAE DECISIONES

Anconitana *pecuniaria* 11. Maij 1668. *Beuilaqua* perpenditur, discurs. 80. ex n. 2.

Bononien. *discussionis* 14. Decembris 1654. & 5. Maij 1655. *Bichio* exarantur, discurs. 10. ex num. 2.

Farinac. post consil. 76. casus refertur, disc. 68. num. 12.

Post *Pacific.* 136. & 137. expenduntur, disc. 36. n. 8. & 9.

Romana *assecurationis* 5. Decembris 1670. *Priolo* consideratur, disc. 106. per totum.

Beneficij c. *Odoardus* 5. Martij 1668. *Otalora* perpenditur, disc. 119. per tot.

Mercedis 3. Iulij 1666. *Bourlemont* examinatur, disc. 57. ex n. 3.

Pecuniaria 11. Maij 1643. *Verospio decis.* 183. *p.* 9. *rec.* explicatur, disc. 47. n. 2. & 4.

Pecuniaria de Comitibus 1. Aprilis 1661. & 23. Ianuarij 1662. *Bourlemont*, ac 14. Martij 1664. *Ninot* expenduntur, disc. 53. num. 2. & seqq.

Pecuniaria 19. Iunij 1671. *Rondinino* examinatur, disc. 130. à num. 2. per tot.

Saluiani 13. Februarij 1665. *Albergato*, & 19. Nouembris 1666. *Carpinea* excutitur, disc. 1. ex num. 2.

Transactionis 27. Iunij 1670. *Beuilaqua* expenditur, disc. 71. ex num. 2.

Post *Zacch. de oblig. camerali decis.* 173. & *decis.* 180. *aliàs* 348. *p.* 9. *recen.* explicantur, disc. 116. ex n. 3.

S

SALARIVM

Administrator præsumitur sibi satisfecisse ex bonis administratis, disc. 61. ex num. 4.

Causidicorum non conuentum an, & quomodò debeatur remissiuè, disc. 60. nu. 3.

Debetur ijs, per quos non stat, quo minus inseruiant, disc. 125. num. 8.

Operariorum gaudet potioritate super fructibus rei cultæ remissiuè, disc. 17. nu. 4.

SALVIANVM INTERDICTVM

Comperere cur non debeat in bonis alienari prohibitis, disc. 151. num. 14.

Euictionem non importat, disc. 135. n. 11.

Extrema quænam requirat, disc. 35 num. 2.

Hæbreis an competat, disc. 151. numer. 12.

Hypothecam exigit, sine qua non datur, disc. 14 num. 3. disc. 24. num. 5. & 7.

Locis super montium datur, donec existunt penès debitorem; secùs postquam legitimè fuerint in tertium translata, discurs. 13. numer. 18.

Prohibitorum alienari super commoditate, seù fructibus datur, & quando, disc. 14. n. 4. 6. & sequentibus, discurs. 151. num. 7.

Quid importet, & quale ius tribuat, ibid. num. 13.

SALYCET.

In *l.* 2. *C. de fideiussor.* examinatur, disc. 7. nu. 3. & 11.

SCARTAFACCIA

Acceptari possunt in parte, & in parte non, di-

disc.49.num.15.
Nundinarum non probant,& alterari possunt, ibid.num 13.
Declara durantibus nundinis secùs eis completis, num.14.ibidem.

SCIENTIA

Certa requiritur in præiudicialibus, nec sufficit præsumpta, disc.75. num.3.
Creditoris dimissi an sit necessaria, vt mutuanti pro eo in parte dimittendo suffragetur pactum de subintrando, & qualis esse debeat, disc.4.n.15.& 16.*Vide* Subintrans.Subintratio.
Debitoris cessi sine requisitis, an prohibeat huic soluere cedenti, disc.70.num.9. *vide* Cedenti.
Fideicommissi an inducat in grauato alienante dolum, disc.36.num.14.*Vide* Hypotheca tacita, *verſ.* Grauati.
Litis sufficit, vt Ecclesiæ detur actio euictionis sine denunciatione, disc.71.n.5.

SCRIBA

Nauis notarius est negotij,& per eius apocam probatur oneratio mercium, disc. 106.num.16. *Vide* Oneratio.

SCRIBENS

Tenetur ergà eum, cui scripsit litteras, & mandatum dedit, disc.5. 1num.2.
Amplia etiam quod ille, in cuius gratiam scriptum est, esset in malo statu, ibidem, num.4.
Intell. nisi status mutetur, postquam mandatarius noluerit litteras acceptare, discurs.51.num.6. & seqq. *Alia vide* Epistolæ.Litteræ.Litteræ cambij. Mandatarius.

SCRIPTVRA

Priuata an, & quando exigat requisita *l.scripturas, C.qui pot.* vt probet, disc.22. num.8.& 9. disc.28. num.11. disc.33.ex num.5.*Vide* Leg *verſ.*Scripturas.

SCRIPTVRÆ

Dispositiua pars attendi potiùs debet,quàm procœmium, discur.104.num.4.& 15.
Occultatio quos effectus producat contrà occultantem, disc.94.num.4.
Ordo attenditur in debitis ex eadem resultantibus circà anterioritatem, d.9. n.4.
Intell. si sint diuersa negotia, ibidem. Secùs si actus sit vnicus, qui perficitur per vltimam syllabam, disc.9.num.7. discurs.15.num.7.
Subscriptio attendi debet non autem corpus, disc.65.num.9.
Atque hæc obligat, disc.81.num.2.
Etiam quod corpus scripturæ sit ab interessato conscriptum, ibid. num.3.
Et ad quid ista circumstantia veniat consideranda, disc.81.num.4.
Verificatio in parte sufficit pro toto, disc. 68.num.21.
Alia *vid.*Instrumenta.

SCVTVM

Marcarum in dies recipit alterationem, discurs.115.num.1.& 2.

SCVTORVM

Auri diuersæ species referuntur, disc. 140. num.11.Alia *vid.*Moneta.

SEMEN

Mutuans potioritate gaudet super frumento recollecto remissiuè, disc. 17. num.4.

SENES

Beneficio *deducto* gaudent in ætate 70. annorum, disc. 122.num.14.
Et an præcisè sit necessaria dicta ætas, & qualis sufficiat, ibid.num.15.

SENTENTIA

Absolutoria vulnerat viam executiuam; non autem remedia possessoria, disc.60. num.4.
Fall. si sit absolutoria ab obseruatione iudicij, disc.92.num.9. *Vid.*Via executiua, *verſ.*Vulneratur.
Præfecti prætorio non exequitur sine cautione, disc.92.num.13.
Reuocatoria est appellabilis ad seruandam æqualitatem, disc.117.num.10.Alia *vide* Res iudicata.

SEPARATIO BONORVM

Inter creditores chirographarios hæredis, & creditores hypothecarios defuncti an detur, disc.37.num.12.
Iurisdictionalibus intrat in bonis, & de ratione, disc.13.num.25.
Fallit si defunctus grauatus erat fideicommisso, & quid attenta bulla Baronum,num.26. & 27. ibid.
Prohibitis in bonis non intrat,sed creditores hæredis cum assensu vincunt creditores defuncti sine assensu, & de rationibus,disc.13 ex num.20.disc.27.n.4.& 25.
Et quid si filij petant vitam militiam, vel paragium,disc.27.num.24.
Septuagenarij *vid.* Senes.

SEQVESTRVM

Apponi solet ex causa, & quando,disc.114. num.3.& 8.
Prohibitum regulariter est,& non debet ab eo incipi de facto, disc.22.num.2.& 24. disc.114.num.2.

Rei quæ sub lite est propriè petitur; Sed si agatur actione personali intrant termini assecurationis iudicij, d 114. num. 4.

SERAPHIN.

Dec. 891. explicatur, disc. 147. num. 6.

SERVI

Obligatio pro præparatorijs futuræ libertatis valet, disc. 83. num. 12 & 13.

Publicis à muneribus arcebantur, nõ autem seruilibus, disc. 25. num. 11. & 14.

SIGNATVRA

Rescribere solet de appellatione etiam in iudicio executiuo, & quando, disc. 112. num. 5. *vid.* Commissio.

SIMVLATIO

Argumentis ex pluribus probatur, quæ recensentur, disc. 77. num. 5.

Causa simulandi accedente imperfectis probationibus iustificatur; Secùs è contrà, disc. 77. num. 6.

Causæ, vel contractus data eadem veritate est permissa, ibid. num. 8.

Non est permissa vbi cessat veritas, seù aliàs ius debitoris efficiatur deterius, disc. 78. num. 10.

Et quando potiùs dicatur nouatio, seù transfusio, ibid. num. 9.

Certam regulam non recipit in eius probatione, disc. 77. num. 12.

Damnata in iure quænam sit, ibid. num. 7.

In feudis, & officijs non admittitur, discur. 13. num. 24. disc 35. num. 45.

Personæ non est damnata, disc. 62. num. 3. disc. 84. num. 6.

Intell. dummodo debitum sit verum, disc. 77. num. 7.

Verisimilitudine, vel inuerisimilitudine valdè comprobatur, disc. 77. num. 4.

SINVS

Maritimus versus Ciuitatem magnam, totus illi attribuitur, quamuis rigorosè sint diuersa territoria, discur. 108. numer. 3. *vid.* Assecuratio *vers.* portus.

SOCCIN.

Cons. 206. *sub num.* 1. *vers. septimus, & vlt.* casus explicatur, disc. 7. num. 3. & 11.

SOCIETAS

Dici quando valeat, vel potius admissio ad participationem vtilium, disc. 87. num. 7. disc. 89. num. 5. *vid. Ad* Participationem.

Dissoluta facto vnius quomodò dicatur, disc. 89. num. 3.

Diuersa euadit ex mixtura diuersæ personæ, ibid. num. 4.

Fallit si hæc admissa fuerit ad participationem tantùm, disc. 89. n. 5., & 6.

Item si admittatur nouus socius ad negotium particulare tantùm, disc. 89. num. 7.

A muliere sinè solemnitatibus Statuti contrahi nequit, d 75. n. 4.

Fallit in negotijs mercantilibus, & de ratione, ibid. n. 5. 6., & 12.

Præsumenda in dubio non est, sed concludenter probanda, disc. 88. num. 6.

Vniuersalis seù omnium bonorum quandò dicatur, d. 87. nu. 3.

Quomodò probetur num. 4. ibid.

Non præsumitur in dubio, disc. 87. num. 3.

SOCIETAS OFFICII

Quomodò lucretur, & quando obstet defectus implementi d. 33. n. 2.

SOCIVS

A iectus à quo tempore sit obligatus, distinguitur inter priuatos, & Fiscum, disc. 88. ex num. 9.

Consocio non opponit de rationibus non redditis, si ipse quoq; administrauerit, & rationes non reddidit, disc. 62. n. 7.

Contrahens in dubio. àn præsumatur sociali nomine fecisse, vel potius priuato, disc. 87. num. 7.

Culposus tenetur ad damna etiàm societate dissoluta prouenientia, disc. 89. num. 8. *vid. Inter* Socios.

Quando dicatur ibid. num. 10.

Dicitur non præstans operam personalem, quàm præstare tenebatur, disc. 89. num. 12.; Et quid si adhuc damnum euenisset, & à quo sit hoc probandum, disc. 89. num. 13.

Debitum proprium nom compensat cum credito sociali, d. 47. nu. 8., & quando secus num. 9. ibid.

Exactum à cõmuni debitore sua diligentia, tenetur alijs communicare d. 147. n. 2.

Eximere se non potest à negotio in præiudicium sequentium negotij fidem, nisi cum denunciis, disc. 75. num. 9., & de ratione num. 11. ibid.

Obligat consocios in solidum, disc. 75. nu. 10. disc. 87. num. 5.

Obligatus à consocio nõ tenetur vltrà summam in negotio positam, disc. 87. n. 11.

Particulari in societate obligat socium, si sociali nomine contrahat, d. 87. n. 5.

Et non requiritur probatio versionis, num. 10. ibid.

Neq;

Neq; obstat dolus *socij* contrahentis, d. 87. num. 12.

Particularis potest mutuare negotio sociali, seù alias cum eo contrahere, disc. 62. num. 2.

Et præsumitur mutuare proprias pecunias, non autem sociales, ibid. n. 4.

Pecuniam si tradat socio àn proprio, vel sociali nom ni lit referenda, disc. 76. n. 10.

Priuato nomine si contrahat, & pecunia versa sit in vtilitatem societatis, competit creditori actio contrà consocios, d. 87. num. 10.

Socio si vendat communem rem diuisibilem durat hypotheca d. 35. n. 21.

Secus si vendat rem indiuiduam, & de ratione differentiæ n. 22., & 23. ibid.

Vniuersali in societate obligat alium *socium*, & de ratione d. 87. n. 3.

SOCII

Dare inter se, & recipere solent pecunias, d. 76. n. 12.

Inter SOCIOS

Lucra, & damna præparata durante societate sunt communia, etiam post dissolutam societatem, d. 89. n. 9.

SOLEMNITATES

Mercantilibus in negotijs factis per minores, & mulieres non requiruntur, & de ratione, disc. 75. num. 56., & 12. disc. 78. num. 8.

Mulierum in cõtractibus, quænam in Vrbe requirantur, disc. 1. num. 7.

Prohibitarum rerum validè obligatarum in alienatione non exiguntur, disc. 150. num. 9.

Statutariæ non requiruntur in locationibus domorum, & obligatione ad vsualia, disc. 149. num. 13.

Et quando isto casu intrare possit infectio actus, num. 14. ibid.

SOLIDATIO

Facta cum principali debitore àn, & quando afficiat fideiussorem, disc 90. num. 10. & 11.

SOLVENS

Adiecto in diuerso loco tenetur *creditori* ad interesse, d. 66. nu. 8.

Alteri quàm vero creditori àn, & quando excusetur, & de requisitis, discur. 58. num. 3.

Et àn debeat expectare coactionem Iudicis effectiuam, n. 4. ibid.

Expectare debet si creditor sit cognitus non verus, disc. 58. num. 5.

Quid autem si debitor fuisset morosus àn suffragetur talis solutio, ibid. num. 6., & 7.

Intell. prædicta in solutione vera, non autem ficta, disc. 58. num. 13.

Item si fuerit seruata forma in mandato Iudicis contenta, ibid. num. 14.

Falsi ordinis in vim, àn liberetur, refertur vtraquè opinio cum distinctione inter depositum regulare, & irregulare, disc. 68. num. 4., & 5.

Item distinguitur bancum publicum, & priuatum, num. 6. ibid.

Et consideratur excusabilitas, & inexcusabilitas, disc. 68. num. 26.

Atq; de casu in quo bancum priuatũ excusatur, num. 28. ibid.

Quid si ordo, vel signum sint vera, sed citrà voluntatem creditoris, d. 68. n. 27.

Grauato hæredi liberè benè soluit, & quando secus, disc. 59. num. 9.

Hæredi, vel Prælato putatiuo cum bona fide, àn liberetur, disc. 58. num. 10.

Et quid si accedat præceptum Iudicis, numer. 11. ibid.

Procuratori præsumpto, vel iustè opinato àn, & quando liberetur, disc. 58. nu. 8., & 9. disc. 68. numer. 29.

SOLVTIO

Adiecto fieri non potest vnius rei pro alià, & quando secus, disc. 66. n. 2., & 7.

Alteri quàm vero creditori facta de mandato Iudicis, àn liberet, disc. 58.

Currenti fieri potest in moneta licèt inferioris materiæ, & quando secus, d. 139. num. 6. disc. 140. num. 12.

Et si fuerit conuenta in vna specie, àn possit fieri in æquiualenti, disc. 66. n. 9.; Et àn in ea peti possit, disc. 92. num. 18. Alia *Vid.* Moneta.

Debitore à decocto facta habetur pro infecta, & non potest excusari auocatio, d. 2. n. 11. d. 48. nu. 7. *vid.* Auocatio.

Decocto fieri non potest, & facta non liberat, disc. 48. numer. 7.

Duriorem referenda est ad causam, pro qua datus est fideiussor, disc. 43. numer. 2. disc. 102. num. 2.

Et in solutione facta per administratorem durante administratione, d. 102. numer. 3.

Declar. quando hæc solutio referẽda, sit ad obligationẽ fideiussoris, n. 4. ibid.

Item pro qua currunt vsuræ, disc. 45. num. 7.

Fall. si lex conuenientiæ, & verisimilitudo aliud suadeant, ibid.n.7.,& 8.
Expressa vbi adest declaratio cessant quæstiones circà solutionis relationem, disc. 43. num. 3. disc. 45. num.2. discur. 79. num. 12.
Intell. si creditor, vel interessatus consentiant; Siq; debitor non sit mortuus naturaliter, vel ciuiliter, disc. 43. num.9.
Et quod non possit debitor declarare in præiudicium creditorũ, & fideiussorum, disc. 44. num.2. disc. 45. num.3.; Nisi declaratio sit adminiculata, disc.44. num. 5.
Ficta quandoquè non liberat, disc.55.n.15.
Imaginaria cum creditor succedit debitori inducta est fauore hæredis, si ei expediat disc.40.num.31.
Et quomodo practicanda, discur.127. num.7. disc.136.num.10.
Indebitam ad causam referenda non est, si adest debita, disc.44. num.10.
Inuito creditori fieri nequit in causam posteriorem, atquè censetur facta in anteriorem, disc.43. num.4.
Et anterior dicitur illa, ex qua prius cogi potest, ibid. num.5.
Iudicis mandato facta alteri, àn liberet, disc.58.
Libera peti, àn & quãdo possit, *vid.* Cautio.
Malè facta, quando sit, vt iterum quis soluere teneatur, disc.55.num.3.
Negotiorũ ob diuersitatem referri, quando debeat potiùs in posteriorem, vtpotè de eius effectibus, quam in anteriorem causam, disc.42.num.8. disc.43.num.3.& 4.
Procuratori vel negotiorum gestori facta àn liberet *vid.* Procurator &c.
Proprio creditori quatenus non Domino rei mutuatæ facta liberat, disc.55.num.3.
Et quatenus eius nomen sit creditoribus affectum, num.5. ibid.
Proprium referri debet ad debitum, non autem fideiussorium, disc.105.num.3.
Referri ab anteriore creditore non potest in causam posteriorem in præiudicium intermediorum, disc.43.num.7.
Resoluit hypothecam super nominibus debitorum competentem, disc.40.num.5. disc.46.num.11. disc.48.num.4.d.55.n.5.
Intell. vt procedat in vera nõ autem ficta, disc.40.num.6. disc.46.num.11.
Et idem est in administratore, vel procuratore, disc.40.num.6.
Vera fieri potest administratori, vel procuratori, non autem ficta, ibid. num.10.
Vsurarum repetitionis ad effectum concludenter probanda est; Secùs ad effectum imputationis in sortem, disc.129.num.6.

SOLVTIO PRAESVMPTA

Agendo, vel excipiendo àn allegetur, quid interfit, d sc.105.num.10. disc.132.nu.9.
Apocæ ex restitutione, vel laceratione resultat, disc.129.num.5.
Vel occultatione cum taciturnitate, disc.94. num.5.
Combinata cum præscriptione quid operetur, disc.131.num.28.29.& 30.
Coniecturis ex quibus inducatur ad materiam *l. Procula*, disc.132.num.3.& 4.
Et quomodo regulandæ, num.5.ibid.
Ac generaliter, disc.82. num.11. disc. 105. num.5. disc.125.num.41. disc.129. num.5. disc.131. num.11.
Diuturno ex silentio præsumitur, disc.129. num.3. & 5.
Dotis quando censeatur facta, & de distinctione qualitatis bonorum, disc.132.n.7. & præsertim mobilium, disc.131.n.11.
Et quod pactum inuestiendi excludat præsumptam solutionem, disc.132.nu.8.
Indebiti ad repetitionem non suffragatur, disc.105.num.12. disc.129.num.4.& 5. *vid.* Præscriptio statutaria *vers.* agendo.
Pecuniæ à famulo exactæ quanto tempore præsumatur, disc.130.num.13.
Statutaria à præscriptione inducitur, disc. 129. num.2. & 10. *vid.* Præscriptio statutaria.
Statuto præscriptionis inductiuo adminiculatur, disc.132.num.6.
Terminorum antecedentium deducitur ex tribus continuatis solutionibus, discur. 129.num.5.

SPOLIVM

Purgandum est antè omnia remiss. disc.16. num.2.

SPONSIONES

Nauis quæ fiunt super fortuna qualiter regulandæ, disc.111.num.5.
Non tenent si de tempore quo fiant, casus iam esset secutus, etiam quod ignoraretur, disc.109.num.4.
Quomodò fiant, & de earum materia remiss. disc. 108. num. 8.

STATVS

Personæ est individuus, disc.10. num.32.

STATVTVM ARIMIMEN.

De inuentario faciendo per viduam de bo-

nis mobilibus defuncti refertur, discur. 128. num. 1.

Hæredi iuramentum super sola æstimatione defert, ibid. num. 7.

Non procedit si mobilia remaneant in posse hæredis, num. 9. ibid.

Remitti àu possit per testatorem, & quando præsumatur, disc. 128. num. 10.

Repetitionem dotis iuratæ, àn impediat, num. 11. ibid.

Et quid si defunctus filios non reliquisset, disc. 128. num. 12.

BONONIAE

Fori mercatorum quid disponat, discur. 10. num. 2. disc. 56. num. 14.

Canonizatum est pluries per Rotam, disc. 10. num. 4.

Clericos non comprehendit, ibidem num. 27., & de veritate conclusionis, & contraria opinione, n. 29. & seqq. ibid.

Debitum ex causa dotis non amplectitur, & quãdo tale esse dicatur, d. 10. n. 17. Et quod non sit tale nomen in dotem datum, ibid.

Dominij reseruationem habentem quoad rem suam non afficit, disc. 10. num. 21.

Exceptuat creditores habẽtes pignus, & de quo pignore intelligatur, ibid. nu. 18. & 20.

Iuratos actus àn comprehendat, disc. 10. ex num. 6. ad 14.

Quod fideiussores non liberentur mutatione Iudicis, vel iudicij explicatur, discur. 100. num. 5.

Et quoad cautionem præstandam per forenses litigantes, ibid.

IANVAE

Lib. 3. de appellat. cap. 4. circà fideiussionem præstandam pro executione mandatorũ memoratur, disc. 92. num. 7.

Lib 4. *tit. de renouat. fideiuss. in iudicio* perimens fideiussionem iudicialem elapso quinquennio explicatur, disc. 92. nu. 3.

Et de alio Statuto mandante renouationem, num. 7. ibid.

Atque, àn annullet acta per priùs gesta, disc. 92. num. 10.

Lib. 4. *cap.* 2. recensetur, disc. 74. n. 1. & 10.

Lib. 5. *cap.* 19. prohibens debitori repudiationẽ iuris sibi delati laudatur, disc. 137. num. 12.

In materia compensationis cũ seipso quid operatur, & in quo differat à iure communi, disc. 49. num. 2. 6. & 10.

PERVSIAE

Concedens Doctoribus beneficium dedu. cto quid operetur, disc. 122. num. 6.

SENARVM

Dist. 4. cap. 272. de bon. debitor. iure creditor. venden. recensetur, disc. 142. num. 2.

An procedat quando licitatio facta est per tertium emptorem, ibid. num. 3. & seqq.

Et àn ius luendi ex hoc Statuto competens cedi possit, disc. 141. num. 20.

Circà successionem in dote quid disponat, disc. 40. num. 3. & 18.

VRBIS

Cap. 143. & 144. àn comprehendat incolas disc. 146. num. 9.

Cap. 149. & 150 in materia donationum recensentur, disc. 123. num. 3.

Cap. 151. in materia solemnitatum requisitarum in contractibus mulierum memoratur, disc. 1. num. 7.

Cap. 152. super contractibus filijsfam. refertur cum materia remiss. disc. 146. nu. 2.

Barones, & Magnates, àn comprehendat, disc. 146. num. 8.

Ciues, & incolas obligat, & quid de districtualibus, discur. 146. numer. 2. & 3. *vid.* Districtus.

Fauorabile est, & non exorbitat à iure disc. 146. num. 10.

In locationibus domus, & vsualium non procedit ibid. num. 13. Et quando isto casu etiam intret infectio actus, num. 14. ibid.

Quando creditor excusetur, vel nè, disc. 146 num. 11. & 12.

Cap. 158. in materia præscriptionis debiti, quando procedat, disc. 129. per totum. *vid.* Præscriptio statutaria.

Fideiussori indulgens petitionem exemptionis recensetur, disc. 103. num. 3.

Et quando procedat, disc. 97. num. 2.

Locum non habet contrà confideiussorem, ibid. num. 3. & 4.

Item non procedit in censu, n. 6. ibid.

Loquens de ciuibus tantùm, àn comprehendat incolas, disc. 146. num. 9.

Seruari debet in toto districtu, ibid. num. 4.

STATVTA IN GENERE

Exorbitantia à iure intelligi debent ad literam, & quominus ius lædant, disc. 128. num. 4. disc. 142. num. 7.

Fœminarum excluiua ecclesiasticos àn ligent, disc. 10. num. 27. & 29.

Hæbreos ligant actiuè, & passiuè, & de ratione,

tione, disc. 101. num. 3.
Idem quod ius commune non obseruatum disponentia, quid operentur, d. 122. n. 6.
Laicalia clericos non ligant, disc. 10. nu. 27.
Et quid si litigent coram Iudice laico, num. 29. ibid.
Atque àn, & quando clericos ligent, disc. 10. ex num. 30. Præsertim si ad formam Statutorum paciscantur, disc. 116. num. 16.
Laicorum iuratos actus non comprehendunt, & quid si adsit Apostolica confirmatio, disc. 10. num. 6. disc. 128. num. 11.
1. *Intell.* si in ipso iurante permitteretur licita contrauentio, disc. 10. num. 7. Secùs si tertius actui iurato se opponeret ibid. num. 8.
2. *Intell.* directè, non autem indirectè ratione doli, disc. 10. num. 11. & 14.
Omissis in casibus non attenduntur, discur. 97. num. 4.

STIPVLATIO

Notarij ius acquirit tertio irreuocabile etiam antè acceptationem, disc. 55. nu. 8.

STIPVLATIONES

Tot iudicantur, quot sunt paghæ, in quibus debitum est distributum, disc. 3. nu. 18.

STYLVS

Alterius Tribunalis, quando attendatur, disc. 127. num. 12.
Non extenditur de casu ad casum, sed attenditur in iudiuiduo, disc. 30. num 7.

SVBAPPALTATOR

A quo die teneatur Reipublicæ, seù Fisco, disc. 88. nu. 12. *vid.* Appaltator. Socius.

SVBINTRANS

Dimissi creditoris in locum efficitur anterior tàm pro sorte, quàm pro fructibus, disc. 5. num. 3.
Contrarium circa fructus, & verius, num. 4., & 5. ibid.
Distinguuntur plures casus, & conciliantur opiniones, disc. 5. à num. 5. ad 18.

SVBINTRATIO

Absq; cessione, vel pacto quando detur, & quando secus fauore dantis pecuniam pro dimittendo creditore, disc. 1. n. 4., & 6. d. 2. num. 5., & 6.
Datur sinè cessione, vel pacto ad fauorem possidentis, de tempore dimissionis ad finem tuendi, disc. 1. numer. 13., & 14. disc. 2. num. 2. 3. 4., & 7.
Et àn sufficiat possessio resultans ex constituto, disc. 2. num. 3.
Pecunia quando dicatur liberè soluta ad hoc, vt non habeat locum, & è contrà, disc. 1. num. 8., & 9.
Principis ex mandato induci potest, disc. 5. numer. 15.

SVBINTRATIONIS

Conuentio cessioni æquipollet etiàm ad effectum agendi, & quando, disc. 4. n. 16. disc. 5. num. 16.
Pacto inter debitorem, & tertium soluentem partem debiti opponere se potest creditor, disc. 3. nnm. 13.
Pactum factum inter mutuantem pro creditore in parte dimittendo, àn huic scienti, & patienti præiudicet, d. 4. n. 15.
Et qualis esse debeat scientia creditoris dimissi, n. 16. ibid. Alia *Vid.* Cessio.

SVBHASTATIO

Noua bonorum debitoris ad instantiam creditoris anterioris, quando permittenda non sit, quàmuis de iure competat, disc. 54. num. 22.
Nulla vbi est àn, & quando concedatur creditori immisso retentio, disc. 112. n. 10., & 11.
Venditio non dicitur iure creditoris, disc. 142. num. 3.
Contrarium verius num. 4. ibid.; Et quid si idē creditor licitetur, d. 142. n. 4. Alia *vid.* Hasta. Licitatio. Licitator.

SVBROGATIO

Denotatur per dictionem *loco*, disc. 141. num. 10.
Fideiussoris, quando concedatur, disc. 141. numer. 10.
Fundi censiti permittitur, cum primus detegitur incapax, num. 10. ibid.
Inuestimenti loco cautionis permittitur, disc. 141. num. 6., & 7. *vid.* Cautio.
Melioramentorum, vel nouarum plantarū, seù ædificiorum loco principalis rei deuastatæ, quando detur, disc. 35. num. 32., & seqq.
Mercium in taberna àn, & quando detur. d. 10. n. 25., & 26. *Vid.* Taberna.
Rei loco rei, vel pretij, ac pretij loco rei, quando inducatur. *Vid.* Pretium. Res.

SVBSCRIPTIO

Albo in folio facta non obligat, neq; præiudicat, disc. 81. num. 5.
Fallit si scriptum sit de voluntate subscribentis d. 8. n. 6. ibid., & àn ità præsumatur num. 9.
Facta quod fuerit cuinam incumbat onus probandi, d. 81. n. 7. 8., & 9.
Et quomodo hæc probatio sufficiat

atque attendi debeat, num. 10. ibid.
Attendi debet, non autem corpus scripturæ, d. 65. n. 9.
Robur scripturæ dat, & obligat, discur. 81. num. 2.
Etiam si corpus scripturæ conscriptū sit ab interessato, num. 3. ibid. Sed in recognitione subscriptionis magis circumspectè est procedendum, discur. 81. num. 4.

SVCCESSIO

Aliud est quod sit necessaria, aliud quod requiratur agnitio, disc 40. num. 18.
Immediata, non autem mediata venit sub dispositione *l. fœminæ*, disc. 38. num. 7.
Materna in dote vigore Statuti, àn dicatur necessaria, & præcipuè in Statuto Senensi disc. 40. num. 17.
Renunciata si fuerit intelligitur de immediata, disc. 38. num. 9.
Alia *vid.* Hæreditas. Hæres.

SVPERFLVITATIS

Argumentum in iure est debile, discur. 73. num. 12.
Supellectilia *vid.* Mobilia.

SVSPECTVS DE FVGA

Contractus de tempore si debitor erat non potest postea iurari, & de ratione, disc. 113. num 7. disc. 114. num. 7.
Fallit si in promptu potuisset capi mandatum executiuum, disc. 113. nu. 15.
Conueniri potest debitor antè diem, disc. 112. num. 6.
Incompetenti coram Iudice iurari, àn possit, si lis pendeat coram alio, disc. 113. num. 12.
Potest si Iudex competens adiri non posset; Secùs è contrà, ibid.
Iurari vt possit debitor, & arrestari, debitū debet esse certum, & liquidum, disc. 113. num. 2. disc. 114. num. 6.
Maximè in Vrbe ob Constitutiones Apostolicas, disc. 113 num. 3. & 4.
Et àn probatio debiti fieri debeat antequam debitor iuretur, vel sufficiat posterior iustificatio num. 5. ibid.
Sufficit posterior iustificatio, dummodò præcedat duplex iuramentum, discur. 113. num. 6.
Et quando pro credito illiquido detur mandatum in certa summa, disc. 114. num. 9.
Malè captus, àn, & quando benè retineatur, disc. 113. num. 16.
Possidens stabilia allegari non potest, ibid. num. 8.
An autem possidere debeat in loco iudicij disc. 113. num. 9.
Et quod sufficiat possidere in eodem Principatu num. 10. ibid. Nisi debitum sit contractum in loco iudicij, & in eodē destinata solutio, disc. 113. num. 11.
Et quando sufficiat possidere in diuerso Principatu, ibid.

T

TABERNA

Considerata de per se an & quando subrogationem admittat rem. disc. 10. n. 25.
Et quid si fuerint merces emptæ per hæredem disc. 35. num. 13.
Et quod in tertio ista subrogatio non possit dari n. 16. ibid.
Mercium si transferatur in tertium subiacet hypothecis per venditorem contractis disc. 35. num. 4.
Minor vbi confunditur cum altera maiori, subrogatio non intrat disc. 10. n. 26. disc. 35. n. 18.
Vniuersale ius quare reputetur d. 34. n. 17.

TAXATIVA

Designatio quando sit, vel potius demonstratiua disc. 71. num. 8. *vid.* designatio.

TEMPLO

In Hierosolymitano deposita reponebantur disc. 68. n. 8.

TERMINVS

Obligationi adiectus àn cēseatur causa terminandi, vel eam differendi disc. 96. n. 3.
Susceptus si fuerit à debitore àn excusetur fideiussor à mora disc. 98. n. 9.

TESTAMENTVM

Ad formam *cap. cum esses*, & *cap. relatu* in quo differant disc. 33. num 8.
Et quare in vna specie magis quàm in altera requiratur maior probatio disc. 33. num. 9.
Iuramentum si contineat, vel aliam formam contractus, quid importet àn talia sint apposita in ipsa dispositione, vel interclausulas generales disc. 10. num. 23.

TESTAMENTA

Error est conscribere in lingua latina disc. 104. n. 7.

TESTES

Contestes, ac sine exceptione requiruntur in probanda extraiudiciali confessione, quæ plenè probet disc. 79. n. 5.

Duo probationem perfectam faciunt, & quandoq; vnicus adminiculatus d. 33. n. 7.
Præsertim si fuisset mediator d. 77. n. 2.
Famuli àn & quando probent, & quid de familiaribus disc. 129. n. 15.
Ministri àn & quãdo fidẽ faciant n. 16. ibid.
In Testamentis quot requirantur ad formã cap. *cum esses* & cap. *relatũ* d. 33. n. 8. & 9.
Tres requisiti à leg. *scripturas* quales esse debeant ibid. n. 7.

TESTIVM

Fides reposita est Iudicis arbitrio d. 78. n. 5.

TEXERÆ

Panis in materia habentur loco instrumenti disc. 73. num. 3.

TRANSACTIO

Cedenti cum nomine cesso quando sit permissa disc. 70. n. 14.
Condominum, vel principale interesse habentem non afficit disc. 138. num. 10.
Debitori non producit effectus præiudiciales, quos parit remissio num. 5. ibid.
Ad expressa quando restringatur, & quando ob amplitudinem verborum extendatur etiam ad non deducta disc. 80. num. 17. disc. 91. num. 7. disc. 124. n. 4.
Fieri àn possit à litigatore in præiudicium eius, cui factum est pactum de quota litis, vel de certa quantitate d. 138. n. 11.
Sententiæ, & rei iudicatæ species est ibid. num. 6.
Successorem independenter venientem àn & quando afficiat disc. 138. n. 4. 6. & 7.

TRANSMISSIO

Agnoscendo fit de iure, non autem agnito, & àn & quando hæres illud agnoscere teneatur disc. 137. n. 16.
Fructuum beneficij inexactorum àn aliquando fiat ad hæredem disc. 149. n. 4. & 5. *Vid.* Camera.

TRIBVNALIA

Suprema regulis generalibus affixa esse non debent disc. 141. num. 11. *Vid.* stylus.

Pro TVTELA

Exercita à filio an Pater teneatur disc. 86. num. 11.

TVTOR

Clericus àn & quando esse prohibeatur disc. 119. num. 10. & 17. *vid.* Clericis *vers.* administratio.
Differt à ministris subordinatis d. 119. n. 18.
Pecuniam pupillarem non potest negotiationibus exponere disc. 49. n. 7.
Et ex ea emere non potest incertam aleam ibid. n. 18.
Pupillum quando obliget disc. 49. n. 18.
Vendere non potest habita fide de pretio disc. 10. num. 24. disc. 17. num. 8.

V

VALOR

Mercium assecuratarum àn attendi debeat in loco à quo, vel in loco ad quem disc. 106. n. 10. disc. 107. n. 9.
Conueniri potest ab initio ibid.
Peremptarum mercium si non constet de quantitate reposita in sarcinis, quomodo probandus disc. 108. num. 14. & 15.
Et quod stetur assertioni scribæ nauis, vel apocæ oneratoriæ n. 16. ibid.

VARIATIO

Creditori conceditur in executiuis d. 126. num. 11.
Sed poterit Iudex ex causa eius arbitrium refrenaræ num. 12. ibid. Præsertim contra secundum, vel tertium creditorem disc. 126. n. 13.
Et quid si ageretur contra bona fideicommissaria vigore Bullæ baronum num. 14. & 15. ibid.
Electione facta in alternatiuis amplius non licet, & de ratione disc. 141. num. 2. & 12.
Inuestimenti semel facti non permittitur, & de ratione disc. 141. num. 3. & 12.

VENDITIO

Approbata dicitur per creditorem ex petitione, vel receptione partis pretij disc 35. n. 9.
Fallit si recipiatur ad vnum effectum, quia non præiudicat ad alium diuersum num. 10. ibid.
Non dicitur per habentem ius retractus, qui vti creditor venditoris ab emptore petat pretium disc. 35. num. 11.
Sub hasta non dicitur fieri iure creditoris disc. 142. num. 3. contrarium verius n. 4. ibid. Alia vid. hasta. Citatio, subhastatio

VENDITOR

Animum non habens de pretio fidem habendi dominium à se non abdicat disc. 6. num. 8. disc. 23. num. 2.
Dominij reseruatione cessante postponitur in re sua creditoribus anterioribus; secus ea accedente disc. 6. num. 5. & 6. disc. 17. num. 6. disc. 23. num. 2 disc. 26. num. 10. *Vid.* Dominij reseruatio.
Mercium adhuc existentium in dohana su-

per

per illis præferri debet pro pretio disc. 23. num 6. & seqq.

Prætij pro residuo quomodo concurrat cũ eo, qui mutuauit pro solutione partis eiusdem pretij disc. 3. num. 14. disc. 4. num. 12.

Et quod præferatur maximè si reseruauerit sibi dominium atque expenditur ratio disc. 4. num. 13. disc. 6. num. 3.

Vel cessio facta fuerit cum clausula *dummodo &c.* disc. 6. num. 4.

Intell. prædicta quoad sortem, secùs quoad fructus recompensatiuos ibidem num. 2. 17. & 18. nisi agatur super fructibus pendentibus disc. 6. num. 15. & 16.

VERBVM

Aliud est repetitiuum similium d. 21. n. 6.

Far buono quando assignationem pro soluto designet disc. 65. num. 7. & 13.

VERBA

Attendenda non sunt sed substantia voluntatis disc. 91. num. 4. & 6. disc. 104. n. 6.

Fallit quando verba percutiant substantiam consensus disc. 108. num. 5.

Facto contraria àn attendantur d. 67. n. 6.

Impropriantur ratione subiectæ materiæ disc. 103. num. 7.

Mercatorum sunt intelligenda pro eorum stylo disc. 65. num. 14.

VERIFICATIO

Scripturę, vel librorum, seù ordinum in parte sufficit pro toto disc. 68. n. 21.

VERSIO

Constare quomodo debeat vt intret actio de in rem verso disc. 72. num. 4. & 5.

Iustificanda non est à mutuante socio contrahenti sociali nomine; secus si priuato disc. 87. num. 10.

Pecuniæ mutuatæ in refectionem vel emptionem quomodò probetur disc. 1. num. 12. disc. 15. num. 5. disc. 16. num. 4.

Probanda non est à fisco gaudere volente potioritate leg. *interdum* disc. 19. n. 12.

De VERSIONE

Mutuans Abbati de monasterij cõsensu sollicitus àn esse debeat d. 82. n. 2. & seqq.

Necessaria mutuans pro causa minori, & simili, sollicitus esse debet, & quomodo num. 4 ibid.

Fallit si versionis sollicitudo sit impracticabilis, vt in mutuo pro victu quotidiano disc. 82. num. 6.

VERSVM

Dicitur vbi duret, & non alias, ac de ratione disc. 72. num. 8. & 9. disc. 73. num. 10.

VIA

Intrans in plateam desinit esse via, & fit platea disc. 35. num. 19.

VIA EXECVTIVA

Clausulis ex quibus inducatur in Regno disc. 116. num. 7.

Contra creditorem datur, qui præstitit cautionem de restituendo prioribus d. 29. num. 2.

Instrumentis quamuis iuratis non conceditur de iure communi disc. 116. num. 6.

Litteris cambij, vel tractis per nundinas competit disc. 65. num. 4.

Partitis banci in Ciuitate Neapolitana, & Panormitana indulgetur ibid. num. 5.

Præscribitur spatio 30. annorum disc. 117. num. 4. disc. 131. num. 5.

Et in Regno minori tempore d. 117. num. 6.

Neque obstat mala fides ibidem num. 5. disc. 131. num. 5.

Neque conceditur restitutio disc. 117. num. 5.

Fallit vbi defectus proueniat à Iudice, vel debitore num. 6. ibid.

Vel vbi cæpta esset executio d. 117. num. 7.

Turbidas per exceptiones non retardatur disc. 60. num. 7.

Vulneratur per sententiam absolutoriam ibid. num. 4. disc. 64. num. 2. d. 124. nu. 5.

Fallit si sit notoriè nulla, vel iniusta disc. 117. num. 9. disc. 124. num. 5.

Item si sit absolutoria ab obseruatione iudicij tantum disc. 92. num. 9. d. 117. num. 9.

Sed adhuc sententia reuocatoria est appellabilis ad seruandam æqualitatem disc. 117. num. 10. Et quid si in commissione Rotali adesset clausula *cum facultatibus A.C.* disc. 117. num. 11.

VINCVLVM

Acceptare non tenetur creditor, sed est soluenda pecunia liberè disc. 54. n. 2.

Minuit de valore pecuniæ disc. 53. num. 26. & 27. disc. 54. num. 6.

Alia *vid.* Cautio. Interesse *vers.* Vinculi. Ius offerendi.

VINDICATIO

Domino pecuniæ, ex qua res est acquisita, in subsidium eiusdem rei quando detur disc. 35 num. 46. & seqq. *vid.* Res *vers.* in particularibus.

VITA MILITIA

Actione in rem scripta petitur à filio super feu-

feudo, & quid in concursu cum creditoribus hæredis cum assensu disc.27. n.24. & 25.

VOLVNTAS

Contrahentium spectari debet, non autem clausulæ Notariorum disc.70. num.10.
Errantis nulla est disc. 45.n.4.
Regulanda est à potestate disc. 71. num. 7.
Trahi non potest ad incogitata, & multo minus ad nolita disc. 100. num.6.

VSVFRVCTVARIVS

Cautionem præstare debet de vtendo arbitrio boni viri, aliàs non facit fructus suos disc. 92. num. 12. disc.141.num.5.
Sed sufficit præstare post adeptam possessionem disc.92.num.12.
Et si nequeat, inuestitur pecunia disc. 141.num.6:
Rerum quæ vsu consumuntur iquale dominium acquirat disc.2.num.15.

VSVSFRVCTVS

Reseruatio translationem dominij inducit disc.31.num.15.

VSVRA

In cambijs non datur disc. 143. nu.9.
Committitur ex perceptione fructuum pignoris conuentionalis disc.133. num.8.
Pecuniæ traiectitiæ in contractu quando intret disc.111.num.7.
Pensio si fructus rei locatæ excedat non committitur; Sed intrat læsio d.6.n.11.

VSVRARVM

Creditum an dicatur ex causa onerosa, vel lucratiua disc.28. num.15.
Cursus àn & quando impediatur per oblationem, & qualis esse debeat d.92.n.24. & 25.*vid.* oblatio *vers.* verbalis.
Diminutio ex triennali solutione inducitur & in quibus vsuris procedat disc. 129. num.5.disc.140.num.3.
Solutio àn,& quando concludenter sit probanda, vel sufficiant leniores probationes, distinguitur disc.129.num.6.

VTILE

An & quando vitietur per inutile disc.110. num.6.

FINIS.